ALPHONSI SALMERONIS TOLETANI,

E SOCIETATE IESV THEOLOGI,

COMMENTARII IN EVANgelicam Hiſtoriam, & in Acta Apoſtolorum.

TOMVS DECIMVS.

QVI DE PASSIONE ET MORTE Domini noſtri Ieſu Chriſti inſcribitur.

PERMISSV SVPERIORVM.



COLONIAE AGRIPPINAE,

Apud Antonium Hierat, & Ioannem Gymnicum,

ANNO M.DCXIII.

Cum gratia & Priuileg. Sacræ Cæſar. Maieſt.

PRAEFATIO AD LECTO-REM.

Superiorum voluminum epilogus.

HActenvs noſtris ſuperiorum voluminum Commentarijs ea tantum complexi ſumus,candide hector, quæ ad vitæ Domini noſtri rationem, & curſum attinebant. Illaque omnia, quæ tùm ab eo ſapienter, & acutè dicta, tùm etiam præclare, & fortiter geſta ſunt, pro exiguitate noſtra explanauimus: in quibus ſanè quamplurima admiranda illa quidem, planeque veneranda, atque adoranda myſteria perſecuti ſumus: ab his verò tam ingentibus initijs quis exitus eſſet meritò expectandus, & qua mortis clauſula, veluti cataſtrophe terminanda ſingularis illa, heroica, & eximiæ ſanctimoniæ, atque præclaræ virtutis ornatiſſima vita, illis obſcurum non eſt, qui nouerunt fortiſſimorum, & ſapientiſſimorum hominum conſtantiam, virtutem, atque animi magnitudinem in eo temporis puncto, atque extrema vitæ cum morte colluctatione maximè detigi atque ſplendeſcere.

Fortis & ſapientis viri excellens & eximia virtus quando maximè eluceſcat. Propoſitum autoris.

Quamobrem, Deo optimo maximo nobis propitio atque fautore, maiora Diuinæ ſapientiæ Sacramenta, ingenteſq; charitatis ſuæ ac bonitatis theſauros in hiſtoria Paſſionis Domini à quatuor Euangeliſtis diligenter conſcripta deliteſcentes rudiori orationis noſtræ ſtylo reſerare, illoſque ad illuſtrandam tanti Seruatoris gloriam, noſtræque ſalutis ſitim in nobis excitandam, atque ingenerandam in lucem prodere aggredimur.

Mortis filij Dei myſteriũ quibus tantũ oculis perſpici à nobis, atque inueſtigari queat.

Eſt enim mortis Filij Dei myſterium omnibus humanæ ſapientiæ oculis inacceſſum prorſus, abſtruſum, atque reconditum, ac niſi fide, & ſpiritus oculis cernatur, omnino ridiculum, vile, atque contemptum; & vt Apoſtolus dixit, *Iudeis ſcandalum, Gentibus ſtultitia*: ac ſi cui altius contemplari datum fuerit, ac diuinam videndi aciem cœlitus acceperit, agnoſcet Dei virtutem, & Dei ſapientiam, & vt idem Paulus paulò poſt dixit, Dei ſapientiam, quæ abſcondita eſt in miniſterio, quam prædeſtinauit Devs ante ſecula, in gloriam noſtram, quam nemo Principum huius ſeculi cognouit. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Sic ille.

1. Cor. 1. *Inf. 2.*

Chriſti Domini cum Græcorum & Romanorum magnis & illuſtribus viris comparatio.

Magnis celebrent laudibus Græci ſuos Hercules, Codros, Ariſtidas, Photiones; efferant vel in cælum vſque Romani ſuos Romulos, Horatios, Decios, Fabios, Regulos, Scipiones, Catones, qui in Rempublicam benefici extiterunt, aut glorioſè pro eius ſalute cecidiſſe traduntur: nobis verò liceat agnoſcere, & prædicare vnum Iesvm Christvm, & illum quidem cruci ſuffixum. Quid enim illi aliud, niſi meri homunciones peccato ac morti obnoxij extiterunt? Et vt demus illos pro patriæ incolumitate fortiter ac ſtrenuè decertaſſe; ac propterea nonnullam laudem & gloriam meritò ſibi comparaſſe: promeruiſſeque, vt eorum memoria æternitati conſecraretur, illiſque aut marmoreæ, aut aureæ, aut argenteæ ſtatuæ erigerentur, atque eorum honorifica geſta hiſtoriæ fideliter commendam traderentur, ad poſteritatem illorum exemplo ad decus, ac virtutem incendendam; illos tamen nonniſi mortales fuiſſe, multiſque vitijs, ac defectibus contaminatos ipſi de ilis conſcripti produnt libri; vt cogaris interdum dubitare, exitialeſne magis, an ſalutares extiterint patriæ, quam tantùm ad horam ab imminenti aliquo temporali incommodo, aut exitio ſeruare potuerunt.

Mira vitæ Chriſti integritas & innocentia.

Atqui Dominvm Iesvm ſeriò contemplatur, agnoſcet verum Dei vnigenitum Filium, hominem ſumma innocentia, & vitæ integritate præditum, nulli vnquam vitio, ne minimo quidem, obnoxium, heroicis omnibus virtutibus cumulatum, ſignorum, ac prodigiorum illuſtrem effectorem, orbi vniuerſo beneficentia ſua magnificentiſſimum, planeque conſpicuum: non ab aliqua præſenti calamitate, ſed à teterrimis peccatis, ac ſceleribus, & à ſæuiſſima dæmonum poteſtate, non vnam aliquam Prouinciam, aut Regnum, ſed vniuerſos Adæ poſteros, qui aut fuerunt hactenus, aut actu ſunt, aut erunt in futurum: nec ad tempus tantum, ſed in æternum: non verbo aliquo, aut ieiunio, aut lachryma, quod, ſi voluiſſet, ſatis eſſe poterat, ſed ſui pretioſi

guinis effuſione, morteque acerbiſſima crucis atque indigniſſima: non caſu aliquo, aut fatali neceſſitate, ſed ſua ſponte, magnaque animi alacritate, ac ineffabili charitate liberantem, atque ſeruantem. Nam vt nulla vnquam natiuitatis magis illuſtris, atque glorioſa extat memoria: nulla purioris, ac ſanctioris vitæ cum ſumma beneficentia coniunctæ hiſtoria legitur conſcripta; ita ſanè nulla moriendi ratio aut admirabilior, aut glorioſior, aut ſalutarior ne excogitari quidem, ne dicam inueniri potuit. Non ignoro, quàm indignum ſit, prorſuſque abſurdum tales homines cum DEI Filio componere; verum nos aliter eius magnitudinem atque præſtantiam attingere non poſſemus, niſi cum cæteris mortalibus, qui aut ſapientia, aut munificentia, aut animi robore, & fortitudine præclari atque inclyti extiterunt, quanto interuallo antecellat, oſtenderemus. Neque nouum eſt, in ſacris literis CHRISTVM DEI ſapientiam aut arboribus & plantis, aut odoratis aromatibus, aut nominatis, ac celebratis fluminibus ſe comparare. Vt interim nihil dicam de agno, leone, vitulo, aquila, verme, & alijs animantibus, quibus ſe Filius DEI conferre, atque repræſentare non eſt dedignatus, quò eius virtutes innumeras, ſalubresque proprietates coniectare poſſemus. Et in Euangelio, quantum præſtet Prophetis, ipſe non ſemel expreſſit: *Ecce*, inquit, *plus quàm Salomon hic*; &: *Ecce plus quàm Ionas hic*; & de Moyſe: *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ſcripſit ille.* & de Abraham ſanctiſſimo Hebraicæ gentis ſtipite: *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* In hoc enim libro decimo, prudens Lector, vniuerſam Dominicæ paſſionis hiſtoriam, ſecundùm temporis rationem, ex quatuor Euangeliorum ſcriptoribus in vnum veluti corpus contextam, & concinnatam, explicare conabimur: vbi ſi quid videatur in ſpeciem diſſentire inter Euangeliſtas, pro more noſtro in concordiam redigere curabimus. At verò quæ ſiue ex Prophetis, ſiue ex vmbris, ac typis veteris Inſtrumenti producuntur, & in CHRISTO aſſeruntur impleta, preſſius ac diligentius exponemus: contemplationes item, quæ interdum à Catholicis fieri ſolent tractatoribus, num ſolidæ, aptæque pietati, fideique accommodæ ſint, excutiemus. In his enim interdum, nec leuiter, nec à paucis peccatur. Initium autem dicendi ſumet hæc tractatio ab egreſſu CHRISTI cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, ante quæ verba terminatus eſt liber præcedens; finem verò accipiet in ſepultura DOMINI ac eius ad inferos deſcenſu: nam reliqua de DOMINI Reſurrectione in ſequentem librum commodius exponenda ſeruamus. Etſi autem omnibus nota ſint, & peruulgata, quæ ad hiſtoriam paſſionis DOMINI ſpectant: illa tamen talia, ac tanta ſunt, vt innumeras ſapientiæ, charitatis Dei opes comprehendant, & ſemper noua ac iocunda videantur, ſi Spiritus adſit diuinus, qui nobis in meditando & ſcribendo, pro ſua incomparabili bonitate opem ferat. Quicquid autem aſſecuti fuerimus eò profectò ſpectauimus, vt vetuſta redderemus noua, pro tritis, vulgatiſque nouitatem aliquam, & gratiam, quò magis dulceſcerent, ac legerentur ſuauius, tribueremus. Certè elegans eſt illa Plinii Secundi ſententia, quam ille in Proœmio librorum de Naturali Hiſtoria aptè pronuntiauit: *Res*, inquit, *ardua vetuſtis nouitatem dare, nouis autoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus verò naturam, & naturæ ſuæ omnia.* Hactenus ille: quæ nos pro virili noſtra æmulari, atque effingere contendimus, vt ſi non detur attingere, laude tamen ſua conatus noſter non careat.

Cæterùm hoc loco illud non ſine fructu præfandum nobis eſſe duximus, candide Lector, vt quem ſcopum nobis in cõtemplanda, & elucidãda Domini paſſione præfigamus apertum, ac conſpicuum reddamus. Nam plerique illa abutuntur ad fines quoſdam inutiles obtinendos: quos vt quiſq; quaſi ſcopulos quoſdam cõmodius vitari queat: illos in medium proferre erit operæpretium. Vt enim nauta, quò rectè nauem ad deſignatum & optatum portum dirigat, opus habet illum primùm ante oculos habere, nam illo ignorato, obliqua, incerta, atque fortuita nauigatio ſit oporter: ad eum profectò modum tanti myſterij mediatio minus erit ſolida, ac fructuoſa, niſi verus ſcopus, ad quem per eam ſit tendendum, cognitum, exploratumque habeamus. Sunt igitur in primis quidam, qui hæreticè de morte CHRISTI philoſophantur, qui vel docent eam tantum ad exemplum & doctrinam noſtram pertinere, non autem ad meritum, vt olim Pelagiani, qui naturæ humanæ vires efferentes, nihil nobis per eius mortem eſſe comparatum præter tuendæ veritatis ac iuſtitiæ documentum tradiderunt. Idem præterea ſenſiſſe Petrum Abailardum, ſcribit Beatus Bernardus quem & idem confutauit in Concilio Semnenſi. Vel rurſus per contrarium illam nobis ad meritum ſubſeruire ſolùm, nõ ad doctrinam vel exemplum: iſti ſunt Lutherani, qui ſtultiſſimè docent grauiſſima iniuria CHRISTVM affici, ſi quæ ille aut fecit, aut paſſus eſt pro nobis, nos itidem eum imitando præſtare conemur. Exiſtimantque CHRISTI paſſionibus atque ſatisfactionibus contume-

liam

Marginal notes:

Chriſti Dei, atque hominis cum eximijs atque præſtantibus viris illis cauſa cõparationis quæ ſuberat.

Rebus inanimatis, ſenſuq; carẽtibus, cur ſe Christus comparare voluerit.

Eccl. 24. & ſeq.

Matt. 12.

Ibidem.

Ioan. 2.

Inf. 8.

Huiuſce libri partes, ordoq; ſeruandus.

Plinij iunioris elegans dictũ.

Quò tendat hæc tractatio Simile.

In meditanda Domini paſſione quos errores ſeu ſcopulos vitare debeamus.

1. error.

Pelagiani olim quid ſenſeſint de Chriſti paſſione, & morte.

Lutherani noſtri circa Domini paſſionẽ præcipuè quã grauiter hallucinentur.

B. Bern ab ep. 187. vſq; ad 190.

Chriſti paſſionem ac mortem, ad exemplum nobis valere.

Quare Apoſtolus Chriſtum crucifixum vocauerit Dei virtutem, & Dei ſapiĕtiam. Eandem Chriſti paſſionem ac mortem nobis ad meritũ quoque deſeruire.

liam irrogari, ſi illas noſtras pro nobis, vel pro alijs ſatisfactiones ac merita adiungamus, quaſi minus idoneæ, atque efficaces illæ CHRISTI fuiſſent. Verum hoſce duos ſcopulos inter ſe oppoſitos quaſi Scyllam atque Charybdim meritò vitare debemus, cùm conſtet CHRISTVM ad vtrumque fructum aſſequendum Patri ſuo mortem obtuliſſe; vt *1. Cor. 1.* propterea rectè Apoſtolus CHRISTVM vocauerit Crucifixum DEI virtutem, & DEI ſapientiã. Virtutem quidem, quod ad meritum eius ſpectat, & efficaciã; ſapientiam vero *Epheſ. 5.* quantum ad exemplum, & doctrinam. Et alibi apertius ad Epheſeos ſcribens, ait: *Eſtote ergo imitatores Dei ſicut filij chariſſimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis.* Et ad Titum: *Apparuit gratia* *Tit. 2.* *Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* Hactenus vides quatenus ſit in exemplum. Subdit de merito: *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Et Apoſtolorum Princeps Petrus, CHRISTVS paſſus eſt *1. Pet. 2.* pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Hæc de exemplo: de merito poſt pauca verba ſub- *Eſa. 53.* iangit: Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum; vt peccatis mortui, *1. Ioan. 3.* iuſtitię viuamus: cuius liuore ſanati eſtis. Proinde inane eſt, & infirmum argumentum hę- *Eſa. 53.* reticorum. CHRISTVS meruit, aut ſatisfecit pro nobis, ergo noſtrum non eſt hæc opera præſtare; cùm potius oppoſitum rectiùs, ac validiùs conſequatur. Nam quemadmodum tulit crucem, orauit pro nobis, ieiunauit, atque peregrinatus eſt, non tollit quin nos debeamus ferre Crucem noſtram, ad quam ferendam nos eſt adhortatus, cùm dixit: *Si* *Matt. 16.* *quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam: & ſequatur me:* ita ieiunare, ac preces fundere pro fratribus debemus. Hinc & Paulus dicebat: *Ideo omnia ſuſtineo propter* *2. Tim. 2.* *electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in* CHRISTO IESV *cum gloria cæleſti:* &; *Adimpleo* *Coloſ. 1.* *ea quæ deſunt paßionum* CHRISTI *in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Tamen verum eſt, nos CHRISTI merita, aut ſatisfactiones æquare non poſſe: ſed vt ille pro gradu ſuo & meruit, & ſatisfecit, & orauit pro nobis, ita vt nos pro modulo noſtro, & menſura donationis CHRISTI. Nec enim quiſquam eſt, qui putet ſe virtute vlla, quæ eſt ex ſeipſo, ſed tantum ex CHRISTI dono atque gratia hæc opera aut pro ſe, aut proximo præſtare poſſe, nec illa Chriſti adæquare, ſed longo interuallo diſtare, niſi quantum diſtat palmes à vite, radius à Sole, & riuus à fonte.

Refelluntur Lutherani, ſatisfactionem nobis negantes neceſſariam eſſe.

Tametſi ſatisfaciendum ſit nobis, Chriſti tamen merita & ſatisfactiones à nobis æquari non poſſe.

Secundus error Chriſti tormenta, mortemq; meditantiũ.

Sunt deinde alij, qui in recogitanda CHRISTI paſſione, vehementer peccatis Iudæorum iraſcuntur, Iudæ, Pilato, Herodi, atque alijs carnificibus, ac militibus valdè indignantur, eorumque ſcelera miris modis execrantur, ac deteſtantur: quod vbi pręſtiterint, egregiam ſe operam nauaſſe, & ſe bene de CHRISTI paſſione meritos eſſe exiſtimant. Verùm hoc potiùs eſſe dixerim Iudæ proditoris, ac Iudæorum improbitatem, Pilatique præſidis iniquitatem, quàm CHRISTI mortem meditari. Præterea quæ poteſt eſſe vtilitas, ſi tu contra illos extrema inſania debaccheris, atque vocifereris? Nec enim illi, vtpote iam mortui, à peccato ſuo reſipiſcent, neque tu cum auditoribus tuis, quibus paſſionem DOMINI concionaris, ex conuitijs in illos iactatis melior effeceris, imò peior, ſi te propterea meliorem ac iuſtiorem illis eſſe exiſtimes, nec oculos mentis in tua ipſius peccata deflectas, illaque defleas, quæ aut ſimpliciter, aut tibi ſaltem deteriora ſunt, quàm illorum fuerunt, veràque moriendi cauſa CHRISTO extiterunt. Vt proinde vanus ſit labor, cùm poſſis teipſum, & eos, qui te audiunt, cum fructu corrigere, ſine vlla vtilitate in eos: qui iam ſunt extincti, inanes clamores fundere.

III. error.

Tertio loco ſunt alij, qui paſſione Domini ad hoc tantum vtuntur, vt per eam ab aqua, igni, & ferro, alijſque corporis periculis liberi, ac immunes euadant, neque præterea ad voluptatũ illecebras quaſi aquas declinandas, aut ad ignem gehennę, aut gladium æternę mortis vitandum euehuntur; cùm ob hanc potiſſimum cauſam Ieſus mortem ſuſtinere voluerit, vt nos à peccatorum ſordib. ablueret, & à vinculis Satanę, ac ſupplicij æterni reatu liberaret. Hiſtoriam percenſebo: Venit ad me conſultandum fœmina quædam religioſa admodum, & ſpiritualis, an putarem ſibi licere ad capitis continuos dolores, & vertigines, quibus crebrò affligebatur ſanandas, veſci paruis quibuſdam Crucis veræ CHRISTI fruſtulis, ad morbum capitis propulſandum. Quanquam enim DOMINVS etiam ad hæc incommoda corporis vitanda, & calamitates præſentes à nobis abarcendas, mortis acerba tormenta Patri ſuo obtulerit, abſurdum tamen, & à ratione alienum videtur, vt Meſſiam ſpiritualem, à pernicioſiſſimis morbis ſpiritus, æterniſque miſerijs præcipuè redimentem, in carnalem, & temporarium commutemus, nihil ab eo niſi carnis commo-

ominis car-alis ingeniũ. ugnundum ærogatiuæ anctorum.

da,temporaliaque bona expectantes.Eſtq́, hominis carnalis ingenium ex ſpiritu ipſo carnem eruere,ac Meſſiam,& peculiares quoſdam Sanctos noui Teſtamēti,vt B.Antonium B.Luciam,ac Sebaſtianum,&Rochum,aut ab igni ſacro,aut à caligine oculorum,aut exitiali peſte ſuis precibus nos interdum liberantes, ex ſpiritualibus carnales efficere, dum hæc aut tantùm ab illis aut præcipuè expetimus, aut poſtulamus: neque illud cogitamus in eo maximè nobis vtilem eſſe Chriſti crucem , quod ad perferendas cum victoria has moleſtias, & infirmitates, vim, atque efficaciam conferat.Hoc enim eſt planè Euangelicum,vt martyres teſtantur,patienti,atque inuicto animo aduerſa ſuſtinere,eaq́ue ſibi virtutis perficiendæ exercitia, ac beatæ & æternæ vitæ inſtrumenta efficere. Qui verò tantummodo à Chriſto,aut ab eius ſanctis in cælo cum eo regnantibus præſentis tantùm vitæ commoda,& corporis incolumitatem expectant, neglectis ſpiritualibus donis, ad vetus potius Teſtamentum tanquam pueri infirmi, quàm ad nouum pertinere videntur: at hoc quid eſt aliud;quam auream,& pretioſam monetam pro ærea, viliq́; pecunia expendere? Eſtq́ue Chriſtum quærere eo modo,quo ipſe quæri non vult; ideo conqueritur, dicens: *Quæritis me,non quia vidiſtis ſigna ſed quia manducaſtis ex panibus:& ſaturati eſtis.* Eſtq́; pluris facere additamentum , quàm illud ipſum principale,cui adiungitur: cùm tamen Dominus dixerit: *Quærite primùm regnum Dei,& iuſtitiam eius,& hæc omnia adÿcientur vobis.* Ioan. 6. Matth. 6.

Opus planè Euangelicum, & Chriſtianũ quid ſit. Chriſtiani qui ad vetus Teſtamentum potius,quam ad nouum ſpectare dignoſcantur.

V. error.

Poſtremò ſunt nonnulli ita de Paſſione Domini meditantes ac prædicantes,quaſi humanam quandam hiſtoriam , & rem ſub Tiberio Cæſare, & eius præſide Pilato in Syria geſtam:quòd Iudęi hominem innocentem indignis & acerbis modis pertractarint,falſiśque teſtibus ſubornatis malitioſè quædam crimina affingentib. egerint , iudicesq́; innoxium, ac beneficum hominem ſupplicio crucis affecerint, vt interim auditorum corda commiſerationis affectu tangantur, illumq́ue lachrymis teſtentur.Nam quiſq́; ita poteſt alias hominum innocentum cædes meditari , qui nulla ſua culpa violenta morte vitam abrumpere ſunt coacti; qualis Ariſtides, Photiones, & Reguli fuerunt.Imò,quòd maius eſt,interdum animalib. ſpecie à nobis diuerſis pereuntib. permouemur: nam dum videmus agnum,aut hœdũ innocentem iugulari,teneriorem affectum induim⁹. Quare hunc compaſſionis motum erga Dominum noſtrum exercere,etſi malum non ſit,ſed bonum: quia tamen quodammodo naturale bonum eſt,ſatis non eſt. Taliſq́; fortaſſe in quibuſdam fuit ille fletus muliercularum luctu,ac lacrymis Chriſtum ad mortem adductũ proſequentium,quem Dominus compreſſit, dicens : *Filiæ Ieruſalem,nolite flere ſuper me;ſed ſuper vos ipſas flete,& ſuper filios veſtros.* Lugebant enim eum quaſi reus, & criminis alicuius conuictus raperetur ad ſupplicium; cùm tamen ſummè eſſet inſons, & ſponte ſua, & charitate ad mortem,pro noſtris peccatis expiandis pergeret.Similem ſe quondam ſenſum habuiſſe fatetur Auguſtinus, cùm Didonis necem deploraret. Nam in libris Confeſſionum ita ſcribit: *Scribam ipſe ſi quid volo,quàm illæ* (ſc. literæ) *quibus tenere cogebar Æneæ neſcio cuius errores, oblitus errorum meorum , & plorare Didonem mortuam, quia ſe occidit ob amorem; cùm interea meipſum in his à te morientē, Deus meus,vita mea,ſiccis oculis ferrem miſerrimus. Quid enim miſerius miſero non miſerāte ſeipſum,& flente Didonis mortem,quæ fiebat amando Æneam;non flente autem mortē ſuam,quæ fiebat non amando te?* Hæc ille. Hinc quidam Concionatores vehementer peccare videntur, qui mulierculas quaſdam imitantes, quæ ad luctum mortuorum in alijs excitandum lugubria quædam carmina concinunt , & ipſę pretio conductæ ad hoc ipſum Threniſtæ vocantur,& lamentatrices:ita hi confictis lacrymis,altis clamoribus, eiulatib⁹, & vlulatu fœmineo,ſenſibilibusq́; repræſentationibus,humanis planè; & nihil diuinum ſpirantibus,& hiſtorijs quibuſdam extra literam Euangelicam excogitatis,& prorſus apocryphis, lacrymas vel à ſeipſis, vel ab auditoribus exculpunt: cumq́ue ſatis vociferati fuerint,ac fleuerint,atque huiuſmodi lacrymis ſudariolum ad hoc ipſum paratum repleuerint,pro ſanctis ſe habent , egregieq́; & cum fructu Chriſti paſſionem meditatos ſe fuiſſe arbitrantur,prædictum ſudariųm ad caſus calamitoſos, periculoſoſq́; declinandos,& à ſe auertendos ſeruant; cùm tamen nec priſtina vitia declinare , nec melioris vitæ animum induere enitantur,ſed in eodem peccatorum ſtercore iaceant, ignorātes eiuſmodi lacrymas humanis viribus extortas non eſſe illas , quas diuina conſolatio comitatur, quaſq́ue Dominus ab oculis Sanctorum abſtergere dicitur:neq; ſunt aquæ illæ, quas Propheta dicit eſſe ſuper cælos,ſed ſub cęlo,& merè humanæ,quandoquidem illis nullum peccatum diluitur,nullaq; anima à criminis macula permundatur.

Luc. 23. Aug.l.1.Cōf. cap.13.tom.1. propè init. Eſa. 25. Apoc.7.&21 Pſal. 148.

Nihil miſerius miſero non miſerāte ſeipſum, ait Aug. Concionatores quidam notantur.

Fructuoſa ac planè Euangelica Chriſti Domini paſſionem & mortem meditandi ratio quæ ſit.

His igitur contemplandæ paſſionis rationibus tanquam inutilibus abiectis, fructuoſa erit ac planè Euangelica , ſi fide certa , non vt hiſtoriam humanam , ſed vt rem prorſus diuinam apprehendamus, Dominum Ieſum vnigenitum Patris , & chariſſimum Filium, innocentiſſimum, & iuſtiſſimum hominem,nulla vi coactum,ſed prudentem,ac volen-

tem,

tem,pro noſtris ſceleribus abluendis, & libertate nobis vindicanda, nobiſque in Patris gratiam reconciliandis,& in æternam gloriam adducendis, duriſſimam atq; fœdiſſimam mortem ſuſtinuiſſe:cogitando quis,quid,& à quibus,& pro quibus,& cum quibus, & ob quam cauſam,& quanta patientia aut charitate talia perpeſſus fuerit, tantaque tormenta deuorauerit.Ex his meditationibus illuſtratur fides in Chriſtum, erigitur ſpes noſtra, incenditur charitas,amplectimur omnem virtutis viam,omnia vitia declinamus, & ad reſiſtendum peccato vſque ad ſanguinem & ad obedientiam diuinæ legi præſtandam inflammamur.Fluunt ex hac contemplatione cœleſtes,ſuaues, ac pretioſæ lacrymæ, quæ terram cordis noſtri primum lauant,deinde ad bona opera edenda irrigant atque fœcundant,animamque veluti pane ſuo confirmant,ac ſatiant,vt cum Propheta quis dicere valeat: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte,dum dicitur mihi quotidie:Vbi eſt Deus tuus?* Nam Iudæi,aut Pagani cum obijciunt,Chriſtum Deum noſtrum in cruce eſſe, & veluti imbecillum atque impotentem animam agere, nec poſſe ſeipſum ſaluum facere, vt illi etiam inſultatum eſt: quid aliud nobis Chriſti cultoribus,qui nouimus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam pro nobis fuiſſe infirmatum,& ſtultum reputatum, quid aliud inquam nobis,quam dulciſſimi fletus materiam exhibent,quibus tanquam ſolido pane, exaturemur,atque confirmemur?Sed de hac fructuoſa meditandæ Chriſti paſſionis ratione ſequenti Tractatu plenius,& vberius,ne modum ſuum epiſtola excedat, & veluti Tractatus formam induat,philoſophabimur.Iam vero antequam ad textum explicandum accedamus,quædam in genere præmittenda ſunt de hac ipſa fructuoſa meditatione paſſionis Chriſti,deque cauſis mortis eius,ac fructibus per eam ad nos deriuatis: quæ diſtincte, ac breuiter expediemus. De his paucis te admonendum cenſuimus, bone lector.
Vale, ac noſtro labore fruere. Cęterum Catalogo omnium Tra-
ctatuũ,qui in hoc libro continentur,quo magis tuæ
commoditati ſtudere ac proſpicere va-
leamus ſequens indicabit
pagella.

Hebr 12.
Pſal. 41.
Matt. 27.
1.Cor.1.

Iudæorum Ethnicorum de Chriſto patiente,morienteque blaſphemia.

DECIMVS LIBER IN SEQVENTES. TRACTATVS DIVIDITVR.

QVORVM primus eſt,in quo,de meditanda cum fructu & recogitanda Chriſti paſſione diſſeritur,in illa verba Apoſtoli: *Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem,vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes. Nondum enim vſq; ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes.* Hebr.12.pag.1.

Tract.II.De meditandis mortis Chriſti cauſis,& num illa neceſſaria omnino extiterit, an voluntaria,diſſeritur pag.10.

Tract.III.In quo refelluntur,ac diluuntur omnia argumenta, quæ tum à Paganis, tum à Iudæis fiunt,vt probent,paſſionem,ac mortẽ Chriſti aut impoſſibilem, aut abſurdam, & à ratione alienam,ac proinde minimè neceſſariam fuiſſe, pag.22.

Tract.IV.In quo innocentia,& iuſtitia Domini Ieſu peculiariter contra Iudæorum, putantium Chriſtum iuſta,ac digna morte peremptum argumenta defenditur, & magna ex parte caput ſecundum libri Sapientiæ explicatur, pag.32.

Tract.V.In quo de fructibus paſſionis Chriſti cum fructu ruminandis, ac cogitandis agitur: & ea omnia argumenta,quæ in illos fiunt,diſſoluuntur,pag.41.

Tract. VI. De acerbiſſima Domini Ieſu paſſione, ſimul & de compaſſione, ſiue commiſeratione, qua erga noſtram miſeriam ſubleuandam affectus fuit,in illa Ioannis Euangeliſtæ verba: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, &c.* Apocal. pagin.49.

Tract.VII.De teſtamento condito à Domino Ieſu in paſſione, bonorumque ſuorum diſtributione cum hæredis inſtitutione,in illa verba Zachariæ: *Et dicetur ei, Quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me,*cap. 13.pag.62.

Tract.VIII.In quo Pſalmus 21.qui paſſionem Domini Ieſu ſuis veluti coloribus deſcribit, exponitur,qui incipit: *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? longè à ſalute mea, &c.* pag.72.

Tract.IX.In quo exponitur cap.53.Eſaiæ Prophetæ,quod paſſionem Domini, ac mortem cum eius fructibus eleganter nobis deſcribit: quod incipit: *Quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt?* pag.86.

Tract.X.In verba Ioannis: *Hæc cum dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans Torrentem Cedron, &c.*Ioan.18.pag.98.

Tract. XI. De triſtitia animæ Chriſti verbis & factis expreſſa coram Petro, & filijs Zebedæi,Matt.26.& Mar.14.in illa verba: *Et aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cæpit contriſtari,*& reliq.pag.105.

Tract.XII.De oratione Domini in horto,in illa verba: *Et progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi, ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte, &c.*Matth.26. & Mar. 14.Luc.22.pag.113.

Tract.XIII.In illa verba: *Et venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes & dicit Petro: Sic? non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem, &c.* Matt. 26.Marc.14.pag.121.

Tract.XIV.De angelo apparente,& confirmante Dominum,in verba illa: *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum.*Luc.22.pag.127.

Tract.XV.De ſudore ſanguineo Chriſti Ieſu,in illa verba: *Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius quaſi guttæ ſanguinis decurrentis in terram.*Luc.22.pag. 132.

Tract.XVI.De ſurrectione Chriſti ab oratione,& excitatione Apoſtolorum,& de aduentu Iudæ cum cohorte,& miraculis ab ipſo ante comprehenſionem editis,in illa verba: *Et cum ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, inuenit eos dormientes præ triſtitia. Et ait illis. Quid dormitis? ſurgite, orate ne intretis in tentationem, &c.*Luc. 22.138.

Tract.XVII. De Petro percutiente Malchum ſeruum Pontificis, deque eius curatione, Patrique ſe armis tueri volentis reprehenſione, Matth.26. Marc.14. Luc.22.Ioan.18. pag.147.

Tract.XVIII.De reprehenſione ad turbas ad ſe comprehendendum venientes, & captura Chriſti,fuga Apoſtolorum,& adoleſcentis cuiuſdam ſequela, Matth.26. Marc.14. Luc.22.Ioan.18.pag.159.

Tract.

Tract.XIX.De adductione Domini ad Annam, & ſequela duorum diſcipulorum, in illa verba: *Et adduxerunt eum ad Annam primum. Erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius*, & reliq. Ioan.18. pag. 165.

Tract.XX.De interrogatione Ieſu per Pontificem facta, & alapa Ieſu impacta per miniſtrum, in illa verba: *Pontifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis & de doctrina eius. Reſpondit ei Ieſus: Ego palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſynagoga, &c.* Ioan.18. pag. 172.

Tract. XXI. De diſcuſſione cauſæ Domini Ieſu, & adiuratione, qua adiuratus eſt à Caipha, atque condemnationis eiuſdem ſententia, in illa verba: *At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotem, vbi Scribæ & Seniores conuenerant: Petrus autem ſequebatur à longe, vſque in atrium Principis Sacerdotum, &c.* Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. pagin. 180.

Tract.XXII.De illuſionib. & contumelijs, quibus Ieſus tota illa nocte in domo Caiphæ affectus fuit, in illa verba: *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, &c.* Matth.26. Marc.14. Luc. 22.187.

Tract.XXIII. De triplici Petri negatione, in illa verba: *Petrus vero ſedebat foris in atrio: & acceſſit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras, &c.* Matth.26. Marc.14. Luc. 22. & Ioan.18. pag. 191.

Tract.XXIV.De præſentatione Chriſti ante concilium Seniorum mane facta, in illa verba: *Mane autem facto conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & Seniores populi aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, &c.* Matth.27. Marc.15. Luc.23. pag. 204.

Tract. XXV. De infructuoſa Iudæ pœnitentia, & reſtitutione triginta argenteorum, & morte, in illa verba: *Tunc videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, dicens, peccaui, tradens ſanguinem iuſtum, &c.* Matth.27.211.

Tract.XXVI.De Domini Ieſu præſentatione coram Pilato, tribusque eius ad Ieſum interrogationibus, in illa verba: *Ieſus autem ſtetit ante Præſidem. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt, & dixerunt, ſi non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum, &c.* Ioan.18. Matt.27. pag. 219.

Tract.XXVII. De miſſione Ieſu à Pilato ad Herodem, remiſſioneque eiusdem ad Pilatum, in illa verba: *At illi inualeſcebant, dicentes: Commouit populum, docens per vniuerſam Iudæam incipiens à Galilæa vſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit, ſi homo Galilæus eſſet. Et vt cognouit quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, &c.* Luc. 23. pagina 229.

Tract.XXVIII.De collatione Ieſu cum Barabba, eiuſdemq; poſtpoſitione, & viſu vxoris Pilati, in illa verba: *Eſt autem conſuetudo vobis vt vnum vobis dimittam in Paſcha. Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? Clamauerunt rurſum omnes, dicentes: Non hunc ſed Barrabam. Erat autem Barrabas latro.* Ioan.18. Matt.27. Marc.15. Luc.23. pag. 225.

Tract.XXIX.De flagellatione Domini in domo Pilati, in illa verba: *Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit.* Ioan.19. Marc.15. pag. 244.

Tract.XXX.De illuſionibus factis Domino Ieſu in prætorio, quem induerunt chlamyde purpurea, & corona ſpinea, & arundine in manu, in illa verba: *Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum, & dabant ei alapas, &c.* Ioan.19. pag. 250.

Tract.XXXI.De accuſatione quod Filium Dei ſe fecerit, in illa verba: *Cum ergo vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite, Ego enim non inuenio in eo cauſam. Reſponderunt ei Iudæi, &c.* Ioan. 19. pagin. 259.

Tract.XXXII.De Pilati ſeſſione pro tribunali, ac lotione manuum eius, ac ſententia Chriſtum ad necem condemnante, in illa verba: *Pilatus ergo cum audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbatha, &c.* Ioan.19. pag. 266.

Tract.XXXIII.De Chriſto crucem baiulante, Simoneque Cyrenenſi angariato ad ferendam crucem poſt eum: deque reſponſo mulieribus flentibus, ac lamentantibus exhibito, in illa verba: *Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt eum. Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum, &c.* Ioan.19. pag. 276.

Tract.XXXIV.De luctu & lacrymis proſequenda morte Chriſti: contra eos, qui noſtra tempeſtate aliter ſenſerunt, aut docuerunt 284.

Tract.XXXV.De eductione Domini in montem Caluarię,deque myrrhæ,& aceti,atque fellis potatione,deque eius inter duos latrones crucifixione, in illa verba Matthæi: *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha,quod eſt Caluariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum,& cum guſtaſſet,noluit bibere,&c* Matt.27.Luc.23.Ioan.19.289.

Tract.XXXVI.In quo peculiariter agitur de maximo & ſacroſancto crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti myſterio ad vitam terminandam electo.pag.298.

Tract.XXXVII.De impoſitione tituli ſuper crucem, in illa verba: *Scripſit autem & titulum Pilatus,& poſuit ſuper crucem.Erat autem ſcriptum,Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt,quia prope ciuitatem erat locus,&c.*Ioan.19.Matt.27. Marc.15. Luc.23.305.

Tract.XXXVIII.De diuiſione veſtimentorum Chriſti, & tunicæ inconſutilis ſortitione, deque illuſionibus Domino in cruce factis,in illa verba: *Milites ergo cũ crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius(& fecerunt quatuor partes,vnicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconſutilis,deſuper contexta per totum,&c.*Ioan.19.pag.314.

Tract.XXXIX.De primo verbo Chriſti in cruce ad Patrem,in illa verba: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.*Luc.23.pag.321.

Tract.XL.De ſecundo verbo Chriſti ad latronem,in illa Lucæ verba: *Vnus autem de his qui pendebant latronibus,blaſphemabat eum dicens: ſi tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum, & nos. Reſpondens autem alter, increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione, &c.* Luc.23.328.

Tract.XLI. De verbis Chriſti tertio loco dictis ad matrem, & ad Ioannem, in illa verba: *Stabat autem iuxta crucem Ieſu mater eius,& ſoror matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cum vidiſſet ergo Ieſus matrem,& diſcipulum ſtantem quem diligebat, &c.*Ioan.19.pag.337.

Tract.XLII.De tenebris à ſexta hora in horam vſque nonam factis,in illa verba: *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram,vſq; ad horam nonam.*Matth.27.Marc.15. Luc.23.pag.347.

Tract.XLIII.De quarto Chriſti verbo in cruce,in illa verba: *Et circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna,dicens:Eli,eli,lammaſabacthani,hoc eſt Deus meus,Deus meus, vt quid dereliquiſti me? &c.*Matth.27.pag.354.

Tract.XLIV.In quintum verbum Chriſti in cruce patientis,in illa verba: *Poſtea ſciens Ieſus, quia omnia conſummata ſunt, vt conſummaretur Scriptura dicit: ſitio, vas ergo erat poſitum aceto plenum,&c.* Ioan. 19.360.

Tract.XLV.De ſexto verbo Chriſti in cruce,in illa verba: *Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum dixit: Conſummatum eſt.*Ioan.19.pag.366.

Tract.XLVI.De poſtrema Chriſti voce in cruce,in illa verba: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.Et hæc dicens,expirauit,*quæ habentur apud Luc.c.23.p.370.

Tract.XLVII.De ſignis editis in cruce poſt expirationem Chriſti,in illa verba:*Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque deorſum. Et terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt,&c.* Matth.27.pag.378.

Tract.XLVIII.De apertione lateris Chriſti iam mortui,in illa verba: *Iudæi ergo(quoniam paraſceue erat)vt non remanerent in cruce corpora ſabbato(erat enim magnus dies ille ſabbati)rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura,&c.*Ioan.19.pag.389.

Tract.XLIX.De ſepultura Chriſti Domini à Ioſepho Arimathæo,& Nicodemo exhibita, in illa verba: *Cum autem ſero eſſet factum,venit homo diues ab Arimathæa, nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu.Hic acceſſit ad Pilatum,&c.* Matth. 27. Marc. 15. Luc.23. Ioan.19.pagin.397.

Tract.L.De deſcenſu Chriſti animæ ad inferos,pag.408.

Tract.LI.ac poſtremus,De ratione propter quam dies Sabbati dicata eſt B. Virgini, ac de eiuſdem ſanctiſſimæ Deiparæ lamentatione.423.

Licentia R.P. Viſitatoris.

STephanus de Oieda, Viſitator Societatis Ieſu, in Prouincia Toletana, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Claudio Aquauiua, Præpoſito noſtro Generali, facultatem concedo, vt decimus Tomus De paſſione & morte Domini, *quem compoſuit P. Alfonſus Salmeron, vnus de primis Patribus Societatis Ieſu, typis mandetur, quia iam diſcuſſus eſt & approbatus à viris doctis & grauibus noſtræ Societatis. In cuius rei fidem has literas dedi, meo nomine ſubſcriptas, & mei officij ſigillo munitas. Datum Madriti, 6. Februar. Anno Domini 1600.*

Stephanus de Oieda.

Approbatio.

DE mandato ſupremi & Regij Senatus, qua potui diligentia vidi, & exactè perlegi, decimum Tomum Commentariorum in ſacroſancta Domini noſtri Euangelia, qui de paſſione & morte Domini noſtri Ieſu Chriſti inſcribitur, autore Patre Alfonſo Salmeron Societatis Ieſu. Quem quidem fidei veritati conſentaneum omni ex parte reperi, omniq; eruditione refertum, ex cuius lectione ſacræ Scripturæ intelligentia, antiquitatis notitia, pietatis norma, & morum integritas, comparabitur. Datis in noſtro Cœnobio ſanctæ Mariæ de Mercede, Madriti, die decima menſis Aprilis, Anno milleſimo ſexcenteſimo.

Fr. Petrus de Onna Prouincialis Caſtellæ.

R. P.

R. P. ALPHONSI SALMERONIS TOLETANI, THEOLOGI E SOCIETATE IESV, COMMENTARIORVM IN Euangelia & Acta Apoſtolorum.

Libri Decimi Pars prima.

TRACTATVS I.

De meditanda cum fructu & recogitanda Chriſti paſſione, in illa verba Apoſtoli: *Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem: vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes. Nondum enim vſq; ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes.* Heb. 12.

Quale Dei organum Paulus Apoſtolus.

LINGVA cæli, actuba Spiritus ſancti, Paulus Apoſtolus, fideles omnes ad frequentem, & fructuoſam paſſionis, ac mortis Domini meditationẽ Hebręos cohortans, in hæc plena doctrinæ, ac Spiritus verba prorupit: *Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes. Nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis; aduerſus peccatum repugnantes.* Quoniam igitur in præfatione noſtra pernicioſos, & inutiles cogitandæ paſſionis Chriſti modos excluſimus, reliquum eſt, vt in his Apoſtoli verbis vtiles ac ſalutares conſectemur. Vt autem Apoſtolica verba profundius ſcrutemur, præmittendum eſt, B. Paulum in pręcedenti capite magnis, ac ſerijs verbis Hebræos ad fidem retinendam excitaſſe, multorumque Sanctorum exemplo, qui in veteri Teſtamento pro Fide egregiè, & fortiter ad ſanguinem vſque decertarunt, exhortatum fuiſſe, illosque ad intrepidè in certamine propoſito pugnandum, orationis ſuæ vehementia incendiſſe: mox exhortationem concludens, duodecimum caput inchoat, dicens: *Ideoq; & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet.* Quibus in verbis quãtum inſit exhortandi pondus, & virtus, nõ eſt obſcurum intelligere. Nam poſt cætera omnia ſanctorum geſta, quæ vim habent certè permouendi, & animos ad omnem virtutem amplectendam inflammandi, fortiſſimum, & efficaciſſimum Domini Ieſu proponit exemplum, quod imitari Chriſti cultoribus non ſolùm ſit glorioſum, ſed etiam fructuoſum atque iocundum. Sed in primis expende illud verbum: *Ideoq; & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium.* Nubes de terra producitur, ſuper terram eleuatur, & iterum per pluuiam in terram deſcendit: tales ſunt viri ſancti, qui etſi è terra ſint progeniti, vt reliqui mortales, fide tamen, ac ſpe in altum eleuantur, & ſe nobis ad ſpectandum præbent, & imitandum, diuinæque iuſtitiæ rigorem, tanquam Solis æſtum nobis tegunt, poſtremò per charitatis opera, ac ſingularia beneficia quaſi per pluuiam quandam ſpiritualem ad nos deſcendunt. Et per tantam nubem teſtium, intellige metaphoricè copioſam multitudinem: denſum enim raro opponitur. Quoniam etſi pauci eſſent, deberent nos tamen excitare; at vbi ingens eſt numerus, acriores ſtimulos addit. Et impoſitam ait, ſiue, vt Græcè dicitur, circumpoſitam; quo deſignet non poſſe nos effugere, quocunque oculos vertamus, quin ſtatim occurrant perſeuerantis fidei, & patientiæ exempla. Etſi autem ſancti homines non tantum teſtes ſint, ſiue martyres, ſed & curſores, ſiue eiuſdem curſus ſocij; qui viam nobis præmonſtrant: teſtes tamen vocare maluit, quàm curſores; vt innuat, æmulos nobis illos non eſſe, qui palmam nobis pręripiant, ſed approbatores potius, qui plaudant, & gratulentur noſtrę victoriæ: quemadmodum Chriſtus non tantum eſt agonothetes, ſed etiam manum in curſu porrigit, & vires perueniendi ad metam ſuppeditat. Et quia exhortatur ad curſum, & feſtinationi repugnat pondus; iubet illud deponere, id eſt, amorem mundi & curas terrenas, vt poſſimus effici nubes agilis. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum

Horum quæ propoſita ſũt, verborum Apoſtoli, cum præcedentibus, eiuſdem continuationis ratio.

Emphatica Pauli Apoſtoli ad recogitandam Chriſti paſſionem, & mortem exhortatio.

Nubibus cur ſancti comparentur.

Nubes teſtiũ apud Paulum quid ſignificet.

Sanctos cur potius teſtes, quam curſores Paulus appellauerit.

Sap. 9.

Fabius lib. 10. cap 5.

ſum multa cogitantem. Erat olim in athletis certa neceſſitas quorundam ciborum, & exercitationum, vt docet Fabius, vt firmo, agili, benè compacto corpore eſſent, pro varijs certaminum ſpeciebus. Curſoribus etiam ſcimus nihil in primis æquè; atq; craſſam corporis habitudinem obſtare. Ad hæc alludens Apoſtolus hortatur, vt deponamus circumſtans nos peccatum, ſiue, vt Græca vox ſignificantior habet, & tenaciter inhærens peccatum, hoc eſt, innatam concupiſcentiam, ſiue fomitem, quo vndique implicamur, & ad terram deijcimur: ſed ille iuſtitiæ, & gratiæ Dei acquiſitione indies magis extenuari debet, quò liberiores, & expeditiores ſimus ad curſum perficiendum. Subditque: *Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* Inuitat ad curſum, non ſimplicem, ſed certatorium, vel curſorium certamen, quod ſtudia ſolet magis incendere. Et quia habemus tentatorem, multis modis curſum, aut impedire, aut retardare conantem; pulchrè dixit: *Per patientiam curramus.* Satanæ enim fraudes & molimina, patientia noſtra ſunt perfringenda: *Ad propoſitum*, inquit, *certamen*, ſiue propoſitum nobis ſtadium; ſignificat enim Græca vox ἀγὼν ſtadium, ſiue locum curſui aſſignatũ. Et ne moleſtus ſit curſus; proponit in quem ſcopũ oculi noſtri ſint defigendi, ſubiungens: *Aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum.* Nam ille eſt, qui primus cucurrit, & ſtadium hoc glorioſè confecit; & currentibus omnib⁹ poſt ſe, certam victoriæ palmam pollicetur. Nã vt amnem rapidum pedibus aut equo tranantibus, ſalubre eſt conſilium, ne aquas ipſas inſpiciant, quòd vertiginem capitis parere ſoleant, & periculo ſubmerſionis exponant, ſed illis eſt expediens, vt oculos firmos in littus defigant, quo ſine vllo periculo ſit tranſitus: ſimili profectò ratione, qui in mundi huius laboribus & periculis, quaſi in fluctibus verſatur, ne illis inuoluatur, neceſſe eſt oculos in Chriſtum attollere; illumque diligentius inſpicere, vt eius virtute, atque exemplo aduerſa quæcunq; occurrant; æquo animo tolerare valeant: quemadmodum inter lapidum grandines feciſſe Stephanum legimus, cùm dixit: *Ecce video cælos apertos; & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.* Vocat autem Ieſum fidei & autorem, & conſummatorem; quòd ipſe ſit, cuius dono aſſequitur, & credere, & pro illo pati cum fructu, ſecundum illud verbum Apoſtoli: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.* Ipſe etiam eſt, qui noſtros labores ampliſſimo præmio remunerat, & ſeipſum in præmium tribuit; vt propterea à merito dicatur fidei conſummator. Ac ſubdit: *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* Id eſt, cui cum liberum eſſet manere propria in gloria, & diuinitate, non ſolùm exinaniuit ſemetipſum vſq; ad formam ſerui, ſed etiam voluntariè crucem ſuſtinuit, ignominia contempta. Quẽ ſenſum videtur ſequi Gregorius Nazianz. vt eum producit Oecumenius, & illi Græca lectio videtur fauere, & Chryſoſtomus in hæc verba ita ſcribit: *Hoc eſt, licebat illi nihil pati, ſi voluiſſet. Non enim peccatum fecit, neque dolus inuentus eſt in ore ipſius, ſicut & ipſe dixit in Euangelio: Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Erat igitur arbitrij illius, ſi voluiſſet, non venire ad Crucem. Si igitur qui nullam habuit neceſſitatem, vt crucifigeretur, crucifixus eſt propter nos: quanto magis nos iuſtum eſt omnia fortiter tolerare?* Hactenus magnus ille Pater. Nam pro gaudio idem valet quod loco gaudij, & gaudium genus omnes commoditates comprehendit, propoſitum verò dicit, quod in manu Chriſti erat, vt ſi libuiſſet, facultas eſſet vtendi.

Quod ſit illud circumſtans nos peccatũ, quod deponere nos Paulus hortatur.

Fomes peccati, quo miſerè premimur, qui & maximè retũditur, & ſopitur.

Satanæ fraudes ac molimina quomodo à nobis eludi, & ſuperari queant.

ἀγών. Græce quid.

Actor. 7.

Autor fidei & conſummator cur ſit appellatus Ieſus.

Philip. 1.

Quomodo Chriſtus propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.

Infra 2 Greg Naz. apud Oecumen. Chryſoſt. hõ. 28. in epiſt. ad Hebræ. ſub initiũ. Io 4. Eſa 53. 1. Pet. 2. & 1. Ioan 3. Ioan 14.

Verùm alius quoque ſenſus eſt fortaſſe propoſitæ rei conuenientior; vt Dominus Ieſus ad obtinendum ſibi à Deo propoſitũ reſurrectionis, & ſeſſionis ad Patris dexteram præmium, magno animo Crucis breuia tormenta, ignominiamq; pertulerit. Quod Paulus alio loco indicauit, cũ dixit: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, & reliq.

Alter ſenſus.

Philip. 2.

His expeditis, ſubiungit Apoſtolus verba, quæ à principio propoſuimus explicanda, dicens: *Recogitate enim eum, qui talem. &c.* Vbi in primis vult non ſimpliciter fideles cogitare Chriſti mortem, ſed etiam, recogitare, & more mundi animalis, ſemel cogitata ruminare iterum, ac deguſtare. Nam quemadmodum Solis æſtus, non vno aut altero die homines exurit, eorumque carnem, ac pellem nigram reddit, ſed longo temporis tractu: ac vt balſamum non ſemel, aut bis vulneri appoſitum, ſed multo tempore vulnerum cicatrices curat, & inuiſibiles reddit: ita ſanè paſſio Domini non ob vnam, aut alteram leuem cogitationem carnem noſtram macerat, aut pellem conuerſationis noſtræ in melius immutat, ſed diu fide apprehenſa, & meditata. Ad hæc vt gallina vaga, inconſtanſque, apta nõ eſt ouis fouendis atque excludendis pullis, ex quo & pullis eam carere neceſſum eſt: ad eum modum, qui ſub alis Chriſti in Cruce

Fideles Chriſti mortẽ quemadmodum cogitare debeant. Exemplis illuſtratur hæc doctrina.

brachia

brachia inſtar gallinæ extendentis diu nequit conſiſtere, nulla alta deſideria concipere,neq; ad habendum alas contemplandi diuina myſteria aſſurgere valet. Eſt & alia ratio, cur videlicet Domini paſſio recogitanda ſit. Nam prima quidem facie crucis ac mortis Domini aſpectus, horridus, turpis, indecorus, omniq; ratione apparet deſtitut⁹, atq; ob eã cauſam Iudęis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia: at illis, qui diu recogitant, quanta inſit in eo, qui Cruci eſt ſuffixus, Dei virtus, atq; ſapientia, agnoſcunt theſauros in eo deliteſcentes,& tanquam rem ſalutiferam, potẽtiſſimã, atque iocundiſſimam amplectuntur, quia alijs oculis beatioribus, quam his corporalibus, cernunt, Finge, obſecro, bone lector, vile, ac detritum marſupium, auro & pretioſis lapillis refertum in terra iacere: accedant ad illud, aut oues, aut boues, aut canes rationis facultate deſtituti: certè ſi in illud inciderint, viſuque, aut odoratu quid ſi id, inueſtigauerint, non magni pendent, vt par erit, ſed tanquam quid deſpicabile, atque contemptum abijcient: at ſi quis ratione prædictus in illud incurrat, prima quidem facie illud deſpiciet, ac paruipendet; quod ſi fortè id curioſius perſcrutetur,& aperiat, ingẽtem profectò qui deliteſcebat, theſaurum inueniet, ſibiq; de tam felici euẽtu gratulabitur. Ita ſanè myſterium Chriſti in Crucem acti ſe habet. Nam Iudæis & Gentibus oculis fidei deſtitutis ſtultum, & infirmũ apparet; fidelibus verò etſi in ſpeciem vile appareat, & contemptum, tamen ſi illis diuinitus detur opes diuinæ ſapientiæ,& charitatis in eo incluſas detegere, atque agnoſcere, fortunatiſſimũ ac beatiſſimum ſe arbitrabitur, deq; inuento theſauro immenſas Deo gratias aget. Hinc factum eſt, vt oẽs, qui cruci ac morti Chriſti adſtiterunt, magnis beneficijs ditati, ornatique fuerint. Nam mulieres laudãtur, quòd, fugientibus viris, crucis ſpectaculo interfuerint; Ioannes ſanctiſſimã Deiparam in matrẽ chariſſimã acceperit; latro, qui à dextris pendebat, conſortij ſui, atq; confeſſionis, pollicitationẽ paradiſi illo ipſo die ſit promeritus: Iudæi quoque videntes ſigna, quę facta ſunt, reuerſi ſunt percutiẽtes pectora ſua, quo tanti flagitij crimen à ſe depellere teſtarẽtur; Centurio quoq; magna voce exclamauit: *Vere Filius Dei erat iſte.* Tu quoq; ſi deuotus, ac religioſus crucifixi contẽplator quaſi ſpectator quidã extiteris, præmio tuo non fraudaberis: nã aut Paradiſi certã ſpem concipies cũ latrone, aut ſanctiſſimã Virginem in matrẽ accipies cũ Ioanne, aut agnitis peccatis tuis, pro quibus ille tantã ignominiam pertulit, percuties pectus tuum,& accuſabis ſcelera tua, aut cognita Chriſti magnitudine, ac diuinitate, dices cum Centurione: *Vere Filius Dei erat iſte.* Vt igitur tantorum, ac tam dulcium fructuũ, qui ex meditata palma Crucis Chriſti percipiuntur, particeps fias, nullum non lapidem Paulus mouet, vt frequenter hæc diuina myſteria mediteris: quo fit, vt nihil aliud ſe ſcire iactet, niſi Ieſum Chriſtũ, & hunc crucifixũ; Euangeliũ Crucis non erubeſcat, ſed dicat: *Mihi aũt abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*, inſigniaq; ſe crucis geſtare ſibi gloriæ ducat: *Ego*, inquit, *ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Chriſt⁹ ipſe Domin⁹ per Prophetas ſua crucis tormenta prædici voluit: illi vix nato prædixit Simeon, quod eſſet in ſignum, cui contradiceretur, ponẽdus: ipſe dum viueret, modò rectè ſub figura Ionæ deuorati à ceto, modò ſub templo diruto poſt triduũ reędificando, modò ſub ſimilitudine grani frumenti, non rarò vero ſub voce exaltationis ſe crucifigẽdum prædicabat, interdum verò apertis & exertis verbis, maximè apud diſcipulos, qui huius ſolidi cibi capaciores eſſe poterant. Deniq; clauis alligari cruci voluit, & inter duos latrones ſimul cruci ſuffixos pendere, quo crucẽ agnoſcamus ac prædicemus: ſuſcitat⁹ eſt cum ſignis plagarum, quas ſpectãdas & palpandas diſcipulis exhibuit: in aduentu ad iudiciũ, pręcedet ſignũ filij hominis hoc eſt, crux, tanquam vexillum & ſignum gloriæ ſuæ: Eccleſia ſancta ante omnia, Catechumenis ſuis ſignũ crucis tradit, quo ſe ad omnia bona opera exercenda præmuniãt, & ad omnia mala declinãda, ac pericula ſe comparent. Meditandæ paſſioni tempus Quadrageſimæ, ſed præcipuè poſtremas eius duas hebdomadas, in quibus Euangeliſtarum quatuor paſſiones recitantur, atque pro concione explicãtur, aſſignauit: in vnaquaq; hebdomada diem vnũ, nimirũ Veneris, indicto ieiunio à principio, ſed poſtea cũ abſtinentia à carnibus applicuit: crucis prætereа memoriã in die Inuentionis S. Crucis, atq; Exaltationis fidelibus renouat. Sacramẽta omnia, quę paſſionis vim habẽt ſigno crucis perficiuntur, ſed præcipuè Baptiſmus, qui & ſepulturæ & reſurrectionis Domini, teſte Apoſtolo, ſimilitudinẽ gerit: Euchariſtia verò, vt idẽ Apoſtolus inquit, mortem Domini annunciat; Miſſæq; ſacrificiũ nihil eſt aliud, q̃ iuges, ac quotidianæ Saluatoris exequiæ, vt ait Rupertus. Septẽ horarum Canonicarum diſtributio, ad ſeptem illa, quę Chriſtus illis horis paſſus eſt, referenda eſt. In templi ingreſſu primũ tibi occurrit crux in edito loco poſita: ſtatimq;

II. ratio cur ſe Domini paſſio recogitanda ſit.
1. Cor. 1.
Ibidem.
Paſſio & mors Chriſti qualis videri queat.
Quid Ieſu in cruce animam agenti aſſiſtẽtes fuerint conſecuti.
Ioan. 19.
Ibidem.
Luc. 23.
Ibidem.
Mat. 27.
Quos fructus pariat diligens ac pia mortis Chriſti meditatio.
Paulus Apoſtolus.
1. Cor. 2.
Gal. 6.
Ibidem.
Luc. 2.
Quibus metaphoris Chriſtus Crucis myſterium indicauerit.
Matth. 12.
Ionæ. 2.
Ioan. 2.
Infra 12.
Supra 3.
Inf. 8. & 12.
Ioan. 20.
Matth. 24.
Signum filij hominis quale apparebit in cælo.
Meditandæ Chriſti paſſioni ac morti tẽpus aptiſſimũ.
Quã frequens vſus Crucis in Eccleſia.
Rom 6.
Baptiſmus quid referat, ſecundum Apoſtolum.
1. Cor. 11.
Ruper. l. 2. de diuis Officiis. cap. 10.

tibi ſigno crucis eſt munienda frons. In publicis omnib. ſupplicationibus ac rogationibus Crux præcedit; ſicut in parentatione defunctorum, Eccleſiarum parietes, altaria & indumenta ſacra, atq; vaſa ſacra Cruce inſigniuntur. Religiones, præcipuè militiæ contra infideleles deſtinatę, Crucem variã, quò inter ſe diſtinguantur, geſtant. Fuit igitur diuinum conſiliũ, his tam multis rationibus crucifixi memoriã mentib. noſtris imprimere, vt quẽ Dominum habeamus, plenius agnoſceremus, cuius infirmũ fortiꝰ eſt teſte Apoſtolo, hominibus, imo etiam mundi, ac Satanæ, & inferni totius potẽtia; gratiq; de tãto exiſteremus beneficio, illoque ad gloriam Dei illuſtrandã, optatamq; proximorum ſalutem cõparandam accenderemur; & in illam, tanquã olim in ſerpẽtem æneum, aſpicientes, à venenatis omnibus antiqui ſerpentis morſibus ſanaremur; ac per illam, tanquã per ſcalam Iacob, ſiue currũ igneum Helię, in cęlum nos deducẽdos ſperaremus. Quod ſi forte ſubeat tibi cogitatio, Chriſti crucẽ horridam, & aridã videri, nec tales fructus producere valere, meminiſſe te oportet, quòd ex quo Chriſti corporis cõtactu ſanctificata eſt, & ſanguine eius, & lacrymis humectata, virtutem habet mirificã, vt plãtata in cordibus fidelium, bonos ꝓferre fructus valeat; nã omnis arbor bona fructus bonos facit. Dicat ergo quiſq; electus: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.*

Cur tam frequens paſſionis Chriſti memoria in Eccleſia celebretur.

1. Cor. 1.

Num. 21.
Ioan. 3.

Gen. 28.
4. Reg. 2.

Crux Chriſti quàdo primũ cœperit dulceſcere, ac ſapere amatoribus ſuis.

Matth. 7.

Cant. 1.

Explicauimus hactenus verbum primũ, *Recogitate:* reliqua excutienda ſunt quæ ſequuntur. Ac primũ eſt relatiuũ illud, *Eum,* quod refert autorem fidei, & conſummatorem Ieſum, id enim præceſſerat. Emphaſim ergo habet, *Eum;* Qui principium eſt & finis ſalutis noſtræ, innocentiſſimus Dei filius à Virgine per Spiritum ſanctum cõceptus, & ſine dolore matris in lucem editus; ab Angelis, & paſtoribus adoratus, à Magis Orientalibus myſticis muneribus cohoneſtatus, à Simeone iuſto tanquã lumen gentium, & gloria plebis Iſrael celebratus; ab Anna propheteſſa cõmendatus, in templo cum Doctorib. diſputans in admiratione habitus: à Ioan. Baptiſta, vt Agnus Dei tollens peccata mũdi indicatus, & Meſſias ab eo prædicatus, à Patriarchis deſideratus, à Prophetis pręnuntiatus, à Sibyllis magnificatꝰ, in vita potẽs in opere & ſermone, ſanctitate morũ illuſtris, ſignorũ editione cõſpicuꝰ, doctrinę prędicatione pręclarus, diſputãdi acumine ſingularis, deniq; beneficẽtia, & iuuãdi mortales oẽs ſtudio incõparabilis, ſanctꝰq; ſanctorũ. Hęc.n. omnia includit ꝓnomẽ illud relatiuũ. Tertiò ſubiũgit Apoſtolus: *A peccatoribus.* Ingẽtia, grauiſſimaq; facinora in mũdo extitere ante Chriſti aduentum; ſed parua ſunt, ſi ad hoc vnũ infandiſſimũ ſcelus (quod dici poteſt Deicidiũ) cõferantur. Nã olim Iudæi perſecuti ſunt prophetas, nũc filiũ: grauius eſt autẽ in Dominũ manus inijcere, quã in ſeruos: nã delicta eò ſunt grauiora, quò ille maior eſt in quẽ cõmittuntur. Cũ igitur infinitæ dignitatis, ac perfectionis Dominus ſis, enorme, ac in infinitum fœdũ ſit oportet aduerſus eũ paratum delictũ: charior namq; erat vita vnius Chriſti Deo, q̃ vita omniũ Angelorũ, & hominũ, atq; adeò totius mundi ſtatus. Duo autẽ potiſſimũ grauitatẽ illius flagitij oſtẽdunt, alterũ, quòd populus ille acerbiſſimas pœnas luerit: nã expulſus de Ieroſolyma, & priuatus diuitijs, atq; honorib. cũ ſummo dedecore in omnes mundi ꝓuincias diſpersꝰ eſt, ac diſſipatꝰ. Et in duabus expeditionib. altera Titi, & altera Hadriani contra illũ factis, ſupra 30. myriades ex Iudæis, teſte Euſebio, deſiderati ſunt: tãta fuit vis diuinæ vindictæ. Alterum eſt, q̃ ad hoc peccatũ, tota mũdi machina expalluit. Nã Sol in terras ſplendorem non miſit ſolũ; terra in ſolito motu contremuit; petrę ſciſſæ ſunt, monumẽta aperta, velum tẽpli ſciſſum eſt, quaſi totus mundꝰ horreret audaciã tãti ſceleris. Expende etiã, peccatores hic dici eos, qui Dñm in crucẽ egerũt; inter oẽs namq; peccatores illi ſunt deteriores, qui nõ ex fragilitate, aut ignorantia, ſed ex mera malitia deliquerũt: *Quia viderunt & oderunt,* inquit, *& me, & Patrẽ meũ,* & cõmuni conſilio dixerũt: *Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatẽ eius.* Non ignoro quoſdã extitiſſe, q̃ ex ignoratione deliquerunt, pro quibuſq; Chriſtus orauit: *Pater, dimitte illis, non .n. ſciunt, quid faciunt:* ſed nũc de illis eſt ſermo, qui autores cædis Chriſti extiterunt, & ſententiã mortis in illũ pronũtiarunt, qui Dominũ, vel agnouerunt, vel agnoſcere per deprauatum mentis iudiciũ, cum poſſent ac deberent, noluerunt. Prætereà inter peccatores, illorũ iniurias moleſtius ferre ſolemus, in quos multa beneficia contulimus, & quibus ornandis ac ditandis munificentiſſimi extitimus; nam ab his ingratiſſimis pati, peracerbum eſſe ſolet. Talis ſanè erat populus Iudæorum, quibus Deus legem, & Prophetas, & tandem Filiũ ſuum miſerat. Vnde conquerebatur Dominus de Iuda proditore, dicẽs per Prophetã: *Tu verè homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos,* & quæ ſequuntur. Poſtremò illi maximi habentur peccatores, qui ſub religionis, & ſanctitatis prętextu, aut ſub ſapientię, & doctrinę

Chriſti laudes & præconia in pronomine Eum ab Apoſtolo inſinuata.

Matth. 1.
& Luc. 1.
Infra 2.
Matth. 2.
Luc. 2.

Ibidem.

Ioan. 1.

Luc. vlt.

Dan. 9.

Necis Chriſti indignitas, & atrocitas multis oſtenditur.

Quam chara, & precioſa Deo ſit Chriſti vita.

Duplici ex capite Chriſti cædis flagitij magnitudo oſtenditur.

Euſeb. lib. 3. Eccl. hiſt. c. 5.
Ex Ioſepho de bel Iud. lib. 5. ca. 10.
Matth. 27.

Deterrimi omnium peccatores qui cenſenda ſint.

Ioan. 15.

Matt. 21.

Luc. 23.

Exod. 20. & ſeq.

Matth. 23.

Pſal. 54.

Simulata ſanctitas duplex iniquitas.

ſpecie delinquunt: nam vt dici ſolet: *Simulata ſanctitas, duplex iniquitas.* Cum igitur Ieſus à Sacerdotibus, Scribis, & Phariſęis, qui arcem ſapientiæ, & ſanctimoniæ tenebant, morti fuerit adiudicatus, & in Cruce ipſa ab eiſdem illuſus, amarulentiſque ac pungentibus verbis ab eiſdem prouocatus: cōſtat, illos inauditum, atque horrendum facinus perpetraſſe; ac proinde grauiſſimos peccatores extitiſſe.

Matth. 27.

Expenditur illud verbum: Aduerſum ſemetipſum.

Quartum verbum Apoſtoli, eſt: *Aduerſum ſemetipſum.* Ne enim exiſtimares, Chriſtum, vtpote Regem, atque Principem in ſubiectis ſibi populis, aut in familiaribus & amicis ſuis, aut in ditionis ſuæ bonis, atque theſauris quicquam perpeſſum, vt quandoque contingit: Apoſtolus declarat, non in alijs, ſed in ſeipſo, hoc eſt, in verè Regia ac Filij Dei perſona, quæ innumeris contumelijs atque tormentis dehoneſtata fuit. Paſſus eſt quidem Chriſtus multa in membris ſuis, quemadmodum dixit ad Paulum: *Saule Saule, quid me perſequeris?* Vnde & Chriſtus occiſus fuit in Abel à fratre ſuo Cain, quare & à Dilecto dicitur Agnus occiſus ab origine mundi; irriſus fuit in Noe à filio ſuo Cham, immolationi expoſitus in Iſaac, peregrinatus in Iacob; venditus in Ioſeph; fugatus in Moyſe, & Aarone; diſſectus in partes in Eſaia, in Ieremia vinculis alligatus, & in puteum deiectus, cæſus in Ezechiele, in Daniele ad beſtias cōdemnatus, in Michæa alapis percuſſus, in Prophetis lapidib. obrutus, & contumelioſas perſecutiones perpeſſus: ſed iam tempus erat, vt nō in membris ſuis, ſed in ipſo Dominus gloriæ pateretur. Vnde per Eſaiam inquit: *Ego feci, & ego feram:* ego portabo, & ſaluabo, & per Dauidem, Quæ non rapui, tunc exſoluebam, & Petrus, Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum. Quinto expendendum potiſſimum verbum quod ſequitur: *Talem ſuſtinuit contradictionem,* cur paſſio Domini vocata ſit cōtradictio, & cur talis.

Quemadmodum olim Chriſtus ſit paſſus in membris ſuis

Actor. 9. Gen. 4. Apoc. 13. Gen. 9. Infra 22. Infra 32. Infra 37. Num 16.. Ierem. 37. Dan vlt. 2. Par. 18. Eſa. 46. Pſal. 68. 1. Pet. 2. & Eſa. 53.

In ill d Talē ſuſtinuit contradictionem.

Quid ſit propriè contradictio.

Contradictio igitur, quæ Græcè dicta eſt ἀντιλογία, propriè ſignificat altercationem ſeu controuerſiam, in qua quod vnus affirmat, alter negat, & reſpondendo opponit; aut quod alter negat, alter refellendo affirmat, in contrarium ratiocinando: & proprie quis ſibi contradicit, quando contraria affirmat. Meritò autem Simeon prædixit de Christo: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignū cui contradicetur;* Et Dauid dixit: *Eripies me de contradictionibus populi: conſtitues me in caput Gentium.* Nam Chriſtus non tantum dum vixit, ſed etiam antequam in mundum veniret, contradictiones paſſus eſt. In cælo .n. illi contradixit dæmon præinuidia, impedire volēs incarnationis myſteriū, Cōditis Adę & Heuæ liuidus oppoſuit ſe, & illos in peccatu pertraxit, quo Verbum carnem ex peccatoribus profectam ac deciſam non aſſumeret. Conatus eſt extinguere omnes filios Iſraël per Pharaonem legem ferens: *Si maſculus fuerit, interficite eum, ſi fœmina, reſeruate;* ne ſemen benedictum ex familia Abrahæ promiſſum, venire poſſet. Aduerſatus etiam eſt, multos pſeudochriſtos, & falſos Prophetas, qui ſe pro Chriſto venditabant, mittēs, vt Theudam, ac Iudam, Galilęum, quò verus ignoraretur Meſſias. Cōtradixit illi vix nato, dū per Herodē eū ad mortem quęſiuit, & in Ægyptū exulare coegit. Contradixit illi per ſeipſum in deſerto, triplici illum tentationis telo aggrediens: Contradixit & per ſuos, qui illi obijciebant: *Medice cura te ipſum: Quāta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Contradictū eſt illi in genere, & patris vilitas obiecta: *Nonne hic eſt fabri filius?* In matre contempta, *Nonnē mater eius dicitur Maria?* In fratribus, qui non credebant in eum, imo voluerunt eum tenere, & ligare, dicebant enim. *Quia in furorem verſus eſt:* & ad gloriam, pompamq; adhortabantur, dicentes, *Tranſi hinc, & vade in Iudæam, & vt diſcipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipſe in palam eſſe.* Obiecerunt patriæ ignobilitatem, dicentes, *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Detraxerunt prouinciæ, in qua conceptus eſt, & verſatus: *Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non ſurgit.* Vocarunt eum Samaritanum, quaſi nō bene Iudaizantem. Deſpexerūt doctrinā: *Vnde,* inquiunt, *huic ſapientia hæc, & virtutes?* Et, *Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis?* Damnarunt eius vitā vt vitioſā: *Scimus quia hic homo peccator eſt.* Religionē eius in calumniā rapuerūt, dicentes. *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatū non cuſtodit.* Eius mores, & temperātiā reprobarūt: *Ecce,* inquiunt, *homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Immodeſtiæ & arrogantiæ illum dānarūt, obijciētes, *Tu de te ipſo teſtimoniū perhibes: teſtimonium tuum nō eſt verum.* Cōuitiati ſunt eius cōuerſationi, dicētes: *Quare cū publicanis & peccatorib. māducat Magiſter veſter?* Eius benignitatē & miſericordiam in cōdonandis peccatis blaſphemarūt, dicētes, *Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit?* Diuinitatis vſurpationē illi tribuerūt, opponētes; *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu, homo cum ſis, facis teipſum Deum,* Autoritatē prędicandi in dubiū reuocarūt; obijcientes, *In qua poteſtate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc poteſtatem?* Eius ſigna Satanę tribuerunt, dum

Luc. 2. Pſal. 17.

Quot, quantaq; Chriſtus ſuſtinuerit cōtradictiones.

Eſa. 14. Gen. 3. Exod. 1. Gen. 12 & 18 & inf. 26. Act. 5. Matth. 2. Infra 4. Luc. 4. Matth. 13. Ioan. 6. Matth. 13. Ioan. 7. Mar. 3. Ioan. 7. Supr. 1. Infra 7. Infra 8. Matth. 13. Ioan. 10. Supra 11. Ibidem. Matth. 11. Ioan. 8. Mat. 9. Luc. 7. Ioan. 10. Matth. 21. Sup. 12.

Ibidem.
Infra 10.

dicebant, *Hic non eijcit dæmones niſi in Beelzebub Principe dæmoniorum.* Tentabant eius potentiam, dum peterent ſigna de cælo; eius ſapientiam, quando volebant eum capere in ſermone: interrogantes vel de cenſu dãdo Cæſari, vel de magno mandato legis, eius clementiam, & pietatem, dum mulierem adulteram in eius conſpectum adduxerunt, & dixerunt, *Magiſter, hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio. In lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* Obiecerunt illi minus ſanctam diſcipulorum ſuorum vitam, & conuerſationem, aientes: *Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant?* Accuſaruntque illos, quod violarent traditiones ſeniorum. Eos, qui ſalutis beneficia ab ipſo acceperunt, inſectati ſunt: nam & paralyticum ad piſcinam ſanatum, ſicut & cœcum natum ad ſanitatem reſtitutũ, multis modis exagitarunt, Lazarũq; à ſe ad vitã ſuſcitatum interficere cogitarunt. Auditorum, qui in eum credebant, vilitatẽ condemnabant, cum aiebant; *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eũ, aut ex Phariſæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti ſunt.* Confitentes eum, eiuſq; doctrinam tuentes, excõmunicationis mucrone feriebant: *Iam enim*, inquit Euangeliſta, *conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis confiteretur eum eſſe Chriſtum, extra Synagogam fieret.* Honorificis laudibus in die Palmarum à populo ſibi exhibitis reclamarunt, dicendo; *Audis quid iſti dicunt?* Iã verò vt ad paſſionem accedamus; grauiſſimas in ea, contumelioſaſq; pertulit contradictiones; vt merito tota hæc contradictio vocari poſſit, ſicut vocata eſt ab Apoſtolo. Nihil enim Dominus fecit, aut de ſe dixit, aut interrogatus reſpõdit, aut tacuit, quod non ſit in calumniam, & contradictionem raptum, & in ſiniſtrãm partem interpretatum ac detortum. Nam vt miſſam faciam Apoſtolorum fugam, quæ Dominũ grauiter afflixit, in domo Annæ interrogatus de doctrina, & de diſcipulis, cũ aptè & blandè dixiſſet: *Ego palam locutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas?* Interroga eos qui audierunt quid locutus ſim ipſis: ecce hi ſciunt quę dixerim ego; vnus miniſtrorum omniũ impudentiſſimus alapã intulit Ieſu, dicens, *Sic reſpondes Pontifici?* Et cum ſiſteretur Caiphæ, & ab eo adiuraretur, vt ſe proderet, ſi eſſet Chriſtus, reſpondit: *Tu dixiſti. Veruntamen dico vobis, amodò videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*, reſponderunt illi vniuerſi, contradicentes, *Blaſphemauit: quid adhuc egemus teſtibus? Ecce, nunc audiſtis blaſphemiam.* Iterum mane dum in Concilium ipſorum adductus interrogatus eſſet: *Si tu es Chriſtus, dic nobis:* & reſpondiſſet, *Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis:* tunc confirmarunt ſententiam mortis in illum. In domo Pilati graues, & verbo & facto ſuſtinuit contradictiones, dum malefactor, & vſurpator regij tituli eſt inſimulatus: In domo Herodis conſtanter eſt à Senioribus accuſatus; & de ſilentio reprobatus, & tanquam ſtultus candida tunica indutus, ac ad Pilatum remiſſus: vbi iterum magnis clamoribus & falſis teſtib. contra illum eſt actum, flagellis, & ſpinea corona & purpureo veſtimẽto in ſignum, cũ ab omnibus contra dicebatur, eſt exãminatus, oſtẽſus, deniq; in cruce acerbis & furibundis verbis illi inſultarũt, dicentes; *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalua temetipſum: ſi filius Dei es, deſcende de cruce.* Dum diceret; *Eli, eli, lamma zabacthani?* contradixerunt, dicẽtes; *Eliam vocat iſte.* Cumque diceret, *Sitio*, exhibitum eſt illi acetum. Vt intelligere valeas, Chriſtum omnia, quæ tum in verbis, tum in factis ſita ſunt, contradictionum genera expertũ fuiſſe. His adiunge, in nulla re magis Euangelica homines impegiſſe, quam in hoc articulo mortis, & crucis Chriſti, quam Apoſtoli prædicante illam Domino nõ intelligebant, vt teſtatur Lucas; imo illam impedire volui Petrus, cum dixit, *Abſit à te Domine: non erit tibi hoc.* Iudæi illi aduerſati ſunt, vnde dixerunt; *Nos audiuimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum; & quomodo tu dicis, Oportet exaltari Filium hominis? Et quis eſt iſte Filius hominis?* Vbi vero per Apoſtolos prædicatus eſt Chriſtus crucifixus, mundus oppoſuit ſe, & iudicatus eſt a Iudæis quidẽ ſcandalum, à Gentibus vero ſtultitia: vnde Iudæi Romæ cõmorantes Paulo dixerunt; *De ſecta hac notum eſt nobis, quia vbiq; ei cõtradicitur.* Nos etiam etſi Chriſtum nõiẽ nos ore cõfiteamur; factis tamen illi cõtradicimus, dum aliam viam ab ea, quam Chriſtus ex crucis Cathedra docuit, ingredimur; vitãq; talem inſtituimus, ac ſi diſcipuli eſſemus Epicuri, aut Mahometi, honores, diuitias, ac carnis delicias ardentioribus animis, quàm Iudæi, & Pagani conſectantes. Ita vt nulli magis cruci Chriſti contradicant, ac repugnent, quam illi ipſi, qui Chriſtianam religionem colunt, ac profitentur; cùm tamen non ſit ſeruus ſupra dominum ſuum, nec diſcipulus ſupra magiſtrum, nec deceat ſub capite ſpinoſo eſſe membra delicata.

Tertiò dici poſſet, Contradictionẽ quãdam prima facie continere, atq; implicare

Infra 22.
Ibidem.
Ioan. 8.
Leuit. 20.
Matth. 9.
Infra 15.
Ioan. 5.
Infra 9. & ſeq.
Infra 12.
Supr. 7.
Ioan. 9.
Matth. 21.

Chriſtus Dominus in paſſione quantas pertulerit cõtradictiones.

Matth. 26.
Ioan. 18.
Matth. 26.
Luc. 22.
Ioan. 18.
Luc. 23.
Ibidem.
Ioan. 19.
Ibidem.
Matth. 27.
Ioan. 2.
Matth. 27.
Ioan. 19.

Nihil magis perturbauit, & offendit, ac myſterium crucis.

Luc. 18.
Matt. 16.
Ioan. 12.
P al. 81. & 100. & 126.
1. Cor. 1.
Act. vlt.
Tim. 1.

Acerrimi omnium crucis Chriſti aduerſarij qui ſint iudicandi.

Matth. 10.

II. ratio.

Quomodo verum ſit, Domini paſſionẽ quandam eſſe contradictionem.

Chriſti paſſionem; dum Deus, qui immortalis eſt, morti fit obnoxius, impaſſibilis patitur, virtus illa omnipotens debilitatur, ſapiẽtia inſanire, & infatuari viſa eſt, bonitas eius maledictis exponi, gloria deturpari, pulchritudo deformari, perfectio deficere; cum tamen hæc omnia ob duas naturas humanam, & diuinam impermiſtas, & ſua quamque munia exercentem, veriſſima ſint, & omni contradictione careant, ſi diligentius inſpiciamus.

IV. Ratio.

Ad hæc contradictio mors Chriſti rectè nominari poteſt: quia lignum infamiæ, inſtrumentum honorificauit, mortem ipſam viuificauit, maledicta in benedictionem conuertit, paupertatem ditauit, infirmitatem corroborauit, improperia optabilia reddidit, amara quæque, & acerba indulcauit.

Comparatio. *Exod. 15.*

Nam vt Dominus impoſito ligno, vt Hebræi tradunt, aloës in aquas Mara, eas dulces ac potabiles reddidit; ita poſtquam Chriſtus aquas tribulationum, & crucis tormenta ſuſtinuit, omnia nobis dulcia reddidit, & amabilia, ita vt mors eius viuificet, vulnera eius ſanent, ſanguis lauet, vincula ſoluant, luctus riſum generet, dolor præſtet gaudiũ, ſitis inebriet, nuditas veſtiat, & emiſſio ſpiritus nobis vitam ſpiritualem immittat.

V. Ratio.

Ioan. 19. Matth. 27. B. Ignatius epiſt. 8 ad Philadelph ſub initium. Matth 26. Infra 27. Ibidem. Ibidem. Ioan. 19. Luc 23. Ibidem. Matth. 27. Luc. 23. Ibidem.

Præterea contradictio videtur, quod dæmon autor, & procurator huius mortis, hinc ſolicitaret vt fieret dicẽdo per organa ſua: *Tolle, tolle, crucifige eum*: inde vero per vxorem Pilati, vt beatus exponit Ignatius, impedire conabatur. Proditor qui vili pretio Chriſtum vendiderat, contradixit ſibi dicens: *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.* Pilatus iudex, qui ſciebat quod per inuidiam ſibi eum tradidiſſent Iudæi, & eius innocentiam declarauit, dicens: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius: vos videritis*; ſibimet contradixit, dum eum Cæſaris metu morti addixit. Herodes illuſit eum, & vt ſibi contradiceret, veſte alba, in ſignum innocentiæ, indutum remiſit. Latro, qui prius blaſphemabat, poſtea eius innocentiæ atque iuſtitiæ aduocatus & defenſor eſt factus, rectè ſibi contradicens. Centurio, qui per milites crucifixerat, eumque in cruce ſeruabat, exclamauit: *Verè Filius Dei erat ipſe, & verè hic homo iuſtus erat.* Turba etiam, quæ ad ſpectaculum conuenerat, & forte in necem Domini conſenſerat, viſis ſignis, quæ ſub mortem eius acciderunt, ſalubriter ſibi contradixit, percutiens pectora ſua.

VI. Ratio. Chriſtus in cruce quemadmodum peccatoribus contradicat.

Amplius, vt omnes peccatores Chriſto crucifixo contradixerunt; quorum tamen peccata Chriſtus in cruce expiauit, ita ipſe de cruce omnibus contradicit: ſuperbis quidem, caput inclinando; iracundis dicendo: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*: inuidis, cor ex charitate aperiendo; auaris, extendendo manus; guloſis, fel guſtando; luxuriæ deditis, corpus flagellis exponendo; otioſis & pigritia torpentibus, ſanguinem ſudando; hypocritis, ſeipſum nudum exhibendo; inconſtantibus, pedes ligno configendos exhibendo. Denique Chriſtus ſenſui noſtro, prudentiæ, ac motibus carnis contradicit omnibus.

Ibidem.

Expenditur verbum illud Talem. Quæ Chriſtus in ſingulis paſſus ſit membris.

Addit, *Talem*, non explicando illam, quoniam neque verbis exprimi, neque cogitatione concipi poteſt. Nam ſi ad ea, quæ paſſus eſt, oculos mentis erigas, ſyluam tormentorum inuenies, & ſuo quoduis membrum ac ſenſum peculiari dolore affectum. In capite enim coronam ſpineam, & ictus arundinis perpeſſus eſt, in facie ſputa, in genis alapas, in barba vellicationes, in lingua ſiccitatem, in collo colaphos & funis alligaturam, in humeris oneroſum crucis pondus, in brachijs violentam extenſionem, in manibus & pedibus clauos, in latere perfoſſionem, toto in corpore duriſsimam flagellationem, ac nuditatem, in oſsibus, viſceribus, venis, ac neruis dilatationem rigidam, vt oſſa poſſent enumerari, in membris vitalibus omnimodam ſanguinis effuſionem, atque adeo ſummam, & incredibilem ariditatem.

Quid in ſenſibus internis & externis ſit Dominus paſſus.

Si ſenſus, ac facultates explores, erit & ampla contemplandi materia. Nam in oculis ſuſtinuit lacrimas, velamen, quo tectus fuit, & matris chariſsimæ, aliorumq; amicorum præſentiam: in auribus, blaſphemias, irriſiones, atque inſultationes: in naribus ſputorum fœtorem, ac loci Caluariæ pedorem: in guſtu amaritudinem fellis, atque aceti: in tactu, totius corporis lacerationem: in anima, triſtitiam, mortiſq; amaritudinẽ.

A quibus paſſus ſit Chriſtus. *Ioan 19. Luc. 23. Matth. 26. Ibidem. Luc 22. Ioann 18 & 19. Ibidem. Ibidem. Luc. 23. Matth. 26. Ibidem. Ibidem.*

Si vero eos, à quibus eſt tam dire tractatus, enumeres, vniuerſos in illum inſurrexiſſe inuenies. Contradixit enim illi Pilatus vices Imperatoris agens, qui in illum ſententiam mortis protulit. Herodes, qui ſpreuit illum, ac illuſit vt ſtultum cũ exercitu ſuo; Annas, Caiphaſque Pontifices, qui illum dignum morte in tribunali ſpirituali iudicarunt tanquam blaſphemum; Scribæ & Phariſæi, qui illi inſidias tetenderunt, & cauſam contra eum vt aduocati egerunt, miniſtri, qui alapis eum, & colaphis percuſſerunt; militum cohors, quæ illum comprehendit, flagelliſque, & ſpinea corona torſerunt; turba, quæ clamauit, *Tolle, tolle, crucifige eum*, latrones, qui ex cruce illi improperabant, Apoſtoli, qui eum deſeruerunt, Iudas, qui eum prodidit; Petrus, qui eum ter abiurauit, mater ſanctiſsima, quæ con-

Ioan. 19. Matth. 27. Pſal. 21. Ioan. 11.

conſpectu ſuo grauiora ſua reddebat tormenta; Pater æternus, qui eum videtur dereliquiſſe, vt ipſe ſua voce teſtatus eſt Chriſtus, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Spiritus ſanctus qui per os Caiphæ dixerat, *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat,* atque adeo ipſimet ſibi contradixiſſe, ac defuiſſe videtur,

Matth. 27.

qui ne vno quidem verbo pro ſe tuendo vti voluit, ita vt miraretur præſes vehementer. Atque ita ſi rectam rationem ducas, inuenies non tantum homines, ſed etiam Deum ipſum, Gentiles, ac Iudæos, mares, ac fœminas, Principes ac ſubditos, Eccleſiaſticos, ac ſeculares, dominos ac ſeruos, literatos, atque idiotas, incognitos ac notos, homines tum bonos, tum malos habitos, dæmones ignem excitantes, & Angelos quodammodo non ſubuenientes, aut illi non miniſtrantes ſoli Chriſto contradixiſſe, atque aduerſatos fuiſſe. Hæc enim omnia, & plura, & maiora continet illud verbum, Talem contradictionem. Quam

Contradictionem talem cur Chriſtus tolerare voluerit.

Chriſtus magnis de cauſis ſuſtinuit, tum vt ſe Deum verum, ac Dei Filium eſſe comprobaret. Dicebant enim Iudæi perfidi, *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.* Si ergo Deus non

Matth. 19.

fuiſſet, vt ipſe ſe eſſe prædicabat, profecto omnium hominum arrogantiſſimus fuiſſet, atque ſuperbiſſimus, eiuſque arrogantia illam viciſſet Luciferi: at hominem tam ſuperbum, ſuæque amantem gloriæ ac diuinitatem ſibi vſurpantem, impoſſibile erat ſponte, tanta patientia, & charitate, qualem ipſe exhibuit, mortem ſuſtinere.

II. Ratio.

Rurſus ſi Deus eſt iuſtus, vt eſt, & innocentem hominem non punit: cum Chriſtus crucis morte ſit extinctus, ſi pro noſtris debitis expiandis mortuus nō eſſet, aut Chriſtus nocentiſſimus fuit, quem tanto ſupplicio affecit, aut Deus plectens innocentem, iniuſtus fuiſſet: quorum neutrum affirmari poteſt, aſſerentib. Scripturis Deum

Matth. 27. Ibidem.

iuſtum, & Chriſti iuſtitiam prædicantibus; præter iudicem, atque eius vxorem, & proditorem Iudam, qui eius innocentiæ ſunt atteſtati. Deus ergo verus erat. Adhæc ſi

III. Ratio. Ioan. 15.

maiorem dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, ipſeque hunc gradum charitatis ſuperauit pro inimicis qui actu perſequebantur moriendo, pluſquam homo fuit, ac proinde Deus, cuius diuinitati miracula tum de

Matth. 27.

cœlo, tum de terra atteſtata ſunt, inſuper

IV. Ratio. Bernardus.

tanta pati voluit, vt docet Bernardus, ne vlli eſſent homines ingrati, cum ſe conſpicerent tanta beneficiorum multitudine obrutos, ſi conſiderent tanta flagella, opprobria, cruciatus, & vulnera, quæ amoris cuiuſdam eximij, atq; ſingularis ſunt ſymbola, pro ſe à Deo tolerata, ac proinde animi ingrati maculam à ſe depellerent, tantiſque donis Dei exiſterent grati. Quinto,

V. Ratio.

docere nos voluit Deus in Chriſto, quanta ſint flagella, quæ manent impios, & peccatores. Nam ſi ita flagellatur patientiſſimus Iob, qui in omnibus, quæ locutus eſt, non peccauit labijs ſuis: ſi ille, quo inter

Matth. 11.

natos mulierum non ſurrexit maior, tali morte ingreſſus eſt viam vniuerſæ carnis: ſi ita affligatur innocentiſſimus Dei filius, qui peccatum non fecit, & in quo ſolo Pater ſibi bene complacuit: quid futurum putamus de damnatis, qui ſe ipſos ad gehennæ ignem inextinguibilem cōparant?

Eſai 53. 1. Pet 2. 1 Ioan 3. Matth. 17.

Docentur & Martyres nullis, quantumuis magnis, & horrēdis ſupplicijs terreri, aut à via iuſtitiæ declinare: ſperantes quod in Chriſto omnia vincent tormenta, præcipitia, ignes, feruentis olei dolia, cruces, equuleos, immaniſſimaſque beſtias, nam de his omnib. triumphauit Chriſtus in ſuis Martyribus. Docemur & nos cum à Deo flagellamur in hac vita, ne metam illi aut temporis, aut verberum, aut qualitatis tormētorum præſcribamus: nam illi eſt cura de nobis, & vt clementiſſimus Pater neminem ſupra vires eius flagellat, & non dat potum lacrymarum niſi in menſura. Nam ob hanc cauſam Chriſtus ſine vlla menſura, & ſine vllo modo flagellis, & tormentis fuit expoſitus.

Documenta. 1. Petr. 5. Pſal. 79.

Poſtremo voluit Dominus tam acerba, & ignominioſa ſuſtinere, vt qui iudex factus eſt omnium, & qui iniuſtè iudicatus eſt à Pilato, Herode, & Pontificibus, vt cum aduenerit dies iudicij, omnes noſtras miſerias, atque dolores ipſe experientia deguſtauerit, & tardior in puniendo, atque lenior fiat. Nam vt ſacri docēt Theologi, vindicta erit omnis citra cōdignum. Vt enim ait Apoſtolus; *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Scimus enim, homines experientia de ærumnis, & doloribus edoctos multo eſſe ad commiſerationis effectum promptiores: hinc illa dixit:

VI. Ratio. Deus tametſi remuneret vltra condignū, punit tamen citra condignum. Hebr. 4.

Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Virg. 4. Æneid.

Sequitur in propoſita Apoſtoli ſententia: *Vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes.* Ad multos fructus recogitanda eſt Domini paſſio oculis fidei conſiderata. Primo, vt cogitantes Chriſtum ſumma nobis dilectione coniunctum, illi compatiamur, eiuſque dolores, ac vulnera noſtris cordibus ſentiamus: nam ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus; ne ſimus duriores elementis

Chriſti paſſio qua ratione à nobis recogitanda ſit, atque meditanda cum fructu. 1 Modus. 2 Tim. 2.

& in-

& inanimatis rebus, quæ luctum, & doloris ſenſum in Christi morte teſtatæ ſunt. Ac vt ille in nobis aduerſa ſustinentib. patitur, vt caput in membris; ita illo patiente, æquum eſt, vt & nos, ſi caput noſtrum diligimus, eius incommoda, & moleſtias ſentiamus. Sed de hac re fuſius infra. Deinde poteſt ſalubriter recogitari, vt Dei ſapientiam contemplemur, qui antidotum, & ſalutiferum pharmacum peccatorum noſtrorũ morbis excogitauit, cõtraria contrarijs curando.

II. Modus.

Tertio, cum fructu meditamur Paſſionem Domini; ſi conſideremus Dei Patris lenitatem, ac bonitatem, tam dira Filium ſuum perpeti ſuſtinentem; ipſumque Christum, Dei virtutem, qui vno verbo, aut nutu vniuerſos ſuos hoſtes in barathrũ demergere poterat ſempiternum; & tamen voluiſſe illis parcere, tanquam Pater phreneſi laborantibus filijs, & in ſe manus inijcientibus; quo manſuetudinis ſuæ, ac patientiæ documenta mundo ſplendeſcerent, atque ita in Christo erudiamur, quanta benignitate, ac mititate Deus nobiſcum grauiſſimis delictis ipſum offendentibus agat.

III. Modus.

Quarto vtilis eſt meditatio paſſionis, ſi cogitemus quid in ſingulis iniurijs, & tormẽtis nobis promeruerit. Eius enim merita noſtra ſunt, qui illum per baptiſmum induimus: vnde & cum illo omnia nobis donata ſunt, vt ait Paulus. Feliciuſque nobis actum eſt quod ille in ſe pro nobis ſuſtinuerit, quam ſi ipſimet in nobis ipſis illa eadem tormenta tuliſſemus. Nam in illo infinitæ virtutis extiterunt ad expianda peccata, Satanæque iugum à nobis excutiendum, æternumq; beatæ vitæ regnum promerendum: at hæc vix meriti alicuius rationem in nobis haberent. Quid enim promereri valeat apud Regem inimicus, eius qui grauiter eum offendit: Hæc autem cogitatio iocundiſſima eſt, ſi quis illi fidem adiungat, vt ſe vnum cum Christo agnoſcat, ac proinde bonorum ſuorum participem.

IV. Modus. Rom. 8.

Adhæc non poteſt eſſe non fructuoſa paſſionis meditatio, ſi in ſingulis tormentis, & iniurijs Domino illatis, non tam Iudæos, aut milites, quam nos ipſos, noſtraq; flagitia, quæ contra illum perpetrauimus, paſſioniſque cauſam illi præbuerunt, ſerio, ac diligenter conſideremus: tunc enim nõ alijs, quam nobis ipſis indignabimur, noſque ipſos fletu, ac lacrymis proſequemur, quæ pretioſi ſunt Dominicæ paſſionis fructus.

V. Modus. Pretioſi Dominicæ paſſionis fructus qui ſint.

Denique illa eſt per omnia ſalutaris atque vtilis recogitatio, qua Domini paſſionem in exemplar, ac documentum vitæ noſtræ honeſtius traducendæ aſſumimus, atque rationem patienter perferendi aduerſa quæq; ac moleſta, addiſcimus: huncque fructum tanquam præcipuum & ſingularem frequenter Apoſtoli ante oculos nobis obijciunt, & præſertim in his verbis dicendo; *Vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes.* Omnes enim mundi tentationes, & Satanæ explorantis impulſiones, carniſq; incommoda forti animo tolerantur, ſi ad Christi mortem inſpiciamus iuxta illud: *Inſpice, & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte* (Caluariæ ſcilicet) *monſtratum eſt.* Rectè ergo addit, *Vt ne fatigemini, animis veſtris deficientes.* Expende verbum, *Animis*: Etenim quandoque contigit corpus concidere, aut carnem labaſcere, quo tamen caro eſt infirmior, eo debet eſſe animus infractior, & fides ſolidior, & Spiritus vegetior: quemadmodum Christus conſtantiſſimus extitit Euangelicæ veritatis aſſertor, atque diuinæ gloriæ vindicator acerrimus, permanens in obedientia Patris vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Quo exemplo nos inuitamur à Paulo, vt conſtantes in fidei certamine permaneamus, & ad vltimum vſque vitæ ſpiritum in propugnanda veritate perſeueremus.

VI. Modus. Exod. 25. Act. 7. Hebr. 8. Explicantur hæc verba: Vt ne fatigemini animis veſtris deficientes. Philip. 2. Documentum.

Poſtremo adiungit: *Nondum enim vſq; ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatũ repugnantes.* Id eſt: etſi hactenus paſſi ſitis cum gaudio rapinam bonorum veſtrorum; nõdum tamen ad hanc gloriam perueniſtis, vt peccato ad malum ſolicitanti reſiſteretis etiam ipſo ſanguine fuſo. Nam ante ſuperatam mortem nondum ſumus emeriti milites: Et in hanc pugnam contra peccatum non potuit Christus deſcendere, qui purus erat, ac innocens; ſed nos egemus, vt per tribulationes deſtruatur corpus peccati. Siue igitur nomine peccati veniant, Satanas ad peccatum impellens, ſiue fomes, internaq; concupiſcentia blande ad impura quæque alliciens, ſiue mundus ex peccatorib. conflatus, qui nos à Christi fide, & charitatis iuſtitia nunc minis, nunc blanditijs, nunc proſperis, nunc aduerſis inflectere conatur, fortiter à nobis eſt repellendus, & cum omnibus ſuis theſauris, delicijs, atq; ſplendoribus contemnẽdus propter Christum, & hunc crucifixum, qui in immenſum omnia regna mundi, opes, atque honorificos titulos, etiam in cruce poſitus, ſuperare dignoſcitur. Ipſi honor, gloria, & imperium in ſeculis ſempiternis. Amen.

Quid eſt: nondum enim vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes. Hebr. 10. Rom. 6. Variæ corporis peccati acceptiones.

TRACTATVS II.

De meditandis mortis Chriſti cauſis & in quo, num illa neceſſaria omnino extiterit, an volũtaria, diſſeritur.

Viatorum ingenium.

MORIS eſt, vt viatores, qui feſtino, ac concito gradu, in aliquem ſe volunt locum recipere, vt ſi in via inſolens, & inuſitatum aliquid contigerit, tamdiu moram trahere cogantur, donec cauſas, ac rationes eius euenti penitus exploratas, & compertas habere poſſint. Hinc Aſaele fratre Ioab, ab Abner interfecto, omnes qui tranſibant per locum, in quo ceciderat, ſubſiſtebant: vt habes in ſecundo libro Regum. Amaſa quoque per fratrem à Ioab extincto, ſanguineque conſperſo, in via omnis populus ad videndum eum conſiſtebat: donec de media via in agrum ſublatus eſt, vt in eodem libro traditur. In hac igitur Chriſti morte: quæ, quod attinet ad Iudæos, proditoria fuit, ac fraudulenta; quod ad Chriſtum vero ſpectat, amoris, obedientiæ, atque patientiæ plena fuit; quantum ad ſigna vero, quæ in ea peracta ſunt, admirabilis atque ſtupenda extitit, ex parte vero noſtra, ſi cum fide eam meditemur, ſingulares, atq; copioſos fructus nobis ex ea colligẽdos porrigat, paulliſper ſiſtendum eſt, cædiſque huius cauſæ, rationesq; diligentius inueſtigandæ. Nam & ita olim deſolata Ieroſolyma, voce gemebunda, ac querula dicebat per Prophetam; *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus*; Et Paulus dum Chriſtum crucifixum aſſerit Iudæis eſſe ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam, ipſis vero vocatis. Iudæis atq; Græcis, Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam; tacite inuitat nos, vt tantæ rei cauſas tam varias, atq; diuerſas inquiramus, illaſque attentius perſcrutemur. Dicemus igitur in primis quæ fuerint cauſæ, quæ Chriſtum ad mortem crucis adegerunt, & num voluntaria, an neceſſaria extiterit, deinde obiectiones omnes, ſiue quæ à Iudæis, ſiue quæ à Gentibus fiunt, vt Chriſti Filij Dei mortem oſtendant aut impoſſibilem, aut abſurdam, aut cum ratione minimè coniunctam, refellemus, diſſoluemusq;: tertio loco fructus paſſionis Chriſti explicabimus, illosq; ab ſcrupulis rationibusq; quæ in eos fieri poſſunt, vindicabimus.

2. Reg. 2.

Infr. 20.

Varij mortis Chriſti reſpectus.

Thren. 1.

1. Cor. 1.

Ordo huius tractationis.

Omnium ac ſingulorum operum Dei ars & ſapientia qualis & quanta ſit.

Ad primum igitur perſpicatius intuendum, duximus præmittendum, omnia opera Dei, etiã naturalia vel minima, tantam artem, & ſapientiam Dei in ſe continere, vt omnium hominum intelligentias in admirationem rapiant; cum ea quæ ſcimus ſint minima pars eorum quæ ignoramus, vt inſignis quidam tradidit Philoſophus. Imo in his ipſis creaturis, in quibus periti videmur, & ſapientes, plura ſunt quæ nos latent, quam ſint quæ ſcientia comprehenſa habemus. Vnde Ieſus filius Sirach poſtquam multa de cœlis, & elementis atque iride philoſophatus fuerat, ſubdit: *Multa abſcondita ſunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius:* Si igitur hoc verum eſt de operibus naturæ, quid de operibus gratiæ, & redemptionis dicendum, quæ nulla ratione comprehendi, aut intelligi valent, ac reuelata vix percipiuntur, cum abſurda, ſtulta, & præter rationem ab homine animali, qui non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, iudicentur. Vnde per Prophetam dictum eſt; *Quis credidit auditui noſtro? Et brachium Domini cui reuelatum eſt?* Eſt enim tantus bonitatis, ac miſericordiæ Dei ſplendor, tantumque voluit in beneuolentia charitateque abundare, vt fere nobis eripuerit fidem eorum, quæ credenda traduntur: tantaque eſt gloria Filij Dei in crucem acti, vt ne dum Iudęis, & Gentibus tanto ſplendore acies noſtra obtundatur, atque excæcemur, opus habeamus velum fidei petere à Deo, quo oculi intellectus noſtri ſuffulti, hanc tantam lucis claritatem cum fructu, & iocunditate ſpectare valeamus: quemadmodum in cœlo lumine gloriæ corroboratus intellectus, poteſt Dei eſſentiam, & lucem illam inacceſſam intueri, & ad perpetuam beatitudinis participandæ gloriam cernere. Vt enim non expedit ferrum candens, & ignitum manu nuda tangere, ne contingat nos cum dolore comburi, ſed forcipe eſt tenenda, atque verſanda ferri miſſa; ita Chriſti humanitatem per diuinitatis conſortium, & inhabitationem (vt ſic dicam) deificatam, ratione nuda (niſi forcipe fidei ſit protecta) attingere non debemus. Orandus eſt igitur Deus à nobis cum Propheta: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua.* Fides enim, quæ lux eſt ſpiritus, & viritas illum ſtabiliens, neceſſaria eſt ad hoc, vt quis in montem Caluariæ ſanctum, ex quo ad omnes homines ſanctificandos procedit ſanctitas, ad ſpeculandum tantum myſterium accedamus. Intellectus igitur noſter luce fidei, atque diuinæ ſapientiæ illuſtratus, eo peruenire poteſt; vt non ſolum ſine ſcandalo, vel ſtultitia, aut deformitate aliqua, ſiue abſurditate, aut rationis cõgruentia, vt ſic loquar,

Themiſtius in 2. de anima.

Eorum quæ ſcimus maxima pars, eſt minima eorum quæ ignoramus authore Themiſtio.

Eccleſ. 43.

1. Cor. 2.

Eſai. 53.

Ioan. 12.

Diuinæ bonitatis affluentia.

Quo lumine intellectus creatus diuinam poſſit eſſentiam intueri.

Chriſti item humanitas quo tantum lumine poſſit à nobis apprehendi.

Pſal. 42.

Fides lux eſt ſpiritus.

Intellectus noſter ad cauſarum mortis Chriſti notitiam quib. præſidijs perueniat.

De cauſis Chriſti mortis prima propoſitio hęc oſtenditur Adæ eiuſque poſteritatis peccantis æterna damnatio ſi accideſſet, Deo inconueniens minime fuiſſet.

quar, mortem intelligat Chriſtum acerbiſſimam, atq; turpiſſimam fuiſſe perpeſſum; verum etiam cum maximo ſuæ ſapientiæ decoro, pulchritudine, autoritatisq; ſuæ ac dignitatis ratione conſeruata. His igitur præmiſſis, iam cauſas mortis Chriſti explicabimus, & quibuſdam ſub certo numero comprehenſis veritatibus expediemus.

Sit ergo prima veritas: Si Adamum cum tota poſteritate peccãtem, æternæ damnationi adiudicaſſet Deus, ipſi Deo inconueniens minime fuiſſet, nec iniuſtum quicquam feciſſet; cum damnare peccatorem, ac punire, opus ſit iuſtitiæ vindicantis, nec in eo quicquam clementiæ ſuæ, ac miſericordiæ contrarium admiſiſſet. Quod Scriptura ipſa ratione, atq; exemplo clarum, & apertum addimus. Scriptura, ſiquidem in lib. Sap. dicitur: *Quis enim dicet tibi, quid feciſti? aut quis ſtabit contra iudicium tuum? Aut quis in conſpectum tuum veniet vindex iniquorum hominum? Aut quis tibi imputabit, ſi perierint nationes quas tu feciſti? Non enim eſt alius Deus, quam tu, cui cura eſt de omnibus, vt oſtendas, quoniam non iniuſte iudicas iudicium.* Paulus quoque ait: *Igitur non volentis, neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei*; Et infra: *Ergo cui vult, miſeretur: & quem vult, indurat.* Ratio etiam idem docet. Quia cum ſit ſummus rector, ſuperiorem iudicem, cui rationem reddere debeat, non habet, & ſuum ipſius factum ipſiſſimum eſt ius, voluntasque ſua omnium eſt regula, vt non poſſit, aut non velit efficere quicquam, quod nõ ſit cum ſumma æquitate, & iuſtitia coniunctum. Nam vt in eodem loco Sapient. dicitur: *Quum ergo ſis iuſtus, iuſte omnia diſponis: ipſum quoq;, qui nõ debet puniri, cõdemnas, & exterũ æſtimas à tua virtute.* Si ergo iuſtũ ſine iniuſtitia dãnare poteſt; multo magis eum, qui peccauit. Exempla quoq; huic rei confirmandæ adhiberi poſſunt. Nam angeli, qui ceciderunt, non tñ ſunt ſubleuati, aut reparati, ſed in ignem æternum detruſi, & in hunc aerem caliginoſum delecti, vt ad tempus nos exerceant. Idem etiam probat eorũ hominum impiorum, qui ad mortem vſq; in impietate perſeuerarunt ſua, documentum, quos Deus iuſto iudicio, & ſine aliqua ſuæ miſericordię violatione, gehennam ignis ęterni mittit cruciandos. Adhæc cum Deus hominẽ condiderit in gloriam ſuam, vt videlicet in eo glorificetur: hinc eſt, vt ſiue homo factus vas miſericordiæ ſeruetur, ſiue factus vas iræ pereat, in ipſo Dei gloria illuſtretur: nec plus in miſericordia, quam in iuſtitia, quia vtraque eſt infinita: quare ipſe gloriæ iacturam non poteſt facere, tametſi creatura ratione prædita à gloria ſibi præparata excidat. Nihil ergo Deo fuiſſet detractum, ſi omnes homines periiſſent.

I. Argumentum, ab Scripturis.

Sap 12.

1. Pet. 5.

Rom. 9.

II. Argumentum à ratione ductum.

Sap. 12.

Exemplis illuſtratur.

Hominem cuius rei gratia condiderit Deus.

Rom. 9.

2. Tim. 2.

Sit ſecunda veritas: Potuit Deus hominem iniuſtum, & peccatorem alia ratione, quam paſſione Chriſti per merã gratiam, & miſericordiam ſuam liberare: quod ſi feciſſet, modus fuiſſet cõueniens, diuinamq; iuſtitiam minime dedecens, nec in hoc ſuæ iuſtitiæ vllo modo extitiſſet iniurius: Tum quia iuſtitia ad ſeipſum non eſt proprie, ſed ad alterum, vt eius habet notio; tum quia Deus non poteſt fieri alteri debitor, qui ſuperiorẽ non habet, & iniuriam vllã in hoc diabolo nõ feciſſet, quia nõ erat dominus animarum, ſed purus lictor, & carceris cuſtos: tum deniq;, quia ipſe eſt Dominus vitę, ac mortis. Nam vt Rex, qui nulli aut reipublicæ, aut ſuperiori eſt ſubiectus, maleficum poteſt pro voluntate ſua liberare, aut ſola ſua gratia, & clementia, aut accepta compenſatione alterius pro eo ſoluentis, aut amici precantis interpellatione; ita Deus, qui ſũma libertate fruitur, neminiq; tanquam ſuperiori quicquã debet, multo magis præſtare poteſt. Talis tamẽ liberatio ex mera miſericordia profecta, emptio, vel redemptio, vel ſatisfactio, vel meritum dici non poſſet, & ex ea aliquod inordinatũ, ac præpoſterũ in vniuerſo minime ſequeretur, ſi peccatũ Deus multum dimitteret; ſiquidem peccatum ſua adfert ſecum ſupplicia, dũ viuit. Nam auertit creaturã à vero Deo, ac beato fine, cruciat conſcientiam, timoremq; incutit gehennæ, ſuoq; põdere ad aliud trahit. Verum hæc omnia ceſſant, ſi à Deo remittatur. Quod ſi obijcias, Deus contra ſuam iuſtitiam nihil efficere poteſt: quia iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatemque vidit vultus eius: cum igitur ſeipſum negare non valeat, & reatus pœnę indiuulsè ſit annexus culpæ, citra ſatisfactionẽ culpam remittere nequit. Reſpondemus, quod etſi neceſſariũ ſit, peccatum puniri, nõ tamen neceſſum eſt Deum pœna illum condigna punire: nam qui poteſt remittere culpam, quod maius, poteſt & pœnam culpæ debitam condonare. Deus igitur mundũ ex gratia, ſine ſanguine Chriſti, vel alterius creaturæ liberans, nihil propterea contra iuſtitiam ſuam committeret, cum iudex ſit ſupremus, qui alterius legi vel iuſtitiæ ſubditus non eſt, nec ad alium aliquem eius refertur iuſtitia. Quare ſi ſibi factam abſq; vlla ſatisfactione remitteret iniuriam cõtra vllam iuſtitiã non peccaret, nec in quemquam iniuriam committeret. Quamobrem Dauid poſt homicidium, atque adulterium perpetratum in hominẽ, hoc eſt, in Bethſabeam, & Vriam virum

II. Propoſitio: Aliter Deum potuiſſe genus humanũ redimere, & quidem conuenienter, quam fecit, triplici ratione.

Iuſtitia ad quẽ ſit vere.

Qualis ea liberatio fuiſſet generis humani.

Cur peccatum ſua adfert ſecum ſupplicia dum viuit.

Quomodo Deus culpam citra ſatisfactionem poſſit remittere.

Pſal. 10.

2. Tim. 2.

Deus qualis ſit iudex.

Quid eſt: Tibi ſoli peccaui, &c.

2. Reg. 11.

Ibidem.

Pſal. 50.

eius, dicebat tamen: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, &c.* Id eſt; Potes mihi ſalua tua iuſtitia peccatum remittere. Quemadmodum homo, qui iniuriam ſibi factam condonat, non agit iniuſtè, ſed clementer magisq; quam ſi exigeret ſatisfactionem, laudatur. Ille autem Iudex, qui iuſtitiæ, & poteſtati alterius ſubditus eſt, ſalua iuſtitia culpam ſine pœna dimittere non poteſt.

III. Propoſitio: Nullus Adæ filius præuaricatoris, vel quiuis alius à Deo conditus home iuſtus, potuit pro Adæ peccato ad condignum Deo ſatisfacere.

Sit tertia veritas: Nullus, qui filius Adæ ex eius ſanguine deſcendens ſit, vel etiam non filius Adæ extra peccatum à Deo miraculo conditus potuit pro peccato Adæ ad condignum ſatisfacere, ſiue ex iuſtitia redimere: quia peccator ſordibus, & vinculis alligatus nō poteſt alium à ſordibus, aut vinculis liberare. Iuſtus etiam homo, quicunque ille ſit, dummodo Deus ſimul etiā non ſit, non tanti eſt valoris, quanti eſt omniū hominū filiorum Adæ, pro quibus ſatisfacit, vita. Hinc Dauid dixit. *Frater non redimit, redimet homo? Non dabit Deo placationem ſuam, & pretium redemptionis animæ ſuæ*

Pſal. 48.

Satisfacere quid ſit.

Ratio etiam in promptu eſt: quia ſatisfacere eſt, facere tantum, quantum ſatis eſt, aut offenſo ad vindictam, aut creditori, ſeu damnum paſſo ad compenſationem. Eſt enim interdum damnum cum offenſa coniunctum, interdum ſolum damnum, interdum verò offenſio ſola. Et vbi vtrumque concurrit, non ſatis eſt aut ſolum damnum reparare, aut pro ſola culpæ offenſione debita, aut iuſta humiliatione ſatiſfacere, ſed oportet duplicem ſatisfactionem impendere. Quemadmodum in lege Moyſi furanti ouem, aut bouem, præcipitur non tantum reddere aut vnam ouem, & bouem pro damno, ſed etiam alias tres oues, ſeu quatuor boues pro offenſa. Peccante igitur Adam contra Deum, de duobus erat illi exhibenda ſatisfactio. Primum quidem de offenſa propter rebellionem in mandatum Dei; deinde de damno, quia non tam ſeipſum, quam omnem ſuam poſteritatem Deo abſtulerat. De offenſa autem Adę in Deum infinitum, quæ propterea infinita eſt, & in omnes poterat ſatisfacere, niſi qui Dominum offenſum condigna retributione placare poſſet. Nullus autem ex Adæ poſteris propagatus cum peccator eſſet, Deum iratum potis erat placare pro altero. Debet enim homo pro peccato mortem Deo, quam dum pro ſe ſuſtinet, non poteſt pro alio illam ferre, niſi ille qui mortis non eſt debitor, vt Chriſtus, in quo dæmon partem non habuit. Si quis verò obijciat, opus bonum iuſti (ſiue ſit meritum, ſiue ſatisfactio) propter DEUM

2 Exod. 2.

Cur Adæ peccanti duplex fuit Deo exhibenda ſatisfactio.

Peccatoris debitum, & obligatio.

factum, non minus eſſe infinitum, quam peccatum, vel offenſa fuit infinita; verè & acutè reſponderi poteſt, non eſſe eandem rationem ſatisfactionis noſtræ, atque offenſæ, etiamſi vnum, & idem obiectum, id eſt, Deum reſpiciat. Offenſio enim creſcit ex dignitate perſonæ offenſę, quę quo maior eſt, maior quoque eſt & offenſa: & ſi ſit infinita, offenſa quoque infinita erit. At in ſatisfactione ſecus ſe habet: nam decreſcit ſatisfactio ex dignitate perſonæ cui ſatisfit: quò enim perſona maior eſt, eò minor eſt ſatisfactio, vt in humanis videmus. Nā ſi aliquis offendat Regem & aliquem priuatum artificem, eodem offenſæ genere & menſura; certè eo grauior erit offenſa regi facta, quam illa artifici illata, quo maior eſt Regis perſona illa artificis. Quare ſatisfactio eadem vtrique facta non eo maior euadit, quo perſona Regis cui fit, maior eſt, ſed è contrario eò minor, quo Rex maior eſt. Vnde elicitur, quod vt offenſa creſcit ex dignitate perſonę offenſæ, ita ſatisfactio creſcit ex dignitate perſonæ ſatisfacientis. Quare cum nulla perſona niſi diuina potuerit eſſe æqualis perſonæ offenſæ, hoc eſt Deo infinito, ſequitur nullum hominem purum potuiſſe ſatisfacere ad cōdignum, niſi idem etiam fuerit Deus qui ſatisfaciat. Non poteſt etiam alia perſona, vel etiam Deo grata, & amica, pro alio ex condigno ſatisfacere: quia oportet tantam eſſe ſatiſfactionem in dignitate, quanta fuit offenſa, ratione indignitatis, quæ ob Deum iratum, atque offenſum infinita fuit. Vita igitur Chriſti ſolius, quia Deus erat, tantum grata Deo extitit; quantum peccati offenſa exoſa erat, & inuiſa. Ad placandum igitur Deum pro peccato neq; homo purus, neque ſanguis taurorum, & hircorum, neque Deus ipſe, neque Angelus, per ſe idoneus erat. Non quidem homo purus, vt ex his, quæ ratiocinati ſumus, valide colligitur, ſiue ille ſit peccator filius Adæ, ſiue homo iuſtus, alio modo, quam ex Adæ progenie miraculo à Deo conditus. Minus quoque quam homo poterat ſanguis taurorum, vitulorum, & hircorum auferre peccata: vt docet Apoſtolus ad Hebræos. Deus vero haud poterat quidem ſatisfacere, quia nec ille ſibi quicquam debebat, qui peccare non poterat. Nemoque ſibi ipſi vt diximus, proprie ſatisfacit, cum iuſtitiæ opus ſit ſatisfacere, quod proprie eſt ad alterum, & non ad ſeipſum. Angelus porro nec ipſe quicquam debebat, cum eſſet ſanctus: nec poterat, quia finitus: nec decebat, quia ſic Angelus homine ſuperior cōſtitueretur: nam perinde eſt redimere, atque

Bonum opus iuſti cur non infinita Dei ſatisfacit offenſæ.

Quare Chriſtus ſolus potuit Deo ſatiſfacere.

Hebr. 10.

Ibidem.

Deus etiam ſibi cur non ipſe ſatisfaceret, nec item Angelus.

que creare, tantundemque redimenti nos atque condenti debemus.

Quare qui humanum genus redempturus eſſet, debuerit eſſe Deus & homo.

Cum igitur his omnib. modis non poſſet conſtare hominis redemptio, opus fuit vt redemptor eſſet Deus, & homo: Homo quidem, vt qui debebat, péderet Deus autem, quò poſſet ſoluere; Deus vero, & homo, vt deceret: nihilque indecorum in hoc opere inueniri poſſet, in quo concurreret Dei iuſtitia, atq; miſericordia, & ita impleretur verbũ Prophetæ: *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* idemque eſſet conditor, & redemptor, & homo, atq; Angelus pares exiſterent atque huius rei docendæ gratia, fingunt Patres, maximè Auguſtinus, Bernardus, & Anſelmus, coram Dei tribunali obortã fuiſſe altercationem quandam, atq; contẽtionem inter Miſericordiam, & Veritatem, iuſtitiã & Pacem; non quidẽ propriè, cum in Deo ſumma tranquillitas, atque quies, ſed vt ita popul⁹ aliquo modo intelligeret, ac deguſtaret diuinorum iudiciorũ arcana, & nihil ab illo fieri, quod non ſit ſumma cum ſapientia, miſericordia, atque iuſtitia coniunctum. Nato ergo peccato per Adæ præuaricationem, ac diuinæ legis tranſgreſſionem duplex orta eſt quæſtio. Prima, an gratis eſſet remittẽdum. Miſericordia quidem ſuadebat, vt mera ex gratia illud remitteret: Iuſtitia vrgebat, vt iuſtè puniret: Pax producebat, quod non eſſet diſſenſionis Deus, ſed pacis quodq; deſtruere; & punire opus eſſet hoſtis, non pacem amantis: Veritas inſtabat, vt ſicut ex Angelis rebelles puniuit, bonos verò, ac morigeros remunerauit, ſimile quoq; cum hominibus iudicium exerceret. Porro Dei miſericordia proferebat Dei natiuam bonitatem, propitiationem, ac lenitatem, vocesque illas ſacræ Scripturæ: *Miſericors, & miſerator Dominus: Patiens, & multum miſericors:* quodque eſſet Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. In oppoſitum obijciebat Diuina Iuſtitia, condonare gratis peccatum, contra naturã ipſius Dei eſſe, qui iuſtus eſt, & iuſtitias dilexit. Producebat illa teſtimonia Scripturæ: *Deus vltionum Dominus, Deus vltionum liberè egit*; & iterum, *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem patrũ in filios, &c.* Deinde Miſericordia proferebat, literas Prophetarum toties decantata Dei clemẽtia, ac mitirate plenas eſſe. Quòd ſi nõ parceret, Prophetæ inuenirentur mendaces. *Da Domine,* inquit, *mercedem ſuſtinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur.* Et, *Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum quia benignus, & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.* Siue, vt Græcè legitur, μετανοῶν, ἐπὶ κακίαις, id eſt, pœnitens ſuæ iracundiæ in noſtris afflictionibus: & rurſus, *Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat.* Ex aduerſo obijciebat Iuſtitia: *Fidelis Dominus in omnibus verbis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis,* Et, *Iurauit Dominus Deus in anima ſua, &c. Deteſtor ergo ſuperbiam Iacob, & domos eius odi*; Et, *Pro menſura peccati, erit & plagarum modus.* Quod ſi Deus ſecus faceret, Prophetas ſuos falſos, ac mendaces deprehendendos. Tertiò allegabat Miſericordia, quòd ſi Deus non parceret, totius mundi regnum delere cogeretur; & neminem ſuum in eo poſſideret: quia omnes declinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Ex aduerſo obijciebat Iuſtitia: Si parcit, nullum erit regnum: quia vbi non eſt Iuſtitia, regni fundamentum, neq; ædificium eius cõſurgere poteſt. Rurſus proponebat Miſericordia; Si Deus eſſet gratiæ & lenitatis expers, homines eius exemplo futuros, immiſericordes, duros, feros, ac immanes, omnẽque miſericordiã de terra exulaturã. In contrarium reſpondebat Iuſtitia: Sublata de terris æquitate, homines futuros diſſolutos, remiſſos magnosque peccatores, eò quòd facilitas veniæ fomentum præbeat delinquẽdi. Denique illa dicebat: *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus*: Hæc reſpondebat: *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.*

Auditis hinc inde rationibus, media aſſurrexit Sapientia: cumque vtrimque fortia argumenta adducta comprobaſſet, ſententiam protulit, vt miſericordia eſſet iuſta, ſiue iuſtitia eſſet miſericors: & tunc miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi: Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt. Innocens igitur vnus pro peccatis mortis pœnam pendat, quod eſt iuſtitiæ, & in eo omnes gratiam conſequantur, quod eſt miſericordiæ.

Altera controuerſia orta eſt, quiſnã eſſet hic innocens, qui pro omnibus moriendo, gratiam omnibus impertiri valeret? Propoſuit Miſericordia: Si homo, vt qui debet, ſoluat. Obiecit Iuſtitia, id fieri non poſſe, quia omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, nõ eſt vſq; ad vnũ. Deinde propoſuit Miſericordia: Sit Angelus à Deo in hoc ipſum miſſus, qui purus, & innocens eſt, Obiecit Iuſtitia, non decere ibi pœnam mortis inueniri, vbi non fuiſſet culpa, at boni Angeli minimè peccauerunt, mali verò damnati fuerant, neutri porrò mortem ſuſtinere poterant, cùm immortalitate eſſent præditi. Tertiò, protulit Miſericordia; Sit Angelus ex tra-

Psal. 84. — Aug lib. Cur Deus homo. c. 0.. — Bernar. ſuper miſſus eſt hom. 1. — Anſel. lib. 1. Cur Deus homo, ſub initium. — Miſericordiæ & veritatis, iuſtitiæ, & pacis ante Deum pulchra contentio atque dimicatio. — 1. Cor. 14. — Pſal. 110. — Pſal. 44. — 2. Cor. 1. — Pſal. 10. — Pſal. 93. — Exod. 20. — Eccleſ. 33. — Ioel. 2. — Quid illud de Deo: & præſtabilis ſuper malitia.

Ezech. 33. — Supr. 18. — Pſal. 144. — Amos. 6. — Deut. 21. — Pſal. 13. — Rom. 3. — Facilitas veniæ fomentum præbet delinquendi. — Pſal. 102. — Tim. 2. — Controuerſiæ definitio. — Pſal. 84. — II. Controuerſia de redẽptore generis humani, qui eſſet ille, inſons videlicet & innocens. — Pſal. 13. — Rom. 3.

duce Adam carnẽ aſſumens. Contradixit Iuſtitia. Vbi tradux eſt naturæ humanæ per ſeminationem, ibi peccatũ originis inuenitur: at peccator, non modò pro alijs, ſed neque ꝓ ſeipſo Deum placare poteſt. Homo etiam quaſi per Angelos, vt à principio fuit, nõ eſſet, ſed inferior eo maneret, nec ſecus Angelo, quã Deo creatori ſubderetur, quia perinde eſt redimere, atq; creare. Quartò, denuò propoſuit Miſericordia: Sit quidem Angelus incarnatus, ſed ſine peccati traduce, cõdaturq; nouus homo, vt Adam olim fuit, in quo inſit Angelus illum hominẽ aſſumẽs. Replicauit Iuſtitia, tam hominẽ nouum, quàm Angelum ſine traduce finitæ eſſe virtutis, & pro infinita hominũ culpa non poſſe ſatisfacere. Adhæc ille de integro homo conditus in Adæ lumbis nequaquam fuiſſet, nec carnẽ, & ſanguinem naturæ habuiſſet peccantis. Vbi autem nulla eſt in natura communicatio, ibi & nulla eſt participatio meritorum. Quintò, Miſericordia vbi vias ſibi omnes præcludi videret, propoſuit: Sit Deus ipſe. Huic ſententię Iuſtitia non acquieſcens, obiecit, primúm Deum mori non poſſe, Deumq; non peccaſſe: nam ad peccantem ſpectat ſatisfactio: neminem prętereà ſibi ipſi ſatisfacere poſſe. Adhæc ſi Angelus nemini merita ſua communicare non valet ob diuerſitatem naturæ, nec Deus qui longius à natura humana diſtat, id poterit præſtare. Cùm has hinc & inde rationes fortiſſimas Sapientia audiſſet, ſententiã in hunc modũ pronuntiauit: Quãdoquidem peccatorum omniũ redemptor homo purus eſſe nequit, nec Angelus purus, aut carnem aſſumens, aut purus Deus: ſupereſt vt pro diuino conſilio, & arte; ſimul ſit Deus, & homo. Homo quidem innocens, & ex carne, & ſanguine Adę, vt eiuſdẽ ſit naturę ſoluẽs, & qui peccauit, & qui mori poſſit; & pro hominibus amabit pati, & paſſioniſ ſuæ merita illis applicare: Deus verò, vt meritum ſit infinitum, & infinitis (ſi tot exiſterent) poſſit ſua ſatisfactio applicari, vnusque atq; idem ſit inſtaurator, qui fuerat conditor, cum non minus glorioſum ſit opus redimẽdi, quàm creandi. Fiatque hæc ſatisfactio cum quatuor quæ ſequuntur conditionibus, inter quas prima ſit: Vt hæc ſatisfactio fiat citra derogationem, læſionemque Diuinæ Maieſtatis. Nam Deus poſt incarnationem, & diram mortem in cruce perlatam, tam altus, potens, atque glorioſus permanſit, ac prius erat: quia immortalis impaſſibilis, atque immutabilis cum ſit, ne hilũ quidẽ ſuę diuinitatis amiſit. Secunda conditio ſit: ꝙ ſponte hęc mors fuit ſubeunda: quod & factum eſt eo quò volẽs illam ſuſtinuit. Oblatus enim eſt, quia ipſe voluit: non tamen ob id quòd voluntaria fuit, inferri poteſt minus peccaſſe qui mortem intulerunt, iuxta regulam iuris; *Scienti & volenti non fit iniuria*, quia hęc regula intelligenda eſt de ijs, in quibus quiſque dominus eſt, non autem in alijs, vt in honore, & vita, in quibus maius habet Deus dominiũ, quàm nos ipſi; & ſi auferantur, magis quàm nos Deus offenditur. Tertia: Citra damnum ſit: quia poſt peractum paſſionis myſterium, rediuiuam poterit aſſumere naturam cum maiori quã ante illam habuiſſet gloria: & per triduum dehoneſtatus honorificetur in ſempiternis ſeculis. Quarta: Fiat cum demonſtratione tùm iuſtitiæ, & ſatisfactionis abundantis, vt exinde iuſtitia Dei appareat, tùm cũ ingentis bonitatis, & diuinæ charitatis, quæ pro inimicis, & malè de ſe meritis animam ponere potuit, oſtenſione. Tunc Filius Dei dixit: *Si propter me orta eſt hæc tempeſtas, proijcite me in mare.* In me pecccauit Adam appetendo diuinitatis ſimilitudinem, & ſapientiam. Sapientiæ diuinæ eſt quod fecit, reficere, Si Filius Dei ſum; ego Filios Dei homines faciam. Si media ſum perſona, mediator ero Dei, & hominum. Si mortem incurrit homo peccando, homines propter meam mortem immortalitatem conſequantur, mihique illud accinant: *Miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine*, atque de me Paulus prædicet: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu; quem propoſuit Deus propitiatorem, per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedẽtium delictorum*, & quæ ſequuntur. Et hactenus de tertia veritate.

Quarta veritas ſit: Chriſtus Deus, & homo, vel ſola Incarnationis humiliatione, vel obedientia diuinæ legis, vel ſanctæ vitæ merito, atque exemplo, vel vno ieiunio, aut vna lacryma, aut ſanguinis ſui guttula, etiam ſi nullam ſuſtinuiſſet paſſionem, vel mortem, iuſtè, & ad condignum pro peccatis totius mundi ſatis feciſſet. Eſtque huius rei ratio aperta, & in promptu: quia vel minima Chriſti actio ab eodem diuinitatis Verbi principio dignitatem ac valorem infinitum tribuente procedebat, atque ex eodem habitu charitatis creatæ proficiſcebatur. Nec enim minus Deitas in alijs, atque in morte operabatur: nec habitus gratiæ, & charitatis minor in operationibus extitit, etiam dum in cunis vagiret, & vbera matris lactaret, & alia puerilia opera præſtaret, quàm fuit in ipſa cruce, cum ſeipſum Patri obtulit pro mundi ſalute.

Vbi nulla eſt in natura cõmunicatio, ibi nulla eſt participatio meritorum.

Determinatio quæſtionis.

Chriſti ſatisfactio pro peccato Adę, eiuſque poſteritatis vniuerſæ, quadruplici conditione conſtabat.

II. Conditio. Illa regula iuris: Scienti, & Volenti nõ fit iniuria, vbi locum habeat.

III. Cõditio.

IV. Conditio.

Ioan. 1.

1. Tim.

Pſal. 100.

Rom. 3.

IV. Propoſit. Chriſtus minima ſua actione poterat, citra vllam paſſionem, genus humanum redimere.

di ſalute. Chriſtus namq; à momento conceptionis plenus fuit gratia, & veritate, nec incrementa gratiæ, vel ſapientiæ, vel virtutum per acceptionem ſuſcepit ætatis. Et quanquam dicatur creuiſſe ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines: illud quãtum ad exaltationem, & notitiam in cordibus hominum intelligendum eſt, vt ſuo loco expoſuimus. Etſi autem, quantum ad radicem meriti, & ſatisfactionis, omnes Chriſti actiones pares, & æquales ſint; ex genere ſuo tamen maiora operatus eſt tempore vno, quàm altero. Nam ex genere ſuo maiora erant opera quæ vir edebat, quam quæ infans: nam illa congruere debebant infantiæ, vt hęc ętati virili. Conſtat etiã inter miracula alia alijs maiora extitiſſe; vt illuminatio cœci nati, & ſuſcitatio Lazari, ſi cum alijs cõferantur: & ex natura operis ipſius maius eſt fundere ſanguinem, & pati mortem, quàm ieiunare, & orare. Hinc dicitur: *Patientia opus perfectum habeat*, &, *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

Ioan. 1. *Luc. 2.* Chriſtus vt dicatur ſapientia & gratia profeciſſe. *Lib 3. tract. vltim.* Qua ratione Chriſti opera alia alijs maiora ſint, & quęnam illa. *Ioan. 9.* *Infr. 11.* *Iacob. 1.* *Ioan. 15.*

Leuia aũt ſunt argumẽta, quæ à quibuſdam fiunt ad ꝓbandũ, Chriſti actiones, vel paſſiones nõ extitiſſe meriti, aut ſatisfactionis, infinitæ: quia illæ Chriſti actiones inquiũt, entia quędã erant limitata, & creata, cùm Deus non eſſent. Reſpondemus enim, Chriſti actiones dupliciter poſſe cõſiderari aut ſecundum ſuam eſſentiã, & ſic ſunt finiti meriti, vt finitæ eſſentiæ, alio modo ſecundũ perſonã; à qua proficiſcuntur, atque hac ratione cùm à perſona Verbi infinita prodeant, virtutem merendi, & ſatisfaciẽdi ſortiebantur infinitam. Nec deinde valet, Chriſtus non valuit reddere æquiualens pro beneficijs acceptis; cum Dijs, & patentibus, & pręceptoribus reddere haud valeamus, vt Philoſophus in libris Ethicis docet; cùm redditio, æquiualentis fieri debeat de eo quod alias debitum illi non eſt, cui redditur. Reſpondemus enim, dictum Ariſtotelis intelligi de redditione æquiualentis à creatura; ſecus, ſi reddatur à diuina perſona incarnata. Nam etſi quanto magis creatura Deo gratias agit, tanto magis Deo obſtringatur, quia ipſa gratiarum actio nouum eſt beneficium; tamen quia in diuinam perſonam nullum redundat beneficium in ſe ex gratiarum actione, ita nec ſibi vllum præſtitum eſt beneficium ab initio incarnationis. Quare ex hoc quod humanas actiones diuinum Verbum perſonaliter exercet, omnia creata abundè adæquat, & in infinitum excedit. Præterea multiplex conſtat eſſe debitum. Primum, quod ex iniuncto ſuperioris mandato naſcitur, & ſoluitur per obedientiæ ſubiectionem: alterum, quod oritur ex ſuſcepto beneficio, quod penditur per gratiarum actionem: tertium, quod præcedit ſecundum meritorum quantitatem, quod redditur diſtribuendo vnicuique ſecundùm opera ſua bona, vel mala: quartum, quod originem habet ex alieni ablatione, lædendo eum, aut in perſona, aut in facultatibus, quod non ſoluitur niſi per æquiualentis reſtitutionem. Poſtremum eſt, quod offendendo ſuperiorem contrahitur, quod humili ſubiectione, & prompta pœnæ ſuſtentatione reddi ſolet. Non valet ergo argumentum: Impoſſibile eſt, vt homo pro beneficio accepto ſoluat Deo debitas grates, ſic vt homo non remaneat ampliùs debitor gratiarum actionis: quia ſemper remanet obligatus ad perpetuam gratiarum actionem: ergo nec pro commiſſis delictis poteſt ſatisfacere: quia eſto Chriſtus ſecundum humanitatem ſemper ſit debitor diuinitatis Deo ad perpetuam gratiarum actionem: Pater, inquit, quod dedit mihi, maius omnib. eſt, id eſt, diuinitas: negamus tamẽ quòd non potuerit ſatisfacere pro peccatis humani generis ad condignum: quia potuit ſemel offerendo pretium ſanguinis, & mortis, quæ aliàs erant Deo indebita, pro nobis Patri pendere. Nec tertiò ſequitur: ſi ſatisfactiones Chriſti infinitæ fuerunt, fruſtra igitur eſt Purgatorium, ſuperflua eſt tertia pars Sacramenti Pœnitentiæ, quæ dicitur ſatisfactio; gratis indulgentiæ cõcederentur. Reſpondemus enim, ſatisfactiones Chriſti infinitas extitiſſe, ſed idoneè nobis applicatas non fuiſſe: & ideò opus eſſe noſtras adiungi, vt in illarũ Chriſti virtute valeant. Quare ſtatuendum eſt, virtutes Theologicas, Fidei, Spei, & Charitatis, iuxta triplicem ſtatum, incipientium, proficientium, & perfectorum, ſuum habere principium, mediũ, atque finem; & ideò ſcriptum eſt: *Domine, adauge nobis fidem.* Proinde Purgatorium, & indulgentiæ non ſunt propter eos, qui perfectam fidem habent, & charitatem, qua omni pœnæ debito fit ſatis, ſed propter eos, qui in via, aut incipiunt, aut progrediuntur. Illis etiam indulgentijs, atque ſatisfactione augentur plerunque merita ad gratię incrementum, vel ad domandam carnem, vel ſi quis ſit perfectus, ad ſatisfaciendum ꝓ alijs, quemadmodum Paulus, qui dicebat: Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius quod eſt Eccleſia.

Scot. in 3. d. 7. Soluuntur argumenta negantiũ Chriſti actiones infiniti fuiſſe valoris. Actiones Chriſti dupliciter accipi poſſũt. II. argum. Durandi videlicet. *Philoſophus lib. 8. Ethic.* Vt ſit verũ Ariſtotelis dictum, Dijs, Parentibus, ac Præceptoribus parem gratiam non poſſe referri. Debitũ quintuplex inuenitur. *Ioan. 10.* II. argum. Chriſti ſatisfactiones infinitæ cum ſint, cur etiam noſtræ requirantur. *Luc. 17.* Purgatorium & indulgentiæ ad quos ſpectent potiſſimum. Indulgentiæ quid conferãt. *Coloſ. 1.*

Quinta veritas: Etſi quælibet Chriſti pœna citra mortem noſtram fuiſſet ſuffi-

V. Propoſitio: Mors Chriſti.

t neceſſaria, nſiderato tio ſecun- m genus enæ quam. igebat diui- iuſtitia. m. 2.

ciens pretium redemptionis conſiderata dignitate perſonæ operantis, quæ Deus, & homo eſt, attenta etiam habitus gratiæ, & charitatis quantitate, in qua tam moriens, quàm viuens operabatur: perſpecta tamen vi atque efficacia pretij ſecundum genus pœnæ, quæ erat à diuina iuſtitia taxata, & quæ mortem exigebat pro peccato, ſecundùm illud: *In quocunq; die comederis ex eo, morte morieris*, ad noſtram liberationem ſimul & eruditionem, opus fuit Chriſtum mori. Chriſtus enim etſi ratione deitatis eſſet immortalis, atque impaſſibilis; ratione tamen humanitatis neceſſitatem habuit moriendi. Et etiam ſi mortem violentam non eſſet paſſus, mortem tamen ex morbo, aut ſenectute, perpeti minimè voluit, ſed vi illatam, & in iuuentute, ac ſanitate ſuſtinere dignatus eſt, ne inuitus, aut ex infirmitate putaretur extinctus: vt egregiè Thomas docet in tertia parte. Dicitur autem mors violenta Chriſto illata ex parte naturæ humanæ, licèt perſonæ eius, hoc eſt, Deo violentia inferri non poſſet: *Nemo*, inquit, *tollit animam meam à me*, ſcilicet inuito. Hinc mors Chriſti dormitio dicitur: quia non ſecùs ad mortem, quàm ad ſomnum acceſſit, ad quem niſi propria quiſq; voluntate non accedit: illam tamen mortem, quam ſponte aſſumpſit, & contra omnem iuſtitiam per ſua organa intulit diabolus, Patri offerendo promeruit, vt nos à peccati morte, & captiuitate peccati, & diaboli liberaret. Fuit ergo Chriſti mors noſtræ redemptioni conueniens, atque neceſſaria: nam ad ſatisfaciendum pro humano genere morti à Deo adiudicato: optimuſque ſatisfactionis modus eſſe ſolet, cum quis luit pœnas pro altero, quibus ille dignus erat. Vnde Seleucus Rex, qui legem tulerat in adulteros, vt deprehenſi oculorum effoſſione punirentur, cum filius eius in adulterium incidiſſet, alterum ſibi, alterum filio oculum effodi præcepit, quò legi ſatisfaceret. Ad hunc modum Dominus, vt Paulus ait, traditus eſt propter delicta noſtra, & vt Petrus ait, Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus ꝑ iniuſtis. In quo etiam naturæ humanæ veritatem oſtendit. Nam vt docet Euſebius, ſi aliter poſt conuerſationem cum hominibus euaneſcens ſubitò euolaret mortē euadens, ab omnibus phantaſmati cōpararetur. Nec tantùm Chriſto mori fuit cōueniens pro ſatisfactione peccati, ſed etiam debuit: quia non eſt condigna, & iuſta ſatisfactio peccati niſi per eum qui ſit infinitus; Chriſtus autem infinita erat perſona Verbi Filij Dei.

riſtus cur morbo, aut nio mori re- ſarit.

Th. 3. p. q. ar. 3. ad 2. n. 13. olēta mors atenus riſto dica illata. n. 10. al. 3. riſti mors dormitio la.

are non ſo m conueni ,ſed neceſ- ia fuerit ors Chriſti. otimus ſa- factionis odus quis. leuci Regis igne docu- tū iuſtitiæ. m. 4. Pet. 3.

ſeb.

. Propoſi-

Sexta veritas: Etſi plures alij modi liberandi homines à peccato, & Satanæ poteſtate illoſque glorificandi extiterint diuinæ potentiæ, ſapientiæ, ac bonitati poſſibiles: hæc tamen ratio redimendi per vnigenitum, & propitiatorem noſtrum in morte, & ſanguine ſuo, congruentiſſima, iuſtiſſima, ordinatiſſima, atque ſapientiſſima fuit. Ille etenim modus ad finem aliquem adipiſcendum conuenientior eſſe ſolet, quanto per ipſum plura accedunt, quæ ſunt ipſi fini accommodata. Per hoc autem quòd homo per Chriſti mortem eſt liberatus, ac redemptus, multa concurrunt ad ſalutem hominis ſpectantia pręter liberationem à peccato. Hæc ſententia diui Auguſtini authoritate nititur. Ita enim libro 13. de Trinitate cap. 10. ſcribit: *Eos itaq; qui dicunt: Itane defuit Deo modus alius, quo liberaret homines à miſeria mortalitatis huius, vt vnigenitum Filium ſuum ſibi coæternum hominem fieri vellet, induendo humanam animam, & carnem, mortalemque factum mortem perpeti: parum eſt ſic refellere, vt iuſtum modum, quo nos per mediatorem Dei, & hominum, hominem Chriſtum Ieſum Deus liberare dignatur, aſſeramus bonum, & diuinæ congruum dignitati, verum etiam vt oſtendamus, non alium modum poßibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent, ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ conuenientiorem modum alium non fuiſſe, nec eſſe oportuiſſe. Quid enim tam neceſſarium fuit, ad erigendam ſpem noſtram, menteſque mortalium conditione ipſius mortalitatis abiectas, ab immortalitatis deſperatione liberandas, quàm vt demonſtraretur nobis, quanti nos penderet Deus, quantumque diligeret?* Idem Auguſtinus lib. cur Deus homo: *Quid miſericordius intelligi poteſt, quàm cum peccatori æternis tormentis damnato, & vnde ſe redimat, non habenti, Pater dicat, Accipe vnigenitum Filium meum, & da pro te: & ipſe filius dicit, Tolle me, & redime te; Quid ergo iuſtius, quàm cui datur pretiū maius omni debito, vt peccatum dimittat illi, qui pro debito offert hoc pretium?* Hæc ille. Ex hac igitur liberandi ratione per mortem ſuam oſtendit Deus, tùm iuſtitiam, tùm miſericordiam ſuam, & quanti nos faceret Deus, atque diligeret, quantum etiam eſſet à nobis diligendus, dedit ſummum obedientiæ, humilitatis, atque patientiæ exemplum; docuit agonizare pro iuſtitia vſq; ad mortem, & innumera bona contulit.

tio: Non fuit conuenientior modus redimendi generis humani, quā paſſio & mors Chriſti.

Ad finem adipiſcendū quis ſit modus cōuenientior & aptior.

Aug. tom 3.

Negantes aliter Deum quā per cruc[illegible], & mortē Chriſti redimere hominem potuiſſe, aptè refellit Aug.

2. Tim. 2.

Idem lib. cur Deus homo cap 9.

Dei Patris in humanum genus bonitas quanta.

Eccleſ. 4.

Hinc ſeptima, atq; poſtrema veritas deducitur, abſolutè quidem, ſi Dei potentiā, & ſapientiam, quæ infinita eſt, ſpectes, neceſſariam non fuiſſe Chriſti mortē, cum alij innumeri modi ſeruandi illi non defuerint: ſed ſi Deus non tantùm ex miſericordia,

VII. Propoſitio. Paſſio & mors Chriſti ad redimendū hominem ſimpliciter & abſolute fuit neceſſaria dupliciter.

dia, ſed etiam ex iuſtitia mũdum redimere decreuit, ſecundùm genus pœnæ à Deo peccatoribus conſtitutum: & ad attingendum ſimpliciter nobiliorẽ rationem liberandi, Deo quidem glorioſiorẽ, nobis verò vtiliorem, neceſſaria prorſus fuit paſſio Domini cum effuſione ſanguinis, atq; morte coniuncta. Iſta veritas etſi ex vtraque parte per ſuperiores aſſertiones ſit confirmata, addita tamen eſt ad maiorem, clarioremq; explicationem præcedentis veritatis, & adhuc magis illam explicabimus, quò dilucidior magis perſpicua lectoribus fiat.

Ariſtot. Neceſſarium eſt duplex ſecundum Philoſophum.

Illud ante omnia præmittendum, quod notum eſt ex Ariſtotele in 5. Metaphyſico. duplex eſſe neceſſarium: alterum, quod ſecundum naturam impoſſibile eſt aliter ſe habere; alterum verò ex aliquo exteriori, quod ſi ſit cauſa efficiens, vel impellens, facit neceſſitatem coactionis: vt cum aliquis violenter detentus non poteſt ingredi in domum ſuam. Si verò illud exterius, quod neceſſitatem inducit, ſit finis, appellari ſolet neceſſitas finis: quia ſc. finis aliquis nullo modo haberi poteſt, aut non inducit neceſſitatem illius rationis, ac viæ. His poſitis vt veris, ac certis, ſtatuendum eſt mortem Chriſti neceſſariam minimè extitiſſe prima illa neceſſarij acceptione, neque ex parte Dei, quia Deus eſt agens liberum, & voluntarium, & merè contingenter operatur in creaturis.

Quòd mors Chriſti neceſſaria non fuerit abſolutè.

Nec etiam ex parte hominis illa inerat neceſſitas; cùm alijs modis eius ſalus conſtare poſſet apud Deum. Nec etiam ex parte Chriſti: nam ille cum mandato abſoluto ſimpliciter moriendi, ſecluſa Dei præſcientia ad nos nõ venit. Quod his rationibus efficitur.

I. ratio.

Prima, quia ſi mors Chriſti ſimpliciter fuiſſet à Deo intenta, per ſe eſſet bona; & ob id nõ diceretur: Deus mortem non fecit.

Sap. 1. II. ratio.

Deinde ſi exacta eſt à Deo, & tanquam bona, & iuſta quæſita citra vllam præſcientiam, inferre illam peccatum non fuiſſet; vel ſi eſt mala, & abſolutè mori debuit, Deus voluiſſet peccatum, id eſt, cædem innocentis, aut potius, vt ſic dicam, Deicidium, quod eſt horrẽdum; cùm ſcriptum ſit: *Non Deus volens iniquitatem tu es*, & per Decalogum expreſſerit voluntatem ſuam: *Non occides*, non tantùm innocentem, ſed etiam ſontem propria autoritate.

Pſal 5. Exod. 20. Deut. 5. & Matth. 5. III. ratio.

Ad hæc populus Iudæorum ſeruiens Dei, & Chriſti voluntati in morte infligenda nequaquam peccaſſet; imò eſſet præ cæteris nationibus Deo dilectus, & gratus; & magis dignus, qui fructũ paſſionis Chriſti magis participaret; qui tamen ob mortem illam Chriſto illatam, odioſiſſimus eſt Deo, & toti mundo inuiſus.

IV. ratio.

Prętereà ſi mors eius ſimpliciter fuiſſet neceſſaria, ceſſantibus Iudæis potuiſſet Dominus, vt Dei mandato pareret, cum magno obedientiæ merito ſibi ipſi mortem conſciſcere, fieriq; ſuiipſius carnifex; vel, vt alij docent, potuiſſet mater Chriſtum crucifigere; quod impium videtur, & abſurdum vel cogitatu.

Bonauenturæ de Chriſto paſſum rationi, & pietati conſentanea meditatio.

V. ratio.

Item, ſi incarnatio Filij Dei ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria non fuit, ſed tantum conueniẽs, ergo etiam mors, quæ illam conſequitur, vel ſi dederis, neceſſariam ſimpliciter fuiſſe mortem, neceſſariò pones, incarnationem neceſſariam fuiſſe, ſine qua mors eſſe non poterat.

VI. ratio.

Amplius, eo modo videtur Deus voluiſſe mortem Chriſti, atq; illam Martyrum, qui pro veritate Fidei tuenda ſanguinem ſuum profuderunt. Atqui Martyrum mortem ſimpliciter Deus non vult, ſed ſub conditione, ait enim: Certate pro iuſtitia, propugnate Fidei veritatem: etſi contingat mortem occumbere, illam amplecti ne formidetis.

Qua ratione Deus Martyres mori voluerit.

Et ita Deus non niſi ſub conditione vult illorum mortem, & illa permittit quando infertur: quia contra omnem æquitatem, & iuſtitiam infertur, atque adeò contra eius mandatum.

Exemplum.

Simili ratione Imperator, qui exercitum ductat, militib. iubet, vt oppidum aliquod inuadant, & de manibus hoſtium recipiant; vellet quidem ſi fieri poſſet, vt nullo ex ſuis militibus deſideratio cõtingeret: ſed quia id fieri nequit, æquo animo fert aliquorum militum iacturam, dummodò optato potiatur oppido. Ad hunc modum, miſſus eſt Filius Dei, vt veritatem Euangelicam mundo prædicaret, quam ſi amplexus fuiſſet, in virtute incarnationis Chriſti, illaque voluntate, qua ſe pro nobis morti expoſuit, & gratia à Deo accepta ſalutem omnium hominum fuiſſet aſſecutus: non ſecus atque voluntatem Abrahæ volentis immolare filium, ad Meſſiæ promiſſionem acceptauit, ac ſi illum immolaſſet.

Gen. 22.

Si violentam Chriſtus mortẽ non tuliſſet ſpontaneam ſubiuiſſet.

Cæterùm ſi mundus reclamaret, & ſe illi opponeret, voluit Deus, vt Chriſtus ſponte vitam morti exponeret pro gloria Dei, & veritate à ſe prædicata propugnanda; illaq; ipſa mortis perpeſſione mundum, vt faceret ſaluum.

VII. ratio.

Adde his, ſi neceſſarium fuiſſet ſimpliciter Chriſtum mori, qua ratione nos illi pro morte, quam vitare non poterat, eſſemus obſtricti? aut quomodo mors neceſſaria valeret ſatisfacere?

Octaua atque poſtrema. *Eſa. 53. Ioan. 10.*

Poſtremò, ſi neceſſariò mortuus eſt Chriſtus, quomodo verum eſt illud: *Oblatus eſt quia ipſe voluit*? Et rurſus: *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo: poteſtatem habeo ponendi eam; & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*? Quomodo Spiritus ſanctus per eos Caiphæ dixit: *Expedit vobis vt*

Infra 11.

vnus moriatur homo pro populo? Expende verbum, *Expedit,* non ait, neceſſum eſt, aut oportet. Quomodo rurſus Chriſtus in oratione dixit: *Pater mi, ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte?*

Matth. 26.

Et ſi ergo ex parte humanitatis, quam paſſibilem aſſumpſit, mortalis eſſet Chriſtus, & moriendi neceſſitati expoſitus; noluit tamen, aut ſenectute, aut morbo interire, ne inuitus mori videretur. Mortem tamen violentam pati voluit, illamq; acceptando, neq; impediendo, cùm facilè poſſet, quam nouerat ſibi inferendam, dicitur voluntariè tuliſſe.

Quod Chriſtus neceſſitate coactionis non ſit mortuus.

Quantum attinet ad neceſſitatem coactionis, mors Chriſti neceſſaria non extitit. Nam Deus liberè definiuit, vt Chriſtus moreretur: & Chriſtus ipſe ſponte, & alacriter illam ſuſcepit. Neque ſimpliciter moriendi præceptum habuit, ſed prædicandi veritatem: quod ſi pro illa tuenda etiam mori contingeret, illam amplecteretur libenter. Et ſic intellige illud mandatum, de quo Ioannes: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo,* & illud: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio: ſurgite, eamus hinc,* ſcilicet ad mortem, & rurſus illud: *humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Atq; hoc mandatum cõditioni alligatum, ante præuiſam voluntatem Iudęorum volentium eum interficere, non tollit: imò ponit obedientiam, & voluntatem Chriſti.

Ioan. 10. Mandatum quod Chriſtus accepit moriendi à Patre, quale fuerit. *Infra 14. Philip. 2.*

Vnde Anſelmus libro Cur Deus homo: *Poteſt etiam dici, quia præcepit illi mori Pater, cum hoc præcepit Pater, vnde incurreret mortem.* Sic ille.

Anſel. lib. 1. cur Deus homo. ca. 9.

Falſum proinde eſt, Chriſtũ conſtellatione ſiderũ ad mortem crucis ſubeundam coactum fuiſſe, vt Aſtologi quidam, & noſtro ſeculo Hieronymus Cardanus impiè auſi ſunt aſſerere. Semper enim Prophetica illa ſententia locum habuit: *Oblatus eſt quia ipſe voluit:* & verbum Chriſti: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam.* Quod ſi Dominus nonniſi ſtellarum virtute obſtrictus eſt crucis mortem ſubire; eadem ratione prõptum eſſet euincere, Iudæos nonniſi ſtellis cogentibus ad mortem Chriſto infligendam impulſos fuiſſe: cuius ſceleris rei minimè fuiſſent.

In eos qui ſiderum conſtellatione Chriſto aiunt mori neceſſe fuiſſe.

Eſa. 53. & 1. Pet. 2. Ioan. 10.

Si autem conſideremus tertium illud neceſſarium, quod ex fine rationem neceſſitatis ducit; ſtatuendum eſt, mortem Domini neceſſariam extitiſſe: tùm quia hic modus Deo erat illuſtrior, ad indicandas opes bonitatis, & charitatis ſuæ: tum quia noſtræ infirmitati ſanandę, vitæq; noſtræ inſtituendæ erat accommodatior: tùm vt ipſi Chriſto eſſet glorioſior, vt per humilitatem promereretur gloriam exaltationis, iuxta illud: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare gloriam ſuam?*

Quomodo neceſſaria fuerit mors Chriſti.

Luc. vlt.

Deniq; hoc genus mortis erat ab æterno à Deo præuiſum, & per Prophetas prædictum, multiſque præfiguratum modis. Sed hæc neceſſitas ex hypotheſi ſumitur, de qua ait Dominus: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis;* &, *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis, de me:* quia præſcientia de morte Chriſti voluntaria erat. Et neque præceptum Dei, neque præſcientia tollit libertatem, imò ponit: quia præceptum non datur niſi homini libertate prædito: præſcientiaque erat de actione libera. Nec oratio, qua deprecatus eſt mortem: *Transfer calicem hunc à me:* libertatem eripuit: quia tantum ſignificauit quid vellet naturalis, & ſenſitiuus appetitus in Chriſto, non quid vellet voluntas ratione prædita. Cúm igitur dicitur, oportuit, neceſſe eſt; Filius hominis ſecundum quod definitum eſt de eo, vadit: intelligitur de ea, quę eſt ex hypotheſi, neceſſitate. Et cúm toties dicitur. Hoc factum eſt, vt adimpleretur Scriptura, & ſimilia: intellige, Vt accipiendum eſſe tanquam conſecutionem, non vt cauſam.

Ioan. 3. Num. 21. Luc. vlt. Præceptum cui detur propriè. *Marc. 14. Luc. 22.*

In hac igitur ratione ſeruandi, magis illuſtris redditur charitas Dei, atque prouidentia, quæ tanti fecit hominem, vt pro ſeruo redimendo Filium donaret. Apparuit & iuſtitia eius peccatorum vindex, quæ tam ſeuero iure peccatum noſtrum in Filio ſuo puniuit. Cernitur & eius ſapientia, quæ pharmacum præſentaneum peccato ſuperbiæ Adæ, diuinitatem, & ſapientiam Dei expetentis oppoſuit, dando Filium ſuum, qui verè Deus erat, humiliatum vſque ad mortem; mortem autem crucis: dulcedinemque pomi, crucis aſperitate compenſauit. Illuſtratur quoque eius ſapientia, quæ callidos illos atque verſipelles dæmones, eſca humanitatis obiectæ, ſub qua deliteſcebat hamus diuinitatis, ſeduxit, & capere dum voluerunt, capti ſunt ipſi, ac deuorando tanquam ſerpentes illi per maleficos facti, deuorati ſunt à Moyſi ſerpente. Audi Euſebium Emyſſenum homilia de Paſcha: *Sic,* inquit, *Daniel maximus Prophetarum horrendum draconem, id eſt, qui ſpiritum diaboli præferebat, ſolidioris cibi virtute conficit, faciens de pice & adipe, id eſt, de duabus ſuſtantiis, vnam offam: qua aſſumpta, quod putabatur cibus, interitus fuit. In pice, homo intelligitur: Deus adipe demonſtratur, qui totius puritatis candor, & pinguedo eſt bonitatis.* Hæc ille. Vides igitur quàm egregiùs hic modus extiterit, Deique bonitatis, iuſtitię, ac ſapientiæ conueniens.

Redemptionis generis humani per Crucem & mortẽ Chriſti multiplex cõuenientia. *Philip. 2.* *Exod. 7. Euſeb. Emyſſen. ho. 11 de Paſcha ſub finem. Dan. 14.* Quid offa Danielis qua draconem interfecit, ex pice, & adipe confecta, ſignificauerit.

Fuit

Prædictum modum hominis redimendi, Chriſto per quam honorificum, & glorioſum extitiſſe.

Fuit etiam ipſi Chriſto glorioſus: nam oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. Prima gloria Regis eſt habere multum, & copioſum populum: quia, vt ait Salomon, in multitudine populi dignitas Regis: & in paucitate plebis ignominia Principis. Ideo paſſione, ac morte ſua auxit populum, ſecundum illud: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Et per Eſaiam ait Dominus: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.*

Luc. 24. *Regis inſignia memorantur.* *Prou. 14.* *Ioan. 12.* *Eſai. 53.* II. Ratio. *Ioan. 11.*

Gloria item Regis eſt non ſinere perire populum ſuum, ac diſſipari, ſed vniri potius, ac congregari: ita Chriſtus paſſus eſt, vt populus qui erat diſperſus, conueniret in vnum, & in populo congregato, & recuperato glorificaretur: ſi Codrus Rex Athenienſium oraculo admonitus ſe pro populo ſuo liberando certæ morti obiecit. Hoc autem Ieſus non faceret, cum eſſet ſub lege, & non eſſet miſſus niſi ad oues quę perierũt domus Iſrael, at vero poſt mortem, accepit poteſtatem in cœlo, & in terra.

Codrus pro Republica Athenienſium mortem occubuit. *Gal. 4.* *Matth. 15.* *Infra 27.* III. Ratio. *Tit. 2.*

Tertio non ſatis eſt populum habere ſaluum, & congregatum, niſi eſſet bonus, & ſanctus, iuſtamque, ac piam vitam traduceret: & ita Chriſtus mortuus eſt, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & ſuo exemplo mundaret ſibi populum acceptibilem, ſectatorem bonorum operum.

IV. Ratio.

Nec quarto hoc ſatis erat, niſi populus ſuus magnum indueret animum: nã in populo infirmo, ac puſilli animi, quædã eſt Regis ignominia, videlicet habere populum nõ fidentem protectioni Regis ſui, ſed paupertatem, infamiam, ac mortẽ metuẽtem, quæ ſub infirmo, mundanoq; Rege timere ſolẽt. Quare oportuit Chriſtum pati, & reſurgere, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti. Quod ſi pugna non eſſet; non tam videretur animi magnitudo, atque fortitudo in eo populo, quam felicitas; nec appareret quid in eo virtutis eſſet à Rege ſuo. Quare conſilium diuinum fuit, vt non niſi ad extremum mortem deſtrueret, iuxta verbum Pauli: *Nouiſsime inimica deſtruetur mors,* quo relicta cum morte, & autore mortis pugna, populus Dei ad gloriam Regis ſui ſemper vincat, & dominetur in medio inimicorum ſuorum. Viſus profecto non fuiſſet Deus, ſi pro ipſo mori homines dubitarent, & terrena tantum à Deo ſperarent, & ab eo, qui æternus eſt, temporalia tantum peterent.

Luc. 24. *Hebr. 2.* *1. Cor. 15.* V. Ratio.

Quinto, gloria Regis eſt, cum obedientiam, quam ipſe ab alijs exigit, prius reuera ipſe præſtat, ne grauare alios ſuperbe velle videatur, ſed magis expertus alios commiſereri valeat; & non imponere onera grauia, & quæ ferri nequeant, quæ tamen ipſe nolit, vel digito ſuo mouere, vt Phariſęi illi, ac Scribæ faciebant, quos merito Dominus reprehendit. Propterea decebat eum, qui dicebat: *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ,* &, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere,* per paſſionem conſummari.

Matt. 23. *Apoc. 2.* *Matth. 10.* VI. Ratio.

Sexto ad gloriam Regis pertinet, non ſolum habere populum fortem, & inuictum, ſed etiam pium, & benignum, bonaq; ſua alijs communicantem, inimicorum ſuorum amantem, eiſque benefacientem, & pro re nulla magis, quam pro gloria Regis ſui, & aliorum ſalute etiam inimicorum mori detrectantem vincere, vt illi aggregentur ad Regem ſuum, illique dent gloriam, & honorem. Viſuſque non omnium Deus fuiſſet, ſi non etiam pro ſalute inimicorum ſuorum Chriſtiani libenter morerentur. Cum enim Deus gentes occidi præceperit, particularis Deus videri poterat, & crudelis: cum autem ſic omnes ad ſalutem vocat; & Filium ſuum, & quos impleuit Spiritu ſuo, in mortem pro alijs ſubeundam impellit, iam Deus omnium videtur. Quare & Rex noſter pati voluit, vt virtutem hanc ſuo merito, populo ſuo compararet, & exemplo erudiret: nam cum pateretur, non comminabatur, ſed orabat pro conuitiantibus, & crucifigentibus.

1. Pet. 2. *Luc. 23.* VII. Ratio.

Ad maieſtatem quoque Regis ſpectat, & decus, populũ habere, qui non defatigetur tædio, vel labore in virtutum officijs perficiendis, ſed alacris, & promptus munia ſua obeat. Hinc Chriſtus paſſus eſt, vt hanc alacritatem, & facilitatem bene operandi promereretur, etiamſi caro reſiſtat: exemplumque daret, ne tædio, vel labore, vel timore voluntatem Dei amplecti recuſaremus; imo obuiam capere nos volentibus procedamus, vt fecit B. Thomas Cantuarienſis, neque rogati deſcendamus de cruce; neque modo pro inimicis deprecemur, ſed promittamus nonnullis paradiſum, vt Chriſtus latroni, & Blandina martyr tortori ſuo pollicita eſt.

B. Thomæ Cantuarienſis, fortitudinis documentum inſigne. *Ibidem.* Martyr Blandina præmiũ tortori ſuo pollicita eſt. VIII. Ratio. *Matth. 27.* *Deut. 28.*

Adhæc Regij ſplendoris erat, & magnificentiæ, habere populum tam diuitem, & locupletem, vt pro eius gloria omnium bonorum ſuorum temporalium iacturam facere nõ vereatur: hinc nudus paſſus eſt Chriſtus diuidentibus militibus veſtimenta ſua, vt quod olim in lege maledictio erat, id eſt, nuditas, iam ſit benedictio. Hinc Paulus ait: *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis,*

Hebr. 10.

cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam. Amplius gloria Chriſti Regis erat, vt omnibus heroicis virtutibus eſſet ornatus, quo populus eius abſolutum, atq; perfectum exemplar perfectè vitam ſuam inſtituendi haberet. Hinc Dominus ad ſummum gradum ſuas virtutes euexit, vt quo amplius progredi poſſit, vel cogitare non valeamus. Nam in primis amorem ſuum ergo nos ſupremum indicauit: quia cũ maiorem hac dilectionem nemo habeat, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis; Chriſtus pro impijs mortuus eſt, vt expendit Paulus. Obedientiam ſuam exaltauit vſque ad mortem crucis contemptam ac duram; vt obedientia Filij Dei ab illa Abrahæ volentis Filium immolare, nõ vinceretur. Humilitatem euexit ſuam, cuius gradus ſummus eſt, vt maior, ac perfectior toto mundo, extremam iniuriam patiatur, hoc eſt, mortem, à nequiorib. mundi hominibus, pro maximo bono mundi, id eſt, redemptione eius à ſummis malis, id eſt, peccatis, & æternis gehennæ miſerijs, & capitaliſſimis hoſtibus, id eſt, dæmonijs ac viliſſima ſeruitute, hoc eſt, carnis patientiã ſuam ſublimauit: quę ſumma extitit in perferendo, & vincendo omnium terribiliſſimo, hoc eſt, morte, & in reprimendis animi ſui motibus, adeo, vt quaſi agnus coram tondente ſe, obmutuerit, & non aperuerit os ſuum: qui, niſi immolatus, nec redemit, nec veſtit, nec paſcit. Pietatem erga patriã maxime illuſtrauit. Nam ſi Decij pro vrbe Romana occumbere non formidarunt, & Damon pro Pythia in cauſa capitali obſidem ſe præſtitit: quanto magis Dei Filius pro ſalute mundi totius, pro quo ſeruando per Prophetas fideiuſſionem præſtiterat, pium ſe erga patriam eminentiſſimè exhibuit? Deniq; religionem ſuam, qua Deum colebat, erexit. Nam teſte Hilario in illa verba: *Sicut iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob*, Chriſtus de redimendo mundo per mortem ſuam, votum Patri nuncupauerat. Cum autẽ diſpliceat Deo infidelis, & ſtulta promiſſio; debuit Ieſus votum ſuum perficere, ſi Iephte propriam filiam virginem ex voto immolauit. Ad extremum Chriſtus non tantum Rex erat, ſed etiam Propheta, Pontifex, paſtor, iudex, ac legiſlator, atque his omnibus rationibus conueniebat, imo debebat aliquo modo mori: nam Propheta, maxime ſummus, pro veritate tuenda, ac prædicanda mori debuit, ſi omnes alij Prophetæ, qui typus Chriſti fuerant, pro veritate, quam annũtiabant, extincti ſunt; nam vel ipſe Ioannes vltimus Prophetarũ decollatus eſt: hinc Stephanus obiecit Iudæis: *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iuſti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis.* Nec tantum mori debuit, ſed etiam ſponte ſe offerre, ſi Ionas dixit: *Tollite me, & mittite in mare, &c. Scio enim ego quoniam propter me tempeſtas hæc grandis venit ſuper vos.* Quod ſi iuſtus non eſt, niſi ille, qui pro iuſtitia defendenda, & infamiam, & mortem potius eſt paratus ſuſtinere, quam peccare (alias iuſta faceret nõ iuſte) debuit profectò Chriſtus pati, vt hoc doceret. Nam quo quis iuſtior eſt, eo magis pro Deo, à quo iuſtus factus eſt, pati formidare nõ debet. Cum ergo Prophetæ nõ tantum iuſti, ſed cæteris in iuſtitia eminerent, pro veritate debebant occumbere, ac proinde multo magis iuſtorũ omnium caput Chriſtus. Adhæc ſi Pontifex ſummus eſt, debuit ergo ſacrificium ſuum ſupremum offerre, quod ipſo offerente non eſſet minus, hoc eſt, ſeipſum in victimam crucis, vt morte Pontificis omnes homicidæ, qui exulabãt à cœleſti patria, poſſent illuc reuerti. Item ſi Paſtor eſt bonus, debuit ponere animam pro ouibus ſuis, vt eas à lupo inuadente ſeruaret, & de faucibus illius erueret, vt faciebat Dauid, daretque vberrima paſcua, id eſt, corpus, & ſanguinem ſuum in cibum, debebatque ouem errantem, per lutum, & ſpinas quærere, vt inuentam illam reduceret in caulam. Prætetea ſi iudex ſupremus eſt, debuit ſummo amore proſequi virtutes, illaſque remunerare; peccata, & vitia odiſſe maxime, illaq; condignis ſupplicijs vindicare: quia apud Deum nullum peccatum eſt impunitum, nec vllum meritum irremuneratum. Cum igitur de illo ſcriptum ſit: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem*, iuſteq; non poſſent in hominibus plecti peccata, quo ſuus eſſet iuſtitiæ locus, ea in ſe ipſo patiente, ac moriente punire voluit. Adhęc ſi legiſlator eſt Ieſus perfectiſſimus, debuit profecto, quam ferebat legẽ, prius opere complere: at nobis edixit, vt pro fratribus noſtris animas noſtras ponamus, hoc eſt, vitam: debuit ergo ipſe prior pro his, quos in fratres recipiebat, mori. Dixerat per dilectum: *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Si ergo charitas in Chriſto erat, vt fuit, & quidẽ ſũma, debuit nobis neceſſitatem patiẽtibus ſuccurrere, & per vitam, & ſanguinem nobis ſubuenire, ne non ſuccurrendo, charitatis faceret iacturam. Pręterea pręcepit Chriſtus: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam; præbe illi & alteram.* Impegerat Deo Adam ala-

pam

[Marginal notes, left: ...Ratio. Chriſto patente, omne ...nus virtutis ſummo, ...ere con... mplari. / ...an. 15. ...om. 5. / ...hilip. 2. ...en. 22. ...umilitatis ...radus ſupre... us, & celſi... us quiſnam... / ...ſai. 53. / ...hriſti charitas erga humanum genus incomparabi... / ...ilarius in ...ſal. 131. ...hriſtus pro ...lute generis ...umani vo... um Patri nuncupauit, Hilario teſte. ...cclaſ. 5. ...udic. 11. ...ephte propriam ſuam filiam virginem ex voto immolauit. ...Ratio. ...atth. 14.]

[Marginal notes, right: Actor. 7. / Ion. 1. / Iuſtus ſolum quis. / Chriſtus qualis iuſtus. / Pontifex item. / Ioſue. 20. / Ioan. 10. Paſtor. / 1. Reg. 17. / Chriſtus qualis iudex. / Pſal. 44. / Legiſlator. / Ioan. 15. / 1. Ioan 3. / Matth. 5. Chriſtus in dexteram maxillam ſe percutienti, quando obuertit alteram.]

pam tranſgrediendo legem in Paradiſo: veniens ergo Chriſtus in carne, qui alapam vt Deus acceperat, & alteram maxillam præbuit, in qua à miniſtro coram Pontifice grauiſſimam alapæ iniuriam accepit, & poſtea innumeras alias, tum in domo Caiphæ, tum in domo Pilati. Præceperat per Apoſtolum Dominus: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti:* Cum ergo per incarnationem ſimilis nobis factus ſit; onera peccatorum noſtrorum, quæ humeros noſtros grauabant vſque ad mortem, ipſe debuit in humeros ſuos fortiſſimos transferre, & qui ſolus poterat pro eis expiandis Patri ſatisfacere, quemadmodum Petrus inquit: *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Et cum in Scripturis dicitur, ad ſignificandum peccatum à Deo dimiſſum, Dominus tranſtulit peccatum tuum: non nuda dimiſſio, ſed cum iuſtitia coniuncta denotatur: quia ex humeris peccatoris peccatum in humeros Chriſti transfertur luendum. Adhæc in lege ipſe Deus prædixerat Chriſti mortem, eiuſque genus, tempus, locum, ac ſocios mortis: debuit igitur ipſe, qui non venit ſoluere legem, ſed adimplere, pro nobis mori. Feciſſeque Deus videtur inſtar creditoris, qui ſummam magnam à debitore accipere debet: videns enim creditor debitorem eſſe in mora ſoluendi, ait illi: conficias chirographum, ſiue contractum, ne poſſis ſaltem debitum denegare, ſed quod tali loco, & tempore numerabis quod debes. Hoc chirographum lex fuit, cuius notarius eſt Moyſes, teſtes vero rogati ſunt Prophetæ, de quibus: *Huic omnes teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere.* Chriſtus ergo pro nobis debitor, cum Patre æterno pactus eſt de ſanguine ſuo fundendo pro noſtra redemptione in cruce: nam illa erat moneta numeranda, & ille locus, in quo ſolutio fieri debebat: qua facta, de more debebat reſcindi contractus ab eo. Ideo Chriſtus morti proximus dixit: *Conſummatum eſt*, & rupit velum templi, deleuitque quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; continuoq; cœpit in limbo animos ſanctorum Patrum beare.

Gen. 3. Ioan. 18. Matth. 26. Ioan. 19. Gal. 6. 1. Petr. 2. Expenditur illud: Dominus tranſtulit peccatum tuum. 2. Reg. 12. Matth. 5. Qualis Chriſti ſpontanea pro nobis ad mortem oblatio. Act. 10. Ioan 19. Matth. 27. Quid veli templi diruptio. Coloſ. 2.

Sed quædam peculiaria mors Chriſti habuit. Nam in primis maximum, & horrendum fuit peccatum, ac ſimul gratiſſimum Deo ſacrificium. Peccatum enim grauiſſimum fuit ex parte Iudæorum, qui illam intulerunt innocentiſſimo homini, & Filio Dei, non ſine inuidia ſubornando falſos teſtes; & importune cogendo iudicem adferendam mortis ſententiam. Fuit quoque & acceptum Deo ſacrificium ex parte Chriſti illam ſuſcipientis, ac illam Deo pro noſtra ſalute offerentis. Vnde dici ſolet:

Mortis Chriſti prima conditio. Matth. 26. Ioan. 19. & ſeq.

Actio diſplicuit (ſcilicet Deo) *paſſio grata fuit.*

II. Conditio.

Fuit deinde mors illa ſpontanea, & inuoluntaria. Ex parte enim rationis ſuperioris illam acceptantis, vt Patri obediret, & nobis pereuntibus ſuccurreret, ſpontanea fuit: eadem tamẽ fuit inuoluntaria ex parte corporis, & delicatiſſimi appetitus ſenſitiui, qui illam horrebat, & ex parte eius orabat, dicens: *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Tertio fuit hæc mors violentiſſima, & ſumme volũtaria. Nam ſi ad Iudæos tantum reſpicias, qui turpiſſimum & teterrimum mortis genus procurarunt, & intulerunt, violenta fuit. Vnde & ipſi Iudæi occiderunt eum, dicentes. *Hic eſt hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Eadem quoq; mors maxime fuit voluntaria: nam oblatus eſt, quia ipſe voluit. Poterat enim mille modis aduerſarios ſuos de medio tollere, poterat per fugam ſe ſubtrahere, poterat pluribus rationibus impedire, & prohibere illam, vt plerunque fecit ad mortem quæſitus, & cum miniſtri miſſi eſſent, vt eum caperent, & lapidibus Iudæorum manus eſſent armatæ ad eum morte lapidationis interficiendum, ſemper tamen euadebat. Quare & voluntarie Dominus ſacrificare voluit, & emiſit, ſiue ſponte tradidit ſpiritum ſuum: & Ionas in typo Chriſti dixit: *Tollite me, & mittite in mare.* Nam & ob id quoque dicta eſt mors eius dormitio, vt voluntaria deſignetur, iuxta illud: *Ego dormiui, & ſoporatus ſum*, idem quoque: *Poteſtatem habeo*, inquit, *ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterũ ſumendi eam.* Quorum neutrum eſt in poteſtate noſtra: quia naturalia in nobis non ſubiacent voluntati noſtræ: quemadmodum in Chriſto ſubiacebat omnis natura creata, nedum humana ſibi hypoſtatice vnita natura. Homo enim omnis & inuitus, ſuam amittit animam, vnde diuiti illi dictum fuit: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te*, à Saluatore autem nemo animam abſtulit, ſed ipſe ſponte tradidit ſpiritum, ſiue emiſit.

Philip. 2. Inuoluntaria fuerit quomodo mors Chriſti. Matth. 26. III. Conditio. Infra 27. Supra 21. Voluntariam Chriſti mortem fuiſſe. Eſai 53. Ioan. 7. Infra 8 & Infra 10. Pſal. 53. Matth. 27. Ioan. 19. Iona 1. Cur vocetur mors Chriſti dormitio. Ioan. 10. Chriſti mortis tantum, non noſtræ, peculiaria duo. Luc. 12.

Non tamen propterea, quod ſponte mortem pro nobis obtulit, dicendus eſt ſui ipſius homicida, quod crimen eſt horrendum, & hominum deſperatæ mentis, nam ea ratione Iudæi immunes eſſent à culpa tanti homicidij, vel potius Deicidi,

Chriſtum ſponte moriendo, non ideo tamen occidiſſe ſeipſum.

cum

cum tamen ipſi veri fuerint Chriſti interfectores. Vnde Marc. 9. dixit Dominus: *Filius hominis tradetur in manus hominum: & occident eum, & occiſus, tertia die reſurget*; & Petrus: *Hunc definito conſilio, & praeſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes, interemiſtis*. Et infra: *Vos autem ſanctum, & iuſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis, autorem vero vitae interfeciſtis*. Et Paulus in 1. ad Theſſ. de Iudaeis ait: *Qui & Dominum occiderunt Ieſum, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt*. Vides quot & quantis rationibus obſtringeretur Chriſtus ad debitum mortis pendendum.

Marc. 9. — *Actor. 2.* — *Infra 3. Matth. 27.* — *1. Theſſ. 2.*

Quare Chriſtus dicatur redemptor.

Cum igitur talis ſit Chriſti mors, ac tot modis ſalutem noſtram cõparauerit, totq; rationibus nos liberauerit; merito dicitur redemptor, id eſt iterum emptor. Ita enim dixit Propheta: *Quia apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio*. Declaro quomodo ſit copioſa iſta redemptio. Quia enim Chriſtus paſſus, & mortuus Deus, & homo eſt, ratione diuinitatis quidem operatur ſalutem noſtram per modum efficientis ac principalis, ratione vero humanitatis per modum inſtrumenti, & organi coniuncti: ſed ita vt ratione voluntatis, quae eſt in humana natura, agat per modũ meriti apud Deum, quo paſſionem, & mortem illi offerebat. Deus enim proprie mereri apud ſeipſum nihil valet. Ratione vero corporis cruciati, & ſanguinis effuſi agit per modum quidem ſatisfactionis, qua ſeruamur à reatu pœnę, & per modum redemptionis, qua liberamur à ſeruitute culpae: totus verò Chriſtus Patri oblatus operatur ſalutem per modum ſacrificij, quo reconciliamur, & placamur Deo, cui per Ieſum Chriſtum in Spiritu ſancto immortales ſint gratiae, & honorificae laudes decantentur ab intellectu praedita creatura in perpetuis ſeculis, Amen.

Pſal. 129. — Vt ſit copioſa Chriſti redemptio.

TRACTATVS III.

In quo refelluntur, ac diluuntur omnia argumenta, quae tum à paganis, tum à Iudaeis fiunt, vt probent paſſionem, ac mortem Chriſti, aut impoſſibilem, aut abſurdam, & à ratione alienam, ac proinde minimè neceſſariam fuiſſe.

Iudaei, & Ethnici ſcandalũ de Chriſti paſſione, ac morte cur ſumpſerint.

PRAECEDENTI tractatu euictum reliquimus non ſolum mortem Domini congruentiſſimam, & ad multos fructus edendos vtiliſſimam, ſed etiam quodammodo neceſſariam ad expiandum peccatum, ac perfringenda Satanae vincula, quibus peccatores vinctos, captiuoſq; detinebat. Sed quoniam haec tanta veritas ſplendore ſuo oculos multorum perſtrinxit, neque eam humanae mentes capere valuerunt, multa propterea, tum Iudaei, tum Pagani in ea intorquere non deſtiterunt argumenta, ſed ita, vt per eorum obiectiones Euangelica veritas magis inclaruerit, & fides tanti Sacramenti ſolidior, & conſtantior apud Orthodoxos reddita fuerit.

Incredulitas illorum & impietas quid nobis profuerit.

Poſtquam igitur noſtrum eſt cum Paulo profiteri: *Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum*, de tantaque ſapientia gloriari: noſtrum quoque eſſe debet eas omnes refellere atq; diluere obiectiones, quae quo quomodo à quibuſcunque fiant, & Euangelicam laedere veritatem videantur. In primis igitur ita quidam argutantur: Deus immortalitatis priuilegio gaudet, iuxta illud Apoſtoli: *Regi ſeculorum, immortali, inuiſibili*; Rurſus: *Qui ſolus habet immortalitatem*: quomodo igitur mori potuit Filius Dei? Adhęc ſi Deus contrarium non habet; quomodo pati potuit, qui impaſſibilis eſt, cuius tabernaculo flagellum non appropinquat? Cumque de illo ſcriptum ſit: *Ego Dominus, & non mutor*: quomodo ille qui immortalis erat, & mortalis factuş eſt, aliqua ratione non eſt mutatus? Prompta eſt, ac facilis huius argumenti dilutio. Nam etſi Deus in ſeipſo mortis, paſſionis, & motus cuiuslibet ſit expers, ac proinde mori, aut pati, aut mutari nequeat, in humanitate tamen aſſumpta illarum mutationum capaci plane mutatus eſt. Nam quemadmodum ſine ſui vlla mutatione, mutatã tantum creatura creat; ita ſine ſui vlla mutatione, incarnatus eſt, & paſſus, & ſeparata anima à corpore, & neutrum à Deo ſeparatum. Vt enim patiente corpore meo, aut febricitante, Deus qui ibi praeſens eſt, nec patitur, nec febricitat, & radius Solis in ligno ſecuri percuſſo non percutitur, neq; ſcinditur: ita Chriſto patiente in corpore ſuo, diuina verbi natura nihil perpetiebatur, quanquam verbum ipſum impaſſibile ob vnionem cum corpore pati affirmemus. Debent autem ſeriò infideles admoneri, vt non ſcandalizentur, neque exiſtiment diuinam Chriſti naturam per mortem eius in aliquo laeſam fuiſſe: nam haec, fides Catholica prorſus denegat, ſicut profitetur Chriſtum cruci affixum. Quare Eſaias inquit: *Sicut enim in Monte diuiſionum ſtabit Dominus ſicut in valle, quae eſt Gabaon, iraſcetur, vt faciat opus ſuum, alienum eſt opus eius, vt operetur opus ſuum, peregrinũ eſt opus eius ab eo*. Stetit olim Dominus in

1. Cor. 2. — Huius ſuſcepti laboris ratio, aduerſariorum calumnijs reſpondendi. — I. Argument. *1. Tim. 1. Infra 6.* — *Pſal. 90. Malach. 3.* — Cum diuina natura pati nequeat, quomodo diuinum verbum potuerit pati. — Simile. — *Eſa. 28.* Mons diuiſionum apud Eſaiam quid myſtice.

Monte diuiſionum, ex quo facilè Dauid percuſſit hoſtes ſuos Philiſthæos, vt habes in libris Regum: ſtetit etiam in Gabaon ſub Principe Ioſue, quando dixit: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon*, vt habes in libro Ioſue, vt populus Dei hoſtes ſuos ſuperaret: ita Chriſtus in cruce ſtetit contra hoſtes ſuos, vt eos traduceret, ac debilitaret.

2. Reg. 5. 1 Paral. 4. Ioſue 10.

Peregrinum opus Dei, & ab eo alienum apud Eſaiam quodnam ſit.

Opus ſuum, vocat ſeruare, & redimere: ſed peregrinum, & alienum opus eius eſt pati, ſanguinem fundere, ac mori, quæ verbo, niſi ratione communicationis idiomatum, non conueniunt; ideoque in cruce peregrinum, & alienum opus paſſionis & mortis in ſe ſuſtinuit, vt opus ſuum ſeruandi, ac liberandi præſtaret.

Arnobius lib. 1. contra gentes, circa fin.

Hoc argumentum diluens Arnobius libro aduerſus Gentes, in hunc modum reſpondit: *Sed mori eſt hominis interemptus non ipſe, neq; enim cadere diuinas in res poteſt mortu occaſus, nec interitionis diſſolutione dilabi id, quod eſt vnum, & ſimplex, nec vllarum partium congregatione compactum. Quis eſt ergo viſus in patibulo pendere, quis mortuus eſt? homo, quem induerat, & ſecum ipſe portabat. Incredibile dictum eſt, & cæcis obſcuritatibus inuolutum. Si velis non cæcum eſt & ſimilitudini proxime conſtitutum.*

Pulchre & eleganter Arnobius Dei impatibilitatem in humanitate patibili, aduerſus Gentiles ſuorum etiam deorum pereuntium demonſtrabat exemplis.

Si quo tempore Sibylla præſaga oracula illa depromens, fundebat vi (vt dicitis) Apollinis plena, ab impijs eſſet cæſa atque interfecta latronibus, nunquid Apollo diceretur in ea eſſe occiſus? Si vates Helenus, ſi Martius, alijq; ſimiliter vates hariolantes eſſent vita, & luce priuati, nunquid aliquis diceret lege eos humanitatis extinctos, qui illorum per ora loquentes, vias rerum poſtulantibus explicabant. Mors illa, quam dicitis, aſſumpti hominis fuit, non ipſius geſtaminis, non geſtantis: quam nec ipſam perpeti ſuccubuiſſet, tanta ſi non agenda res eſſet, & inexplicabilis ratio fati clauſis patefacienda myſterijs. Hactenus Arnobius.

Damaſce lib. 3 de orthod. fid. cat. 26.

Idem confirmat Damaſcenus libr. de orthodoxa fide, his verbis: *Et id ſciendum, quod dicimus Deum carne paſſum, diuinitatem autem carne paſſam, aut Deum per carnem paſſũ nequaquam.*

Solis, & arboris ad Deitatem, & Humanitatem Chriſti comparatio S. Ioan. Damaſceni. Altera eiuſdem.

Nam quemadmodum Sole arborem ſuperillucente, ſi ſecuru incidat arborem, inuncisus, & impaſſibilis perſeuerat Sol: multo magis impaſſibilis verbi diuinit.as, ſecundum hypoſtaſin carni copulata, carne patiente, impaſſibilis perſeuerabit: & quemadmodum ſi quis ignito ferro ſuperinfundat aquam, quod quidem natum eſt pati ab aqua (ignis dico) extinguitur, incolume verò manet ferrum; non natum enim eſt ab aqua corrumpi: multo magis carne paſſa, ſola impaſſibilis diuinitas paſſionem non admittit, inſeparabilis ab ipſa permanens. Non tamen neceſſe eſt, omnimodè, & ſine quocunque defectu, exempla imaginem referre: quandoquidem neceſſe eſt in exemplis, & ſimile contemplari, & diſſimile. Alioqui non eſſet exemplum: nam quod in omnibus ſimile, idem profectò fuerit non exemplum, & maxime in diuinis. Impoſſibile enim eſt, in omnibus ſimile inuenire exemplum, ſiue in ſermone qui de Deo, ſiue in diſpenſatione carnis, ſcilicet aſſumpta.

In exemplis quid ſpectandum ſit eodem autore.

Euſeb. libr. 4. de demonſtr. Euang. cap. 13 tom. 1.

Ante Damaſcenum Euſebius lib. de Demonſtratione Euangelica, ſic inquit: *Hæc namque omnia ad vſum, atque vtilitatem omnium noſtram, humanum genus omni proſequens amore Dei verbum, paternis conſilijs adminiſtrabat: ipſe interim rurſus, & materiæ expers, & incorporeus manens, cuiuſmodi etiam pridem apud Patrem erat, neque mutans eſſentiam, neq; perdens quod ſuæ ipſius naturæ proprium erat, neque vero, aut corporis vinculis impeditus, aut à ſua diuinitate deiectus: ac ne domeſticam quidem verbi poteſtatem amittens, ſed neque ijs, qui illic quidem, vbi ipſi humanum vas aderat, degeret tantum, in alijs vero vniuerſi partibus eſſe prohiberetur.*

Duæ naturę in Chriſto impermixtæ, ac pœnitus diſtinctæ.

Etenim tunc quoque, cum inter homines verſabatur, nihilominus omnia complebat, interim & in Patre, & cum Patre idem erat, & omnium rerum pariter in eodem tempore, tam cœleſtium, quam terreſtrium curam gerebat: nuſquam ab illa præſentia, qua cunctis rebus adeſt, noſtro more excluſus: neque diuina, ne ageret more ſuo, impeditus, ſed illa quidem à ſe ipſo communicans homini, hæc verò à mortali ipſe non accipiens. Item mortali quidem vim diuinam ſuppeditans, à mortali vero ipſe non contra in partem, aut communitatem adductus. Neque igitur in partu à corpore ipſe incorporeus inquinabatur: neque item qui patibilis naturæ expers erat, aliquid à mortali ſecundum eſſentiam patiebatur. Nam neque, verbi gratia, dum lyra pulſatur, aut nerui conuelluntur, pati veriſimile eſt eum, qui ita præludit, neq; dum cuiuspiam viri ſapientis corpus torquetur, illius ſapientiam, aut quam in corpore gerit animam, cædi, aut puniri merito dicere poſſumus. Eadem ratione neutiquam, multoq; etiam minus, quod verbi, aut naturæ, aut vis, detrimenti quippiam ex corporis affectionibus trahat, affirmare par eſt. Hæc illi Patres peracutè ſanè.

Similitudines Euſebij Cæſarienſis ad idem confirmandum.

II. Argum.

Secundo argumentantur: Quomodo mors, quæ pura priuatio eſt, & nudum malum, poteſt eſſe cauſa boni, & maxime tanti boni quantum eſt redemptio, & ſalus totius mundi? Reſpondemus, quod etſi mors, quatenus optimo bono hominis, id eſt, eſſe ſeu vita priuat, maxima ſit pœnarum; poteſt tamen aliquam rationem boni induere, ſiue dum vita vitioſa, & peruerſa priuat, ſiue cum inducit ad vitam æternam: nam hac ratione pœnarum omnium eſt remedium.

Mors quomodo induat rationem boni, cum tamen maximum hominis malum ſit.

Deinde aſſero, quod etſi mors Chriſti ex ſe, & quatenus priuatio eſt, nihil nobis proſit; ob virtutes tamẽ, quibus

Qua ratione mors Chriſti nobis profuerit.

con-

coniuncta fuit in Chriſto patiente, & acceptante, illamque non impediente, hoc eſt, amorem, obedientiam, atque patientiam, Deo quod ad ſe attinet, vniuerſum mundum placauit, & profuit maxime, ob patientem Deum, & hominem Chriſtum virtutem, ac pacto omnes homines continentem (quemadmodum Adam, qui in ſubſtantia ſeminali, atque pacto Dei omnes continebat homines, omneſque proinde læſit) plus igitur paſſio Chriſti nobis influit, quam ſi omnes nos ipſi moreremur: magiſque pretioſa eſt in conſpectu Dei mors filij eius, quam noſtra peſſima mors extiterit illi ingrata: quia patiens, & vniuerſalis fuit, id eſt, Deus, & caput omnium hominum, ſicut finis eius Deus, & mundus, ac mors vniuerſitatis rationem aliquam habent.

III. Argum.

¶. Tertio, quo modo mors, quæ iam actu tranſijt, nec eſt amplius in rerum natura, ſaluare, ac reconciliare Deo peccatores valeat? Nam dicitur de illa: *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Et rurſus: *Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad inuicem, & ſanguis Ieſu Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato.*

2.Cor.5.
1.Ioan.1.

Quemadmodum Chriſti mors quæ iam præterijt, & amplius non eſt, ſalutem conferre valeat.

Reſpondemus, quod ſicut tranſeunte prauo actu peccati remanet reatus pœnæ, ſecundum quem is, qui peccauit, ſupplicio fit obnoxius, quemadmodum Adam vetitum fructum edens, nudus Dei donis remanſit, atque mortalis:

Gen.3.

ita actu bono, ac meritorio tranſeunte, remanet vis, ac dignitas, boni ipſius operis, ſecundum quam iuſte, & laudabiliter operans dignus remanet præmio, vel in ſe, vel in alijs; atque ob hanc cauſam cum opera bona cito fiant, & perpetuo præmio remunerentur, bonorum operum glorioſus eſt fructus. Idem quoque dicendum de fructibus paſſionis, de quibus illud à Paulo aſſeritur: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et rurſus: *Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ; ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Rom.8.
2.Cor.4.

Ad hunc modum obedientia à Chriſto Deo Patri impenſa vſque ad mortem, tam viua, efficax, & accepta eſt hodie apud Deum, atque propter eam recipit peccatores, & iuſtos quoſque remunerat, quantum fuit eo ipſo die, quo peracta eſt.

Philip.2.

Chriſtus cur dicitur Agnus occiſus ab origine mundi.
Apoc 3.

Nec tantum futuris valet, ſed omnibus electis, qui à principio mundi extiterunt, efficax fuit; vt propterea dicatur Agnus occiſus ab origine mundi: quod eius virtus retrotracta operaretur in illis gratiam, & ſalutem: Paſſio igitur Chriſti etſi non ſit amplius in rerum natura, ſicut non erat in mundi principio; virtus tamen eius in continua memoria eſt apud Patrem, vt propter illam præmio afficiat omnes, qui illi fide, & Sacramentis adhærent: ſiue illa eſſent præfigurantia, vt Circumciſio, & ſacrificia veteris legis; ſiue commemorantia, vel fructum ipſius continentia, vt apud nos Euchariſtia.

IV. Argum.

Quarto obijciunt: Non eſſe boni conſiliarij ea conſilia captare, vt ſalutem mundi non niſi per horrendum, & ſummum peccatum operari velit: conſtat autem, mortem Chriſti, ſine ingenti flagitio Iudæorum non fuiſſe perpetratam; videtur igitur diuinæ ſapientiæ modus iſte incommodus, atque diſſentiens.

Boni conſiliarij proprium quid.

Reſpondemus, ad bonum conſiliarium ſpectare, vt nihil in ſalutem aliorum quicquam facere dignet, quod cum peccato ſit coniunctum. Nam de his dicit Apoſtolus: *Aiunt quidam nos dicere, Faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio iuſta eſt.*

Rom.3.

Sed tamen Chriſtus peccatum aliorum non fecit, nec præcepit illis vt ſe interficerent, ſed vetuit potius, & opera præſtitit, propter quæ alias erat ab ipſis cum omni veneratione tanquam verus Dei Filius, & indubitatus Meſſias recipiendus.

Proprium Sapientiæ diuinæ.

Sapientiæ tamen diuinæ, atque infinitæ fuit aliorum peccantium malo bene vti, ac proinde ex tanto odio, tantam amoris flammam elicere; ex tanta ſtultitia, tantum ſapientiæ lumen, ex tanta ignominia, tantam gloriam; ex tanta paupertate tales, ac tantas diuitias; ex tanta ingrati animi ſignificatione, tantam gratiam; ex tot, tantiſque plagis, tantum medicamentum; ex tanta imbecillitate, tantam fortitudinem; denique ex tanta humilitate, tantam ſublimitatem.

Matth.27.

Quanquam vero crimen Iudæorum ex ſe dignum fuiſſet mundi ruina, ob cuius horrorem Sol Eclipſim paſſus eſt, terraque motu inſolito contremuit: Chriſtus tamen ex alia parte mortem acceptans, & Deo in ſalutem pro omnibus offerens, plus valuit charitate ſua ſeruare, quam poſſent homines peccatis ſe contaminare, ac perdere. Cum enim virtutes vitijs contrariæ ſint: plus potuerunt Chriſti virtutes Deum mundo placare, quam potuerint vitia, & peccata totius mundi, vel ſe ſordidare, vel Deum irritare.

V. Argum.

Quinto obijciunt: Quare ſumma Dei ſapientia pro medio reconciliationis voluit mortem crucis eligere, quæ horrorem ingerit vel ſolo auditu, & Iudæis fuit ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia, cum Deo

1.Cor.1.

innu-

Quia aliter Deus, cũ poſ[ſ]et quam per horrendam Chriſti paſſionem, & mortem, hominẽ ſeruauerit. Ibidem.

innumeri alij modi ſeruandi minimè defuiſſent? Reſpondemus, Chriſti crucem vocatis, Iudæis, atque Græcis, nihil aliud eſſe; quàm Dei virtutem, & Dei ſapientiam, alijs verò Iudæis, vel Gentibus nolentibus credere, factam eſſe ſcandalum, & ſtultitiam. Nam ſi Iudæi ſcrutari voluiſſent Scripturas, & lumini prædicationis Apoſtolicæ acquieſcere, cognouiſſent vtique, illam vtpote in Scripturis prædictam, præfiguratamque, omni acceptione dignam extitiſſe. Gentiles prætereà, ſiue Græci, ſiue Romani, ſi pluſquam oportet, ſapere non voluiſſent, Chriſtum in Deum verum recipere minimè dubitaſſent, ſi meminiſſent multos alios violenta morte interemptos ſe in Deos recepiſſe. Audi Arnobium libro aduerſus Gentes: *Pythagoras*, inquit, *Samius ſuſpicione dominationis iniuſta viuus concrematus in fano eſt: nunquid ea quæ docuit, vim propriam prodiderunt, quia non ſpiritum ſponte, ſed credulitate appetitus effudit? Similiter Socrates ciuitatis ſuæ iudicio damnatus, capitali affectus eſt pœna; nunquid irrita facta ſunt quæ ſunt ab eo de moribus, virtutibus, & officiis diſputata, quia iniuria expulſus è vita eſt? Innumerabiles alij gloria, & virtute, & exiſtimatione pollentes, acerbiſſimarum mortium expertis ſunt formas, vt Aquilius, Trebonius, Regulus: nunquid idcircò poſt vitam iudicati ſunt turpes, quia non publica lege fatorum, ſed mortis aſperrimo genere lacerati, excruciatiq́ perierunt? Nemo vnquam innocens malè interemptus infamis eſt: nec turpitudinis alicuius commaculatur nota, qui non ſuo merito pœnas graues, ſed cruciatoris perpetitur ſæuitatem. Et tamen ò iſti, qui hominem nos colere morte functum ignominioſa ridetis, nonne Liberum & vos patrem membratim ab Titanis diſſipatum fanorum conſecrationi aptatis? Nonne Æſculapium medicaminum repertorem poſt pœnas, & ſupplicia fulminis, cuſtodem nuncupauiſtis, & præſidem ſanitatis, valetudinis, & ſalutis? Nonne ipſum Herculem magnum ſacrificiis, hoſtiis, & thure inuitatis incenſo? Quem ipſi vos fertis viuum arſiſſe poſt pœnas, & concrematum in funebribus buſticetis? Nonne illum Atyn Phrygem abſciſſum, & ſpoliatum viro magnæ Matris in adytis Deum propitium, Deum ſanctum, Gallorum conclamationi teſtamini? Nonne ipſum Romulum patrem, Senatorum manibus dilaceratum centum, & Quirinum eſſe Martium dicitis, & Sacerdotibus, & puluinaribus honoratis, & in ædibus adoratis ampliſſimis, & poſt hæc omnia cælum aſcendiſſe iuratis? Aut igitur ridendi & vos eſtis, qui homines grauiſſimis cruciatibus interemptos Deos putatis, & colitis; aut, ſi certa eſt ratio, cur id vobis faciendum putetis, & nobis permittite ſcire, quibus iſtud cauſis, rationibusq́ faciamus.* Hactenus ille & acutè & eleganter. Adhæc Gentiles ſcire poſſent, hanc ipſam mortem ex ſe non elegiſſet, ſed à Iudæis electam ſuſtinuiſſe: & quò plura, ac duriora pro nobis eſt paſſus, eò magis amoris ſui magnitudinem nobis indicaſſe, maioraque noſtra flagitia declaraſſe.

Arnob. lib. 1. aduerſus Gentes paulò poſt medium.

Pythagoras Samius cur occiſus.

Nullus innocens malè interemptus infamis eſt.

Infames deorum interitus: illorum tamen cultoribus ſacri atque venerabiles.

VI. argum.

Sextò: Quomodo non videtur Deus in perditione, & morte innocentis delectari, ſi à Chriſto innocente mortem, & illam quidem crucis exegit; cùm ſcriptum ſit in librò Tobiæ: *Non enim delectaris in perditionibus noſtris*, & Sapiens dicat: *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum?* Reſpondemus negando antecedens: nec enim Deus delectatur in Chriſti paſſione, quatenus eum afflixit, aut vitam eius arripuit; ſed quatenus voluntariè tolerata pro iuſtitia, & humani generis ſalute fuit; quemadmodum Deus non in pœnis, ſed in patientia, & fide Martyrum delectatur: ſic etiam non delectatur in pœnis damnatorum, ſed in decôre iuſtitiæ mala merita ipſorum punientis. Et ita intelligenda eſt illa ſententia Prophetæ: *Lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Hinc Ambroſius rectè dixit: *Chriſtus qui immeritus occiditur, placet Deo: non quia occiditur; ſed quia vſque ad mortem iuſtitiam conſeruauit.* Hęc ille. Pater ergo Deus non pœnam mortis, ſed piam Filij voluntatem, qua tam vtiliter mortem pro genere humano ſuſtinuit, comprobauit. Ac vt Deus à nobis exigit ſuorum obſeruantiam mandatorum, ac dilectionem, non propter ſuam vllam vtilitatem, aut indigentiam, ſed propter noſtrum omnium emolumentum: ita à Chriſto exegit ſatisfactionem pro peccato Adę, & poſteritatis ſuæ, non propter ſuam, ſed Adæ ipſius, & poſterorum indigentiam, & pro ea tradidit Chriſtum in mortem, non quia maluit mortem Chriſti, quàm vitam, ſed quia maluit ſalutem totius mundi per temporalem mortem Filij mox ſuſcitandi, quàm vitam Chriſti abſque morte temporali, ſiue ſalute mundi totius: glorioſiusque ipſi Chriſto fuit mori ad tempus, & acquirere nomen quod eſt ſuper omne nomen per reſurrectionis gloriam in corpus immortale, quàm ſic ſemper viuere in carne mortali.

Tob. 3.
Sap. 1.

Deo quatenus placuerit paſſio Chriſti, ac mors.

Senſus illius ſententiæ: Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam, & quæ ſequuntur.

Pſal. 57.
Ambr. in c. 5. epiſt. ad Heb. tom. 5.

Cur Deus à nobis exigat ſuorum obſeruantiam mandatorum.

Philip. 2.

VII. argum.

Septimò: An non fuiſſet melius, nobiſque proinde ſalutarius, Chriſtum vna nobiſcum permanere, atque ita verſari inter nos verbo, & exemplo docendo, ſigniſque nos excitando, quò facilius ſalutem aſſequeremur, quam per mortem crucis, qua omnes offendimur, & ſcandalum patimur,

à nobis diſcedere; ſalubrius nobis eſſe proſpectum per Chriſti mortem quàm ſi nobiſcum vitam exegiſſet perpetuam: quia etſi per Chriſti mortem, facultate perficiendi virtutum opera, ampliusque patiendi ſit deſtitutus; quod videtur eſſe maius bonum quam ſit bonum nos ſaluari, cùm Chriſti opera magis eſſent in Dei gloriam, quã felicitas, & beatitudo electorum omniũ: Chriſtus tamen in Cruce, exemplar omnium virtutum in ſupremo atque heroico gradu exhibuit, quod ceſſit in maiorem Dei gloriam, & in maius noſtrum, & meriti, & exempli beneficium, quàm ſi ſemper vnà nobiſcum vixiſſet, & vitę exemplo, atque verbo docuiſſet. Chriſti ſiquidem charitas in cruce detecta ſuprema fuit, & maior illa excogitari non poteſt. Cùm enim maiorem hac dilectionem nemo habeat, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: ipſe etiam pro inimicis, atque impijs extinct⁹ eſt: hanc autem charitatis efficaciam, nunquam vitæ merita æquare potuiſſent. Præterea plus poteſt in nobis illa charitas per mortem crucis reuelata ad præſeruandum nos à peccatis, & ad excitandum vt præſtemus opera iuſtitiæ, quibus gloria Dei illuſtretur; quam omnes virtutes Chriſti multis annorum millibus viuentis nobiſcũ. Quocirca Dominus dicebat: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet*; id eſt, Pauci conuertentur. Rurſus inquit, *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.*

Christus in cruce maiora nobis contulit bona, quã ſi per totam vitam ſuam nobiſcum vna fuiſſet, atque vixiſſet.

Ioan. 15.

Rom. 5.

Quid eſt granum frumenti, niſi mortatur, ipſum ſolum manere: Ioan. 12. Ibidem.

VIII. argum.

Octauò obijciunt Pagani, vt teſtatur Anſelmus libr. Cur Deus homo: *Si per redemptionem liberati eſtis, in qua quæſo cuſtodia, vel carcere, & in cuius poteſtate detinebamini, vt non potuerit vos vno verbo redimere, qui ſolo verbo mundum, vt dicitis, creauit? Quòd ſi non potuit aliter liberare, quomodo ſapiens eſt, qui tam indecora, ac abſurda eſt perpeſſus? Quòd ſi in voluntate Dei eſt ira volens punire; ergo in eadem volens parcere, & nolens parcere erit liberatio, ſeu redemptio ſine morte.* Reſpondemus, captiuitatem hanc, & captiuãtem ipſum, & carcerem quo detinebamur, & vincula, ſeu compedes ſpiritualia eſſe, & ſpiritualiter accipienda, id eſt, per fidem, ſine qua cùm capere non valeant, admirantur Gentiles: at ſi Scripturas legiſſent, & peccata quanta ſpiritus captiuitatem inducãt, & quam ſint indiſſolubilia vincula, & quanta ſit captiuantis dæmonis poteſtas, aliter loquerentur iniqui. Ait enim Apoſtolus; *Aſcendens* (nempe Chriſtus) *in altum, captiuam duxit captiuitatem*; & iterum, *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*, & Salomon. *Iniquitates ſua capiunt impium, & funibus peccatorum conſtringitur.*

Anſelm lib. 1. Cur Deus homo. c. 6.

Quæ ſit illa captiuitas, à qua per mortẽ ſuam nos Chriſtus eripuit, atq; redemit.

Epheſ. 4. Pſal. 67. Pſal. 118. Prou. 5.

Item Apoſtolus: *Vt reſipiſcant à diaboli laqueis à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.* Tantaq; eſt huius captiuitatis vis, vt vix citra diuinum lumen à quoquam agnoſcatur, nec niſi diuina virtutę hæc vincula dirupi queant. Eſt enim captiuus qui non eſt ſui iuris, ſed in alterius poteſtatẽ addictus, & viuendi libertate priuatus, vt rectè Chriſtus dixerit: *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.*

2. Tim. 2.

Spiritualis captiuitatis vis, atq; potentia.

Captiuus quiſnam ſit.

Ioan. 8.

Nonò: Nõ videtur prudentis mercatoris, pro vili merce maius precium pendere, quàm valeat: conſtat autem, Chriſtum ſanguinem ſuum fundendo plus dediſſe, quã valeat totus mundus. Reſpondemus, emere rem carius quàm valeat, ſapientis non eſſe mercatoris, ſi videlicet pretij indigentiam habeat, intendatq; potius ſeipſum ditare, quàm alienam inopiã ſubleuare. Non eſt autem Deus talis mercator, qui diues eſt in miſericordia, & bonorum noſtrorum non eget: qui nos ab alio, quam à ſeipſo, nõ redemit, ſed à ſiniſtra iuſtitiæ nos eruens, per condignum pretium in dexteram miſericordiæ tranſtulit; & ita pretium datum minimè alienatur. Adhæc etſi minori pretio potuiſſet te emere; voluit tamen tanto nos pretio dignos facere, ne à captiuitate ſemel dæmonis educti, iterum Tentatoris fraudib⁹, delicijſq; mũdi ſubmergeremur, inuolueremurque. Pone, verbi gratia, Regis filium ſub immaniſſimo Turca captiuum detineri, & pro eo aſſerendo in libertatem numerari mille aureos; deinde duo alia millia numerari illi iam redempto, vt in patriam redeat, & habeat vnde honeſtè itineris ſumptus faciat: ad hunc modum Chriſtus non ſolum redimit, ſed dat gratiam, virtutes, atq; alia chariſmata, quibus fultus in patriam redire valeat. Ita cum Heliſæus propheta ad inopiam viduæ ſubleuandam, de oleo miſericordiæ proſpexiſſet, & pluſquam eſſet debitum viduæ pretium olei excederet, dixit Propheta: *Vade*, inquit, *vende oleum, & redde creditori tuo; tu autem, & filij tui viuite de reliquo.*

XII. argum.

Cur tãti Chriſtus nos viles adeò, atq; nihili emerit, atque redemerit.

Epheſ. 2.

II. ratio.

Qualis illa Chriſti ſit redemptio generis humani.

Alterum exemplum.

4. Reg. 4.

Decimò obijcitur: Deus Pater plus dilexiſſe videtur genus humanum, quã Filium ſuum; quemadmodũ plus diligimus mercem, quàm pretium, quod pro ea numeramus; & quia nos per mortem Chriſti redẽpti ſumus, Chriſtus autem nõ habuit alium Chriſtum, qui pro eo moreretur: dicẽdum eſt in primis, non eſſe duos in Deo amores, vnum videlicet imperfectum, quo nos diligit, & alterum perfectũ, quo diligit Chriſtum: quia in Deo nulla eſt imperfectio, & nõ poſſunt eſſe duo amores infinitè perfecti. Ideò dicendũ, quòd Deus eodẽ infinito amore perinde nos dilexit, atq; Chriſtum:

X. argum.

In Deo imperfectum nihil. Deus eodem infinito amore, quo Chriſtum, & nos dilexit.

quod

quod ad effectum tamen attinet, videretur maiorem nobis indicaſſe amorem, quam Chriſto: tum quia dando vnigenitum ad mortem pro mundo, maximum honoris gradum oſtendit: quod tamen Chriſtus nō habet: quia non habet alium Chriſtum pro ſe mortuum, nec poteſt gloriari ſicut nos de Chriſto mortuo pro nobis. Quòd ſi dicas, animam Chriſti fuiſſe innocentiſſimā, neque redemptione egentem; id facile cōcedam. Sed vt pater plus blanditur filio infirmo, quam ſano, quia plus eget; ita Deus plus amoris nobis impendit infirmis, & peccatoribus in medelam noſtrorum delictorum ſanguinem Chriſti dando, quàm ipſi Chriſto innocenti peccatum non habenti dederit. Reſpondemus tamen, maiorem charitatem oſtendiſſe Chriſto, dando illi diuinitatem, & eligendo eum in noſtrum mediatorem, impertiendo illi tātam gratiam, & donorum, & virtutum chariſmata, vt ſponte pro nobis in cruce moreretur, quam nobis fecerit: Et ſimpliciter beatius eſt magis dare quā accipere. Item, nos ſimpliciter propter eum ſumus, non ipſe propter nos, etſi ꝓpter nos ſit factus mortalis, & paſſibilis. Ita enim dicit Paulus: *Decebat enim eum, propter quem omnia*, & reliqua. Deinde ſi quis objiciat: Quiſquis filiū morti pro ſeruo redimendo exponeret, oſtenderet ſe maiori affectu proſequi ſeruum, quàm filium: Sed profectò non hinc ſequitur, quòd plus dilexerit nos: quia dando Chriſtum in mortem, nō priuauit ſe ipſum Chriſto; imò illum dedit in mortem, vt illum excitatum à morte, & glorioſum cum ſeruo iam liberato reciperet. Tertiò ſi objicias: Etſi dedit plura, & maiora dona animę Chriſti, quam nobis; quia tamen illa recepit Chriſtus non propter ſe, ſed propter nos, & in beneficium noſtrum; ideò videtur plus nos dilexiſſe, atq; illa dona plus videntur fuiſſe noſtra, quam ſua. Reſpondemus, finem vltimum, cuius gratia illa data ſunt dona, non eſſe nos, ſed Deum, vt vtatur illis donis in gloriam Dei, & ſuam. Ideò verum nō eſt quod infertur, plus nos dilexiſſe, quàm Chriſtum. Adhæc ſuo amore Chriſtus, quia illum Dei ſequitur, plus dilexit ſeipſum, quam nos: nam etſi pro nobis poſuerit animam ſuam, plus tamen poſuit propter Deum in nobis redemptis glorificandum, quàm propter nos ſimpliciter.

Qua ratione nos Deus plus quàm Chriſtū, dilexiſſe videatur. Simile.

Deus è cōtrario cur magis Chriſtum dilexerit, quàm nos.

Act. 20.

Heb. 2.

II. obiectio in contrarium diluitur.

III. obiectio.

Vndecimò objicitur: peccatum crucifigentium Chriſtū maius eſſe peccato Adæ, quod Bernardus vocat omnium peccatorum mundi grauiſſimum. Si ergo pro Adæ peccato opus fuit morte Chriſti: ergo pro flagitio crucifigentium opus fuerit alia maiori, efficacioriq; morte, & paſſione quàm illa Chriſti. Reſpondemus, extra rem eſſe quod populus Iudęorum occidendo Chriſtum plus deliquerit, quàm Adam vetitum pomum guſtando. Nam licèt, habita ratione ad peccati ſpeciem, grauius delictum ſit cædes Chriſti ex intentione admiſſa, quam Adæ præuaricantis, nec odio habentis, aut blaſphemantis Deum, neque ſe, neque alios occidere cogitantis: penſata tamen conditione peccantis, grauius deliquit Adam. Ait enim Beatus Auguſtinus: *Magna fuit Adæ peccantis iniquitas, cui tanta inerat in non peccando facilitas: Sicut Abrahæ magna obedientia prædicatur, quia vt occideret vnicum filium quem diligebat, res difficillima eſt imperata. Magnum malum eſt non obedire in re facili, & ſub tanta poteſtatis imperio, & ſub tam terrenti ſupplicio.* Hæc ille in ſenſu. Quare ſub hac ratione grauius deliquit Adam. Nec obſtat ſententia Bernardi, dicentis: *Graue eſt peccatum originale, quod non ſolùm perſonam inficit, ſed naturam. Grauius tamen perſonale eſt cuique, quod propria voluntate committitur. Grauiſſimum autem eſt ſingulare, quod commiſſum eſt in diuinam maieſtatem, cum viri impij ſacrilegas manus iniecerint in Dominum ipſum Dei filium crudeliſſimi homicidæ, imò ſi fas eſt, deicidæ. Quid duo præcedentia ad tertium? Ad hoc expauit tota machina mundialis.* Hactenus Bernardus. Sed ille certè non comparat originale peccatum quod peccauit Adam, ad proprium cuiuſque perſonale: nec ibi, nec alibi docet, Adam cæteris hominibus nunc peccantibus minus deliquiſſe, ſed comparauit originale noſtrum peccatum, quod ſola origine, & non propria voluntate contraximus, ad cuiuſque perſonale, quod aſſerit eſſe grauius, quàm originale. Nam etſi illud originis maximum ſit, ratione extenſionis; non tamen eſt grauiſſimum pro cuiuſq; perſona. Deinde ibi Bernardus penſat criminum grauitatem non ſecundùm conditiones perſonarum, ſed tantùm delictorum obiecta: & ſub perſonali non complectitur primum Adæ peccatum, quo perdita eſt originalis iuſtitia, ſeu innocentia, & infecta eſt humana natura, in poſteris propaganda: nam perſonale duntaxat tranſit in perſonam eius, qui delinquit. Quanquam autem cōcedamus, crimen Iudæorum crucifigentium Chriſtum; grauius, quàm Adæ peccantis; nō tamen ſequitur, peccatum illud Chriſti morte nō poſſe expiari. Nam adeò placuit Deo Patri obedientiæ, & amoris Chriſti patientis meritū, vt idoneum extiterit ad diluendum flagitium populi ſe in necem dantis: longè enim maius & excellētius eſt Chriſti

XI. argum.

Bern. ſer. in Feria 4. hebdomada pœnoſa, ante medium.

Qua ratione maius ſit peccatū Adæ, peccato crucifigētiū Chriſti.

B. Aug. li. 14. de Ciu. Dei, cap. 15. tom. 5. Gen. 22.

Bern. ſerm. in Feria 4. hebdomadæ pœnoſæ, ante medium.

Explicatur Bernardi ſententia aſſerentis cędē Chriſti longe grauius fuiſſe peccatū illo Adæ.

Altera ſolutio.

Rom. 5. & ſeq. *Luc. 23.* *Heb. 5.* *Luc. 23.*

Congruus ſatisfaciendi modus quisnam ſit.

Dei & hominis patientis meritum, quam peccatum populi occidentis: vt docet Paulus in epiſtola ad Romanos. Atque in huius ſignum glorioſæ victoriæ Chriſtus inquit: *Pater, dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt:* Et exauditus eſt pro ſua reuerentia; nam reuerſi ſunt percutientes pectora ſua. Quanquam verò non ſit congruus ſatisfaciendi modus, quo peccatum additur peccato: tamen peccatum aliorum inuentum ad bonum finem referre, & facere ne impediat ſatisfactionem, magni eſt ſatisfactoris. Et quanquam occiſio Chriſti fuerit infinitæ malitiæ, quia eripuit vitam, quæ coniuncta erat Diuinitati, quæ infiniti eſt valoris, & pretij: Chriſti tamen meritum ſuperare potuit illam malitiam, quia coniuncta fuit cum aliqua ignorantia, *Non enim ſciunt*, Dominus ait, *quid faciunt*, & Petrus, *Scio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri*, & Apoſtolus, *Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Ignorarunt ſiquidem Iudæi, etſi ſuo vitio, illum eſſe Deum. Hinc Bernardus: *Ad hoc*, inquit, *illi ſingulari peccato ignorantiam copulauit, abſcondens illis ſua diuinitatis Sacramentum, vt ſub aliqua iuſtitiæ vmbra ignorantibus poſſet ignoſci.* Sic ille. Si ergo poterat Dominus ex pura malitia peccantibus ignoſcere multo magis cum illa.

Luc. 23. *Actor. 3.* *1. Cor. 2.* *Bern. ib.*

XII. argum.

Eſa. 53. *1. Pet. 2.* *1. Ioan. 3.*

Inter eũ, qui inuitus patitur, & pro peccato punitur, & eum, qui voluntariè ſatisfacit pro peccato, quid interſit.

Puniatur propriè quis inuitus.

Duodecimò: Eius eſt peccatum luere, & pœnas ſubire, qui peccauit; ſed Chriſtus fuit iuſtus, & innocens, qui peccatum non fecit, & in quo dolus non eſt inuentus; ergo deformis videtur pœna in Chriſto innocente, fœdumq; videtur, peccatorẽ impunitum abire; vel magis debuit Verbum perſonam Adę aſſumere, & in illa ſatisfacere, vt eiuſdem eſſet peccare, & peccati debitum luere. Reſpondemus, aliud eſſe quẽpiam inuitum pati, & puniri pro peccato aliud voluntariè ſatisfacere pro peccato. In puniẽdo ſiquidem peccato, oportet illum qui deliquit, puniri, in ſatisfaciendo tamen poteſt vnus pro altero voluntariè pœnam ſuſtinere. In priori penſatur eius, qui deliquit, iniquitas, in poſteriori eius, qui pœnã ſuſtinet, beneuolentia, & charitas. Ideò eius eſt inuitum puniri, cuius eſt peccare: ille tamen, qui non deliquit, poteſt ſua ſponte ſatisfacere, & ſubire pœnam pro peccante, ſicut debitoris eſt creditori ſoluere, etſi poſſit alius pro debitore, qui non eſt ſoluendo, ſe aut fideiuſſorem præſtare, aut creditori pendere debitum. Omnis enim pœna ex præcedenti culpa oritur, non tamen ſemper ex culpa propria patientis. Cũ igitur dicitur turpe eſſe, ſi miſeria ſit, vel pœna, vbi eam non conuenit eſſe: dicimus, deforme eſſe miſeriam adeſſe non præcedente culpa, propter quam infligatur: turpis quoque eſſet ordo vniuerſi. In Chriſto autem pœna aſſumpta voluntariè pro noſtris peccatis conueniebat illi, cuius bonitati, & miſericordiæ congruum erat laborem, & dolorem ſuſtinere pro peccatis parentum, vel filiorum: decorum enim, ac rationi conſonum videtur, vt quemadmodũ per Adam, & Euam parentes in omnes poſteros peccatum transfuſum eſt, vt aliquis ex eorum progenie natus pro peccatis omnium, qui non ſunt ſoluendo, ſatisfaceret. Hinc ſi homo denuo à Deo cõderetur, qui non eſſet ex eius ſtirpe, non pertineret ad eum pro debito Adæ ſatisfacere. Quod verò dicitur, magis congruum fuiſſe diuinæ Sapientiæ, quòd verbum aſſumpſerit Adæ perſonam, qui peccati cauſa fuit in vniuerſos poſteros transfuſi, & quod in illo ſatisfeciſſet: quia magis decet puniri eum qui habet naturam peccatricem, quàm illum, qui habet naturam innocentem: Reſpondemus, verum eſſe de pœna vltionis diuinæ, quam inuitus quis patitur, non autem de pœna placationis, vel reconciliationis, per quam quis ſatisfacit. In hac enim pœnę exolutione talis debuit eſſe ſatisfactor, qui non eſſet aliundè debitor: ſiquidem in ſatisfactione innocentia, & ſanctitas requiritur. Hinc Apoſtolus pulchrè dixit: *Talis enim decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus*, & reliqua. Opus etiam fuiſſet vel Chriſtum incarnatum eſſe à principio viuente Adamo, vel Adamum vſque ad plenitudinem temporis vitam ꝑduxiſſe. Homo igitur iuſtus, & innocens Ieſus mori potuit pro bono publico, & pro Dei tanto honore; maximè cùm cederet eiuſmodi mors in bonum corporis ſui ad gloriã immortalem ſuſcitandi, & nominis ſui exaltandi, & dominij in cœlo, & in terra, & poteſtatis vniuerſum orbem iudicandi. Porrò bonum publicum noſtrum eſt, quia per illud trahimur ad fugam vitiorum, ad amplectendas virtutes, ad Deum, atque æterna, ad decertandum vſq; ad mortem pro iuſtitia, atque adeò pro Deo ipſo, qui pro me extinctus eſt. Nam milites præcedentes Imperatorẽ, ſi timeant mortem, excuſantur, vt olim Patres: ſecus eſt de nobis, qui Chriſtum ducem ſequimur, & ante oculos habemus. Ex quo autem Chriſtus noſtra peccata ſuper corpus ſuum aſſumpſit, non habitus fuit ſimpliciter innocens, ſed reputatus tanquã maximus peccator; quemadmodum fideiuſſor, qui pro alijs ſe obſtrinxit.

Vbi nam turpe ſit miſeriã adeſſe.

Chriſto, noſtrorum pœna peccatorum quatenus conueniret.

Gen. 3. *Rom. 5.*

Ad illud obiectũ: Diuinum Verbum congruentius Adę perſonã, quam naturam aſſumendo pro eius peccato, omniumq; noſtrum ſatisfeciſſet.

In ſatisfactione quid requiratur.

Heb. 7.

Quid nobis profuerit omnibus paſſio & mors Chriſti.

Eccleſ. 4.

XIII. argum.

Decimo tertiò: Si Deus non niſi tanto

pretio

pretio perſoluto peccata remittit: quomodò dicitur gratis remittere, aut quomodo illa accinit cœtus fidelium: Qui ſaluandos ſaluas gratis? Aut qua ratione à nobis iam iuſtificatis, & pœnas, & ſatisfactiones exigit? Aut quo pacto præcipit nobis, vt peccantibus in nos ſine vlla ſatisfactione dimittamus: cùm ipſe ſatisfactionem exigat, & nobis exemplum in oppoſitum proponat? Dicendum, quòd etſi exigat pretium iuſtum redemptionis, dicitur tamen gratis ſaluare, id eſt, abſque noſtris meritis, & tamen empti ſumus ſanguine Christi: itaque gratiam, & iuſtitiam in hoc opere redemptionis coniungit, vt Apoſtolus ad Romanos docet; *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorem, per fidem in ſanguine ipſius; ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ propter remiſsionem præcedentium delictorum*, &c. Quòd verò exigat vel contritionem, vel confeſſionem, vel ſatisfactionem à nobis; non mirum eſt. Veteris enim vitæ dolor, & motus fidei in Ieſum Chriſtum exiguntur: non tanquam opera, quibus pro peccatis ſatisfaciamus, ſed vt diſpoſitiones neceſſariæ, quibus applicetur nobis Chriſti paſſio, & meritum: ſatisfactio verò, & confeſſio relapſo poſt baptiſmum pœnitenti imponitur; non ex eo quòd pretium Chriſti ſit minus ſufficiens, ſed ex eo quòd vis pretij illius nec ſemper, nec æqualiter applicatur in omnes. Nam cùm hæc Chriſti paſſio per fidem, & fidei Sacramentum communicetur, & non ſit in omnibus æqualis fidei per dilectionem operantis menſura; nec æqualiter in omnibus Sacramentis operetur, quia in baptiſmo in totum applicatur pro expianda culpa, & reatu pœnæ etiam temporalis: at in Sacramento Pœnitentiæ remiſſa culpa, & pœna æterna, ſupereſt reatus pœnæ temporalis perſoluendus, aut in hac vita ſatisfaciendo, aut flagella Domini paterno animo immiſſa patienter ferendo, aut denique in Purgatorio luendo, niſi aut ſacrificio alteris, aut ſuffragijs viuorum, aut per indulgentias communicatas ſubleuemur. Quòd verò Deus tam duram exigat ſatisfactionem, qui tamen vult nos ſine ſatisfactione remittere: nihil dictis obſtat. Quia illud locum habet in ſatisfactione, qua detrahitur aliquid ab eo, qui iniuriam fecit, ceditque in vtilitatem eius, qui iniuriam paſſus eſt: at in propoſito Deus ipſe eſt, qui de ſuo dat id, quod ſit pro nobis ſatisfactio; nihil commodi illi accreſcit ex huius pretij ſolutione, quæ tota nobis proficit: nec detrahitur nobis aliquid, ſed filius datus eſt nobis, vt eum Patri danti pro nobis reddamus. Ad id verò, quod Deus præcepit nobis, vt peccantibus in nos, abſque vlla ſatisfactione dimittamus: reſpondet Anſelmus, negans ſecundam partem. Deus autem præcipiens vt vindictam non faciamus; præcipit vt non præſumamus id, quod ſolius Dei eſt: quia ad nullum pertinet vindictam facere, niſi ad eum, qui Dominus eſt omnium, cuius ſolius legem peccans aut contemnit, aut negligit. Homo autem, cùm quicquam damni vel incommodi temporalis admittit in proximum, non peccat, niſi contra legem Dei id faciat: nam Deo volente licuit filijs Iſrael ſpoliare Ægyptios, imò etiam filium innocentem occidere, vt patet in Abraham parato immolare filium ſuum, quem diligebat, Iſaac. Deus verò vltionum peccati eſt Dominus; poteſtas autem creata non eſt domina, ſed miniſtra vltionis, ad quam ſpectat pœnas ſumere, & peccata inferiorum corrigere, iubente Deo, & leges, & magiſtratus confirmare.

Si gratis nos Chriſtus ſaluat, cur pretiū exigit redemptionis?

Rom. 3.

Contritionē confeſſionem, atq; ſatisfactionem à nobis cur exigat Chriſtus olim qui pro nobis ſatisfecit.

Quare tam duram à nobis Deus exigat ſatisfactionem, qui tamen citra vllam ſatisfactionem vult à nobis remitti.

Anſelm lib. 1. Cur Deus homo.

Vindictam facere ad quem pertineat.

Exod. 12.

Gen. 22.

Pſal. 93. Dominus peccati quis.

Decimoquartò obijcitur: Quomodo paſſio ſingularis hominis Chriſti potuit promereri ſalutem omnium hominum, & pro omnibus ſatisfacere apud Deum? Dicendum eſt, Chriſti paſſionē non eſſe nudi hominis, ſed eius qui Deus ſit, & homo; & ob id pro toto mundo efficax eſt. Deinde eſt paſſio hominis vniuerſalis, vnde etſi naturam atomā aſſumpſit, nulla tamen ſubſiſtentia vel hypoſtaſi humana circumſcriptam: in quo homine Deus poſuit noſtram liberationem, & ſalutem, quemadmodum in primo parente Adamo noſtram primam ſortem poſuit ad luctum, vel ad damnum. Adhæc cum Chriſtus caput ſit Eccleſiæ, hinc eius merita toti corpori ſuo, & ſingulis eius membris valere Deus voluit. Quod duplici exemplo lubet illuſtrare, altero de fœmina grauida, quę cùm gemellos habeat in ventre, non tantùm pro ſe, ſed etiam pro illis edit: aerem ſpirat, dormit, ambulat: ita Chriſtus pro omnib. filijs ſuis atq; electis, quos in mente ſua, quaſi in vtero ſuo geſtabat; & opera omnia fecit, & paſſionem, & mortem ſuſtinuit. Alterum exemplum ſit Pontificis, qui olim ad Sancta ſanctorū ad ſacrificandum, & orādum intrabat, ſed veſtitus Rationali, in quo erant nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael, vt agnoſceret ſe pro omnibus intrare, proq; omnibus precari, ac ſacrificare: hic eſt Chriſtus verè ſummus Sacerdos, qui nomina omniū hominum in memoria ſua, quę nunquam delentur, ſcripta habebat, pro quib. omnibus

XIV. argum. Quomodo paſſio ſingularis hominis Chriſti potuerit promereri ſalutem omnium hominum, & pro omnibus ſatisfacere apud Deum.

Duplici exēplo hæc veritas declaratur.

Exod. 28.

Triplex operum genus in Chriſto agnoſcunt Doctores.

omnia opera ſua, atq; paſſiones cum morte Patre ſuo obtulit. Triplex conſideratur operum genus à Doctoribus in Chriſto: quoddam eorum, quæ ſolius ſint Dei, vt; peccatum remittere, viuificare, iuſtificare, glorificare, & miracula edere. Alterum genus operum erat eorum, quæ non niſi ſolius hominis ſunt, vt, obedire, orare, ſacrificare, certare pro iuſtitia vſque ad mortem, gratias agere, pati, mori, ſanguinem fundere, & quæ ſunt huiuſmodi: hæc enim, niſi ſolius hominis eſſe non poſſunt. Poſtremum genus eſt eorum, quæ non poſſunt eſſe niſi illius, qui ſimul ſit Deus & homo, vt, ſatisfacere per iuſtum pretium, mereri ex condigno, & perfectè redimere genus humanum; omnes tamen operationes ob vnionem naturarum in vna perſona, pretij, ac dignitatis infinitæ vim habent, & ſunt ſimul humanæ & diuinæ, vt gladius ignitus, qui ſimul ſecat & vrit; & ideò pro omnibus, quibus vellet, illa applicare poterat.

XV. argum.

Decimo quintò: Si Chriſtus ſoluto pretio redemit nos à poteſtate dæmonis, quomodo dicitur vincere, prædari, ſpoliare, & Chriſtus victor, fortis, bellator, gigas, atque triumphator? Repugnat enim ratio emptionis, & venditionis, cum victoria deprædante, quòd hæc violentiam & potentiam denotet, vt illa iuſtitiæ. Item ſi vicit, & ſatisfecit, quomodo dicitur orando, & impetrando habuiſſe regnum: *Poſtula*, inquit, *à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*? Ad hæc ſi Chriſtus bellator, & victor; quomodo dicitur victima, ſiue ſacrificium, & hoſtia, pro peccato? Præterea, ſi hæc Chriſti ſaluandi ratio dicitur redemptio à ſeruitute; quomodo vocatur curatio, mundatio, ſordium purgatio, viuificatio, ſiue reſuſcitatio, & illuminatio? Poſtremò, quomodo Chriſtus redemit à diabolo, cui Pater, & Filius nihil debebant? quomodò cùm diabolus non ſit alienatus à Dei dominio, & poteſtate, ſicut nec homo ipſe reus, & peccator? Et quid opus fuit ad eum ſpoliandum de cælo deſcendere, cùm Dominus ſit eius, & infinita potentia poſſet ſpoliare, & iuſtum eſſet, vt is, qui violenter, & per fraudem occupauit ſpolium, illo ipſo vi, & fraude ſpolietur. Quoniam hoc argumentum multa inuoluit, peculiariter ad ſingula quæque eſt reſpondendum. Et vt ad vltimum primo loco reſpondeamus, dicendum eſt, nec Patrem, nec Filium quicquam diabolo debuiſſe, ſed Deo offenſo factum eſſe hominem debitorem, reumq; decem millium talentorum, hoc eſt, debiti

Eſa. 8.
Pſal. 2.
Act. 13.
Heb. 1. & 5.

Quomodo Chriſtus redemit à diabolo, cui pater & Filius nihil debebant.

per hominem inſolubilis, pro quo Chriſtus ex miſericordia ſe debitorem conſtituit; ideò dicitur Agnus tollens peccatum mundi. Deinde diabolus nec fuit alienatus à poteſtate Dei, nec vnquam habuit iuſtum dominium ſuper hominem, niſi fortè iubente Deo, ſicut cuſtos carceris, ſeu tortor. Similiter homo per peccatum à Dei poteſtate non fuit alienus, vterq; tamen à lege, & obedientia Deo debita, & libertate perueniédi ad eius viſionem alienatus fuit, ſemperq; Deo ſubiectus, aut inſcius, aut inuitus, aut ſpontaneus. Inſcius quidem, vt impius, qui interdum in hac vita permittitur viuere: inuitus, dum preſſus ſentit pœnam ſub Deo vindicante: ſpontaneus verò, vt iuſtus, qui voluntariè Deo ſacrificat. Qui ergo recedit à voluntate Dei legem dantis, incidit in voluntatem Dei iuſtè peccatum vindicantis. Cùm ergo dicitur in argumento: Nemo quicquam emit, aut redimit niſi quod ſuum non fuit, aut quod ſuũ eſſe deſijt: dicitur, quòd homo per culpam deſijt eſſe Dei, non quidem vt creatura, nec alienus à Dei dominio, ſed vt filius & hæres regni, factusque eſt vas, & filius iræ, & ſeruus peccati. Cùm ergo dicitur, redemiſſe nos Deum à poteſtate dæmonis; intellige non tanquam domini, ſed tanquam lictoris & miniſtri vltricis diuinæ iuſtitiæ: ideò Chriſtus non tam liberauit nos à poteſtate dæmonis, quàm à manu iræ Dei, vt ſimus ſub manu gratiæ, & miſericordiæ. Chriſtus igitur, cùm vocat diabolum Principem huius mundi, & Apoſtolus tradit, diabolũ habuiſſe mortis imperium, impioſq; detinere ad ipſius voluntatem: intellige illum, principatum, & imperium habuiſſe, non tanquam dominum, & iudicem vitæ, & mortis: ſed vt miniſtrum iuſtitiæ Dei peccatum punientis, velut latronem, non ex amore iuſtitiæ, ſed ex odio, & inuidia torquentem. Iuſtam ergo habuit dæmon in peccatores poteſtatem, id eſt, iuſtè deſuper datam; ſed tamen nunquam meruit illam habere, quia fraude, & mendacio illam obtinuit, etiamſi homo meruerit ſub eo pati tyrannidem. Non ergo pretium penditur vt cuſtodi, & miniſtro, iuſtitiæque executori, id eſt, diabolo, ſed proprio, & vero domino, id eſt, Deo. Adhæc, etſi Deus potentia, qua vbique regnat, diabolum peruincere potuerit, etiam ſi de cælo minimè deſcenderet: hic tamen modus, quo Ieſus vſus eſt, ſuperfluus non eſt, aut ratione caret: imò congruus erat diuinæ ſapientiæ. Tum quòd in eo ſacrificium fieret agni innocẽtis ad placãdam iram Dei; tum quia in eo declaratur

Ioan. 1.

Quis quid emat aut redimat propriè.

Epheſ. 2.

A poteſtate dæmonis & ſeruitute Chriſtus quomodo liberauerit.

Ioan. 12. & 14.
Heb. 2.
2. *Tim.* 2.

Quale diabolus imperium teneat, multipliciter principatum, ſeſe Scriptura.

Cùm alia ratione Chriſtus diabolum vincere, quàm de cælo deſcendendo potuerit, quare potius per paſſionem voluerit.

Dei miſericordia, & iuſtitia: tum quia ſanando noſtro morbo cõgruentiſſimus fuit in quo nobis & remedium contulit, humilitatiſque, patientiæq́; , & dilectionis præbuit exemplum; tum denique, quia ad vincendum diabolum modus fuit conſultiſſimus, vt ſic calliditate, atque prudentia Satanæ deluſa magis per iuſtitiam, quam per potentiam ſentiret ſe eſſe deuictum. Nam

Eccleſia in Hymno de paſſione qui dicitur ad Matutinum.

Hoc opus noſtræ ſalutis
Ordo depopoſcerat:
Multiformis proditoris
Ars vt artem falleret.
Et medellam ferret inde,
Hoſtis vnde læſerat.

Poſtremo rationi congruum erat, vt is, qui violenter & per fraudem aliquid occupauerat, ſua prçda per ſuperiorem potentiam, & non per iuſtitiam ſpoliaretur. Sed hoc locum habet, vbi ſpolium occupatum innocenter opprimitur, & vbi non debetur vlla ſatisfactio ab eo, qui detinetur, cũ quenquam non offenderit. Nunc autem homo non ſine ſuo merito opprimitur à diabolo, atq; torquetur: cui etſi Deus Pater, & Chriſtus nihil debeant, quare nec illi ſatisfacere, aut pretium ſoluere oportuit, aut decuit; miſer tamen homo ſuo merito datus eſt ſpolium diaboli, quia factus erat debitor Deo, quem offenderat: proinde diuinæ ſapientiæ congruum erat, vt in ipſa liberatione hominis à poteſtate diaboli ſeruaretur iuſtitia quædam ſapienter puniendo peccatum.

Quomodo Chriſtus cum pretio ſoluto emerit à poteſtate dæmonis; cum dicatur prædari, & ſpoliare, & orando impetrare, & ſimilia.
Eſai. 8.
1. Cor 1.
Pſal. 129.

Ad aliud vero, Quomodo cum pretio emerit à poteſtate dæmonis; cum dicatur vincere, prædari, & ſpoliare, & orando impetrare, & per modum victimæ, & ſacrificij Deum placare, hominem ſanaſſe, purgaſſe, atq; illuminaſſe atque in vitam excitaſſe? Dicendum eſt, Chriſtum vtpote Dei ſapientiam ac virtutem, pluribus modis, vt copioſa eſſet apud eum redẽptio, ſalutem noſtram fuiſſe operatum; vt ita dum pluribus modis nos Chriſto obſtrictos intelligeremus, eo magis illum diligeremus, gratique eſſemus, ampliusq́; imitandi exemplum haberemus. Eſt enim liberare, eum, qui aut ſeruus, aut vinctus, aut captiuus erat, manumittere, id eſt, liberum, & ſolutum facere, Emere vero, eſt, aliquid pretio iuſto dato ſuum facere? redimere autem, aut idem eſt quod emere, vel addit tãtum iterationem quandam emptionis, recuperationiſue tum iuris, tum poſſeſſionis ſemel amiſſæ. Differunt ergo redimere, & liberare: liberare enim eſt, liberum ſolutumue facere, quod erat ſeruituti, vel captiuitati obnoxium: redimere vero eſt per ſe iuſtum pretium recuperare, quod erat amiſſum: ſatiſfacere vero, tantum eſt facere, quantum ſatis eſt, aut offenſo, ſiue læſo, & irato ad vindictam, aut creditori ad ſolutionem: vincere vero eſt in certando, luctando, ſeu pugnando hoſtem, ſeu aduerſarium ſuperare, illique vim facere, & ſub iugo, & poteſtate ſua eum ponere: reconciliare eſt, pacem inter vnum, & alterum, qui diſſidebant componere, & reſtituere in priſtinam amicitiam, & gratiam alterius eos qui interpoſita offenſa fuerant aliquando inimici; ideo dicitur mediator & princeps pacis Chriſtus. Hoſtia dicitur, ab hoſtibus victis; ſicut victima ob eoſdem deuictos, ſecundum illud:

Liberare proprie quid ſit.

Emere quid ſit, & redimere.

Redimere & liberare inter ſe quid differant.

Satiſfacere & vincere quid.

Quid ſit reconciliare.

Eſa. 9.

Hoſtia vnde dicta atque victima.

Victima quæ cecidit, dextra victrice vocatur,
Hoſtibus à domitis hoſtia nomen habet.

Ouid libr. 1. Faſt.

Sacrificium vero, oblatio eſt Deo ſacrata: qua offerens proteſtatur ſe agnoſcere Deum, vt conditorem; conſeruatorem omniumq́ue bonorum largitorem, propitiatoremque. Sacrificium autem, reconciliationem, aut propitiationem pro peccatis ex ratione ſua non habet, ſed accidit illi ex animo, & mẽte ſacrificantis per illud Deum iratum placare volentis: nam ſacrificium conſtare poterat in recognitionem beneficiorum, etiamſi nullum peccatum extitiſſet. Porro viuificare, illuminare, ſanare, purgare, vel mundare ex eo Chriſtus dicitur, quod peccata ſecum adferãt mortem, tenebras, vulnera, ſiue ſordes: ideo Chriſtus in Scripturis illos amplos habet titulos, vt dicatur liberator, redemptor, reconciliator, propitiator, mediator, reparator, inſtaurator, ſuſceptor, viuificator, fortis bellator, ac victor; & apud Eſaiam, velox ſpoliorum detractor; apud Dauidem vero, ſalus, ſalutare, illuminatio, ſpes noſtra, refugium, virtus, fortitudo, *σωτὴρ*, id eſt, qui ſalutem præſtat, hoc eſt, qui ſanitatem vitæ, ſiue incolumitatem à malo ſeruat. Ipſi ergo Ieſu Chriſto tot ac tantis modis potentiſſimo, ac ſapientiſſimo redemptori, ac ſalutis noſtræ autori, & conſeruatori, cum Patre & Spiritu ſancto, ab omnibus creaturis ope ſua ſalutem conſecutis, ac reconciliatis, iugis reddatur gratiarum actio, honor, & imperium in ſempiternis ſeculis, Amen.

Sacrificium quid.

Peccata ſecum quid adferant.

Chriſti nomenclaturæ in ſacris literis.

Eſa. 8.
Pſal. 68.
Pſal. 14.
Pſal. 26.
Σωτὴρ quid.

TRACTATVS IV.

In quo innocentia & iuſtitia Domini Ieſu peculiariter contra Iudæorum, putantium Chriſtum iuſta ac digna morte peremptum, argumenta defenditur: & magna ex parte caput vndecimum Sapientiæ explicatur.

ETsi ſuperiori tractatu omnibus Iudæorum & Paganorum rationibus reſpondere pro virili noſtra ſtuduerimus, quibus illi in Chriſti mortem debacchantur, illam aut impoſſibilem dicentes, aut infirmitati & ſtultitiæ tribuentes: ſupereſt tamen vt peculiariter illam cõtra obſtinatam Iudæorum malitiam tueamur. Aiunt enim Iudæi, Chriſtum morte condigna & à ſe commerita plexum fuiſſe, ac proinde meritò crucis ſupplicio affectum, tãquam ſeditioſum, & in legem blaſphemum, communiſque pacis perturbatorem: hoc vero falſum eſſe, apertis rationibus euincamus. Quod vt commodius præſtare valeamus, illa animum noſtrum ſubit cogitatio: fingamus aliquem Imperatorem inuicta animi fortitudine, & rei bellicę prudentia, atque dexteritate præditum, atque illi contingere alicuius ſui familiaris proditione ac dolo in hoſtium ſuorum manus deueniſſe, per eoſq; indigna morte vitam abrumpere coactum (quemadmodum fere accidit Samſoni, qui artibus ac fraudibus Dalidæ vxoris in Philiſthęorum hoſtium ſuorũ ditionem traditus fuit) ſi quis eſſet ex militibus, qui ſub illo fideliter militabant, rei tantæ indignitate permotus, ac vellet cauſam ſui Imperatoris tueri, illumque iniuria ac fraudulenter de medio ſublatum cõtra omne ius, & ęquitatem defendere, nequaquam hic vt ſe fidum cauſæ patronum pręberet, ad fletum, & lacrymas, quæ ſunt arma puerorum, & fœminarum conuerti deberet, quia illis nequaquam poſſet ad vitam illum, qui indigne extinctus eſt, reuocare: ſed ſi quid honorificum & illuſtre perficere vellet, deberet prouocatis hoſtibus, ad ratione & iuſtitia præditum certamen appellare, ac ita ſui Ducis nomen & famem protegere, illumque vt innocentem & iuſtum omnis iuris & æquitatis ratione violata fuiſſe interfectum, apertiſque atque inuictis argumentis demonſtrare, vt ſaltem hac ratione Imperator, qui iniuria eſt extinctus, nomine innocentiæ atque fama iuſtitiæ in omnium hominum auribus, oribus, atque ſcriptis viuere poſſit glorioſus, honorificus, atque illuſtris. Ad hunc plane modum ego paruus ac fidus mei magni Imperatoris, ac amantiſſimi magiſtri Ieſu Chriſti ſeruus, cernens illum à rabidis & efferatis Iudæis raptum ad mortem, dolo ac fraude diſcipuli Iudæ, qui viliſſimo pecuniæ pretio illum auſus eſt Iudæis vendere, proditum, arbitratus ſum parum poſſe lacrymas ac luctum iuuare ad eum in vitam reuocandum, quanquam ad fructum paſſionis Chriſti nobis deriuandum, vtiles maximè, & conducibiles videantur: ſed illud eſſe glorioſius, & ad Chriſti nomen illuſtrandum aptius, ſi oſtenderimus eius omnimodam ſanctimoniam, innocentiam, atque iuſtitiam longè ab omni ſcelere, aut eius vel leui ſuſpicione ſeiunctam atque alienam: Iudæos vero grauiſſimo iniuſtitiæ genere, omniumque flagitiorum maculis contaminatos in hac morte inferenda implicatos fuiſſe; vt merito ob immanitatem, grauitatemq; tanti ſceleris Iudæi, loco, & templo pulſi fuerint, omnibuſque gratiarum, & Prophetarum ornamentis deſtituti, in vniuerſas orbis partes diſſipati, miſeram, atque infelicem vitam ducere cogantur, vt nulla mundi natio tantum ſibi odij, & inuidiæ conflauerit, atque iſta, vt vel ad ſolum nomen Iudæorum omnes indignentur, iramque ingentem, & animorum acerbitatem concipiant; vſque adeo, vt atrocior iniuria vlli irrogari non poſſit, quam ſi Iudæus appelletur. Quod ſi nos, Deo dante, hoc præſtare potuerimus, præclaræ ac perpetuæ famæ vitam (poſtquam corpoream non poſſumus, & quam ipſe ſuo marte confeſtim recuperauit) Chriſto tribuere conabimur. Accedat igitur Iudæus, prodeat omni genere armorum munitus, iaculetur argumenta quantumlibet ſuo iudicio firma atque inuicta: nos hic parati ſumus facili negotio illa omnia diſſoluere, & in torquentes illa ſalutariter retorquere, vt ita innocentia Domini Ieſu illuſtris atque perſpicua appareat. Quæcunque igitur Iudæus adducere poteſt, quo oſtendat eum morte dignum, per Spiritum ſanctum coaceruata ſunt, & in vnum veluti corpus congeſta, & in capite ſecundo libri Sapientiæ deſcripta.

Sic enim habetur: *Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ, nec veterano, nec reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo noſtra lex iniuſtitiæ: quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur. Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ. Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & Filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionem*

Iudęorum in Chriſtum obſtinata malitias.

Quale Chriſti innocentiam ab improbis Iudæis, eius oppreſſoribus vindicare voſentis officiũ merito videtur.

Iudic. 16.

Fletus & lacrymæ arma puerorum & mulierum.

Matth. 26.

Iudæi ob cædem Chriſti innocentiſſimi, ſanctiſſimique, quas pœnas luant omnium hominum miſerrimi.

Quam odioſum Iudæorum nomen apud Chriſtianos, quam inuiſum.

Verba Sapientiæ apud Salomonem in perſona Iudæorum contra Chriſtum.

Matth. 27.

Ioan. 7.
Eſai 53.

ctionem cogitationum noſtrarum. Grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à vijs noſtris tanquam ab immunditijs, & præfert nouiſſima iuſtorum, & gloriatur patrem ſe habere Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt nouiſſima illius. Si enim eſt verus Filius Dei; ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum. Contumelia, & tormento interrogemus eum, vt ſciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum; erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illius. Hæc cogitauerunt, & errauerunt; excæcauit enim illos malitia eorum. Et neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius.

Matth. 27.
Pſal. 21.
Ierem. 11.
Rom. 1.
Gen. 2. & 5.
Eccl. 17.
Gen. 3.

Lactan lib. 6. c. 16. in med.

Nonne ita deſcripſit nefarium illud (vt verbis vtar Lactantij) conſilium ab impijs initum contra Deum, vt plane interfuiſſe videatur? Hæc verba per partes explicanda ſunt; & argumenta Iudæorum in eis contra Ieſum contenta diluenda. Sed in primis, ne quiſquam huius libri autoritatem infringere valeat, ſtatuendum eſt; hunc librum non eſſe Philonis Iudæi, ſed vere ipſius Salomonis. Duplex enim extitit Philo Iudæus, alter diſertiſſimus, qui vixit ſub Caio Caligula Imperatore, ad quem valde iuuenis legatus ab Alexandrinis eſt miſſus, vt ipſe in libro de legatione ſua ad Caium teſtatur, de quo, ob inſignem eius eloquentiam dici ſolitum erat: Η Φίλων πλατωνίζει, Η Πλάτων φιλωνίζει. Huius ergo hoc opus eſſe nequit: nam in primis huius extat Catalogus librorũ ſcriptus ab Euſebio in libro hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & à Hieronymo in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum. Huius autem libri nulla extat in illorum catalogis mentio; quare falſus eſt Eraſmus in lingua ſua aſſerens hũc librum fœtum huius Philonis. Deinde, ſi hic liber eſſet Philonis, non eſſet cum libris veteris Teſtamenti computandus, ſed cum illis noui: quia poſt Chriſtum vixit, & Romæ cum Petro eſt verſatus, vt teſtatur Euſebius. Adhæc non dixiſſet tam clare & aperte de morte & paſſione Chriſti Meſſiæ prophetans: *Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis*, &c. neque deteſtaretur Iudæorum inuidiam & zelum in Chriſtum iuſtum: quod non eſt veriſimile

Quod liber Sapientiæ non ſit Philonis Iudæi, ſed Salomonis probatur.

Philones duo apud Scriptores Eccleſiaſticos memorantur.
I. Ratio.

Euſeb. lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 18 tom. 1.
Hieron. tom. 1

Eraſmus de hoc libro quid ſenſerit.
II. Ratio.

Euſeb. lib. 2. cap. 2.

III. Ratio.

feciſſe hunc virum ſummo affectu Iudæis addictum. Poſtremò, patres non citarent eum tanquam diuinam Scripturam, quem admodum facit Dionyſius libro de diuinis nominibus, vbi ait: *In ipſis introductionibus eloquiorum inuenies quendam dicentem de diuina ſapientia: Amator factus ſum formæ illius*; *quod habetur capite octauo huius libri.* Idem inferius citat illud: *Attingit ergo à fine in finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter*: quod habetur in capite octauo huius libri: & capit. 2. de Eccleſiaſtica hierarchia, quaſi ex diuina Scriptura citat illud cap. 5. *Acuet diram iram in lanceam, & pugnabit pro illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Origenes frequenter citat hunc librum, atque Chryſoſtomus. Cyprianus in epiſtolis interdum, & libro in Iudæos adducit illud Salomonis vaticinium contra Iudæos: *Contumelia & tormento interrogemus eum.* Auguſtin. multis in locis huius libri ſententias tanquam diuinas vſurpat. Non eſt igitur Philonis illius Iudæi diſertiſſimi.

IV. Ratio.
Dionyſ. lib. de diuin. nomin. cap. 4.
Idem cap. 7.
Idem.
Cypr. lib. 1. epiſt. 9. & lib. 3. ad Quirin.

Deinde nec eſt Philonis illius ſenioris, qui floruit temporibus Oniæ ſummi Sacerdotis per 160. annos ante Chriſti aduentum. Et probatur: quia cap. nono autor libri ſe profitetur à Deo electum in Regem & præceptum ſibi vt ædificaret templum in monte ſancto ſuo: quæ alteri quam Salomoni non poſſunt competere. Deinde Ioſephus libro in Apionem Grammaticum Philonem ſeniorem non inter Iudæos hiſtoricos, ſed inter Ethnicos, & qui nunquam ſacros libros attigerant, recenſet. Tertio Eccleſia feria quarta in die Pentecoſtes cantat: *Dixit Salomon filijs ſuis: Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram.* Adhæc Euſebius in libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſic habet: *Verum & hic ipſe* (ſcilicet Egeſippus) *& Irenæus, & omnis antiquorum chorus, librum, qui attitulatur, Sapientia, Salomonis eſſe dixerunt, ſicut & Prouerbia, & cætera.* Epiphanius libr. de ponderibus & menſuris, Librum ſapientiæ πανάρετον ab omni virtute, quæ in eo continetur, appellatum, Salomonis eſſe credit. Et Damaſcenus in libris de Orthodoxa fide, omni virtutum doctrina refertum eſſe tradit: quemadmodum etiam Athanaſius hunc librum Sapientiæ Salomonis tradit. Quod autem in Canone Hebræorum non ſit, ob id profecto fuit, quod non Hebraico idiomate fuerit conſcriptus: vnde Græcam redolet eloquentiam; & quia in eius principio manifeſtè continetur mors turpiſſima violenter Chriſto illata, & futuræ vitæ æterna præmia, quæ manent iuſtos, & ſempiterna ſupplicia, quæ impijs ſunt reſeruata: B. Auguſt. lib. 2. de doctrina Chri-

Non etiam hunc librum eſſe Philonis illius, Oniæ ſummi Sacerdotis ætate qui floruit.
I. Ratio.
1. Paral. 28.
2. Paral. 1.
II. Ratio.
Ioſeph. lib. 1. in Apionem Grammaticum.
III. Ratio.
Sap. 1.
IV. Ratio.
Euſeb. lib. 4. Eccl. hiſtor. c. 22. in fine.
Epiphanius.
Damaſc. lib. 4. de Orthodox. fid. c. 18.
Athanaſius in Synopſi.
Quare hic liber in Canone voluminum Hebræorum nõ ſit.
Auguſt. tom. 3. initio.

Chriſtiana, exiſtimauit Ieſum filium Sirach autorem Eccleſiaſtici, ſcripſiſſe lib. Sap. Salomonis, ſed id poſtea recantauit, li. 2. Retract. ca. 4. Etſi igitur in Canone Hebræorum non ſit, & aliquando à noſtris, vt Athanaſio & Hieronymo de eius libri fide fuerit dubitatum: poſtquam tamen Eccleſia Catholica in Concilio vniuerſali, tum Florentino, tum Tridentino congregato hunc librum in Canonem recepit, eius fidem in dubium reuocare nefas eſt. Eſt igitur hic liber & verè Canonicus, & Salomonis.

Idem eodem tom. 1.

Sed iam ad explicationem illius accedamus. Cũ in illo capite Propheta impiorum cogitatus, & opiniones deſcripſiſſet, animamque mortalem ex illorum ſenſu conſtituiſſet, ac proinde vanam eſſe cogitationem de alia vita, quæ, extincta anima, nulla eſſe poteſt, & quod nemo agnitus ſit, qui reuerſus ſit ab inferis, concludit: *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt; & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra. Quoniam*, inquit, *hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra.* Ex veris principijs concluſionem falſiſſimam elicientes, & ex eodem quoq; principio aliam ſubinferunt concluſionem de opprimendis iuſtis & viduis, aut quibuſcunque, qui quoquo modo ſuis voluptatib. aduerſantur. Nam ex[g]o quod impij præſens ſeculum elegerunt, vt teſtatur Athanaſius in Synopſi, & Dominum gloriæ crucifixerunt, & Apoſtolos perſecuti ſunt; ſequitur quod ait in genere: *Opprimamus pauperem iuſtum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis.* Quod vel in genere dictum eſt de quouis paupere, iuſto tamen, & vidua, & ſene: nam iſtis naturali quodam rationis ductu reuerentiam, & honorem præſtamus, & ab omni contumeliç ſpecie in illos abſtinemus. Vnde ſcriptum eſt: *Vidua & pupillo non nocebitis, &c.* &: *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis.* Et quidam Poëta dixit:

Magna fuit capitis quondam reuerentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.

Et pulchrè ait, *pauperem iuſtum*: quia raro inuenitur diues, qui aliquo modo iniuſtus nõ ſit, vel peculiariter loquitur de oppreſſione Chriſti pauperis: nam ille ſingulariter apud Prophetas dicitur iuſtus, & ſingulariter pauper, atque eius ſingulari iuſtitia, quaſi quodã Solis ſplendore offuſcati ſunt Iudæi: eius etiam eximia paupertate & tenuitate offenſi, ne reciperent in Meſſiam,

Secundi capitis Sapientiæ præcitati ſcopus.

Iudæorum ex veris principijs falſiſſimæ concluſiones & impiæ.

Athanaſius tom. 5.
1. Cor. 2.

Exod. 22.
Leuit. 9.

Ouid. 1. Faſt. prope initiũ.
Expenditur illud de Meſſia dictum Iudæorum: Opprimamus pauperem iuſtum.

de quo per Prophetam Zachariam prædictum erat: *Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinum. Ecce tibi Meſſiam ſimul iuſtum, & pauperem.* Loquitur etiam de oppreſſione ſanctiſſimæ matris eius viduæ: nam interfectores filij, iniurij maximè in matrem extiterunt. Non ſunt etiam reueriti canos multi temporis, qui in Ieſum manus iniecerunt: nam ita non tantum Simeoni ſeni, qui eum in vlnas recepit, & Annæ propheriſſæ anui longæuæ, qui ambo de Chriſti gloria & redemptione cecinerunt, contumelioſos ſe præſtiterunt, ſed etiam vniuerſis Prophetis, atque in primis ipſi Moyſi legiſlatori, qui Chriſtum audiendum, ac recipiendum per Spiritum ſanctum præceperat, Subdit: *Sit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ, quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur.* Prior clauſula Græce aliter habetur: Ἔστω δὲ ἡμῶν ἡ ἰσχὺς νόμος τῆς δικαιοσύνης: Id eſt, Robur noſtrum ſit loco legis atq; iuſtitiæ, vt quidquid poſſumus, id iuſtum iudicemus: & legem ipſam iuſtitiæ metiamur non ipſa æquitate, ſed noſtris viribus. Et ita vides lectionem apertiorem ac veriorem eſſe, ſi legamus: *Sit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ*; vt legimus in correctis codicibus: *Quoniam autem quod viris impijs placet, iniuſtum eſſe ſolet, & ab æquitate longè alienum*: propterea legerunt alij, Lex iniuſtitiæ. Nam iſti ſunt illi, de quibus Satyricus quidam dixit: *Sic volo, ſic iubeo: ſit pro ratione voluntas.* Et rectè ſubdit: *Quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur*, ſcilicet ad noſtram cupiditatem implendam, & laſciuiam prouocandam. Et inferunt: *Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis.* Iuſtus per antonomaſiam, Chriſtus dicitur, vt ſuperius annotauimus. Atque in hac circumuentione videtur alludere ad concilium illud celebratum per modum conſpirationis contra eum: de qua Ionnes Euangeliſta: *Collegerunt Pontifices & Phariſæi conſilium, & dicebant: Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, &c.* Vnde rationem ineunt, qua via illum poſſint de medio auferre, & circumuenire, ne qua rima, aut fuga illis elabatur. Deinde videtur alluſiſſe ad hæc Salomonis verba Eſaias Propheta, qui cap. 3. iuxta 70. interpretum verſionem (& vt citant Patres, præſertim verò Iuſtinus Martyr in Dial. contra Tryph. & Cyprianus in expoſit. Symboli, & Ambroſius in libr. de benedict. Patriarcharum, cap. 3.) ſic habet: *Væ animæ ipſorum, propterea quod prauum conſilium ceperunt aduerſus ſeipſos, dicentes: Vinciamus iuſtum, quoniam inutilis*

Zach. 9.
Matth. 21.
Quomodo Iudæi (vt ait Salomon) ſunt reueriti canos multi temporis.
Luc. 2.

Ibidem.

Actor. 7.

Deut. 18.

Hæc lectio Græce quid ſignificet: Robur noſtrum ſit lex iuſtitiæ.

Cur ſic vertere noſter interpres: Sit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ.
Iuuenal.
Quid ſit, quod enim infirmũ eſt, inutile inuenitur.

Expenditur: Circumueniamus ergo iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis.
Ioan. 11.

Alluſio Eſaiæ Prophetæ ad hæc verba Salomonis.
Iuſtin. Martyr tom. 2.
B. Cyprian.
B. Ambroſius tom. 4.

utilis nobis eſt: itaque fructus operum ſuorum comedunt. Hæc ille; quæ conſilio de vincendo Chriſto, & præſentando ante Pontium Pilatum mirifice quadrant. Adde etiam Clementis Alexandrini verba, qui loquens de Platone ait: *Scripturæ quæ dicit: Tollamus à nobis iuſtum illum, quoniam inutilis nobis eſt, Plato tantum non propheta ns de ſalutari œconomia & diſpenſatione in 2. de Republ. libro per quam ſimilia memorat. Ad hunc modum, inquit, animatus iuſtus ille flagris cædetur, excruciabitur, vincietur, oculis priuabitur, poſtremoq; mala omnia perpeſſus in crucem agetur.* Hæc fere ille bonus Pater, cuius ſententia producitur ab Euſebio Cæſarienſi libro decimo tertio de præparat. Euangel. Quod CHRISTO Domino abſolute iuſto ad viuum quadrare videtur. Ipſe enim pro gloria Patris propugnanda, & pro fidei veritate tuenda tanquam iuſtus, & Filius Dei flagris cæſus eſt, excruciatus eſt pluribus modis, vinctus ſæpius, & alligatus, oculis velatus, vt dicerent ei: *Prophetiza nobis, Chriſte, quis eſt te percuſſit?* mala & indigna multa paſſus, & tandem in crucem actus, & extinctus. Perpende etiam illationem illam, *Ergo*, quæ ex priori clauſula efficacius formatur. Dixerat enim: *Quod enim infirmum eſt inutile videtur:* ſubinferunt, Ieſus infirmus eſt, tenuis ac pauper, ergo inutilis eſt nobis, vt eum in Meſſiam recipiamus. Producit autem Salomō ſub nomine Iudæorū duodecim rationes, quibus tanquam firmis argumentis & armis offenſiuis Chriſtum ſupplicio mortis dignum conuincant, & deinde producunt alias quinque, quibus recte factum mortis conſilium tueantur. Prima igitur ratio, quam contra Chriſtum obijciunt, eſt; quod ſit inutilis, ſiue, vt alij vertunt, iniocundus; Græce enim legitur ἄχρηστος, quæ vox vtrumque ſignificare poteſt: ſicut contraria εὔχρηστος commodum, vtilem, & iucundum ſignificat. In primis igitur accuſant Dominum quaſi inutilem, & infructuoſè operantem. Nam vt arbor, quæ fructum non facit, & inutilis eſt, meretur excidi, vt de ficu per triennium expectata dicebat Dominus: *Vt quid etiam terram occupat?* Ita de ciuilitate humana expelli meretur otioſus. Vnicuique enim propria operatio conuenit, & qui negat actiones, conſequenter & eſſentias rerum neget neceſſe eſt. Sed Chriſtus otioſus eſt, nullum nobis fructum profert, & vt ille dixit ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης: Id eſt, Telluris eſt inutile pondus. Eſt enim vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus, & cum illis manducat, & bibit; ergo dignus eſt qui de Republica per mortem præcidatur. Reſpondeo, etſi demus, maiorem partem huius argumentationis veritatem aliquo modo habere, at minorem tanquam falſam reijcimus. Fuit enim Chriſtus quod Sol iſte, quo nihil eſt vtilius aut iocundius huic mundo, vnde ipſe de ſe dixit: *Ego ſum lux mundi*: ſed huic luci reſtiterunt Iudæi tanquam latrones, adulteri, & homicidæ, quorum cum ſcelera, luce adueniente, detegantur, indignantur luci, illique reſiſtunt, vt ipſe dixit: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Chriſtus in Apocalypſi comparatur ligno vitæ, adferenti duodecim fructus per ſingulos menſes; vt intelligas, nihil vnquam extitiſſe vtilius, fructuoſius, & mundi commoditatibus ſalutarius ipſo Chriſto, qui ſanabat infirmos, fugabat dæmones, illuminabat cœcos, mundabat leproſos, ſuſcitabat mortuos, ſolabatur afflictos iuſtificabat peccatores. Quid, quæſo, erat in Chriſto infructuoſum? Num verbum illius, cuius omnipotenti virtuti cedebant omnia, & dæmonia, & venti, & mare obediebāt? Num digiti, qui quidem miſſi in aurem reſtituerunt auditum ſurdo. Num tactus carnis eius; ſed ille mundabat à lepra. Num ſaliua? ſed illa inuncti oculi cœci nati, lumen receperunt. Num veſtimentum? cuius fimbria tacta ab Hæmorrhoyſſa ſiſtere fluxum ſanguinis potuit. Num vmbra? ſed ecce; diſcipuli eius, Petri ſcilicet, vmbra ſanabat infirmos, & mortuos ſuſcitabat. Num ſanguis? at in illo abluti ſumus à peccatis noſtris. Num vita? ſed illa tota in beneficentiam corporum & animorum noſtrorum inſumpta eſt. Num mors? ſed illa nobis immortalitatis ſpem certiſſimam contulit. Vitioſa eſt igitur prima hæc ratiocinatio, cum falſum aſſumat.

Secundo argumentantur: Bonum Reipublicæ potiſſimum eſt pax, & quicunque ſeditioſè pacem communitatis perturbat, dignus eſt morte. Sed Ieſus eſt perturbator pacis communis, qui quidem dixit ſe veniſſe, non vt pacem mitteret, ſed gladium: & ait ſe veniſſe ad ſeparandum hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam; & nurum aduerſus ſocrum ſuam. Docuit, non poſſe eſſe ſuum diſcipulum, niſi illum, qui oderit patrem, & matrem ſuam, filios, & vxorem, ad huc autem & animam ſuam. Ergo dignus eſt qui per mortem de medio tollatur. Commouebat etiam ciuitates, & populos, quocunque ibat; ergo longe erat à pace. Et hoc eſt quod aiunt: *Contrarius eſt ope-*

ribus

Clem. Alexandr. lib. 5. Stromatum tom. 2.

Platonis ad eadem verba Salomonis alluſio, ex Clemente Stromateo.

Euſeb. Cæſar. tom. 1.

Matth. 29.

Quibus argumentis Iudæi probent, Chriſtum condigne mortis ſupplicio affectum fuiſſe, quæ quidem confutantur.

I. Argument.

Matt. 3 & 7.

Luc. 13.

Otioſi quomodo tractandi.

Homerus.

Telluris inutile pondus.

Matth. 11.

Chriſtus quomodo Iudæis inutilis aut iniocundus extiterit.

Ioan. 8.

Supra 3.

Apoc. 22.

Mundo vel vtilius aut iocundius nihil accidere Chriſto potuiſſe.

Matth. 8.

Marc. 7.

Luc 5.

Ioan. 9.

Matth. 9.

Act. 5.

Apoc. 1.

II. Argum.

Matth. 10.

Ibidem.

Luc. 14.

ribus noſtris, ſiue vt alij vertunt, *factiſque noſtris aduerſatur.* Sed hæc etiam argumentatio ſimili ac prior ratione peccat.

Quam pacem venit Chriſtus mittere in terram.

Chriſtus enim venit, vt pacem falſam, quam homines cum peccatis, ac dæmonibus contraxerant, diſſolueret, & vt pacem cum Deo ſanctam & ſalutarem reſarciret; pacemq; conſcientiæ nunc, & ęternitatis poſtea donaret, veramq; pacem inter homines, hoc eſt, Iudæos, & Gentiles conſtitueret.

Luc. 2.

Hinc Chriſtus natus eſt tempore pacis Auguſti omnium celeberrimæ, quæ totum orbem

Pſal. 71.

occupabat, de qua Propheta dixerat: *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna:*

Epheſ. 2.

Prædicauit pacem his qui longe fuerant, & pacem ijs, qui prope diſcipulis prædicaturis, pacem commendauit, ac vt primum dicerent,

Matth. 10. Luc. 9.

Pax huic domui, præcepit: legauit in teſtamento pacem

Ioan. 14. Epheſ. 2.

& ipſe in cruce, & ſanguine ſuo eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & ſuſcitatus à mortuis primum pacem obtulit dicens:

Ioan. 20. Actor 2. Epheſ. 4.

Pax vobis, aſcendens in cœlum, miſit Spiritum ſanctum, qui vinculum eſt pacis, totam Eccleſiam in vnum colligans. Excommunicauit pacem mundi: *Non eſt*, inquit

Eſa 57. Ierem. 6.

per Prophetam, *pax impijs*, &, *pax, pax; & non erat pax*. Denique paci huic bellum indixit: quia ſine bello in falſam pacem, vera, & ſalutaris pax Chriſti nequit conſiſtere, vt propterea dixerit Dominus:

Ioan. 16.

Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis.

III. Argum.

Tertio obijciunt cõtra Chriſtum, quod improperaret illis peccata legis, & quod accuſaret eos tanquam tranſgreſſores legis Moyſi: nam improperare alicui peccatum ſuum, vitioſum eſt: & videtur eſſe finitimum his, qui libellos famoſos, aut ſatyras, aut antiquas condebant comœdias; nam illi multo ſale aſpergebant populum, ſed

Ioan. 7. Exodi 24. Supra 5. Matth. 23.

Ieſus dixit: *Nonne Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* ac rurſus: *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam & fidem.* Reſpondeo, eo nomine

Supra 5.

magis Ieſum diligendum fuiſſe, qui cum veniret non vt ſolueret legem, ſed vt adimpleret, admonebat vnumquemque ſui officij, & tanquam bonus medicus plagas illorum detegebat, vt curaret.

Cuius rei gratia Prophetæ à Deo in mundum miſſi fuerint.

Nam & ad id deſtinati ſunt à Deo Prophetæ in mũdum, vt eum ceſſantem, & officij ſui negligentem corrigerent, & acriori ſermone reprehenderent.

Eſa 58. Terent. Act. 1. ſcen. 1.

Vnde quidam ex illis dixit: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Sed quoniam obſequium amicos, veritas odium parit: hinc omnes bene monentes Prophetas, & Ioannem pluſquam Prophetam, & Chriſtum

Matth. 11. Infra 14.

Prophetarum omnium verticem de medio contra omne ius ſuſtulerunt.

IV Argum. Quomodo Chriſtus (vt illi nugabantur) in Iudæos diffamaret peccata diſciplinæ illorum

Quarto obijciunt, ſe ab eo iniuria infamatos, cum aiunt: *Et diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtræ.* Verbum, diffamat, Græce dicitur ἐπιφημίζεται ἡμῖν id eſt, obijcit nobis peccata non ſine infamia, quæ in nobis ob malam diſciplinam deprehendit.

Matth. 15.

Ac ſi dicerent: Quicunq; in docendo ſeducit, vel abducit homines à bonis moribus, dignus eſt de communitate expelli: & quicunque imponit alteri aliquod crimen, niſi probet, dignus eſt pœna talionis. Sed Chriſtus publice dixit, nos falſas, & friuolas traditiones docere, & legem propter illas diſſoluere. Nam cum nos illi obijceremus:

Ibidem.

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? tunc ipſe reſpondit: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?*

Exod. 20. Deut. 5.

Et præcipue præceptum datum à Deo filijs de honorandis parentibus, à nobis violatum eſſe dixit. Sed nihil horum probauit, dignus eſt ergo morte & extermino.

Nequaquam Chriſtum Iudæos diffamaſſe.

Reſpondeo, nihil Dominum contra traditiones ſeniorum bonas dixiſſe; tantum ſuperſtitionem illarum abſtulit, & quod pluris eas, quam legem Dei facerent, reprehendit: vnde dixit:

Matth. 23.

Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Satis honorificauit

Supra 8. Infra 23. Ioan 8.

vos, quando dixit: *Vade, oſtende te ſacerdoti, & offer munus tuum, &c.* Idem cum inquit: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite.*

Matth. 22.

Et cum ipſe à Deo veniſſet magiſter, & viam Dei in veritate doceret, ad ipſum ſpectabat publicam doctrinam falſam traducere, vt ſuo muneri ſatiſfaceret: quia vt ille dixit:

Ariſtot proverbium.

Amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica veritas. Nec fuit infamia, cum eorum falſa doctrina eſſet manifeſta, & non occulta.

V. Argum.

Quinto obijciunt ambitioſam arrogantiam, quaſi ita opponerent: Quicunque æqualitatem ſcientiæ Dei arrogat, quaſi peccatum primi parentis replicat, cui

Gen. 3.

Satanas promiſit: *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum.* Ieſus autem hoc fecit, quia

Ioan. 7.

dixit: *A meipſo non veni; ſed eſt verus qui miſit me, quem vos neſcitis*: &, *Mea doctrina, non eſt*

Ibidem. Infra 15.

mea, ſed eius qui miſit me, & rurſus: *Omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Hæc accuſatio notatur illis verbis: *Promittit ſe ſcientiam Dei habere.* Reſpondeo, omnes quotquot à Deo miſſi ſunt, non ſua, ſed Dei verba protulerunt, vnde dicebant: *Hæc dicit Dominus.* Quid mirum ergo, ſi Meſ-

ſias,

Deut. 18. Ioan. 3. Matth. 22.

ſias, de quo dixerat Moyſes: *Ponam verba mea in ore eius,* ſcientiam Dei ſe habere profeſſus fuerit? An non vox vnius veſtrum eſt illa: *Scimus quia à Deo veniſti, magiſter?* & illa aliorum: *Magiſter, ſcimus quia verax es & viam Dei in veritate doces?* An ille quicquam prædixit venturum quod non euenerit, ſiue loquamur de genere mortis, tempore, loco, & modo; ſiue de reſurrectione, & aſcenſione, ſiue de diſcipulis ſuis? An non fuit præditus Meſſias ſcientia diuina, quatenus Deus eſt, & ſcientia beata, in quantum comprehenſor eſt, & infuſa, vt Propheta viator, præter acquiſitam? quid mirum igitur, ſi ſe ſcientiam Dei habere dixerit?

Nihil Chriſtus venturũ prædixit, quod nõ euenerit aut euenturũ ſit. Quadruplex Chriſti ſcientia.

VI. argum. Matth 27.

Sextò, opponunt blaſphemiam, quòd ſe Filium Dei faceret. *Nos,* inquiunt, *legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.* Quicunque enim cultum Deo debitum ſibi præſtari exigit, in Deum blaſphemus exiſtit, & dignus eſt obrui lapidibus: *Qui blaſphemauerit,* inquit, *nomen Domini, morte moriatur: lapidibus obruet illum omnis multitudo populi.* Sed Chriſtus hoc ſibi vſurpauit, cùm dixit: *Ego, & Pater vnum ſumus,* &: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem.* Verùm huic obiectioni reſpondet Chriſtus apud Iohannem, cùm dixit: *Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura: quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis Quia blaſphemas: quia dixi, Filius Dei ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite; vt cognoſcatis, & credatis quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Non ergo blaſphemus fuit, qui quod re ipſa erat, & operibus apertiſſimè demonſtrabat, ſi Filium Dei verbo ſe eſſe diceret: non enim rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.

Leuit. 24. Nequaquam Chriſtum in Deum fuiſſe blaſphemum vt Iudæi blaſphemant. *Ioan. 10. Infra 14. Ioan. 10. Pſal. 18.* Chriſtum verum Deum, & Dei filium fuiſſe. *Philip. 2.*

Matth, 27. Ioan. 18. Luc. 22. Matth. 17. Ibidem.

An non ſigna in ipſa morte edita, apertè teſtantur ipſum verum Dei Filium? Alius, quàm Deus, poterat vno verbo cohortem armatam in terram proſternere? An alius poterat reſtituere Malcho aurem, niſi qui infinita Dei virtute eſſet præditus? Et quid aliud teſtata ſunt Solis eclipſis, terræmotus, petrarum ſciſſio, veli diruptio, monumentorum apertio, quàm quod Centurio clamans, dixit: *Verè Filius Dei erat iſte.*

VII. argum. Quid eſt: Factus eſt nobis in traductionem. *Matth. 1.*

Septimò obijciunt: *Factus eſt nobis in traductionem animarum noſtrarum:* Traductionem vocat, propalationem eius, quod eſt occultum, & cedit ad dehoneſtationem alicuius, ſecundùm proprietatem verbi Græci, de quo Matthæus: *Ioſeph autem vir eius, cùm eſſet iuſtus, & nollet eam traducere.* Hoc alij vertunt: Hic cogitationum noſtrarum index extitit. Vbi illum arguunt de Secretorum reuelatione, quaſi dicerent: Ille qui occulta conſilia reuelat, proditor eſt, & fraudulentus, ſecundùm illud: *Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana:* Sed omnis fraudulentus & proditor fugiendus eſt, ac de medio tollendus. Talis fuit Ieſus, qui cum vidiſſet eorum cogitationes, dixit: *Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Et pluries aliàs cùm viderent ab eo ſua ſecreta præcognoſci, dicebant: *Dæmonium habes, quis te quærit interficere?* Sed imprudenter colligebant, quia vnde debebant eum colligere ſanctum, Deique Filium, ac venerari tanquam Deum, ſine cauſa ſcandalizati ſunt: nam Prophetæ vox eſt: *Scrutans corda, & renes Deus,* & iterum: *Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ ſunt.*

Prou. 11. Matth. 9. Ioan. 7. Iudæorum ſtulta ratiocinatio. *Pſal. 7. Pſal. 93.*

VIII. argum.

Octauò inquiunt: *Grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & immutatæ ſunt viæ eius.* Quæ verba alij ita vertunt: *Et aſpectui quoque noſtro grauis eſt, quoniam diſſimilis aliorum eſt vita ipſius, ſuiſque differt inſtitutis.* Quibus in verbis accuſant illum de diſſimili, & diſſentienti vitæ genere: quaſi dicerent: Quicunque ſtudet ſingulari vitæ ab alijs longè diſſentienti, videtur eſſe ſchiſmaticus in Republica: talis fuit Ieſus autor nouæ ſectæ, nouæ legis, atque doctrinæ, vnde dicebant: *Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes?*

Matth. 13. Cur Chriſti vita ab illa Iudæorum diſſimilis extiterit, imò illi contraria.

Reſpondeo, propterea Chriſtum diſſimilem illis fuiſſe, eò quòd ipſi peccatis eſſent contaminati, & malitia referti; Chriſtus verò ſine peccato conceptus, & in lucem editus, ſine peccato etiam conuerſatus, ita, vt diceret: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hinc diſſimilitudo odij cauſa, ob quam tradit Cornelius Tacitus Thraſeam magnum Senatorem, & omni virtutum genere cumulatum, à Nerone Imperatore fuiſſe interemptum, non ob aliam cauſam, niſi quòd eius vita ſtudioſa longè eſſet à ſua vitioſa, & omni peccato referta viuendi ratione aliena atque diſſimilis. Et Cain liuido oculo, & maligno cernens fratris ſui Abelis opera, & ſacrificia, illius cædem deſignauit. Quòd verò legem nouam tulerit, id erat per Ieremiam prædictum, cùm dixit: *Feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum;* & Eſaias inquit: *Legem eius inſulæ expectabunt.* Quare ex eo potius illum Meſſiam colligere debebant.

Ioan. 8. Diſſimilitudo odij cauſa. *Cornelius Tacit. l. 16. iuxta finem.* Thraſeæ magni Senatoris cædes iniuſta. *Gen. 4. Ierem. 31. Heb. 8. Eſaia. 42.*

IX. argum.

Nonò obijciunt: *Tanquam nugaces* eſti-

eſtimati ſumus ab illo, ſiue, vt alij vertunt: Tanquam adulterini habiti ſumus ab eo; quaſi dicant: Ille, qui ſecum viuentes contemnit, & paruipendit, iniurius eſt in proximum: ſed Ieſus in faciem illis reſiſtebat, & verbis acribus inſectabatur eos, etiam Sacerdotes, & Phariſæos, & magnates quoſcunque, nam dixit: *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum: vos de mundo hoc eſtis; ego non ſum de hoc mundo*; &: *Generatio mala & adultera ſignum quærit*; &: *Ero ſimilis vobis mendax*; &: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Vocabat ſerpentes, hypocritas, mendaces, genimina viperarum.

Reſpondeo: Satis ſe adulterinos probabant, ac nugaces, qui à Deo, & Abraham parente degenerauerant, qui non ſtudebant, niſi vt caperent eum in ſermone: & ad magiſtrum ſpectabat diſcipulorum errata liberius corrigere: tametſi ipſi in ſtimulum calcitrarent, & luce Chriſto excæcarentur, & in præſentia fontis aquæ vitæ, vt Tantalus, ſitirent; & in conſpectu ſalutaris medicinæ infirmarentur, & coram tanto igne poſiti pro vitio frigerent.

Decimò obiectant: *Abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis.* Vbi accuſant illum quòd ſe ab illis ſecerneret; quaſi dicant: Quicunque ſe à communi vita ſeiungit, trahens alios ſecum ad conuenticula, & ſecretas confœderationes exitialis eſt, ac noxius Reipublicæ. Talis eſt Ieſus, qui abſtinet ſe à noſtris itinerib. tanquam ab ſpurcitijs, diſcipulos ad ſe trahit, & non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit.

Reſpondeo, iuſtum fuiſſe, vt Ieſus ſe ab illis ſeiungeret, qui eius mortem deſignabant, & in eius necem conſpirabant: Sabbatum non ad mentem legiſlatoris ſeruabant, nec legem Moyſi perfectè implebant. Nouam verò legem iuxta legis promiſſa, & vatum oracula contulit: quia iam veteris imminebat extinctio. Non ergo abſtinebat ab illis tanquam ab immunditijs, qui frequenter ad templum veniebat, & dies feſtos colebat, & ſanatos à lepra, ad reddendum ſacrificium in lege inſtitutum hortabatur: & ſimpliciter docebat: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.*

Vndecimò accuſabant Chriſtum, quòd in ſua doctrina præferret nouiſſima iuſtorum, vel, vt alij vertunt, extrema iuſtorum prædicat beata. Vbi accuſatur, docens quòd iuſti in hac vita expoſiti eſſent laboribus & moleſtijs, & perſecutionibus aliorum; extrema tamen illorum, & quæ poſt hanc vitam ſequuntur, plena eſſent gaudio, conſolatione, & felicitate, vt oſtendit exemplo Lazari, & diuitis Epulonis.

Sed hæc doctrina contraria legi non erat, cùm in lege Moyſi & Naturæ quo quis ſanctior eſſet, eò pluribus & maioribus ærumnis, ac moleſtijs erat obnoxius, vt exempla Iobis, Tobiæ, atque Prophetarum teſtantur: quia etiamſi in lege iuſtis ac pijs bona temporaria & commoda huius vitæ promitterentur: multi tamen in ea erant viri Euangelici, qui per crucem & tribulationes ad Chriſtum ſpectabant. Alij aliter intelligunt hunc locum: vt præferre nouiſſima iuſtorum ſit, quòd gentem paganam Hebrææ præferret, imò Niniuitas, Reginam Auſtri, imò ipſos Sodomæ ciues, cùm dixit: *Terræ Sodomorum remiſſius erit in die iudicij, quàm tibi*; imò præfert etiam publicanos, & meretrices in regno Dei.

Luc. 16. Chriſtum nō prætuliſſe nouiſſima iuſtorum. *Alter ſenſus huius loci.* *Matth. 12.* *Supr. 11.* *Infra 12.*

Cùm igitur comparationes odioſæ ſint, & cùm fiunt, diſcordiam parere conſueuerint; propterea Ieſus, qui Gentes iniuſtas nobis Iudæis & primogenitis à Deo dilectis præfert, qui ſumus gens ſancta, & populus Sacerdotalis, & de quibus dicitur: Non fecit taliter omni nationi; & quòd non eſt natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Minimè ergo Ieſus tolerandus eſt. Reſpondeo, ſcriptum eſſe: *Lauda ſterilis, & quæ non paris*; & quòd Iudæi erant excæcandi, qui non tantùm naturæ, ſed etiam Moyſi legis præuaricatores erant. Et grauiſſimum crimen fuit Chriſto Deo ſuam miſſionem Scripturis & ſignis confirmanti non credere, cùm Niniuitæ credidiſſent ſimplici verbo Ionæ hominis puri.

Comparationes quid parere ſoleant. *Exod. 19.* *1 Pet. 2.* *Pſal. 147.* *Deut. 4.* Chriſtum nō prætuliſſe nouiſſima iuſtorum. *Eſaiæ 54.* *Eſaiæ 6.* Iudæorum incredulitas. *Iona 3.* *Matth. 12.*

Duodecimò: quaſi perturbati, & immemores redeunt ad ſextam accuſationem, quòd eſſet cæteris grauior, illam ſecundò exaggerant, quòd vſurparet ſibi diuinitatem. Et hanc illis verbis exprimunt: *Et gloriatur Patrem ſe habere Deum.* Cùm tamen Chriſtus teſtimonium habeat Patris; *Hic eſt Filius meus dilectus*, & Nathanaelis & Marthæ, & Petri, dicentium: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*, imò vel ipſius diaboli tentantis: *Si Filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant*, vel, *Mitte te deorſum.* Et propterea debebat pluries Deum vocare patrem ſuum, vt tam

XII. argum. *Matth. 3. & 17.* *Ioan. 1.* *Infra 11.* *Matth. 16.* *Sup. 4.* *Ibidem.*

vt tam voces ſuæ, quàm Patris, & opera diſcipulorum teſtarentur illum eſſe Filium Dei. Quòd ſi Ieſus blaſphemus fuit & diuinitatem ſibi vſurpauit, faciendo ſe Deum, cùm non eſſet: certè Iudæorum populus, qui zelo Dei accenſus tantam, quam ei imputant temeritatem, & blaſphemiam, & teterrimo, & turpiſſimo mortis genere, hoc eſt, cruce, vltus eſt, & gloriam Dei vindicauit, debebat eſſe Deo quàm chariſſimus, & gratiſſimus, ſuperque cæterum omne genus hominum opibus honoribus, poteſtate, & imperio; denique omnibus fortunæ bonis florere. At populus Gentium, qui eum in Regem Meſſiam, verumque Deum fide & publica confeſſione complexus eſt, dignus extitit qui deprimeretur, & humiliaretur, & omnibus vitæ humanæ commodis, diuiniſque pariter & cæleſtibus fauoribus in perpetuum deſtitueretur, vt nihil illo inueniri poſſet ſordidius, nihil contemptius, nihil denique infelicius. Verùm è contrariò rem eueniſſe, & in hiſtorijs legimus, & oculis noſtris perſpicimus. Nam populo Chriſti cultore nihil maius, nihil auguſtius, aut florentius: gente verò Iudæorum nulla ſub cælo natio exiſtit aut miſerabilior, aut deploratior, aut maioribus gentium odijs, calumnijs, expilationibus, ac deprædationibus expoſita, vt certò coniectare poſſimus in vnam Iudæorum gentem magnam Dei iram accenſam, & pœnas luere atrociſſimas, & grauiſſimi criminis, nempè Deicidij. Superſunt quinq; argumenta defenſiua, quibus ſe Iudæi tuentur. Primum eſt: *Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint.* Volebant enim explorare, an eius ſermones haberent certam, & compertam veritatem. Prædixerat ſe occidendum. Sed inſignis temeritas fuit, & magna Dei tentatio, eum ob hanc cauſam interficere: *Ego ſum,* inquit, *Via, & Veritas, & Vita,* Prædixit, Ieruſalem conculcandam à Gentibus, negationem Petri, proditionem Iudæ, Apoſtolorum fugam, crucis ſuę mortem, & reſurrectionis ſuæ triumphum: an quicquam eſt ex his quod in terram exciderit, & non fuerit impletum? Secundò aiunt: *Tentemus quæ ventura ſunt illi.* Id eſt, Periculum faciamus an pati poſſit. Qua in re apertè fuerunt decepti: putantes quòd ſi Filius Dei eſſet, pati non poſſet; cum tamen duabus conſtaret naturis, altera paſſionis experti, hoc eſt, diuina, & altera paſſionis capaci, hoc eſt, humana. Tertiò vt ſcirent an eſſet infinita ęternitate prędictus, vnde aiunt: *Et ſciemus quæ erunt nouiſſima illius.* In quo etiam articulo ſeducti ſunt: quia quando fuit extinctus per mortem, nihil amplius cogitarunt de futura reſurrectione. Quartò, voluerunt explorare, an eſſet verus Deus. Nam dicebant: Si Deus permittit eum cruciari, & per crucem extingui, & non liberauerit eum de manibus noſtris, conſtat eum Filium Dei non eſſe: Vnde & in cruce poſito dicebant, *Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credemus ei. Confidit in Deo: liberet nunc eum, ſi vult: dixit enim, Quia Filius Dei ſum.* Hoc exprimitur in Textu, cum dicunt: *Si enim eſt verus Filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus contrariorum.*

Argumenta quinq; quib. ſe Iudæi tuentur, adferuntur, atq; refelluntur.
I. argum.
Matth. 16. & 20.
Iudęorum temeritas quanta.
Ioan. 14.
Luc. 21.
Matth. 16.
Ibidem, & Ioan 16.
Matth. 16. & 20.
II. argum. Iudęorum quanta ſocordia.
III. argum. Iudęorum illuſio.
IV. argum. Iudæorum ſtultitia.
Matth. 27.
Pſal. 21.

Poſtremò inquiunt: *Contumelia, & tormento interrogemus eum.* Id eſt, contumelioſis dictis, & factis nomine tormenti ſignificatis inquiramus. Et ſubiungunt: *Vt ſciamus reuerentiam eius (ſiue manſuetudinem eius) & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum.* Hoc eſt, morte crucis, quæ viliſſima erat; & ad ſeruos, ſiue latrones ſpectabat. Vnde ſequitur: *Erit enim reſpectus ex ſermonibus illius.* Id eſt, Facilè inſpicere poterimus ex verbis, & factis eius quis ſit. Vel ironicè, Deus reſpiciet illum ſcilicet, vt ipſe prædicabat. Fuit igitur mors Chriſti ex ſuo genere turpis, ſicut etiam ex parte temporis, hoc eſt, Paſchæ, & ex parte loci; quæ in monte edito Caluariæ, qui è longinquo videri poterat, & ratione ſociorum, quia inter duos latrones ad maiorem ignominiam poſitus fuit. Poſtremò ratione cauſæ: quia nec confeſſum, nec legitimè conuictum ad mortem condemnarunt. Tandem ſubiungit: *Hæc cogitauerunt, & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum. Et neſcierunt Sacramenta Dei, neque mercedem ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum ſanctarum.* Quibus in verbis oſtendit eorum cogitationes errantes minimè venia dignas extitiſſe, quia ex ignorantia affectata profectæ ſunt, id eſt, ex contemptu ſciendi veritatem cum voluntate malè viuendi: Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Etſi enim quidam extiterint, qui minus illum agnoſcere iure cogerentur, vt Romani, & nouelli ſimpliciores ex plebe, pro quibus Chriſtus in cruce orauit, dicens; *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt:* Omnes tamen ad vnum Rei huius mortis inuenti ſunt, cùm lumen oblatum recuſauerint. Ideò pulchrè ait, illos ignoraſſe Sacramenta Dei: quia multi ſunt, qui ita vitioſè viuūt, & in legem ipſam naturæ peccant, vt indigni ſint quibus Deus veritates myſteriorum reuelet ſuorum. Lex enim gratiæ in adulto legem naturæ requirit. Deinde ait: *Neque mercedem ſperaue-*

V. argum. Contumelia & tormento vt Iudæi Chriſtum interrogauerint.
Mors crucis quàm turpis & ignominioſa.
Quid eſt: Erit enim reſpectus ex ſermonibus illius.
Matth. 27.
Iudæorum de Meſſia perdendo cogitationes cur omni venia prorſus indignæ, & inexcuſabiles.
Sap. 1.
Luc. 23.
Iudæorum inſtar qui ignorent Sacramenta Dei.
Rom. 12.
Lex gratię in homine adul-

to quid poſtulet, Mercedē non ſperantes iuſtitiæ, quid peccent.

ſperauerunt iuſtitiæ. Hoc eſt, nec prēmia danda bonis, nec ſupplicia infligenda iniuſtis poſt hanc vitam credunt, aut ſperant: quòd eſt peccare in prima principia rationis ipſius, & iuſtitiæ, quæ tradit optimos quoſq; legum obſeruatores remunerandos, ſicut violatores condignis pœnis plectendos.

Iudæi quomodo non iudicauerint honorē animarum ſanctarum.

Rurſus addit: *Nec iudicauerunt honorē animarum ſanctarum.* Id eſt, exiſtimarunt animas ſanctitatis cultrices, & iuſtitiæ ſectatrices nullo in honore habēdas apud Deū. Quod ſummæ lædit fidem diuinæ prouidentiæ, cùm tamen illæ per mortem Chriſti transferendæ ſint ad conſortium Angelorum.

Gen. 2. & 5. — Eccleſ. 17. — Gen. 3.

Et ſubiungit: *Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.*

Quo authore Iudæi Chriſto mortem attulerint.

Quibus verbis indicat, diabolo machinante, & miniſtris tanquam organis eius operantibus Chriſto mortem eſſe illatam. Quemadmodum olim cùm Deus condidiſſet hominem immortalem, quod ad animam attinet, & per donum iuſtitiæ originalis, quantum ad corpus indiſſolubilem, Satanæ tamen inuidia mors inuecta eſt in primum Adamum, & per eum in omnes filios eius; deinde etiam eadem inuidia in ſecundum Adamum.

Rom. 5.

Qualia impiorum principia.

Atque ita vides quàm falſa ſint principia impiorum, animam mortalem, aut nullam poſt hoc ſeculum futuram vitam aſſerentium. Quare. cap. 3. ſequenti diligenter Spiritus ſanctus per Salomonem ſtatuit animarum immortalitatem, & præmiorum magnitudinem, quibus apud Deum afficiuntur:

Sors iuſtorum fœliciſſima pro Chriſto morientium.

Iuſtorum animæ, inquit, *in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum. Et ab itinere iuſto abierūt in exterminium, & quòd à nobis eſt iter exterminij; illi autem ſunt in pace. Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt; ſpes illorum immortalitate plena eſt. In paucis vexati, in multis bene diſponētur*, & reliqua.

Vnde Iudæo conſtare poſſit Chriſti ſanctitas & innocentia.

Quare Iudæus his noſtris rationibus excitatus, velit, nolit, cogitur manus dare, herbamque porrigere, & Chriſti innocentiam mecum agnoſcere: quam ſi vellent, amplè intelligere poſſent vel ex præteritis Prophetarum oraculis, vel ex præſentibus iudicibus, apud quos Chriſti cauſa acta eſt, vel etiam ex futuris flagellis, & calamitatibus, quibus indies Iudæi iuſtè plectuntur.

Pſal. 34. — Ioan. 15. — Pſal. 34. — Pſal. 93. — Pſal. 68.

Lege Dauidem. *Quia odio*, inquit, *habuerūt me gratis*, id eſt, ſine cauſa. Et iterum: *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui*: Rurſus: *Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt.* Et rurſus, *Quæ non rapui tunc exoluebam.* Nec rapuit vetitum fructum de ligno, ſed illum ei reddidit: nec diuinitatem, aut Dei ſcientiam, vt Adam, ſed exoluit, vt qui verus erat Deus, & ſapientia Dei Patris, appareret tantum homo ſolus, infirmus, & ſtultus.

Gen. 3. — Eſaia. 53. — Ibidem. — 1. Pet. 2. — Ierem. 11.

Si conſulas Eſaiam, dicet: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus: Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*: Si Ieremiam: *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam: Et non cognoui quia cogitauerunt ſuper me conſilia dicentes, Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eū de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius.* Atque hos omnes alij Prophetæ ſecuti ſunt.

Matth. 27. — Ioan. 18. — Matth. 27. — Ibidem. — Ibidem. — Luc. 23.

Si verò miniſtros mortis Chriſti inſpiciamus illi quoque de eius iuſtitia teſtimonium ferunt. Proditor dixit: *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.* Iudex Pilatus: *Ego nullam inuenio in eo cauſam*; Et, *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius: vos videritis.* Vxor Pilati: *Nihil tibi, & iuſto illi.* Sol ipſe, atque elementa, & ſancti à morte excitati eius iuſtitiam produnt; & Ethnicus ille Centurio, qui exclamauit: *Verè hic homo iuſtus erat.* Si verò Iudæi oculos omnino non amiſiſſent, ex ingentibus, & inauditis flagellis, quæ poſt mortem Chriſti eos conſecuta ſunt, agnoſcere poſſent horrendum ſe aliquod ſcelus admiſiſſe, propter quod ad extremam calamitatem peruenerunt; vt nulla ſit in vniuerſo orbe natio magis toti mundo inuiſa, & grauioribus ſupplicijs attrita, atque Iudæorum.

Quid redemptos facere oporteat in memoriam Chriſti redemptoris.

Nos igitur, qui Ieſum ſummam nouimus eſſe innocentiam, atq; iuſtitiam, illum neci datum noſtra cauſa intelligamus, vt nos ſuo redimeret ſanguine, ſuis ſanaret vulneribus, ſuis ſolueret vinculis, ſua veſtiret nuditate, ſuaq; morte ad immortalitatem eueheret. Cui pro tantis beneficijs cum grates condignas reddere nequeamus, ſaltem eius ſanctitatem per fidem apprehendamus, linguis eius iuſtitiam prædicemus, factiſque noſtris eius innocentiam tanquam veſtes Eſau primogeniti induamus, quibus coram Deo comparere poſſimus, & benedictionem per Ieſu mortem nobis comparatam aſſequamur, præſtante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt cum Patre, & Spiritu ſancto ſempiterna felicitas, immenſa gloria, honor infinitus in perpetuas æternitates, Amen.

Gen. 27.

TRA-

TRACTATVS V.

In quo, de fructibus Paſſionis Chriſti cum fructu ruminandis, atque cogitandis agitur: Et ea omnia argumenta, quæ in illos fiunt, diſſoluuntur.

Scopus authoris.

CAVSAS Paſſionis, ac mortis Domini Ieſu explicatas ſuperiori ſermone reddidimus, & rationes omnes quæ in illã factæ ſunt, vel à Paganis, vel Iudæis, & quæ adhuc fieri poſſunt, pro noſtra tenuitate diſſoluere conati ſumus: Iam verò de fructibus tantæ mortis meritò diſſerendum eſt: & ſi quid fortè obſcuri, aut dubij in illis eſt, orationis noſtræ perſpicuitate reſerare, atque illuſtrare conabimur, & à cauillis, & obiectionibus, quæ fiunt, illos vendicare. Atq; ita hæc Tractatio ſuperioribus lucem aliquam adferet, & meditandæ Paſſionis Chriſti gloriam, & virtutem magis patefaciet. Nam vt ex fructu, arboris bonitas agnoſcitur, & auri puritas atq; præſtantia, ex attactu lapidis dicti à Græcis Chryſitis deprehẽditur: ita magnitudo charitatis Chriſti, ac bonitatis eius, ex effectis ipſius admirandis, & pretioſis fructibus, quos edidit, illuſtrior per omnia ac magis perſpicua fiet. Sacræ ergò literæ atq; adeò S. Patres hos omnes fructus Paſſioni ac morti Ieſu Chriſti tribuunt: nimirum per illa nos liberatos eſſe à peccato, & à poteſtate dæmonis, & à reatu pœnę æternę, ſiue gehenna, & à morte, & à legis Moſaicæ obſeruatione, & oblatione; nobiſque ianuam cæli aperuiſſe, ac per hęc nos Deo Patri reconciliaſſe, ſibi verò adeptum eſſe corporis ſui immortalitatem per reſurrectionem, nominis ſui exaltationem, atque iudicis poteſtatem. Hæc vero omnia, & ſingula ſuas habent difficultates minimè contemnẽdas. Nam quomodo liberat à peccato, cum in lege Naturæ Abel, Abraham, Noë, iuſti eſſent, & iuſtificati à peccatis ante Chriſti mortem? Quomodò item mors Chriſti potuit liberare à peccatis committendis, & futuris? Quæ enim nondum ſunt peccata, remitti nequeunt. Adhæc multa indies peccata poſt Chriſti mortẽ cõmittuntur. Quomodò præterea liberat nos à peccato, qui quotidie peccamus, & de quibus ſcriptum eſt: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis nõ eſt*; Et dicere debemus: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Deinde quomodo liberat à poteſtate diaboli, qui nihil potuit ſuper homines, niſi ex permiſſione Dei? Vt habes in libro Iob, & apud Tobiam, & Matthæum, & qui adhuc in homines exercet poteſtatem, tentando, & corporaliter vexando: & in multis locis adhæc ſunt idololatræ, & cultores dæmonũ? Iubemur item reſiſtere diabolo, & cum illo pugnare; quomodo igitur ab eius poteſtate, cum quo adhuc congrediendum eſt, liberati ſumus? Tertiò, quo pacto liberat à reatu pœnæ, ſiue æternæ, ſiue temporalis, cùm ex inferno, ac pœna æterna liberauerit neminem; iuſtificatis verò peccantibus imponi iubeat ſatisfactionis opera ꝓ peccato, vel ipſe flagellis immiſſis eos atterat? Quartò, quomodo eripuit à morte, quæ adhuc graſſatur non ſolũ in infideles, ſed in ipſos iuſtos Dei filios, & amicos? Quintò, quomodo à legis obſeruatione aſſeruit, ad quam ſeruandam Gentes minimè obſtringebantur, Iudęi verò ad eius cuſtodiam aduentu Meſſiæ nequaquam arctabantur? Sextò, quonam pacto aperuiſſe ianuam cæli dicitur; cum Helias raptus legatur in cęlum, & Henoch in Paradiſum, & in baptiſmo Chriſti cæli ſint aperti ante Paſſionem, vt refert Matthæus? Septimo, qua ratione reconciliati per mortem ſum⁹, cum reconciliatio non habeat locum inter eos, qui ſemper ſunt amici, Deus autem omnia diligat, & nihil oderit eorum quæ fecit, ſed vt Propheta ait, in charitate perpetua dilexit nos; Item, cùm homines mortem Ieſu inferentes grauiſſimè deliquerint; quomodò ex hoc reconciliati ſunt, cum Deum grauius offenderint? Poſtremò, quo pacto meruit exaltationem, qui tam altus erat, idem Deus, vt non poſſet plus exaltari? Quomodò item promeruit exaltationem per crucem, qui à momento conceptionis omnem ſuam gloriam, & exaltationem promeritus eſt? Nomen etiam Ieſu à circumciſione nactus fuit? Quomodo item iudiciariam poteſtatem, quæ ſibi ratione diuinitatis competebat, per mortem potuit promereri? Hæc ſunt quę in fructus Paſſionis Chriſti objici poſſunt, quæ propterea, vt melius intelligantur, & Scripturæ ſinceriorem ſenſum ſuum ſortiatur, à nobis diligentius explicanda ſunt. Ad primum igitur dicendum eſt, Dominum Ieſum non ſolum ad doctrinam noſtram, & patientiæ exemplum nobis exhibendum paſſum eſſe mortem, ſed etiam verum ſacrificium obtuliſſe pro nobis, vereq; pretio iuſto perſoluto nos redemiſſe, & quæ non rapuit, pro nobis exoluiſſe: non enim corruptibilibus auro, vel argento redempti ſumus de vana noſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi

Margin notes: Quales effectus, tales cauſę. — *Matth.* 7. — Chryſitis lapidis ingenium. — Soluuntur dubitationes nonnullę circà fructus Dominicę paſſionis. — *Gen.* 4. — *Infra* 6. — 1. *Ioan.* 1. — *Matth.* 6. — II. Dubitatio. — *Iob.* 1. & 2. — *Tob.* 8. — *Matth.* 8. — *Iacob.* 4. — III. Dubitatio. — IV. Dubitatio. — V. Dubitatio. — VI. Dubitatio. — 4. *Reg.* 2. — *Gen.* 5. — *Matth.* 3. — VII. Dubitatio. — *Sup.* 11. — *Ierem.* 31. — VIII. & Poſtrema. — *Luc.* 2. — Cùm in lege naturæ quidã viri ſancti extiterint quomodo verum ſit, eos per Chriſti mortem liberatos fuiſſe à peccatis. — *Pſal.* 68. — 1. *Pet.* 1.

Chriſtus quæ nō rapuit, ſed exoluit tamē teſte Propheta.
Gen. 3.
Peccata noſtra quidnam ſint
Veteris teſtamenti Patres vnde iuſti fuerint.

quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati. Vocat autem rapinam Propheta, peccatum Adæ rapientis vetitum fructum, ac de illo edentis: & in omni peccato noſtro rapimus quod Dei eſt, id eſt, obedientiam illi debitam, ac gloriam. Quòd verò Patres olim ante Chriſti aduentum iuſti, & iuſtificati fuerint; libenter concedimus; ſed non niſi per Chriſti merita à Deo præuiſa, à Chriſtoque retracta iuſti effecti ſunt: quemadmodum qui Regem offendit, reconciliari poteſt Regi, ſi accedat fideiuſſor, qui pro eo ſuo tempore ſoluere polliceatur. Et hæc de peccatis præteritis. De futuris verò id non eſt difficile intelligere. Nam ſæpè contingit, medicinam à morbo aliquo efficaciter ſubleuantem antè præparari, quàm homo per eam ſanandus naſcatur, etiamſi non habeat operationem ſuam, antequam infirmo applicetur. Ad eum modum paſſio Chriſti, quæ præteriit, omnia peccata etiam futura aſſeritur remiſiſſe, non quidem actu, ſed virtute, ſiue in cauſa, vt ait Beatus Thomas: quia opus præſtitit ad expianda peccata ſufficiens, & cauſas liberationis noſtræ inſtituit, ſi debitè applicetur per Sacramenta. Quòd verò vim in omnibus præteritis non habuerit, vel in futuris non ſit habitura; ex imbecillitate mortis Chriſti non oritur, ſed ex defectu cauſæ particularis applicantis, vel infirmi repellentis, nec ſe ad eam aptè præparantis, vel volentis ſine fide, aut ſola fide abſque Sacramentis, aut fide, & Sacramentis, ſed ſine diuinæ legis obedientia mortem ſibi applicare volentis vt Hæretici faciunt. Quòd verò adhuc Scriptura adhortetur nos ad declinanda peccata, & ad ſoluenda vincula colli noſtri; vt mundemus corda noſtra, vt ſanctificationem compleamus, & vt faciamus nobis cor nouum: Hoc non tollit, Chriſtum noſtra peccata expiaſſe, ſed tacitè admonere nos officij noſtri voluit: Debemus enim ex parte noſtra cooperari ad iuſtificationem, & ſanctificationem, cum gratia Dei perficiendam. Et originale peccatum omnino deletur, nec redit vltra, leuia verò & quotidiana, pro quibus dicimus, *Dimitte nobis debita noſtra*, etiāſi aliquo modo feruorem charitatis reprimant. Maiorem tamen vtilitatem præſtant, quàm detrimentum: nam multis modis, quos nobis Paſſio Chriſti comparauit, expiantur: iuuant ad humilitatem, & propriæ imbecillitatis agnitionem & vt Iebuſæus domeſticus nos exercent ad pugnam, & conſequenter ad meritum, & coronā. Pro munditia verò à lethiferis delictis remedia præſeruantia habemus, vt Euchariſtiam, &

Quomodo Chriſtus nos à peccatis futuris liberauerit.

B. Tho. 3. p. q. 49 ar. 1. ad 3. tom 13.
Quare in omnibus hominibus ante Chriſti aduentum, Domini paſſio non fuerit efficax.

Cur Scriptura, ad vitia declinanda, & ad amplectendas virtutes nos adhortetur, ſi à peccatis per Chriſtum liberati ſumus
Eſa 52.
Iacob. 4.
Ezech. 3.
Matth. 6.

Peccata venialia nobis quid conferant.
Ioſue 15.
& alibi.

natus Chriſti exemplum: medicamenta etiam ſubleuantia, vt Sacramentum Pœnitentiæ, & maiora ſalutis antidota quàm Adam habuerit; etiamſi debiliores modò ſimus quàm olim fuerit Adam, ſperamus tamen ſtatum illum impeccabilitatis, vt ſic dicam, & immortalitatis.

Grauioribus delictis quam fecer: Chriſtus medicinā.

Hoc etiam in loco diligenter annotandum, triplices exiſtere propoſitiones in Scripturis de Chriſti Paſſione, ſanguine, & morte: Quædam enim ſunt de præterito, quædam de præſenti, quædam verò de futuro. Primi generis ſunt illæ: *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*; Et *Purgationem peccatorum fecit*; *& conciliauit nos, & deleuit chirographum decreti, crucifixit peccatum, acquiſiuit nos ſanguine ſuo, redemit, propitiauit, ſanctificauit, viuificauit, ſanauit, abſtulit peccata mundi*: quæ quidem dicta à Prophetis, & Apoſtolis non ſunt intelligenda actu iam eueniſſe. Nam multi, qui ante Chriſti aduentum fuerunt, damnati ſunt in peccatis ſuis: omnes etiam præſentes crucis ſuæ tempore minimè ſaluos fecit, quia nec Iudam, nec latronem à ſiniſtris pendentem, nec omnes futuros poſt eum filios facit, quia non omnes obediunt Euangelio; nec omnes, qui credunt, viuunt ſecundum Euangelium: nec omnes qui viuunt modò, perſeuerabunt in ſanctitate. Sed hæ propoſitiones vnum ex tribus ſignificāt, aut quòd vſq; ad Chriſti mortē ſunt propheticæ de præterito pronuntiatæ, & futurum certum deſignabant, quemadmodum illud: *Foderunt manus meas, & pedes meos*, & illud de Natiuitate: *Paruulus natus eſt nobis. & filius datus eſt nobis*; illud item de Paſſione, *Oblatus eſt quia ipſe voluit*: *Ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit*; & illud Zachariæ: *Viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ*, ac illud Virginis, *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.*

Triplex propoſitionum genus de Chriſti paſſione, ſanguine, & morte in ſcripturis contentum deſcribitur: quæ quidem explicantur.
Apoc. 1.
Heb. 1.
2. Cor 5.
Coloſ. 1.
Infra 2.
Ibidem.
Ioan. 1.

2. Theſſ.

Pſal. 21.
Eſa. 9.
Infr. 53.
Ibidem.
Luc. 1.
Ibidem.

Deinde dici poteſt, quòd quando hæ propoſitiones ab Apoſtolis dicuntur, intelligendæ ſunt, quòd ex parte ſua fecit medicinam efficaciter à morbo peccati ſanantē, ſi capiatur, vel fecit expenſas ad conuiuium: quare qui vult ſanari, & non eſurire, medicinā accipere, & ad menſam Domini venire, formidare non debet. Dicitur ergo feciſſe redemptionē, id eſt, peccata expiabilia feciſſe, & remiſſibilia, ſi tamen homo ad vaſa, per quæ miniſtratur hæc ſanitas & expiatio, venire non dubitet. Vnde Paulus tria ait in poſteriori ad Corinthios: *Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi.* Deinde ſubdit: *Et poſuit in nobis verbum reconciliationis*, ſiue vt paulò antè, miniſterium

Altera ſolutio.

Chriſtus vti fecerit redemptionem.

2. Cor. 5.

reconciliationis. Tertio ſubiungit: *Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Vides igitur, Deum per Chriſtum reconciliationem facere; deinde miniſtros reconciliationis adhiberi, qui verbo, & Sacramento ſalutem noſtram promoueant. Poſtremo, quia nos aliquid operamur, verbumque, & Sacramentum cum fructu ſponte ſuſcipimus; propterea dicitur, Reconciliamini Deo. Sunt deinde aliæ enuntiationes de præſenti: Vt, *Ecce qui tollit peccatum mundi*; Et, *Sanguis Ieſu Chriſti Filij eius emundat nos ab omni peccato*, & Apoſtolus; *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius remiſſionem peccatorum*: Et, *Qui eſt ſaluator omnium hominum, maxime fidelium.* Iſtæ enuntiationes ſignificant vim, meritum, & efficientiam Paſſionis Chriſti: quemadmodum dicere cõſueuimus, Manna purgat pituitam Rheubarbarum choleram, Mithridaticũ reſiſtit veneno, non quatenus in domo pharmacopolę ſunt, ſed quatenus per modum boli, vel potionis ſumuntur, & in ſtomachum traijciuntur. Adhæc ſignificant applicationem, quæ ſemper fit per fidem, Sacramenta & bona opera, ſiue in vita, ſiue poſt mortem in Purgatorio, ſemper enim Chriſti paſſio in electis fructus ſuos edit. Et maxime ſignificant expiationem, quam quotidie facit Chriſtus per ſacrificium Euchariſtiæ oblatum. Tertiæ propoſitiones de futuro ſignificant, non ſanguinem Chriſti fundendum, qui iam ſatis fuſus eſt, ſed vim pro futuris delictis remittendis, quæ necdum ſunt admiſſa: Vt cum ait Eſaias à Paulo productus: *Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob: Et hoc illis à me teſtamentum, cum abſtulero peccata eorum:* & Dominus dicebat: *Reſpicite, & leuate capita; quoniam appropinquat redemptio veſtra*, & Apoſtolus: *Et ipſi intra nos gemimus adoptionẽ filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri*, & Ezechiel: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos.* Hæc ergo aut redemptionem præſignabant futuram, aut futurorum peccatorum, quæ nondum commiſſa erant, expiationem; aut ſignificabant diligẽtiam & efficientiam noſtram ad actu percipiẽdam remiſſionem peccatorum, aut ſignificabant plenam redemptionem à delictis venialibus, & quotidianis, aut à corruptione corporis noſtri; quod ad vitam immortalem ſuſcitandum expectamus. Et hactenus primæ dubitationi de expiatione peccatorum facta per Chriſti ſanguinem, ſiue mortem, ſit dictum.

II. genus enunciationũ de Chriſti redemptione.
Ioan. 1.
1. Ioan. 1.
Epheſ. 1.
1. Tim. 4.
Paſſio & mors Chriſti in quantum operentur.
III. genus.
Eſa. 59.
Rom. 11.
Luc. 21.
Rom. 8.
Ezech. 36.

Ad ſecundum, quomodo videlicet à poteſtate dæmonis nos vindicauerit, reſpondemus, Chriſtum Dominum dixiſſe: *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras*, & Apoſtolus inquit: *Expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in ſemetipſo*: Contra morem aliorum ducum, qui liberos ſeruos efficiunt; vnde dicuntur ſerui & mancipia, quaſi ſeruati & manu capti. Sed Chriſtus ſpoliauit eos, qui erant ſerui, & liberos fecit. Et Apoſtolus dixit in ſemetipſo, id eſt, propria potentia, & virtute. In alijs enim victorijs non tota pars imperatori conceditur, ſed & aliquid fortunæ datur; at Chriſtus dicere poteſt: *Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aſperſus eſt ſanguis eorũ ſuper veſtimẽta mea, & omnia indumẽta mea inquinaui.* Nam Chriſtus in cruce pugnauit contra dæmones, & commotus eſt ira & furore contra peccata nomine ſanguinis expreſſa, quæ totam eius humanitatem nomine veſtimẽti deſignatam, iuxta illud, habitu inuentus vt homo, macularunt, quia tulit illorũ pœnas Liberati ergo ſumus à dominatu, & principatu dæmonis. Quod vero nobis in Scripturis certamen contra dæmones proponatur, ac dicatur nobis: *Cui reſiſtite fortes in fide*, Et, *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis*, Et, *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarũ harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*, & illud Eccleſiæ: *Pugnate cũ antiquo ſerpente*, hæc tantũ inſinuant diabolum principatu ſpoliatum, ita tamen vt remaneat adhuc irritatus, & ad certandum prouocet, vt in ſtatu innocẽtiæ Adamũ aggreſſus eſt, & Ieſum innocentẽ in deſerto morantẽ. Nam quoniá dęmon poteſtatis ſibi traditę modũ exceſſit, machinando in mortẽ Chriſti Filij Dei innocẽtiſſimi, & qui mortis meritũ non habebat, merito principatu illo ſpoliatus fuit. Hinc Auguſt. lib. 13. de Trin. ca. 14. ait: *Quia cum in eo nihil morte dignũ inueniret, occidit eum tamẽ. Et vtiq; iuſtũ eſt vt debitores quos tenebat, liberi dimittantur, in eũ credentes, quẽ ſine vllo debito occidit.* Sic ille. Quod ſi qui ſint, qui ſpõte ſua ſe in dęmonis poteſtatẽ denuo dedant, vt cultores dæmonum, & ſimulacrorũ exiſtant; id illorũ vitioſę volũtati eſt tribuẽdum; & ferox, catenæ tñ ferreæ alligatus, neminẽ inuadere, aut mordere poteſt, niſi quis ſponte ſua ad illum accedat, illiq; ſe ſubijciat: Ita Satanas alligatus eſt quidẽ à Chriſto, ſed ita, vt qui velint, poſſint ſe in illius manus tradere. Fuit autẽ Chriſti inſignis, & illuſtris victoria cõtra dæmones in cruce, quia vincebat potentiſſimos hoſtes, i. aſtutiſſimos, in

Quomodo Chriſtus nos à poteſtate Satanæ liberauerit.
Ioan. 12.
Coloſ. 2.
Serui & mancipia vnde dicantur.
Chriſti victoria, ab ea cæterorum hominum quam diuerſa.
Eſa. 63.
Sanguis in Scripturis ferè peccata ſignificat.
Quamobrem Scripturæ nobis cum diabolo certamẽ indicant.
1. Pet. 5.
Iaco. 4.
Epheſ. 6.
Gen. 4.
Matth. 4.
B. Auguſt. tom. 3.
Dæmon nobis nocere quatenus poſſit.
Quam glorioſe Chriſtus de diabolo triumphauerit.

arteque tentandi exercitatiſſimos, quia etiam erant in ſummo vigore potentiæ ſuæ, eum, qui ſumme ſanctus, ac iuſtus erat, aggredientes, demum quia vincentes vincebantur: nam quo magis in Humanitatem ſæuiebant, eo magis ipſa eorum victoria inclinabat, ac deficiebat, nam ad nomen Ieſu, & crucis præſentiam, horrent, & contremiſcunt. Redditque nobis Ieſus crucifixus dæmones ſuperabiles, & tales, vt qui ab homunculis vinci queant, dando lucem agnoſcendi inſidias, & aſtutias eorum, viresque ſuppeditando ad vniuerſa eius magnifica promiſſa, ac tormenta perterrefacientia fortiter contemnenda. Vtitur ergo Ieſus dæmonibus tanquam ſuis apparitoribus, lictoribusque, vt pro voluntate ſua exerceant iuſtos, ſiue eos ſolicitando ad malum, ſiue corpora eorum vexando, ſiue vt puniant reprobos. Facta præterea eſt redemptio mundi per modum iuſti iudicij, ſeu per ſententiam iuſto iudicio latam. In omni autem iudicio quatuor perſonas interuenire notum eſt atque exploratum, nimirum iudicem, reum, actorem, ſiue accuſatorem, & inter has duas perſonas aduocatum, ſeu patronum. Poteſt tamen contingere cauſam agi occulto ſpectatore, & iudice, qui abſque ſtrepitu, vel figura iudicij, vel citatione teſtium nouit, aut humiliare calumniatorem, aut eripere miſerum inopem, etiam illum, qui ſua culpa lapſus fuerat in poteſtatem calumniatoris: præſertim ſi mediator intercedat, qui & culpam à reo agnoſci faciat, & pretium de iniuria, aut damno illato ſoluat, qui talis, ac tantus ſit, & tam gratus, vt intercedentem pro reo nefas ſit repelli. Dæmon igitur ſuggerens homini agere contra Dei mandatum, etſi iniurius extiterit tam homini, quam Deo, tamen contra hominem nullum ius habere promeruit. Nam etſi homo peccans ſub poteſtate diaboli torqueri dignus fuerit, Deo illud iuſte permittente; ipſe diabolus tamen ſicut hominem ex inuidia decepit, ſic & eum deceptum non iuſtitiæ zelo, ſed mala voluntate afflixit, & torſit. In hoc ergo iudicio Deus Pater iudex eſt; reus, eſt peccator, & miſer homo; aduocatus, ſiue mediator, Chriſtus; calumniator, ſiue accuſator, diabolus, qui mentiendo hominem fecit eſſe morti ſubiectum, & ob id dicitur homicida ab initio; Scriptura vero vocat Chriſtũ aduocatum, & mediatorem, qui cauſam hominis rei in ſe ſuſcepit tuendam, & ſuam eſſe fecit, de qua cauſa ipſe per Eſaiam ait: *Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum:* & per Ieremiam: *Iudicaſti Domine cauſam animæ meæ. Vidiſti Domine iniquitatem illorum aduerſum me: iudica iudicium meum.* Iudicauit Dominus cauſam animæ Chriſti innocentis, vt exponit Hieronymus, quando mortem peruenire fecit ad ſalutem generis humani; & triumpho ſuæ reſurrectionis confudit autores eius interemptionis. Populus etiam liberatus Chriſto gratias agens in Pſalmo illo: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.* Subdit deinde: *Quoniam feciſti iudicium meum, & cauſam meam: ſediſti ſuper thronum, qui iudicas iuſtitiam.* In quæ verba Hieronymus ait, *Cauſaſti pro me contra aduerſarios, & vindicaſti me: & feciſti cauſam meam bonam.* Nam quia dæmon in Chriſto non inuenit quicquam, & Pilatus eius organum, & ſatelles dixit: Ego nullam inuenio in eo cauſam, quia neſciebant Deum poſuiſſe in eo iniquitatem omnium noſtrum; ideo dicitur egiſſe cauſam noſtram, & iudicium noſtrum. Quia vero cauſa rei eſt etiam aduocati pro reo eius partes tuentis; ideo quæ competunt homini reo, ipſe Chriſtus ſibi tribuit: quia Chriſtus, & Eccleſia ſunt vt caput & corpus, & vir, & vxor, qui ſunt vna caro. Cum Chriſtus dixit: *Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eijcietur foras:* non loquitur de iudicio condemnationis, ſed de iudicio ſalutifero mundi, quod eſt iudicium pro mundo contra diabolum, qui eijcitur foras. Quod magis explicans, ſubiungit: *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Quod vero paulo poſt ſubiungit: *Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit; ego non iudico eum: non enim veni vt iudicẽ mundum, ſed vt ſaluificem mundum:* apertè loquitur de iudicio condemnationis, quod erit in fine ſęculi. Chriſtus ergo vt reus pro nobis, & aduocatus, & fideiuſſor, qui ſe vadem principalem in cauſa capitali generis humani conſtituit, ad Patrem, vt iudicem accurrit, & ait: *Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum,* & iterum: *Iudica Domine nocentes me: expugna impugnantes me. Apprehende arma, & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi,* ac rurſus: *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta, ab homine iniquo, & doloſo erue me.* Quanquam dici poſſit, quod iudicium in ſalutem noſtram exercuerit in primo ſuo aduentu; vt propterea Dauid dixerit: *Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis, iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio:* & Dominus: *Sicut audio* (ſcilicet à Patre) *iudico,* id eſt, fero ſententiam pro his ſcilicet, quos Pater mihi dedit. Ita dixit per Eſaiam: *Ego qui loquor iuſtitiam* (& qualem iuſti-

Qualis nobis dæmones Chriſtus reddiderit.

Dæmones vti Chriſto inſeruiant ac famulentur.

In omni iudicio quatuor perſonę interueniunt.

Nullum dæmoni iuſtum vnquam ius in hominem fuit.

Gen. 3.
Ratio diuini iudicij in cauſa generis humani.

Diabolus cur homicida dicitur ab initio

Ioan. 8.
1. Ioan. 2.
1. Tim. 2.

Eſa. 63.
Thren. 3.

Hieron lib. 2. in lamentatio Ierem. c. 3. in fin. to 5.
Cauſam animæ Chriſti quando Dominus iudicauerit.
Pſal. 9.

Hieron. in Pſal 9. tom. 8.
Ioan. 14.

Infra 18.
Eſa 53.

Matth. 19.
Ioan 12.
De quo iudicio Chriſtus dixerit: Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras.

Ibidem.
Audientem verba ſua, & non cuſtodientem (vt idem Chriſtus inquit) quo iudicio ſit iudicaturus.
Pſal 25.
Pſal. 34.

Pſal. 42.

Quod iudicium in primo ſuo aduentu Chriſtus exercuerit.
Pſal. 71.

Ioan. 5.

Eſa. 63.

iuſtitiam loquatur, ſubiungit) *& propugnator ſum ad ſaluandum.* Quia ergo in hoc iudicio iuſti ꝑres partes ruratus eſt, & iuſtitię, ac miſericordiæ Dei magis conſonat; ſententiam pro ſe promeruit, vt videlicet à peccato liberentur vniuerſi, tũ mortui, tum præſentes, tum futuri, qui in ſe crediderunt, & à poteſtate dæmonis, & principatu redimantur: ſed ita, vt ſponte credentes, illi renuntiare debeanr, quemadmodum faciũt omnes qui Chriſto nomen dant in baptiſmo, diaboli pompis, & operibus renuntiant: vt quemadmodum homo ſponte ſua à Deo receſſit, ita non niſi ſponte homo tractus ad Deum reuertatur.

Quomodo à reatu pœnæ æternæ ſiue temporalis nos Chriſtus liberauerit, cũ ex inferno liberauerit neminem.

Ad tertium reſpondendum eſt, Ieſum à reatu totius pœnæ duplici ratione nos liberaſſe, directe quidem, & oblique, ſeu indirecte, vt Theologis loqui eſt in more: indirecte, quia paſſio eſt cauſa remiſſionis peccati, in quo eſt reatus pœnæ; directè vero, quoniam paſſio fuit idonea, & abundãs ſatisfactio pro peccatis totius humani generis. Condigna autẽ ſatisfactione exhibita, tollitur reatus pœnæ, & ideo dicitur: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Quod vero non liberet à pœna gehennæ iam inflicta, hoc non prouenit ex imbecillitate meriti Chriſti, ſed ob defectum indiſpoſitionis fidei, & charitatis, per quas Chriſti paſſio applicanda erat. Satis tamen dici poteſt hominem liberatum ab inferno dupliciter. Primum, quia liberauit à reatu & iure, ſiue merito inferni, quod meritum omne peccatũ mortiferũ ſuapte natura conſequitur. Hinc Dauid ait: Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori, id eſt, à morte æterna. Erat enim & infernus ſuperior. id eſt, limbus Patrum, ſeu ſinus Abrahæ, ad quem Chriſtus deſcendit, & eius portas contriuit, & vectes ferreos confregit, vt canit Eccleſia:

Eſai 53.

Cur Chriſtus à pœna gehennæ iam inflicta non liberet.

Duplex hominis ab inferno redemptio, & liberatio.

Pſal. 85.

Quis ille ſit in ſe nus inferior, a quo ſe liberatum inquit Propheta: & quis ſit in ferDus ſuperior.

Pſal. 106.

Inferni clauſtra penetrans,
Tuos captiuos redimens, &c.

Liberat deinde ab inferno inferiori, ſeruando nos à peccato per meritum ſuæ mortis, pro quo detrudendi eramus in infernũ. Quod verò à iuſtis ſatisfactiones exigat; id cum ratione eſt coniunctum: vt magis guſtemus peccati malitiam, atq; eo plus illud in futurum horreamus; ad hæc vt conformes ac ſimiles Chriſto pro illo patientes reddamur. Adhæc nihil deroget paſſioni Chriſti: quia non niſi virtute illius iuſti pro pœnis temporalibus ſatisfaciunt.

Quare Chriſtus à iuſtis exigat ſatisfactiones.

Quomodo à morte quę adhuc in fideles, & infideles dominatur, per Chriſtum liberati ſimus.

Ad quartum de morte, dicendum eſt, Ieſum peccatum remittendo (quæ non eſt aliud, quam ſpiritualis quædã animi mors) ſimul ab æternæ gehennæ merito nos liberaſſe: mortem verò temporalem, quæ non eſt aliud, quam ſeparatio ſpiritus à corpore, ex peccato ortam, vt Moyſes & Paulus ad Romanos tradunt, non omnino ſuſtuliſſe: eius tamen vim, & metum debilitauit, atque confregit, vt ex omnium terribilium terribiliſſimo, electis reddiderit deſiderabilem: Chriſtus enim moriendo, mortem noſtram deſtruxit: quia etſi homo erat qui pati poſſet, ſimul tamen innocens, ac Deus erat, qui mortis debitum non habebat. Hunc ergo vti purum, & ſimplicem hominem cum ignoranter inuaſiſſet, in ipſum Deum ſe impegiſſe ſenſit: qui cum omnium viuentium vita ſit, ipſam mortem abſorbuit, & ſimul cum ea deglutiuit eum, qui habebat mortis imperium. Hinc Damaſcenus lib. de Orthodoxa fide: *Intercepit igitur mors*, inquit, *& transglutiens illicientem corporis eſcam, diuinitatis hamo transfixus eſt: & inſons, & viuificum guſtans corpus, perit: ſed & omnes reſtituit, quos olim deglutiuerat. Nam quemadmodum tenebræ illato lumine diſparent, ſic & corruptio percuſſa vita, profligatur, & fit omnibus vita, ei vero, qui corrumpit, corruptio.* Sic ille eleganter. Quod alia ſimilitudine magis illuſtrabo. Nam vt cibus pernicioſus in ſtomachum iniectus cauſa eſt corruptionis ſtomachi ipſius, & aliorum ciborum: ita offa illa Chriſti, quam mors ſuis faucibus deuorauit, in cauſa fuit, vt omnes iuſtos, & ſanctos, quos antea deuorauerat, reſtituerit. Quod longe antea fuerat à Propheta Oſea prædictum: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne.* Hinc Bernardus in ſermone ad milites templi: *Sed vnde rurſum cõfidimus quod mortem abſtulit? Hinc plane quod etiam ipſe qui non meruit, pertulit. Qua enim ratione iterum exigeretur à nobis, quod pro nobis ille iam ſoluit? Qui peccati meritum tulit, ſuam nobis donando iuſtitiam: ipſe mortis debitum ſoluit, & reddidit vitam. Sic namque mortua morte reuertitur vita, quemadmodum ablato peccato redit iuſtitia. Porro mors in Chriſti morte fugatur, & Chriſti nobis iuſtitia imputatur. Verum quomodo mori potuit, qui Deus erat? Quoniam nimirum & homo erat: ſed quo pacto mors hominis illius pro altero valuit? Quia & iuſtus erat. Profecto namque cum homo eſſet, potuit mori: cum iuſtus, non debuit gratis. Non quidem peccator mortis ſufficit ſoluere debitum pro altero peccatore, cum quiſque moriatur pro ſe. Qui autem mori pro ſe non habet, nunquid pro alio fruſtra debet? Quanto ſane indignius moritur, qui mortem non meruerit; tanto is iuſtius pro quo moritur, viuit.* Hactenus ille. Baſilius quoque recte de hac re philoſophatur, ait enim

Gen. 2.
Rom. 5.
Heb. 2.
Damaſc. lib. 3. de Orthod. fid. c. 27.
Simile.
Aliud ſimile.
Oſe 13.
1 Cor. 15.
Hebr. 2.
Bern ſerm ad milit. templi. cap. 11. circa medium.
Baſilius.

Mortis vilitas atque impotentia, eam poſtquam Chriſtus vicit atque triumphauit, teſtib. Baſilio,& Athanaſio.

Athanaſius tom.1.

enim quodam loco: *Quam non ſuſcipiebat mortem, vt eos, qui ſub morte ſunt, viuificaret? Deuorauit ipſum mors ignorans: deuorauit vitam, & deuorata eſt à vita: deuorauit vnum cum omnibus, perdidit propter vnum omnes: rapuit vt Leo, confracti ſunt dentes illius. Quapropter etiam vt vilis contemnitur; eam non amplius vt Leonem timemus, ſed veluti Leonis pellem conculcamus.* Et Athanaſius de hoc glorioſo mortis Chriſti triumpho, atque victoria, libro de humanitate Verbi, eiuſque corporali aduentu, circa medium diſſerens, ait: *Nec mirum, cum iam tam imbecillis ſit (ſcilicet mors) vt etiam fœminæ prius ab ea deceptæ, nunc illam vt mortuam, diſſipatamq́; ludibrio habeant, non aliter quam vbi debellato per legitimum principem tyranno, manibusq́; pedibusq́; eius intra vincula conſtrictis, omnes quotquot ad id ſpectaculi ſuperueniunt ludibrijs ei inſultant, probris, verberibusq́; proſcindunt, ſecuri iam illius ſæuitiæ, & furoris, ob principis ſui de eo partam victoriam: ita quoque mortem iam debellatam, & per Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum in Cruce triumphatam manibus eius, pedibusq́; obligatis, omnes eam in Chriſto pedibus proterunt, martyresq́; Chriſto ſe præbentes, ſannis, ludibrijs, conuitijs exagitant, obiectantes, & quæ ſuperius dicta ſunt per Apoſtolum Paulum: Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi mors victoria tua? Vbi orce ſtimulus tuus? ſtimulus autem mortis peccatum eſt.* Et infra: *Qui ſerpentem proculcatum videt (maxime ſi antea cognitam habuerit eius feritatem) nihil addubitat quin extinctus ſit, planeq́; defecerit, niſi illum excipias, qui animo alienatus eſt, nec integre ſuis ſenſibus potitur. Quis enim cum Leonem videt ludibrijs exagitari à pueris, ignorat, eum vel mortuum iam eſſe, vel ſaltem omnibus viribus ſuis deſtitutum? Quemadmodum igitur iſta vera eſſe, oculis deprehendi licet, ita quoque à nemine ambigendum, mortem, quæ à Chriſti fidelibus ludibrio habetur, à Chriſto perdomitam eſſe, eiusque luem, ac vim corrumpendi extinctam eſſe.* Hæc illi ſancti Patres de morte præclare ſcripſerunt, ſenſeruntque: videnturq́; hæc habuiſſe ex Pauli ſententijs, qui habet: *Si vnus pro omnib. mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt. Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt.* Et iterum: *Sicut in Adam omnes morimur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur,* & ab Hebræos: *Vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium,* id eſt, diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.

1. Cor. 15.

Alterum exemplum Athanaſij ad idem oſtendendum

Vnde magni Patres illi hanc de morte doctrinam hauſiſſe videantur.

2. Cor. 5.

1. Cor. 15.

Heb. 2.

Quomodo ſeparata mors eſt à Chriſto, quæ tanta libertate adhuc ſæuit in membra Chriſti.

Obijcies; Quomodo ſeparata mors eſt à Chriſto, quæ tanta libertate adhuc ſæuit in membra Chriſti? *Quis eſt enim,* ait Dauid, *homo qui viuet, & non videbit mortem?* Et, *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Reſpondemus cum Apoſtolo: *Quoniam quidem per hominem mors: & per hominem reſurrectio mortuorum.* Ex quibus verbis ſequitur, Chriſtum eatenus non liberaſſe à morte, non quidem vt temporalem mortem non incurramus, ſed vt per illam, quæ alias futura æterna erat, per reſurrectionis gloriam in vitam æternam tranſeamus, alioqui non eſſet opus articulo illo, quo credimus carnis reſurrectionem. Atque ita per Chriſtum vita eſt mors, non quo in ea ſit ſiſtendum, ſed vt per eam tranſitus fiat in æternam vitam. Et cum victoria mortis ſuper corpora humana fidelium in Chriſto morientium ad tempus ſit, & ad horam, vt illa Chriſti Domini teſtatur mors triduana, & illa beatæ Virginis, victoria tamen fidelium per Chriſtum in reſurrectionis gloria, æterna eſt, ſicut Paulus ait: *Cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria:* quæ, ſi Chriſtus morti ſe obnoxium non reddidiſſet, mors minime fuiſſet abſorpta: Chriſtus autem extinctus non fuiſſet, ſi mors noſtra non fuiſſet; nec mors noſtra niſi præceſſiſſet in nobis culpa peccati. Hinc Chriſti mors dicitur mors mortis noſtræ, & peccatum ſtimulus mortis noſtræ. Ille autem ſermo Prophetæ: *Ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne,* etſi in primo Chriſti aduentu ex parte ſit completus propter Chriſtum, & matrem à mortis imperio, & corruptione liberatos; tamen iuxta Pauli intellectum implebitur, cum tradiderit Deo regnum: quia tunc inſultabitur ab omnibus morti ipſi: *Vbi eſt mors victoria tua?* Vt enim id, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: ita mortis noſtræ temporalis incurſus meretur victoriã æternæ incorruptionis, & vitæ. Deinde dici poteſt alio modo Chriſtianus liberatus à morte temporali, quia illam non vt filius Adæ amplius patitur, cum ſit extra illud pactum conſtitutus, & in Chriſto patiatur mortem, nõ propter Adæ peccatum iam ſibi, quatenus propriũ fuit, remiſſum, ſed propter imitationẽ Chriſti; vt iam pretioſa in conſpectu Domini ſit mors ſanctorum eius; id eſt, non debito Adæ inflicta, ſed ad Chriſti ſimilitudinem, & imitationem tolerata. Poſtremo dici poteſt homo liberatus à morte tẽporali, quando ex terribili, atq; abominabili, reddita eſt amabilis, atque deſiderabilis. Hinc illa Simeonis vox: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine,* & illa Pauli: *Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

Pſal 88. *Heb. 9.* *1. Cor. 15.*

A morte per Chriſtum quatenus liberati fuerimus.

Ibidem. *Oſe. 13.*

Cauſa mortis Chriſti & mortis noſtræ quænam illa.

Ibidem.

1. Cor. 15.

Ibidem.

2. Cor. 4.

II. Solutio.

Pſal. 115.

III. Solutio.

Luc. 2.

Philip. 1.

Recteque propterea mors fidelium dicitur ſomnus pacis, & obdormitio in Domino, & corpora dicuntur quieſcere in cœmeterijs, id eſt, dormitorijs.

Cœmeterium quid.

Et ad hāc temporalem mortem demonſtrandam per Chriſtum deuictam, atque incorruptionem donatam fuiſſe, voluit Deus Chriſto moriente, & Spiritum ſuum emittente, ſepulchra, quæ ſunt velut ipſius mortis carceres, aperiri, & eos, qui illis captiui detinebantur, liberos emitti:

Matth. 27.

Multa, inquit Euangeliſta, *corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Chriſtus ergo Rex vitæ, & mortis Dominus agnoſcitur mortem ſua morte profligaſſe, & vitam ſua reſurrectione reſtituiſſe: quia nō ſolum ſeipſum à mortis vinculis eripuit, ſed multos etiam ſecum excitare voluit viuos.

B. Bernardi ſolutio propoſitæ quæſtionis.

B. Bernardus ſermone in tranſitu ſancti Malachiæ Epiſcopi ita hanc obiectionem diluit: *At fortaſſe quis dicat; Quomodo mors à capite ſuperata videtur, quæ tanta adhuc libertate ſæuit in membra? Si mors mortua, quomodo Malachiam occidit? Si victa, quomodo adhuc præualet vniuerſis, & non eſt homo qui viuat, & non videat mortem?*

Pſal. 88.

Victa plane mors opus diaboli, & peccati pœna, victum peccatum cauſa mortis, victus & malignus ipſe, & peccati autor, & mortis. Nec modo victa ſunt hæc, ſed & iudicata iam, & damnata. Diffiuta quidem, ſed nondum promulgata ſententia eſt.

Matth. 25.

Deniq; iam diabolo ignu paratus, etſi nondum ille præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore ſinitur malignari. Tanquam malleus cœleſtis opificis factus eſt, malleus vniuerſæ terræ.

Ierem. 50.

Terit electos ad eorum vtilitatem, reprobos conterit in eorūdem damnationem. Qualis ergo paterfamilias, tales & domeſtici eius, peccatum ſcilicet, & mors. Nam & peccatum licet ſimul cum Chriſto cruci ipſius non dubitetur affixum, adhuc tamen interim non regnare quidem, ſed habitare etiam in ipſo, dum viueret, Apoſtolo permittebatur.

Coloſſ. 2.

Mentior, ſi non ipſe ait: Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Sic & mors ipſa minime quidem adhuc abeſſe cogitur, ſed cogitur non obeſſe. Erit autem, cum dicetur: Vbi eſt mors victoria tua? & ipſa ſiquidem inimica nouiſſima deſtruetur.

Rom. 7.
Oſe. 13.
1. Cor. 15.
Ibidem.

Nunc verò moderante eo, qui imperium habet vitæ, & mortis, & mare ipſum certis littorum coercet metis, mors ipſa dilectis Domini ſomnus refrigerij eſt, Propheta atteſtante, qui ait: Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini. Peſſima quidem mors peccatorum, quorum & natiuitas mala, & vita peior, ſed pretioſa eſt mors ſanctorum. Pretioſa plane, tanquam finis laborum, tanquam victoriæ conſummatio, tanquam vitæ ianua, & perfectæ ſecuritatis ingreſſus.

Pſal. 86.
Pſal. 33.
Pſal. 115.

Hactenus ille bonus Pater. Quemadmodum ergo ter orāte Paulo pro ſtimulo carnis auferēdo, non eſt ablatus, ſed data gratia qua vinceretur, ac minime noceret, ita Chriſtus vincit mortem in nobis, dando gratiam, qua illam in ipſo ſuperemus, & in noſtram gloriam eius perpeſſionem conuertamus.

2. Cor. 12.

Nam ſi omnino Chriſtus mortem abſtuliſſet, vbi eſſent trophęa Martyrum, palmæ Virginum? Vbi trophæa pro Iuſtitia decertantium, & occumbentium?

Ad quintum, dicendum eſt quod Chriſtus nos redemit à lege, & maledicto legis, factus ipſe pro nobis maledictum, & rurſus: *Factus ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant* (ſcilicet Iudæos) *redimeret*, vt Paulus ipſe aſſerit in illa ad Galatas epiſtola, nam Galatæ cum eſſent Gentiles, nec ad legis vinculum obligarentur ſeducti tamen per pſeudoapoſtolos ad legis obſeruantiam inducti fuerant.

Quomodo à lege Chriſtus aſſeruit, cum eam ſeruare Gentiles minime cogerentur.
Gal. 3.
Infra 4.

Et recte arguit Paulus: *Si exiſtentes ſub lege liberantur à iugo legis, quid opus erat Gentiles ceremonijs legis grauari, quæ etiam in ipſis finem habuerant?* Etſi autem aduentu Meſſiæ terminanda lex erat iuxta Prophetarum vaticinia; non tamen in ipſo natiuitatis ſuæ initio, ſed poſt legem nouam prædicatam, & Chriſti mortem in cruce, in qua dixit: *Conſummatum eſt*: & poſt mortem eius per Apoſtolos legem Euangelicam vniuerſo orbi traditam lex omnino ceſſare debuit.

Lex Moyſi quando fuerit terminanda.
Ioan. 19.
A qua lege Moſis Chriſtiani liberi fuerint nunquam.

Non autem intelligas, ita liberatos à lege fideles ex Iudæis, vel Gentibus conuerſos, quaſi ad eos Decalogus, qui ante legem obligabat, & per Chriſtum, & Apoſtolos ſtabilitus eſt, non pertineat; ſed quod à iudicijs, & ceremonijs ſint etepti: nec ab illis quidem, ita vt non liceat legere Moyſen; & Prophetas, & illorum ſenſibus, qui Chriſtum, & Euangelium continent in ſenſu ſpirituali populum Dei paſcere.

Ad ſextum dicendum eſt, ianuam cœleſtis regni per mortem Chriſti fuiſſe apertam, & oſtium Paradiſi peccato Adæ clauſum, & Angelis cuſtoditū reſeraſſe: in cuius rei ſignum velum templi ſciſſum fuit, vt aditus pateret ad Deum, ſibique latus perfodi permiſit lancea, vt nobis oſtium aperiret.

Quomodo Chriſtus ianuam cœli aperuiſſe dicitur, cum in id Henoch, & Helias rapti legantur.
Gen. 3.
4. Reg. 2.
Matth. 27.
Ioan. 19.
Heb. 9.

Hinc Paulus habet: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum non manu factum, &c. ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta.* Quod eleganter in lege adumbratum erat: nam homicidæ qui in ciuitates refugij ſe receperant, poſt mortuum Pontificem poterant in domum reuerti ſuam, vt ſtatuitur in libro Numerorum. Hinc de Domini aſcenſione dicitur per Michæam: *Aſcendet pandens iter ante eos*, & per Dauidem: *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatē*, quæ poſſeſſionem regni cœleſtis

Num. 35.
Mich. 2.
Pſal. 67.
Epheſ. 4.

ſimul

Cur ante Chriſti mortem, iuſtorum hominum mors triſtis erat, & minime iocunda.

Eſa. 38. 4. Reg. 20. 2. Paral. 32.

ſimul cum eo accepit. Hinc eſt, quod ante Chriſtum mortuum ſanctorum, ac iuſtorum hominum mors non fuit læta, ſed triſtis, nunc vero glorioſa, & pretioſa eſt. Hinc Ezechias Rex, & quidem iuſtus, cum audiſſet à Propheta: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues*, cum fletu cecinit: *Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi. Quæſiui reſiduum annorum meorum, dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viuentium* (ſcilicet donec veniat tempus; donec recorderis mei) *non aſpiciam hominem vltra, & habitatorem quietis.* Secus noſtri Martyres, qui cum Paulo cupiunt diſſolui, & eſſe cum Chriſto, & læti moriuntur, quia ſentiunt inſtare tempus redemptionis ſuæ.

Philip. 1.

B. Bernard.

Hinc B. Bernardus: *Puto quod arbitretur indignum (ſcilicet Eccleſia) quantumlibet laudabili morti, quæ Chriſti mortem præcedit, diem feſtum impendere, præſertim cum ante illam ſalutiferam paſſionem non feſtiua gaudia, ſed clauſtra tenebroſa morientes quoſque exciperent: Nunc autem pœnis debitis peccato humani generis per mortem Chriſti exolutis, aperta eſt ianua regni cæleſtis omnibus tam ante Chriſtum, quam poſt Chriſtum credentibus. Proinde & tam congrua ratione Eccleſia dies feſtos agit Ioannis Baptiſtæ, ſanctorum innocentum, Simeonis, Zachariæ, Machabæorum, Martyrum, & aliorum morientium ante Chriſtum: qui etſi ſuis ſeculis pro Chriſto morientes tranſierunt ad inferos, mox tamen poſt Chriſtum paſſum migrauerunt in cælum.*

Eos etiam qui ante Chriſtum pro veritate vitam profuderunt, cur Eccleſia diebus feſtis honoret.

B. Stephanus cur dictus protomartyr.

Propterea B. Stephanus merito dicitur protomartyr, & primitiæ martyrum in eius ſanguine dedicatæ: non quod ante Chriſti aduentum non fuerint martyres, ſed quia primus peracto ſuæ paſſionis triumpho, non ad inferos deſcendit, vt cæteri omnes prædicti, ſed in cœlum. Vnde ipſe in conflictu ſuo dixit: *Ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei.*

Act. 7.

Etſi autem in baptiſmo Chriſti cœli ſint aperti: non quidem ſibi, cui ſemper patuerunt cœli, ſed ad indicandam vim, quam debebat habere baptiſmus poſt eius mortem ſuſceptus, factũ eſt: nam omnib. aperit ianuam regni cœlorum. Henoch vero raptum in Paradiſum, & Heliam ſubleuatum in cœlum: intellige non Empyreum, ſed aereum, & amœnum locum aliquem, in quem illi ſancti ad tempus ſunt recepti. At in Empyrei regni ſolium primus Chriſtus eſt ingreſſus, qui dicit: *Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam.* Etſi enim Chriſtus regnum cœlorum omnib. iuſtis, & ſanctis, qui ante ſe fuerunt, comparauerit, etiam priuſquam pretium penderetur; eo tamen tempore genus humanum non

Matth. 3. Chriſti in baptiſmo cur aperti ſint cœli.

Gen. 5. 4. Reg. 2.

Quid per Paradiſum, ſeu cœlum, in quod Henoch, & Helias rapti leguntur, intelligendum ſit.

Pſal. 117.

erat in poſſeſſionẽ regni cœleſtis ingreſſũ, ſed tamdiu excluſum manebat, donec veniret qui pretium numeraret. Quemadmodum etiam in ciuili contractu plerunq; euenire ſolet, vt emptio, in qua nec emens tradit ſtatim pretium, nec vendens tradit ſtatim rem, quã vendit, ſed vterq; dat fidẽ ſuam, ille quidẽ de pretio ſoluendo ſtatuto tẽpore, hic vero de tradenda certo tempore merce vendita. Ita in hoc negotio redemptionis, quidam veluti futuræ emptionis, & venditionis contractus celebratus eſt, fœdus atq; pactũ initũ, teſtiumq; iuramento firmatum, atq; ita in verbo promiſſionis ſuæ Deus ſpem, & cõſolationem humano generi contulit, reuelans ex Adam venturum filium, qui pro debito ſolueret parentum, quod ipſi nõ poterant, promittens interim peccati remiſſionem, gratiam & pacem omnib. credentibus, & inuocantibus ipſum; hæreditatem tamen paternam cœleſtis gloriæ deperditã tandiu reſtituere differens, donec pretiũ penderetur: quemadmodum non raro accidit, vt verus hæres, dignuſq; paterna hæreditate aliquis ſit, ſed illam paterno debito oppignoratam adire non valeat, priuſquam debita integre perſoluantur.

Quemadmodum egerit Deus cum patribus antiqui teſtamenti vſque ad aduentum Meſſiæ omnium redemptoris, & liberatoris.

Ad ſeptimum dicendum eſt, paſſionem Chriſti cauſam extitiſſe noſtræ cum Deo recõciliationis, duplici ratione. Altera, quatenus per modum redemptionis remouit peccatum, per quod homines cõſtituũtur inimici Dei: nam odio ſunt Deo impius, & impietas eius, & iniquitates noſtræ ſunt, quæ diuiſerunt inter nos, & Deũ noſtrum. Altera, quatenus eſt ſacrificiũ Deo acceptiſſimum, ipſum placans, atq; odore ſuo ſuauiſſimo mitigans. Non autẽ dicitur ita nos reconciliaſſe, quaſi de integro nos amare inceperit, cum in charitate perpetua nos dilexerit, ſed quia peccata noſtra, quibus iram Dei in nos concitauimus, odiumque eius nobis cõflauimus, per Chriſti mortem ſunt ſublata, & in amicitiam, gratiamq; cũ Deo rediuim⁹, ac plane recõciliati ſumus. Quod enim nobis cũ aliqua Dei mutatione fieri concipimus, vt nunc amet, nunc odio habeat, ſine vlla tamen, quæ in eum cadat, mutatione prorſus contingit, nobis tamen tantum mutatis: nam ab æterno, vt Adæ filios, & peccatores ſẽper odio habuit; vt iuſtos verò, & per Chriſtũ regenitos ſemper dilexit. Neq; nos aſſerimus, interfectores Chriſti, per flagitium illud ſummum, & exaggerandum, quo manus inijcere in Filium Dei temere auſi ſunt, Deum ſibi aut alijs reconciliaſſe; ſed Chriſtum tantum pro eo quod ex obedientia, & cum magna chari-

Qua ratione ſimus per Chriſti mortem reconciliati, cum reconciliatio inter eos non ſit, qui ſemper ſunt amici.

Sap. 14. Eſai. 59.

Qualis ſit hæc noſtra cum Deo reconciliatio.

Ierem. 31.

Mutationes in Deo, ſcilicet amori, & odij, vt ſint accipiendæ.

Quanta vis & potentia Chriſti obedientiæ, & patientiæ apud Deum fuerit.

charitate mortem ſuſtinuit, illamque pro nobis Patri obtulit, reconciliationem noſtram operatum fuiſſe, pluſq; valuit Chriſti obedientia, atq; patientia Deum placare, quàm rabies, & furor interficientium irritare, atq; ad vindictam prouocare. Diligẽter enim in Chriſti morte diſtinguẽda ſunt, & quæ Iudæi, vel Gentiles in eius nece patrarunt, quæ omnia ſunt iniquiſſima, atq; execrabilia, & quæ Chriſtus ex parte ſua, vel fecit, vel ſuſtinuit, quæ omnia ſunt ſanctiſſima, Deoque gratiſſima, nobis verò quàm maximè ſalutaria.

Quomodò Chriſtus cum eſſet Deus, potuerit, ac meruerit exaltari.

Ad poſtremum dicimus, Dominum per humiliationem, qua ſe in operãda redemptione noſtra ſponte deiecit, magno iure exaltationem ſuam promeruiſſe, etiamſi alijs ſuis actionib. multis, & magnis, ex quo incarnatus eſt, illam ſibi debitam reddiderit. Sed hæc eſt gloria Domini noſtri, vt multis iuribus, rationibuſq; exaltationem ſuam, & gloriã promeruerit, vt aliquod ex illis poſſet nobis communicare. Vnde Apoſtolus cùm de humiliatione Chriſti dixiſſet: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis*, cùm regula à Domino tradita habeat: *Qui ſe humiliat, exaltabitur*, continuò ſubiungit: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ*, & reliqua. Quia ergo ſe humiliauit in paſſione ad mortem, cuius non erat debitor, & ad locũ, quia poſitum corpus eius in ſepulchro, & anima deſcendit in infernum, ad confuſionem, & opprobria quæ ſuſtinuit; & quia ſiſti voluit vt reus ante tribunal Caiphæ, & Pilati, cui dixit: *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper*: Propterea obediẽtia mortis ſuæ, atq; humilitate quadruplicem exaltationem promeruit. Et primò quidem glorioſam, & immortalem corporis reſurrectionem, quæ morti reſpondet; admirabilem quoque euectionem, atque aſcenſionem in cælum, vt qui deſcendit in inferiores partes terræ, ipſe ſit, qui aſcendat ſuper omnes cælos, & conſeſſum ad Patris dexteram. Tertiò, detectionem ſuæ diuinitatis, & glorioſi nominis, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtriũ, & infernorum. Etſi enim à die conceptionis ſortitus fuerit nomẽ Ieſu, opes tamen in hoc nomine incluſas, & virtutes nonniſi poſt mortẽ in cordibus credentium patefecit, vt tunc dicatur dediſſe ei nomen, quando eius myſteria reuelauit. Quartò, promeruit & iudiciariam poteſtatem mundi, vt ipſi homini tanquam ſupremo iudici vniuerſi homines ſiſtẽdi ſint. Quanquam hanc poteſtatẽ alio

Philip. 2. *Luc. 14.* Chriſti regula. *Matt. 27.* *Sup. 26.* *Infr. 27.* *Ioan. 19.*

Per Crucem & paſſionem ſuam quadruplicem exaltationem promeruit Chriſtus.

Epheſ. 4. *Philip. 2.* *Luc. 2.*

iure, nempe quatenus Deus eſt, haberet, hanc tamen quatenus homo eſt ſibi comparauit; de qua ipſe dixit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra*; & Iob: *Cauſa tua quaſi impij iudicata eſt, cauſam, iudiciũq; recipies.* Æquum igitur eſt, vt nos, qui ſancto ſuo redempti ſanguine ſumus, eum in cordibꝰ, & linguis, atq; operibus noſtris, ac paſſionibꝰ pro eo toleratis exaltemus, & illuſtremus, illumq; tanquam iuſtiſſimum, & incorruptum iudicem noſtrũ, ante cuius tribunal nos ſtare oportet, agnoſcamus, illumq; nobis beneuolũ, ac propitiũ quoad poſſumꝰ, efficiamus, vt ſententiam, quæ in æternum ſtare pro nobis valeat, proferat, illiq; cum Patre, & Spiritu S. immortales gratias agamus, & æternum laudis, honoris, & gloriæ ſacrificium immolemus, Amen.

2. Cor. 5. *Matth. vlt.* *Iob. 36.*

Quid debeant homines redempti Chriſto redemptori ſuo.

2. Cor. 5.

TRACTATVS VI.

De acerbiſſima Domini Ieſu paſſione ſimul & de compaſſione, ſiue commiſeratione, qua erga noſtram miſeriam ſubleuandam affectus fuit, in illa Ioannis Euangeliſtę verba: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo.* Apoc. 1.

QVo frigida, ac torpentiã hominum pectora magis inflammare, & charitatis illo igne, quem Ieſus venit mittere in terrã, incendere valeamus, prudens lector, aliquid aliud præfandum nobis videtur de intimo illo ac tenero commiſerationis affectu, quem Græci συμπάθειαν, vulgus compaſſionem vocat, quo nos, noſtroſq; errores Ieſus filius Dei pro ſua incomparabili bonitate miſerari dignatus eſt, atq; adeò de acerbiſſima, & pretioſiſſima ipſius paſſione: idq; quo commodius præſtare poſſimꝰ, verba dilecti diſcipuli Ieſu, ac filij tonitrui in principio ſuæ illius diuinæ reuelationis explicare conabimur: quę in hunc modum habent: *Ioannes 7. Eccleſiis quæ ſunt in Aſia: Gratia vobis, & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à 7. ſpiritibus, qui in cõſpectu throni eius ſunt, & à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo; & fecit nos regnũ, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo.* Verè magnifica, myſterijs prægnans, & Apoſtolico ſpiritu referta ſalutatio. Precatur in primis gratiam, quæ eſt primum

Mens autoris.

Luc. 12.

συμπάθεια quid.

Marc. 3. *Exod. 3.*

Cur Ioannes ſeptem Eccleſijs gratiam, pacemq; à Domino precetur.

mum bonum, quod Deus fidelib. ſuis donat, ad quod Apoſtoli viuẽres vocati ſunt: & pacẽ, quod eſt poſtremum bonũ, quod Ieſus penè moriens quaſi pretioſum legatũ diſcipulis reliquit ſuis: in his verò primo, & vltimo donis cætera intermedia comprehenduntur. Hæc autem ab eo precatur qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. Quod periphraſis quædã eſt æterni Dei, ꝓpterea non inquit, qui fuit, quaſi amplius non ſit, ſed qui erat? nec dixit, Qui futurus eſt, quaſi prius non fuerit: vt oſtendatur Dei æternitas, quæ omne tempus ſua immenſitate ambit, omniq; noſtro tempori præſens eſt, cui nec id quod nobis præterijt, elapſum eſt, nec quod nobis aduenìet, eſt futurum. Si enim hominis animo à conditione ſua datum eſt, vt non deſerens præſens, in quo eſt, poſſit eſſe in præterito per reminiſcentiam, & in futuro per prouidentiam: quãto magis hoc eminentiori modo proprium erit diuinæ illi naturæ nobis incomprehenſæ, quæ nec loco clauditur, nec temporis noſtri differentijs circumſcribitur? Subdit: *Et à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt.* Hęc quidam referunt ad dona Spiritus ſancti: verùm quia illa accidentia ſunt, non ſubſtantię per ſe ſubſiſtentes & Angeli propriè dicuntur aſſiſtere ante Deum, rectius, ſolidiusq; de 7. Angelis, qui aſtare dicuntur ante Deum hoc loco, & apud Tobiam, intelligitur, ex quorum numero eſt & Gabriel, qui de ſe apud Lucam ait: *Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum.* Nam etſi millia millium Angelorum aſſiſtere dicantur ante Deum apud Danielem, ſeptem tamẽ principes eſſe creduntur natura, & poteſtate, ac proinde gratia, atq; gloria cæteris eminentiores, qui toti militię cæleſti prędidẽt, resq; humanas per ſe, & alios inferiores curant. Hi autem qui non gignunt ſimiles in ſpecie, Patres non dicuntur: & quia non gignuntur, cùm ſint expertes omnis materiæ, non vocantur filij, vt nos: quanquàm metaphoricè, quia iuſtificati, filij Dei dicantur, vt apud Iobem dicitur: *Factum eſt cùm quadam die veniſſent filij Dei, & ſtarent coram Domino*, & iterum: *Quum me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei:* & Dauid: *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Domino in filiis Dei?* Vnde & Spiritus S. nec gignit, nec gignitur ſed volũtate Dei Patris Filium ſummo amore proſequentis, & Filij Patrem pari charitate diligentis producitur, & ſpiratur: ita Angeli ex amore, & voluntate Dei vt eſſe poſſent, producti Spiritus dicuntur, iuxta illud: *Qui facis Angelos, tuos ſpiritus.*

[Left margin: Ioan. 14. — ...expenditur: qui eſt & qui erat & qui venturus eſt. — ...mne tempus æternitas ambit. — Qui ſint illi ſeptem ſpiritus, qui aſſiſtere dicuntur ante Deum. — Tob. 12. — Luc. 1. — Dan. 7. — Angeli cur propriè nec patres, nec filij dicantur. — Iob. 2. — Infr. 38. — Pſal. 88. — Proprium Spiritus S. — Pſal. 103. Heb. 1.]

Quòd verò ab illis petitur gratia, aut pax; prudenter eſt accipiẽdum. Non enim illi Spiritus, aut efficiunt, aut infundunt illa dona in nobis, vt Deus: nec illa promerentur, vt Chriſtus homo, de quo ſtatim facit mentionem: ſed quia illi ſunt miniſtri ſalutis noſtræ, interpellatores, curatoresq;, noſtræ cuſtodiæ per diuinam prouidentiam deputati; ideò rectè ab illis tanquam mediatoribus, & interceſſoribus noſtris precatur gratiam, & pacem: *Et à Ieſu Chriſto.* Quia plura erat dicturus de Domino Ieſu, & quia humanitas eius, vt talis etiam Angelis quantum ad naturam attinet, eſt inferior, ſecundùm illud: *Minuiſti eum paulò minus ab Angelis:* tamen quod ſpectat ad gratiam, ſecundùm quam caput eſt, & Rex illorum, maior eſt, idcircò vltimo loco ponitur Ieſus Chriſtus; nam vt homo non ſolùm inferior eſt Patre, & Spiritu ſancto, ſed etiam ipſis Angelis. Subiungit: *Qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps Regum terræ?* Tres honorificos titulos Chriſto tribuit. Primus eſt, *Teſtis fidelis:* in hoc enim natus eſt, & ad hoc venit in mundum, vt teſtimonium perhiberet veritati: & fidelis dicitur, quia non mentitur in dictis ſuis: quia vidit perfectè, & audiuit quæ locutus eſt, iuxta id: *Quod ſcimus loquimur, & quod vidimus, teſtamur.* Non fallit etiam in promiſſi, quia ſcriptum eſt: *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Accedit magnitudini teſtimonij eius, quòd ſimul eſt iudex & teſtis, nihilque eorum, quę teſtificari debuit, omiſit: *Omnia*, inquit, *quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Fortiſſimus etiam, & conſtantiſſimus extitit in ferendo teſtimonio: nam non obſtante perſecutione, infamia & morte Crucis, in confeſſione perſtitit veritatis. Secundò, vocat eum primogenitum mortuorum: non quòd alij tam in Veteri, quàm in Nouo Teſtamento ante eum ſuſcitati non ſint ab inferis, ſed quòd primus ſit ad vitam immortalem ſuſcitatus, & tanquam primogenitus honoratiori ſuſcitationis genere dignꝰ habitus: quia poſt triduum excitatꝰ eſt à ſomno mortis, & non expectauit poſtremum diem iudicij, in quo omnes mortui, qui in Chriſto ſunt, ad ſimilem gloriã reſurgent. Atq; hunc ſenſum iuuat, quòd Paulus in Actis probat Chriſtũ à mortuis ſuſcitatum, illo teſtimonio prophetico: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Atq; is planè intellectꝰ Prophetæ confirmari poteſt, tùm ex pręcedentibus, in quibus de myſterio paſſionis perſpicuum habet ſermonem, tùm ex conſequentibus vbi habet: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & poſſeſſionem tuã terminos terræ,* nã hoc cõſecutũ eſt eius à mortuis

[Right margin: Quo ſenſu ab Angelicis ſpiritib. gratiã & pacem poſtulet Ioannes. — Quare ſecundum Angelos gratiam & pacem à Domino Ieſu Chriſto precetur Ioannes. — Pſal. 8. Heb. 2. — Chriſtus Ieſus cur dicatur teſtis fidelis. — Ioan. 18. — Sup. 3. — Pſal. 144. — Ierem. 29. — Ioan. 15. — Quare Chriſtus vocetur primogenitus mortuorum. — Matth. 12. 20. 28. — 1. Theſ. 4. — Act. 13. Pſal. 2. — Ibidem.]

Chriſtus princeps Regũ terræ cur dictus à Ioanne.
Matth. vlt.
Philip. 2.
Heb. 1.
Reges omnes, & Principes poteſtatẽ ſuã omnem cur ferre debeant acceptam vni Chriſto.

ſuſcitationem. Tertius titulus eſt: *Princeps Regum terræ.* Quia vt ipſe ſuſcitatus dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra: & in nomine eius flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, Sedet ergo ad dexterã maieſtatis in excelſis, moderaturq; ac regit Reges terræ, id eſt, Principes tàm ſeculares, quàm Eccleſiaſticos, qui ſiue in temporalibus, ſiue in ſpiritualibus præficiuntur, & qui finis, & ſcopus eſſe debet omnium tàm ſpiritualiter, quàm temporaliter regnãtium: quia agnoſcere debent omnem ſuam poteſtatem, ſiue ſuper facultates & corpora, ſiue ſuper animas à Chriſto eſſe profectam, atq; comparatam, & in eos, quos ipſe voluit, deriuatam; ac proinde ſe, vt vicarios Chriſti prorſus gerant in illa adminiſtrãda, cui de omni adminiſtratione tanquam domino reddituri ſunt rationem. Sequitur: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Quibus verbis extinctor, aut deſtructor delictorum declaratur. Quia enim peccatum omne in animo concipitur, opere autem ipſo perficitur; ideò Chriſtus venit ad nos dilectione, ſiue commiſeratione, quæ vniuerſa operit delicta, atq; adeò externa paſſione, vel ſanguinis effuſione præditus, vt peccata noſtra deleret atq; ablueret. Nam de priori illo affectu ita prædixerat Eſaias: *Angelus faciei eius ſaluauit eos: in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſeculi.* De ſecundo verò idem Propheta prædixerat: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Meritò igitur tractabimus primo loco de commiſeratione Chriſti, quæ vel ipſa eſt dilectio, vel ex dilectione oritur; Deinde de acerba paſſione, ſiue ſanguinis profuſione, quæ ex commiſeratione proficiſcitur; Tertiò loco de fructu vtriuſq; dicendum erit, de quo ait: *Et fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo, & Patri ſuo.* Vt igitur primum expediamus; perpendẽ, quòd etſi ab æterno Deus fuerit miſericors, atq; ea de re frequenter, & ſummè in Scripturis commendetur, imò ipſa adeò miſericordia; poſtquam tamen carnem indutus homo factus eſt, mirificauit miſericordias ſuas ſuper timentes ſe, vt ait Propheta; hoc eſt admirabiles, & omni contẽplatione dignas, ac proinde dulciſſimas miſericordias ſuas effecit. Fuit enim Dominus Ieſus natura ſua ad affectu cõmiſerandum, & effectu ſuccurrendum propenſiſſimus: nam propterea de dulci, ac benigno Spiritu ſancto conceptus eſt, & de fœmina ſola, atque illa quidem Virgine, quæ teneriori temperamento eſt prædita, adde quòd

Quid eſt quod Chriſtus lauiſſe dicitur nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.
Effectus dilectionis Chriſti.
Prou. 10.
1. Pet. 4.
Eſa. 63.

Supr. 53.

De Chriſti erga nos commiſeratione, ſeu dilectione diſſeritur.
Ioan. 1.
Pſal. 10.

Quando mirificauit Deus miſericordias ſuas ſuper timentes ſe.

Math. 1.
Luc. 1.

erat regina miſericordiæ, & filia Dauidis, de manſuetudinis virtute celebrati; vt vndiq; Ieſus eſſet miſericors, & tenerum, ac dulcem charitatis affectum erga nos oſtenderet. Quare B. Thomas in illa Apoſtoli verba ad Hebræos 5. *Et quidem cum eſſet Filius Dei* (ne quiſquam derogari putet Chriſti ſcientiæ, quem ab æterno habuit vt Deus, & à momento incarnationis vt homo) *didicit ex ijs, quæ paſſus eſt obedientiam:* ita ait: *Cum enim ſit Filius Dei ab æterno, & ſecundum hoc nec pati, nec compati poſſet, aſſumpſit naturam, in qua pati poſſet ratione Corporis; & compati ratione animæ.* Hæc ille egregiè ad ſenſum. Obedientiam autem practicè didicit, quàm theoricè nouerat, quantæ eſſet apud Deum virtutis, & efficaciæ ad diſſoluenda debita omnia per præuaricatorẽ Adam, & poſteros eius contracta. Didicit etiam miſericordiam & miſericordiæ incrementum, de quo idem Apoſtolus dixerat: *Vnde debuit per omnia fratribus ſimulari; vt miſericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſq; peccato.* Didicit autẽ Chriſtus à flagello, qui durus eſt magiſter: quia tamen optimè docet, per illud ſanctos ſuos erudire voluit. Nam vt Apoſtolus ait, *Flagellat omnem filium, quem recipit:* &, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Hunc igitur magiſtrum audiens, diſcere voluit Filius Dei. Vt rectè dixit Bern. *Pati voluit Chriſtus, vt compati diſceret: miſer voluit fieri, vt miſereri diſceret.* Hæc ille ad ſenſum. Homo etenim homines ſuæ ſpeciei afflictos miſeratur, præſertim verò hi, qui diligunt, cum eos quos amant, vident in afflictione poſitos, vt parẽtes filios, viri vxores, & in vniuerſum malorum experientes eos qui eiſdem malis inuoluuntur. Quare rectè monet Apoſt. ad Hebræos, dicens: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius* (in quo ſedebit in throno iuſtitiæ) *vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in tempore opportuno.* Propterea enim Chriſtus caput inclinatũ in Cruce habuit, quò ſe ad exaudiendum facilem nobis indicaret. Nã qui requieſcit in molli lecto, difficilè audit vocantem, & difficilius ſurgit, vt indicat parabola Euãgelica de accedẽte media nocte ad amicũ, vt cõmodato acciperet 3. panes; qui verò in duro lecto dormit, facilè audit vocantes, & facilius illum deſerit: ita Dom. Ieſus dũ quieſceret in ſinu Patris, tãquã in molliſſimo, & ſuauiſſimo lecto, difficilẽ ſe in audiẽdo præbebat; at poſtquã in lecto Crucis quieſcere voluit, propenſũ ſe ad audiẽdũ exhibet, in quo ipſe à Patre ſuo exauditus eſt in omnib. pro ſua reuerentia

Mira Ieſu benignitas.
Pſal. 131.

S. Tho. in c. 5. epiſt. ad Heb. lect. 2. to. 16.
Heb. 5.
Chriſtus Dei filius cũ eſſet omniſcius qui nam didicit obediẽtiam ſecundum Apoſtolum.

Quæ prætereà Chriſtus didicerit.
Heb. 2.
Inf. 4.

Flagellum durus magiſter, optimus tamen.
Heb. 12.
Act. 14.

Bern. tract. De gradibus humilitatis initio ferè.
Quos in primis miſeremur natura.

Heb. 4.

Chriſtus in Cruce cur caput habuerit inclinatum.

Luc. 11.
Quid Chriſtũ fecerit valde exorabilem nobis.

Heb. 5.

Miſeria propriè quid ſit. *Scot. in 4. diſt. 49. q. 7.*

Eſt autem miſeria propriè, & eſſentialiter culpa ipſa; non autem aliqua pœna, vel triſtitia, vt docent Scholaſtici; etſi omnis pœna, qua peccatum punitur, ſecundum quid ſit miſeria. Quare culpa facit, vt pœna miſeria dici poſſit: nam vt rectè ait Salomon: *Iuſtitia eleuat gentem; miſeros autem facit populos peccatum.* Ex hac autem culpæ miſeria factũ eſt, vt miſer Chriſtus appatuerit. Nam ſi Adam non peccaſſet, ſine vlla miſeria pro gloria humani generis natus fuiſſet, vt quidam non contemnendi Doctores tradunt: illo verò peccante natus eſt plenus miſeris, ſicut reliqui omnes, de quibus apud Iob: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis.* Has autem tantas miſerias hominum commiſeratus Deus, ac ſubleuare volens, carnem indutus, dilectione plenus, & miſerias noſtras expertus, quò magis viſcera miſerationis nobis oſtenderet, ad nos venit. Vt autem teſtis eſt quidã inſignis Theologus maior extitit in Chriſto commiſeratio, qua nobis compati dignatus fuit, quàm paſſio ipſa, & multitudo tormentorum, quę pro nobis pertulit, non tantùm re ipſa ac tempore, & cauſa, ſed etiam ſubiecto, & merito, & inductione obligationis: de quibus vtiliter, & Chriſtianè philoſophandum eſt.

Prou. 14. Vnde miſer Chriſtus effectus ſit, eiuſdẽ in homines miſericordia æterna proceſſerat ſecundũ aliquos.

Iob. 14.

B. Bonau. in 3. ſent. diſt. Maior extitit in Chriſto cõmiſeratio, qua nos eſt proſecutus, quàm paſſio, teſte Bonauentura.

Nam in primis rem ipſam ſi preſſius ſpeculemur, omnis actus purè ſpiritualis, maioris eſt efficaciæ, quàm corporeus, vel miſtus: perfectior enim eſt viſio ſpiritualis, & auditus, quàm corporalis. Interior igitur ille commiſerationis affectus, qui eum intus excruciabat, maioris erat momenti apud Deum, quàm ipſa externa paſſio, quæ eius corpus torquebat. Hinc de illa priori dicitur: *Baptiſma habeo baptizari; & quomodo coarctor, vſquedum perficiatur?* Hanc autem coarctationem ante Chriſti paſſionem, ipſa commiſeratio efficiebat: vnde vt beata quædam Virgo per Spiritum ſanctum edocta dicere ſolita erat: *Cùm Chriſtus gemina Cruce premeretur, interna, & externa; quò plus externa creſcebat, eò magis imminuebatur interior.* Nam cuncti morituri protrahunt vitam, quantum poſſunt; præter Chriſtum, cùm intelligeret nos ſua morte dæmonis à poteſtate reuocandos, & in propriam domum tanquam exules per mortem ſummi Pontificis reſtituendos, optabat, nos commiſeratus, citius diſſolui, dicebatque: *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.* Cùm igitur paſſio à commiſeratione oriatur; conſtat, illam hac eſſe inferiorem. Deinde maior quoq; eſt tempore: nam humani generis miſerias cœpit ab vtero matris ſuæ, imò à momento conceptionis miſerari, ac dicere poterat illud, quod eſt apud Iob: *Ab infantia mea creuit mecum miſeratio; & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum:* nam quia hominum miſeriæ ab vtero matris incipiunt, in quo mater noſtra nos in peccato concipit; Chriſtus per Spiritum ſanctum cõceptus hanc noſtram agnoſcens miſeriam, miſerari, ac deplorare cœpit: hinc in vtero matris deliteſcens cantat per os matris Dei miſericordiam: *Et miſericordia,* inquit, *eius à progenie in progenies timentibus eum.* In vtero matris feſtinabat conſcendere in montana, vt præcurſoris miſeriam ſubleuaret ſanctificando eum: natus in præſepio, miſertus eſt paſtorum, ac Magorum, quos ad ſe ad orandum perduxit, & Ægypti, quam viſitauit, ſuaq; præſentia illuſtrauit. Ideo meritò hæc commiſeratio ab vtero figurata eſt in Phares, qui dum ex vtero Thamar in lucẽ prodiret, coccineum filum digito alligatum eduxit; quò nobis indicaret ſe ex ventre matris miſericordiã erga nos concepiſſe, & per illam ad nos à tanta miſeria ſubleuandos alligatũ naſci, & illam paſſionem, quam pro nobis debuit ſuſtinere, in memoriam redigere. Quare prima Chriſti hominis incarnati cogitatio, vt quidam non improbabiliter docent, fuit, pro mundi periclitantis ſalute ſeipſum ex miſericordia Patri offerre. Quod ex Pauli verbis elicere contendunt, qui ad Hebræos ait: *Ideò ingrediens mundum* (ſcilicet in conceptione, quando Verbum caro factum eſt) *dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi. Holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio* (*in capite libri ſcriptum eſt de me*) *vt faciam Deus voluntatem tuam.* Cùm igitur Chriſtus à conceptione ipſa huius commiſerationis affectu tactus fuerit, paſſionem verò tantùm poſtremis vitæ ſuæ diebus, etiamſi in die Circumciſionis aliquid eius deguſtauerit; conſtare poteſt diuturnitate temporis commiſerationem Chriſti vincere eius paſſionem. Tertiò cauſa etiam eſt maior commiſerationis, quàm paſſionis. Nam miſeratio malum culpæ reſpiciebat potiſſimum, cui ſubleuando opem ferre cogitabat, paſſionis verò obiecta, multiplicia erãt pœnarum tormenta, & ſupplicia. At ratio docet, vel pauca mala culpæ maiori cõmiſeratione, ac fletu digna eſſe, quàm infinita ſupplicia pœnæ, atq; tormenta ſi adhiberentur: quia quodlibet malum culpæ cùm in Deũ infinitum tendat, grauius multò eſt, quàm multæ corporis afflictiones, & pœnæ, quæ tantùm contra creaturas ſunt, & non contra Creatorẽ. Nam re ipſa Dominus tantũ à carnificibus patiebatur; at in anima tot carni-

Maiorem in Chriſto compaſſionem, vt ait Bonauentura, quam paſſionem fuiſſe.

Luc. 12.

B. Catharina Senenſ. Crux Chriſti interior quãdo minueretur.

Luc. 22.

II. ratio.

Iob. 31.

Pſal. 50. Matth. 1. Luc. 1.

Ibidem.

Infra 2.

Matth. 2. Ibidem.

Gen. 38. Quã in ſe fuerit adumbrata in nos tanta commiſeratio Chriſti.

Prima Chriſti hominis incarnati cogitatio quæ fuerit, ſecũdum quoſdam & vnde illam hauſiſſe videantur. *Heb. 10. Ioan. 1. Pſal. 39.*

Luc. 2.

III. ratio.

Malum culpæ quale & quantum ſit.

carnifices cruciantes habuit, quot nos peccata commiſimus, pro quibus luendis extinctus eſt ipſe. Hinc per Eſaiam dixit: *Veruntamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Seruiuit Chriſtus tùm Patri, nos magna ſua dilectione commiſerando; tùm nobis, pro noſtris peccatis expiandis mortem ſuſtinendo. Quartò ſuperat quoque in ſubiecto. Nam miſeratio in ſpiritu conſtituitur, & per coniunctionem in corpore: at paſſio in corpore fuit, & conſequenter propter vnionem eius cum animo, etiam manet in Spiritu: nemo autem eſt qui ignoret, corpore ſpiritum multò eſſe maiorem. Hinc ab initio paſſionis in horto cœpit pauere & tædere, & dicere, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, nam potens erat ille internus dolor animum à corpore ſeiungere, niſi Deus proſpexiſſet. Adhæc magis ſe premi in animo oſtendit, quando pro crucifigentibus precatus eſt Patrem, quàm in corpore flagellis cæſo, & clauis in Cruce perfoſſo. Præterea plus eſt miſericordia ſua promeritus pro nobis, quàm paſſione: quia paſſio dici poteſt exercitatio corporalis minus vtilis quàm pietas, quę ad omnia valet. Hinc eius mors ob miſerationem annexam figuratur in agno, & oue, quæ ſunt animalia naturali quadam pietate prædita; quorum vox ad commiſerationem excitat. Et cùm ſemel per paſſionem oblatus ſit Deo; per miſericordiam millies ſe Patri obtulit. Cũ igitur operis externi bonitas nonniſi ab interna bonitate proficiſcatur, & interna per ſe ipſa Deo placeant, externa verò nonniſi propter interna; colligimus non quidem maius meritum in miſeratione interna, quàm in externa paſſione extitiſſe, cùm omnia in Chriſto merita infiniti fuerint valoris propter Verbi hypoſtaſin, à qua prodibant, ſed tantùm radicem meriti magis fuiſſe in actibus Chriſti internis, quàm externis. Poſtremò magis nos ſibi obſtrinxit per commiſerationem, quàm per paſſionem: quid enim nobis prodeſſet ipſa vel acerbiſſima paſſio, niſi nobis per commiſerationem illam applicaſſet, illamque pro nobis Patri obtuliſſet? Plus enim debeo me amanti, & pretioſa dona mittenti propter amorem, quàm propter ipſa dona: quæ etſi indicare poſſunt cor amantis, ſed non æquare.

Eſaia. 43.
Seruiuit Chriſtus quomodo Patri, & nobis. I V. ratio.
Marc. 14.
Luc. 23.
Quare plus miſericordia, quem Paſſione nobis Chriſtus fuerit promeritus.
1. Tim. 4.
Chriſti mors in agno, & oue cur fuerit adumbrata.
Ratio V. & poſtrema.

Verùm quia hæc Domini commiſeratio, & paſſio ſimul fuerunt coniunctę: quęramus ipſam Chriſti miſericordiam in loco paſſionis, hoc eſt in monte Caluariæ, vbi Chriſtus quaſi infans aliam pro nobis matrem ſuſcepit, nempè crucem, in cuius amplexibus tribus horis viuus permanſit, nec ad voces Iudæorum, dicentium: *Si Filius Dei es, deſcende de cruce,* eam voluit deſerere; imò ipſa crux ex ligno recto & transuerſo conſtans, ipſam Chriſt miſerationem, atque compaſſionem repræſentat. Miſeratio quidem in recto, quo hominem lapſum de ſtercore in cælum erigit: vnde in hoc ligno poſitus eſt Regius titulus: quia miſericordia Chriſti exulem in regnum cælorum deducit. In altero tranſuerſo expreſſa eſt ipſa Chriſti paſſio, quia lignum hoc poſterius recipitur in priore: ita paſſio ſuſcepta eſt ex commiſeratione infinita, qua erga nos fuit affectus: nec enim Chriſtus locum daret paſſionis tormentis, niſi nobis compateretur: vnde oblatus eſt, quia ipſe voluit. Corpus etiam Chriſti ſtipiti hærebat recto; vt intelligamus, corpus eius myſticum, quod eſt Eccleſia, per miſericordiam Ieſu ſaluum fuiſſe, & nulla re magis rectum iuſtitiæ ſuæ obſeruare, quam ſi miſericordiæ affectus in ternos ſaltem erga proximos exerceam*. Voluit quoque Chriſtus in cruce latus ſibi aperiri poſt mortẽ, ex quo ſanguis & aqua fluxerunt; quò oſtenderet in eo adhuc viuere pro nobis miſericordiam ad peccatorum expiationem, etiamſi mortis ſuæ cauſas, hoc eſt, peccata repetamus. In ligno tranſuerſo affixæ ſunt manus, atque extentæ: olim quidem dicebatur, quod non erat abbreuiata manus Domini vt ſaluare nequiret; nunc vtramq; manum videmus extentam: quia non minus habuit in opere paſſionis, quam habuerit in corde commiſerationis. Et ſicut olim victor redditus populus Iſrael extendente manus ſuas Moyſe; ita nunc populus Dei decertans contra hoſtes ſuos, per meritum miſericordiæ, & paſſionis Chriſti victor euaſit. Hæc autem commiſeratio in Chriſto fuit per totam vitam; ſed præcipuè tempore triennij ante mortem, quando manum ſuam miſit ad fortia, & opus redemptionis prædicando, peccata remittendo, & infirmitates noſtras ſubleuando aggreſſus eſt, poteratque dicere: *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Vt enim cera liqueſcens facilè ſuſcipit figuram ſigilli quod illi imprimitur, ita Chriſti cor molle, ac dilectione plenum omnium malorum noſtrorum impreſſionem facilè recipiebat. Hinc vocatus ad diuerſa morborum genera depellẽda, promptum ſe, & facilem exhibebat: & videns matrem adoleſcentis mortui extra portam ciuitatis, miſericordia motus eſt: videns etiam ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens; *Quia ſi cognouiſſes & tu:* Et cum vidiſſet Mariã plorantem Lazari fratris ſui mor-

Matth. 27.
Ibidem.
Crux ex ligno recto conſtãs quid deſignet, quid vero ex ligno tranſuerſo.
Eſa. 53.
Chriſti corpus hæſerit cur ſtipiti recto.
Cur ſibi Chriſtus in cruce latus aperiri voluerit.
Ioan. 19.
Eſai 9.
In ligno crucis tranſuerſo cur ſint affixæ Chriſti manus, atque extentæ.
Exod. 15.
Prou. 31.
Quo ſe magis tempore prodiderit in nos Chriſti commiſerat o.
Pſal. 21.
Qualis Chriſti cõmiſeratio.
Luc. 7.
Infr. 19.
Ioan. 11.

rem, & Iudæos quoque deplorantes, illachrymatus eſt Ieſus. Vides igitur tenerum Chriſti cor ad miſericordiã, & lachrymas pro nobis fundendas propenſum? Sed hæc commiſeratio creuit in Chriſto aucta experientia paſſionum: ideo in cœna cum miſericordia affatus eſt diſcipulos ſuos, tradidítque illis corpus, & ſanguinem ſuum, ad eorum famem, & ſitim ſpiritualem depellendam: cõfirmauit Apoſtolos ſuos, qui confirmari, & corroborari voluit ab Angelo: in horto vt oraret, & ſanguinem ſudaret, auulſus eſt à diſcipulis quantum iactus eſt lapidis præ commiſeratione, ne eius verbis in oratione, vel ſudore vultus eius ſanguineo terrerentur: rediit ad eos eodem affectu tactus, vt excitaret ad vigilandum, & orandum: miſerationis vox illa fuit, qua Iudæ oſculo tradenti dixit, *Amice, ad quid veniſti?* Proſtrauit Iudæos vno verbo miſericordia ſua, vt eos à malo opere, quod moliebantur, reuocaret: Malcho reſtituit auriculam, Apoſtolos miſeratus, ne in ius vocarentur: Præſtantiſſimæ cõmiſerationis vox fuit illa, qua ſe vt paſtorem tradidit in manus inimicorum, modò ne tangerétur ſui: *Si ergo, inquit, me quæritis, ſinite hos abire:* Petrũ ex dilectione miſeratus reſpexit, & ad fletum ſui peccati excitauit: Mulierib. eum plangentibus, & lamentantibus, clementi voce reſpondit: *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me; ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros:* Seruum alapam inferẽtem commiſeratus eſt, illumq́; vt lucraretur, blandè allocutus eſt, dicens; *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: Si autem bene, quid me cædis?* In Cruce potiſſimum poſitus tibi ipſi dicit: *Propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meã,* te miſeratus, vt ad commiſerationem inflectat, iuxta illud: *Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.* Ibi ſeptem commiſerationis pronuntiauit verba. Primum, datum eſt crucifixoribus: *Pater, inquit, dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt:* vbi non tantùm ſe benignum; & paratum ad remittendam iniuriam indicauit; ſed etiam aduocatum efficaciter eorum cauſam agentem oſtendit. Secundum verbum, latroni ad eum conſolandum eſt impenſum; & ad fidem eius, & confeſſionẽ remunerandam; *Hodie, inquit, mecum eris in Paradiſo.* Tertium, matri afflictæ, atq; diſcipulo datum eſt, quo Dominus vtrũq; corroborari voluit, atque conſolari. Quartum verbum exhibuit ſibi ipſi dum querula voce cum Patre propter ſuam derelictionem expoſtulauit, dicens, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Quintum ad omnibus miſericordiam indicandum ſuam protulit, cùm dixit: *Sitio,* non enim iã cruciabat eum ſitis corporis, quàm deſiderium implendæ diuinæ voluntatis in ſalute omnium electorum. Nam aquæ multæ, populi multi. Sextum Prophetis videtur impenſum, cùm dixit: *Conſummatum eſt:* Clamabant enim Prophetæ, *Da mercedem ſuſtinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur.* In morte autem Domini omnia, quæ de Chriſto prædicta erant, ac proinde pacificatio mundi cum Deo, & ſalus eius cõtinebatur. Poſtremum verbum pro Spiritu ſuo, & illi Eccleſiæ cum ſuo coniuncto, magna commiſeratione, & clamore edidit, dicens: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.*

Dilexit ergo nos, & lauit nos à peccatis noſtris, ait Dilectus: quia dilectio de cælo Filium Dei traxit, in vterum Virginis incluſit, indumento viliſſimi ſerui veſtiuit, exinaniuit, fecit vt omnia noſtra peccata acceperit pro ſuis, in cauſa fuit vt ieiunaret, oraret, prædicaret, ſigna ederet, & ad abluendos pedes diſcipulorum ſe deiiceret. Hæc charitas illum comprehendit, ligauit, in Cruce ſuſtinuit & vt pro inimicis interpellaret, effecit; lachrymas eius excuſſit, & ſalutem noſtram ſitire perfecit, ad libenter ferendum omne tormentum, improperiũ, infamiam, atque calumniam compulit, & ad mortem inter duos latrones ſuſtinẽdam induxit: Hic amor in cauſa fuit vt electos prædeſtinaret, prædeſtinatos vocaret, vocatos fecit vt fide reſponderent, vt per fidem ſe ad iuſtitiã, & gratiam præpararent, præparati iuſtificarentur, iuſtificati, ſanctè, piè, & iuſtè viuerent, & operarentur, atque ita viuentes, operantesque propter Deum etiam pati mererentur, pro iuſtitia patientes, ac operantes perſeuerarent, perſeuerãtes Chriſto conformes redderentur, ac morerentur; morientes in æternum remunerarentur.

Sed quid quæſo, dilexit in nobis Chriſt⁹; cùm eſſemus peccatores, & digni odio propter Adæ, & proprium peccatum? Reſpondeo, non dilexit peccatum, ſed naturam bonam, à qua vult pellere morbum. Terrã incultam, & ſpinoſam propterea agricola diligit, quia arata & culta bonum fructum reddet; lapidẽ parium, aut porphyreticum, impolitum tamen, ac rudem magnipendit quis, non vt ſic remaneat, ſed vt eum expoliat, rotundum, aut quadrum reddat, terſumq́; ac perſpicuum, veluti lucidũ ſpeculũ efficiat. Equũ macilentum, claudũ aut ſcabioſum, ſed ex generoſa progenie natũ diligit miles, quò ablatis illis morbis ſanum, ac pinguem reddat ad equitandum, currẽdum, ac militãdum. Ad eum modũ ex miſeri-

Et Christi cõmiſeratio vnde poſtea cœpit incrementum.

Matth. 26. Luc. 22. Ibidem. Matth. 26. Ioan. 18. Luc. 22. Ioan. 18. Matth. 26. Luc 23. Ioan. 18. Pſal. 68. Ibidem. Luc. 23. Ibidem. Ioan. 19. Matth. 28. Pſal. 21.

Ioan. 19. Dominus, quando maximè ſitis laboraret. Apoc. 17. Ioan. 19. Eccleſ. 36. Luc. 23.

Dilectio Chriſti quid effecerit. Philip. 2. Ioan. 13. Luc. 23. Heb. 5. Matth. 22.

Quid Chriſtus in nobis dilexerit, & quomodo.

ſericordia nos dilexit Chriſtus, vt ablata culpa redderet nos ſanos, & filios Patris ſui, atq; hæredes, vt faceret terram benedictam, bonũ fructum ferenté, vt poliret nos tanquam ſpeculum, in quo Deus cerneretur & faceret ſaxum cœleſtis Ieroſolymæ, deniq; vt tanquam equus fortis Deum pot temus, qui ante portabamus dęmonem, & ab eo nos regi ſinamus, vt curramus ad brauium, & prælia Domini præliemur. Quia vero omnis iniuria, quæ propter alterum ex amore toleratur, commiſeratio quędam eſt, & pietatis eius erga eum, pro quo patitur, argumentum, ideo omnia, quæ Chriſtus Dominus pro te ſuſtinuit, ſuæ erga te viſcera miſericordiæ indicant. Anguſtiatus eſt enim, vt te ab anguſtijs peccati, & gehennæ liberaret, mœrore affectus, quo te cõſolaretur, perterrefactus, vt tibi animos faceret, inſidias perpeſſus, vt te cuſtodiret, vigilauit, vt te à ſomno peccati excitaret, orauit, vt tibi dona impetraret, ſudauit ſanguinem, quo te ſanaret, comprehenſus eſt, vt te ad ſe traheret, ligatus, vt te ſolueret, pretio venditus, vt te redimeret, negatus à Petro, vt te coram Patre confiteretur ſuo, derelictus ab Apoſtolis, vt tibi ſe indiuiduum præſtaret comitem: accuſatus, vt te excuſaret, falſorũ teſtium paſſus calumnias, quo te à calumnijs, & falſis teſtibus eriperet, abiuratus à Caipha, vt abs te veros dæmones pelleret, velatus facie, vt tibi illam in cœlo detegeret cum ſumma gloria, nudatus veſtibus, atque iterum indutus, vt nos veteri Adam ſpoliaret, & nouum indueret, flagellis cæſus, vt pro nobis penderet, damnatus ab iniquis iudicibus, vt te à vera ſententia, quam tua peccata promerebantur, liberaret, latroni Barrabæ poſtpoſitus, vt nos Deo præponeret, eiectus è ciuitate, vt nos cœleſtis ciuitatis ciues redderemur, portauit crucem, vt pondus peccatorum à noſtris humeris tráſferret in ſuos, exaltatus in cruce, vt nos erigeret, & ad ſe traheret, corona ſpinea punctus, vt nobis coronam gloriæ prępararet, ſiti afflictus ardenti, quo nos ſatiaret, inclinauit caput, vt nobis oſculum pacis præberet, perfuſus ſanguine, vt nos lauaret, pedibus eſt confixus, vt nos expectaret. Extendit brachia, vt nos ad amplexum inuitaret, ſummo dedecore, & opprobrijs ſatiatus, vt nos honore, & gloria impleret, exorauit Patrem pro crucifigentibus, & latroni regnum promiſit, quo nos ad ſpem remiſſionis peccatorum, & cœleſtis regni concipiendam excitaret, mortuus, vt vitam daret, lancea latus eius perfoſſum, vt ad amorem ſuum incenderet. Magna ergo ratione ſponſa ait: *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi inter vbera mea cõmorabitur.* Congeries etenim paſſionum eius debet verſari inter vbera ſpiritus noſtri, quæ ſunt ſubtilis intelligentia, iugiſque memoria, atque vehemens commiſerationis affectus. Ac diminute inquit ſponſa, *Faſciculus*, quia paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, quo crucifigeretur pro nobis, & quia amanti Chriſto omnis amaritudo propter dilectum breuis eſt, & quia ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis, quam pro nobis Filius Dei comparauit. Pro tantis ergo Chriſti in te beneficijs affectu, & opere in te declaratis, nihil aliud à te poſtulat, quam vt affectu commiſerationis erga eum, qui tanta pro te ſuſtinuit, commoueatis, ſiquidem membrorum eſt natura duce, capiti ſuo condolere: charitatis eſt gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Præmium propoſitum ampliſſimum hæreditatis te ad hoc debet inuitare, de quo idem Paulus: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Nam ſi te in carcere poſitum, & ad mortem damnatum amicus viſitaret, & ille tecum forma ipſa, ac veſtibus commutatis in carcere remaneret, vt tu liber exires, nonne illum pro te morientem ſi videres, tibi lacrymas excitaret, & ad commiſerandum flecteret? Sed quid aliud egit Chriſtus nobiſcum ad mortem gehennæ ſempiternam damnatis? Mater cruci aſſiſtens commiſerata eſt Filium, & omnia tormenta, quæ Chriſtus in corpore ſuo ſuſcepit, ipſa ſuſtinuit in corde ſuo. Fundit Eccleſia preces ad crucem, vt mitius agat cum Chriſto:

Flectere ramos arbor alta,
Tenſa laxa viſcera,
Et rigor lenteſcat ille,
Quem dedit natiuitas;
Vt ſuperni membra Regis,
Miti tendas ſtipite.

Et tu ergo depone rigorem, ac duritiá naturalem, & agnoſce quis, & quid, & pro quo, & quanta charitate patiatur. Si reuerſi ſunt Iudæi percutientes pectora ſua, ſi commiſeratus eſt Sol pullam veſtem induens, ſi terra tremuit, petræ ſciſſæ ſunt, velum templi diſciſſum, ſepulchra aperta, mortui excitati, nunquid tu deterior eris Iudæis, inſenſibilior terra, ſaxis durior, minus viuens quam ſepulchra, magis mortuus quá mortui, minus cognoſcens, quá Sol corporeus? Contremiſcat ergo terra carnis tuæ in hoc myſterio, ſoluatur durities cordis per pœnitentiam, tollatur velũ ignorantiæ, aperia-

1. Cor. 9.

Quæ & quanta ſue erga nos Chriſtus ediderit dilectionis argumẽta. Paſſionis Dominicæ breuis deſcriptio.

Cant 1. Expenditur illud Sponſæ in Canticis: Faſciculus myrrhæ inter vbera mea commorabitur.

Eſa. 9.

Rom. 8.

Proprium charitatis.

Rom. 12.

Supr. 8.

Qualis Chriſti charitas erga nos.

Ioan. 19.

Luc 23.

Matth. 27.

tur per confeſſionem guttur tuum quaſi ſepulchrum exhalans fœtoré peccatorum, mortuæ in te inſpirationes diuinæ reſurgant, obſcuretur in te ſplendor rationis humanæ, cõfitere Chriſti gloriam cum Centurione, & ita commiſereberis Chriſto, & percuties cum turba pectus tuum, Chriſtique commiſeratio tibi erit ad ſalutem, & gloriam. Miſerere igitur animæ tuæ placens Deo: nam ſi te miſerum agnoueris, cum te ipſum diligas, inde tui orietur commiſeratio. Quoniam autem nemo alius ſuccurrere poteſt tuis miſerijs, quam Chriſtus, illeque neminem miſericordiæ oculis aſpiciet, niſi quem viderit ſenſu commiſerationis erga ſe affici, cogeris vel inuitus vno & eodem ſenſu per συμπάθειαν cum illo affici, & ad eius vulnera tanquam ſalutis tuæ medicamenta certiſſima cum viuis cordis lacrymis accurres. Et hactenus de Chriſti miſericordia.

Matth. 27.
Luc. 23.
Eccleſ. 30.

De Chriſti paſſione ſeptem difficultates explicandæ.

Iam dicendum de ipſa paſſione. De qua ſubiungit: *Et lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Nam mors per ſanguinis effuſionem in Scripturis ſignatur. Dicemus auté primo de neceſſitate ſanguinis Chriſti ad redemptionem, deinde quomodo ſanguis dicatur lauare, aut mũdare, cum ſanguinis ad ſpiritum non ſit contactus: nam ſi contingeret, potius ſuapte natura contaminaret: & quomodo mundat effuſio, quæ iam præterijt, nec mundet ſine fide & Sacramentis? Tertio, quare hic ſanguis extra venas fuſus eſt, cum poſſet offerri in illis, vt in ſuffocatis contingit animalibus? Quarto, quare ſepties ſit effuſus hic ſanguis? Quinto, quare fuſus de toto corpore, vt in horto & in flagellatione, & in cruce, vbi ex manibus, pedibus, latere, atque capite ſpinis coronato profluxit? Sexto, cur tum in horto, tum in cruce, cum ex latere Chriſti mortui profluxit ſanguis, & aqua? Poſtremo, cur cum aqua non tantum in cruce, ſed etiam in circumciſione, & horto, & flagellatione coniunctus effluxerit.

Luc. 22.
Ioan. 19.
Ibidem.

Cur ad redemptionem noſtram opus fuerit Chriſti ſanguine.

Ad primum reſpondemus, neceſſarium extitiſſe Chriſti ſanguinem ad redemptionem noſtram, tum ob peccatum noſtrum, quod, vt dici ſolet, obiectiue infinitum erat, quia in Deum infinitum admiſſum, & infinitos virtute lędere poterat, ſi mundus fuiſſet æternus, & peccatores ſeparabat à Deo infinito bono. Chriſti ergo Dei infiniti ſanguine opus fuit Deum iratum placare, vt infiniti homines, ſi forte eſſent, Deo reconciliarentur, & per illum ſanguinem Deo coniungerentur. Nam vt ait Apoſtolus, nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longe, & facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Talis enim, ac tantus humor peccans in nobis, alia, quam Chriſti ſanguinis medicina expelli non potuit. Conueniebat etiam pœnæ peccati infinitæ, & æternæ à nobis expellendæ, quæ merito ſanguine infiniti, & æterni Dei tollitur. Ideo hic ſanguis figuratus fuit in omni ſanguine victimarum veteris Teſtamenti: quia vt ille fundebatur pro offerente, qui dignus erat morte, & ſanguinis ſui effuſione, ita hic pro omnib. nobiſ, quorũ ſanguinem iuſtitia diuina fundi iubebat, effuſus eſt, & à morte æterna nos eripuit. Conueniebat etiam Satanæ peccati noſtri, & pœnæ autori, ſolicitatoriq; hic ſanguis, quem ſumme ſitiebat, & fundi procurabat. Cum enim cerneret, Deum præcipientem ſanguinem effuſum animalium offerri ſibi; male Deum imitans, odio, & inuidia percitus ſanguinem Chriſti fundi moliebatur, de quo ad Iudæos dixit: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio.* Ecce diaboli deſiderium. Fudit tandem per ſua organa hunc ſanguinem, atque in illo tanquam Pharao cum exercitu ſuo in mari rubro ſubmerſus eſt cum ſatellitibus ſuis. Et vt apis pungens perdit cum aculeo vitam, ita dæmon poteſtatem, & principatum, quem in peccatores exercebat, & vitam, quam iocunde in culpis noſtris agebat, prorſus amiſit. Ideo olim dæmon ſanguinem humanum ſibi fundi exigebat. Nam de Iudæis teſtatur Dauid: *Et effuderunt ſanguinem innocentem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan, & interfecta eſt terra in ſanguinibus, &c.* De Græcis vero Deos ſuos placantib. aſſerit Poëta:

Sanguine placaſtis ventos, & virgine cæſa, &c.
Sanguine quærendi reditus, animaq; litandum Argolica.

Sanguis Chriſti vbi præfiguratus, adumbratuſque fuerit.
Ioan. 8.
Gen. 3.
Exod. 14.
Dæmon api comparatus.
Pſal. 105.
Virg. 2. Æneid.

Chriſti autem ſanguis ex parte Iudæorum inuidia illum fundentium, oblatus eſt dæmoni, ex parte vero Chriſti mortem cum charitate, & obedientia acceptantis, oblatus eſt Deo. Deinde congruebat hæc ſanguinis effuſio, vt mutua diuinarum perſonarum appareret cognitio, zelus, atque iuſtitia. Iuſtitia quidem, vt quam ſit ſeuera, ac rigida, nobis conſtaret. Nam ſi ſemper clamauerit: *Quaſi à facie colubri fuge peccata,* non tantum odium in peccata conciperemus, quantum ſola Filij Dei cęde concipere poſſumus. Deinde diuinarum promiſſionum oſtenditur veritas: tam fidelis eſt enim Dominus in omnibus verbis ſuis, vt etiam cum ſanguine Filij ſui chariſſimi fuſo promiſſis ſuis ſtare decreuerit, quo & tu diſcas promiſſa tua in baptiſmo Deo pen-

II. Ratio fuſi ſanguinis Chriſti pro nobis.
Eccleſ. 21.
Pſal. 144.

dere,

etiamſi ſanguis tuus ſit profundendus. Apparet prętereaDei bonitas, miſericordia, & charitas ad hominem, tanto amore trahẽs, & veluti qui piſcatur annulo aureo, & funiculis purpureis, quæ pretioſiora ſunt ipſis piſcibus. Apparet ſimul ſanguinis Filij Dei ſumma potentia parcens ſummo peccato, quod deletionem naturæ humanę promerebatur, ſi ob crimẽ læſæ maieſtatis humanæ, filij rebellium puniuntur, & eorũ cauſa quandoq; tota vrbs funditus euertitur. Sed noluit, vt Iudæorum demeritũ Chriſti meritũ vinceret, aut illorum peccatum maius eſſet Chriſti obedientia. Ceſſit etiam in Chriſti mediatoris gloriam hæc ſpontanea ſui ſanguinis profuſio: quia eius gloria ſumma fuit, pro vniuerſis totius orbis hominibus, qui fuerunt, ſunt, aut erunt, ab æterna peccati, mortis, ac dæmonis ſeruitute liberandis mortem oppetere, ſi glorioſum fuit Codro Regi pro Athenienſium Republica ac Decijs Romanis pro patria mortẽ occũbere. Adhęc par erat, vt ſummus eſſet modus reconciliandi, poſtquam erat ſummus reconciliator, ac mediator: multum enim fuiſſet vel ſolis verbis cauſam noſtram agere, ac Deum placare: maius, ſi facultatibus ſuis magnisque difficultatibus, ac impenſis reconciliationem obtineret: illud ſummum, ſi morte ſua intercederet: maiorem quippe hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: quem gradum exceſſit Dominus, dum pro impijs mortuus eſt; at hoc alius maior ne cogitari quidem poteſt. Præterea ſumme conueniebat, vt quæ Chriſtus prædicauerat, quæ ſublimia erant, & ſupra naturæ cognitionem poſita, ſummo genere teſtificandi, id eſt, ſanguine ſuo diuino, confirmaret, & conſtabiliret: *Ego*, inquit, *in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Imo nec Prophetis, vel Apoſtolis pro veritate teſtificãda extinctis ita eſſet credendum, ſi non accederet ſummum, & per eſſentiam teſtimonium Filij Dei, pro Euangelio à ſe prędicato morientis. Conueniebat quoque gratiæ, quam nobis ſua morte comparauit, & gloriæ promiſſæ, quam promeruit, vt intelligamus quã ſint magni pẽdenda Dei dona, quæ vel hic largitur, vel in futuro largiturus eſt, & quam intrepide pro eis aut acquirendis, aut ſeruandis, aut perficiendis, ſiue in nobis, ſiue in alijs, ſanguinem noſtrum profundere minime ſit formidandum. Tertio conueniebat mundo toti, qui confuſus erat, & omni ordine deſtitutus, ſeruiẽs homini peccatori, ac rebelli, qui vt cœcus cœco ducatum præſtabat. Mundus enim neq; videns, neque cognoſcens frequenter cadebat in foueam peccati, atq; inde in præcipitium gehennæ: verum Chriſti ſanguine illuminatur homo, vt redeat ad Deum, atq; cum eo totus mundus homini ſeruiens. Adhæc mundi valor, ac dignitas Verbo Dei creati, atq; ex dilectione conditi, non potuit efficacius nobis oſtẽdi, quam per inſtaurationem, & redemptionem eius, qui ſimul eſt Deus, & homo. Conueniebat etiã angelis, quibus hominum tutela, & cuſtodia deputata eſt, efficax ac validiſſimum exemplum exhiberi, vt in poſterum ſolicite nobis inſeruiant, nobis vigilent, nosq; cuſtodiant, atque ea inſpirent nobis, pro quib. cernunt Regem ſuum ſanguinem totum effudiſſe. Oſtenſa eſt pariter dignitas creaturæ humanæ in conſortium diuinum euehendæ, pro qua Deus ſanguinem fudit, vt inde ampliſſimam habeat per ſancte gloriandi materiam. Ad extremum, cõgruebat homini præ alijs hęc ſanguinis effuſio: quia propter nos homines & propter noſtrã ſalutem deſcẽdit de cœlis; tum vt eum liberaret à iuſtiſſima Dei indignatione, à viliſſimã ſeruitute dæmonis, ab indigniſſima captiuitate peccati, & ab horribili mortis timore per ſanguinem ſuum tanto amore profuſum, tum vt intelligeret, quanto odio peccatum ſit proſequẽdum, ac deteſtandum; tum vt ſciret, quantum, & quouſq; Deo ſit obediendum; tum vt agnoſceret animam ſuam pulcherrimam immortalem; nec enim Deus immortalis pro anima ad tẽpus viuẽte tanta pertuliſſet; tum deniq; vt Chriſti ſanguine calidi reddamur. Nam vt Dauidi iam ſeni, ac frigido, & præ caloris inopia quietem ſomni captare minime valenti, data eſt Sunamitis puella, cuius calore fotus ſomnũ capere poterat, quam tamen Dauid nunquam ſecundũ carnem cognouit: ita nobis refrigeſcentibus, & ſanguine, qui ad virtutẽ accendat, deſtitutis, data eſt Chriſti hũmanitas ſanguine diuino feruẽs, vt amore calefaciat, & vires ad operandum ſuppeditet, & ita ſomnum pacis, & æternitatis capere valeamus, modo ſecundum carnem non cognoſcamus. Nam Iudęi, & falſi pręlati, ſiue religioſi, qui à Chriſto tantum bona temporaria, carnisq; commoda, atque honores, & temporarias dignitates expectant, profecto Chriſtum ſecundum carnem cognoſcunt.

Ad ſecundum dicẽdum, quod ſanguis Chriſti non lauat, neq; mundat, quatenus pure humanus, & corporeus eſt, ſed quatenus oblatus à diuina verbi hypoſtaſi, cui erat vnitus, atque ita quadruplici ratione vim habet expiãdi. Primo quidem efficienter,

Codri Regis Athenienſiũ in patriam amor.

Ioan. 15.

Rom. 5.

Ioan. 18.

III. Ratio.

IV. Ratio.

V. Ratio.

Chriſti humanitatis in virgine Sunamite Dauidi eum ad fouendum data perelegans typus.

3 Reg. 1.

Ibidem.

Cum ſanguis ſpiritum contingere nequeat, quomodo illum dicatur abluere, ac mundare.

Quinque modis Chriſti ſanguis peccata mundat & abluit.

ter, quia Dei eſt ſanguis. Etſi enim ſanguinis Chriſti natura minime ſit diuina, imo nec humana; etſi hominis ſit, ſed creatura quædam, tamen vt corpus, & oculus ob vnionem cum hypoſtaſi Verbi, Dei dicitur (quemadmodum, & humanitas nõ eſt diuinitas, homo tamen eſt Deus) ita ſanguis Chriſti Dei eſt ſanguis, & efficienter ſalutem operatur, vt verbi Dei inſtrumentum, quatenus non imputat Deus peccatum, & gratiam impertit mundantem. Deinde operatur meritorie, quia homo ille Deus ex obedientia Dei, & charitate mundi ſanguinem ſuum fundẽs promeruit remiſſionem peccatorum, quam intuens Pater in Chriſtum dilectum largitur: vnde & nos rogamus. *Reſpice in faciem Chriſti tui.* Hinc ait Apoſtolus: *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians Deo,* non imputans illis delicta ipſorũ, quę in Chriſto ipſo puniebat; quemadmodum veteres hoſtiæ, quæ mortem pendebant ab offerentibus luendam in ſignum Chriſti verę hoſtię, ob quam tunc verè dabatur remiſſio peccatorum in fide Chriſti ſanguinem bruti animantis offerenti, & ad hoc ſatis erat fides maiorum. Hinc ab Eſaia dicitur: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum,* & rurſus, *ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus,* & Petrus, *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Promeruit igitur nobis gratiam mundantem, & Spiritum ſanctificantem, ac propitiantem, vt Paulus dicat: *Quem propoſuit Deus propitiatorem, per fidem in ſanguine ipſius.* Tertio mundat hic ſanguis vt inſtrumentum eſt, quatenus videlicet ſanguis oblatus eſt à Chriſto. Vt pretium redemptionis, quemadmodum pecunia pro liberando captiuo mundat à miſera captiuitate, & libertatem confert: ideo dicitur ſanguis redemptionis. Hinc in Apoc. ait Ioan. *Dignus es Domine accipere librum, & ſoluere ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* In, more Hebræo accipitur pro Per, & ſignificat ſanguinem fuiſſe inſtrumẽtum redemptionis. Quarto, mundat exemplo, cùm ad radicem arboris ſecurim poſuit. Quia enim homo ex ſe animalis eſt, & ad ſummum humanus, & opus erat vt ſpiritualis & diuinus fieret propter bona intellectualia & ſpiritualia, delectationibus & triſtitijs tam animalibus quam humanis reſiſtẽs, Chriſti autem paſſio ac mors contra partem in ipſo animalem dolores vehementes incuſſit, & contra partem humanam, & ratione præditam mille modis extitit iniurioſa: quia autẽ voluntarie aſſumpta fuit mors illa ignominioſa à Chriſto, oſtendit homini cæco bona quædam extare intellectualia, & diuina, propter quæ non ſolum tolerari, ſed etiam expeti queant. Quod eo magis oſtendit, quod intellectus Chriſti patientis, qui ſumma eſt ſapientia præditus, minus potuit falli; ideo Chriſtus propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Quamobrem inclyta Chriſti mors, atque in eius virtute Martyrum, & Confeſſorum tolerata tormenta, veritatem Dei, & vanitatem mundi indicant, in omnibus aduerſis conſolantur, in proſperis humiliant, omniumque virtutum amplectendarum, atque vitiorum fugiendorum illuſtriſſimum ac lucidiſſimum præbent documentum, ac ſpeculum. Vt ea etiam ratione ſanguis Teſtamenti dicatur, non ſolum quia illo firmatum eſt nouum Teſtamentum, ſed etiã quia docet quid pro gloria Dei, quid pro fuga vitij, quid pro virtute comparanda, quid pro ſalute proximi acquirenda quiſque facere debeat. Deinde purificat Chriſti ſanguis, & tangit per virtutem gratiæ & Spiritus ſancti, quem ille nobis promeruit, in quãtum Dei eſt. Et licet exterius ille ſanguis videatur inquinare, tamen per virtutem latentem Deitatis lauat: quemadmodũ ſmigma, quod ſaponem vocamus, extra quidem inquinare videtur rem illam quam tangit, intus tamen vim habet deliteſcentem ad externas ſordes abluendas. Tertio, illa effuſio etſi actu præterierit, adhuc tamen permanet in virtute, vt compoſitio theriacæ, etſi præterierit, manet in virtute expellendi venenum: quemadmodum ſeruitium impenſum à Iacob pro Rachele, actu quidem præterijt, in eo vero quod vtilitatem, & commodum præſtat, manſit. Ad eum modum opera bona noſtra etſi actu præterierint, æternæ tamen gloriæ mercede à Deo remunerantur. Præter eã requirit hic ſanguis aut fidem, aut Sacramentum, non ob imbecillitatem aut defectum ſuum, ſed ob decentiam ſuam, & vt illis det virtutem, & vt homo ſuauiter voluntate, & libero arbitrio Deo ſeruiat. Quemadmodum Deus humanitate, & Chriſti ſanguine vti voluit, quibus tamen non indigebat, ſed illis virtutem tribuebat ſaluandi, & vt ad cœcum illuminandum vſus eſt ſaliua & luto ex illa confecto, & lotione aquæ ad natatoria Siloë. Et ita Chriſti paſſio valet ad primum ingreſſum in Chriſtum per Baptiſmum, & ad ſecundum per pœnitentiam, & ad opera vitam æternam promerentia, poſt mortem vero ad ſuffragia in purgatorio ſuſcipienda, & im-

Marginal notes (left): *Pſal. 83.* *2. Cor. 5.* — Veteres hoſtię quatenus emundarent corda. — *Eſai. 53.* *Ibidem.* — *1. Pet. 2.* — *Rom. 3.* Chriſti ſanguis cur dicatur ſanguis redemptionis. — *Apoc. 5.* — Redimere in ſanguine more Hebræo quid. *Matth. 3.*

Marginal notes (right): *Heb. 12.* — Chriſti ſanguis cur dicatur ſanguis teſtamenti. *Matth. 26.* *Heb 10.* — Paſſio Chriſti ſmigmati comparatur. Qua ratione mundet hæc ſanguinis effuſio, cum iam præterierit. — *Gen. 30.* — Cur fidem, aut Sacramentum acquirat hic ſanguis. — *Ioan. 9.* — Quid conferat ſanguis Chriſti.

Virtus omnis expiandi vnde ſit.

& impendenda, ad indulgentias ad Miſſæ ſacrificium applicandum: ita vt omnis virtus expiandi ſit à Chriſti ſanguine, varijs tamen modis applicata.

Sanguis à cruore quid differat.

Ad tertium reſpondendum, ſanguinem dici illum, qui in venis eſt; cruorem, illum, qui vulnere, aut alio modo eſt effuſus. Dominus tamen voluit ſanguinem ſuum extra venas effundi, & effuſum Deo offerri, ſecundum illud: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*; &: *Factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*, &: *Lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua:* tum ad ſignificandum donorum Dei, & chariſmatum expanſionem: & quia in more eſt, vt vino effuſo ſuper menſam, lætitiam, & bonum augurium ſtatim concipiamus, ita ex effuſione ſanguinis Chriſti omne bonum nobis, ſiue præſens, ſiue futurum auguremur. Deinde illud conueniens erat, vt quod in ſacrificijs antiquis adumbrabatur, quorum ſanguis fundebatur, in Chriſto inueniretur impletum, & ob exemplum martyribus præſtandum, quibus ad ſanguinis vſque effuſionē erat pro Chriſto decertandum. Tertio, quoniam ſponſa hoc opus habebat ad lauacrum à lepra peccati, & in piſcinam animæ paralyticæ, & ad tollendam nigredinem obſcurantem eius pulchritudinem: vnde hic ſanguis dicitur dealbare, iuxta illud: *Lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni.* Deinde adoptionem animæ ægrotantis, atque languidæ, quæ plerumq; poſt vitam ſpiritualem ægrotat, & remedium eſt bibere, ſicut ipſe præcepit: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nemo autem ſanguinem potare poteſt, dum in venis eſt alterius, aut illo lauari. Adhæc eſt genarum ornamentum, nam ita S. Agatha dicebat: *Sanguis eius ornauit genas meas.* Nam rubricato ſanguine Angelus vaſtans Ægyptios non tangit: Chriſtus enim rubrum habens veſtimentum ſui coloris inſignia ſponſæ ſuæ præſtat. Valet quoque ad viuificationem, ſeu ſuſcitationē eorum, qui per peccatum moriuntur: nam pullus pellicani à ſerpente extinctus, parentis humido & calido ſanguine in vitam reuocatur. Valet quoque ad nobilitandam ſponſam: Chriſti enim ſanguis, ſemen eſt Chriſtianorum, calore charitatis, & Spiritus ſancti efficacia bene digeſtus, ex quo homines cœleſtes fiunt, ac diuinæ naturæ conſortes, de quibus Petrus: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Debet autem hæc nobilitas Spiritus non aliter illam carnis obſcurare, atq; Sol offuſcat lucernam. Ac vt Dauid dotauit ſibi in vxorem Michol filiam Saulis in ſanguine ducentorum Philiſthæorum: nam 200. præputia coram Rege enumerauit, & vt Poëta ait de quadam nubili puella:

Matth. 26. *Luc. 22.* *Ioan. 19.*

Cum ſanguis Chriſti Deo offerri poſſet in venis, cur extra illas fuerit oblatus.

Apoc. 7. *Ioan. 6.* *Exod. 12.*

Ingenium Pellicani.

Chriſti ſanguis ſemen eſt Chriſtianorum.

1. Pet. 1. *1. Pet. 2.* *Exod. 19.*

Nobilitas Spiritus quo maior ſit, & illuſtrior nobilitate carnis.

1. Reg. 18.

Virg. 7. Æneid. aliquanto ante med.

Sanguine Troiano & Rutilo dotabere virgo.

Ita Chriſtus Eccleſiam ſuam tanquam legitimam ſponſam, & quamlibet eius fidelem animam in ſanguine ſuo diuino principaliter, deinde etiam in Apoſtolorum & Martyrum ſanguine dotare voluit, vt agnoſcamus quam carę ſponſę ſimus Chriſto, & quam pretioſa ſanguinis dote ſibi deſponſatæ. Confert etiam ad munus fidelis aduocati præſtandum, diuinamq́ue proinde miſericordiam pro nobis inflectendam, atq; hoc efficacius & fortius, quam ſanguis Abel voces querulas vindictæ edat, vel quā ſanguis Martyrum, & interfectorum propter Ieſum clamet: *Vſquequo Domine (ſanctus & verus) non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de ijs qui habitant in terra?* Nam illorum ſanguis, etiamſi iuſtorum, humanus erat, ille vero Chriſti etiam diuinus, non ſolum quod formatus ſit ab Spiritu ſancto, ſed etiam quod Deus ſit, qui illum fuderit in ſalutem hominum.

Gen. 4. *Hebr. 12.* *Apoc. 6.*

Chriſti ſanguis cur ſepties ſit effuſus.

Luc. 2. *Infra 12.* *Ioan. 19.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Ibid.*

Ad quartum dicendum, ſepties effuſum Chriſti ſanguinem fuiſſe, in circumciſione, horto, flagellatione, & corona ſpinea, in manibus ac pedibus viuentis Chriſti, & in latere iam defuncti, non ſine magnis rationibus. Primum quidem in ſignum publicæ lætitiæ, vt in Regis aut ſummi Pontificis coronatione ſæpe contingit, vt pretioſa, ſiue dulcia miſſilia in omnes largiter effundantur. Deinde, vt non tantum empti, ſed etiam redempti, dici valeamus: nam vt ait Propheta, apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Nam non ſemel euenire ſolet, vt domus pretio enumerato comparata, poſtea dum per hypothecam alteri ſubiecta inuenta eſt, iterum pretium eius numeretur. Tertio, vt non tantum effuſus pro vno, aut altero ſed pro multis, & ad multos effectus prædictos exiſtimetur. Quarto, numerus ille ad ſeptem mortifera delicta expiāda ſpectat, & ad ſeptiformem Spiritum impetrandum: quemadmodum ſummus Sacerdos digito aſpergebat ſepties contra Tabernaculum. Quinto, vt ſignificaret, non tantum, vt olim figura, & actu, vt in cruce, ſed etiam fructu & effectu ſæpe eſſe fundendum, vt in myſterio Miſſæ. Sexto, quia quoties nos peccamus, etiam poſt baptiſmum, toties noua per Chriſti ſangui-

II. Ratio. *Pſal. 129.* III. Ratio. IV. Ratio. *Leuit. 4.* V. Ratio. VI. Ratio.

ſanguinem indigemus redemptione, atq; poſt mortem, ſi quid luendum eſt in purgatorio, non niſi virtute ſanguinis Chriſti ſoluere poſſumus. Denique toties ille profudit ſanguinem, vt ſanguinem peccati noſtri libenter per contritionem, confeſſionem, atque ſatisfactionem fundamus; ſæpe etiam ſanguinem facultatum noſtrarũ per eleemoſynas in pauperes erogemus, ſanguinem quoque noſtrum illicitis motibus bulliẽtem, & ad peccata ſolicitantem, per macerationem & caſtigationem carnis ſæpius comprimamus.

Septima.

De toto corpore cur ſanguinem fuderit Chriſtus.

Epheſ. 1. Coloſ. 1.

Ad quintum, de toto corpore ſuo Chriſtus ſanguinem fundit: tum quia pro toto corpore eius, quod eſt Eccleſia, patiebatur: quemadmodum ſectio venæ in beneficium corporis cedit totius: tum vt te plus ſibi obſtringeret, & fortioribus amoris vinculis obligaret, qui nec guttam quidem vllam, quam non effuderit de corpore, reliquit, cum vel vna ſatis ſuperque eſſet, tum denique, quia omnis noſter ſanguis per omnia membra diffuſus corruptus erat: *Omne*, inquit Propheta, *caput languidum, & omne cor mœrens: A planta pedis, vſq; ad verticem, non eſt in eo ſanitas.*

Eſai 1.

Luc. 22. Cur in horto & in cruce, ſanguinem ſuum fuderit Chriſtus.

Ad ſextum dicimus, Dominum miraculo, & in horto, & in cruce ſanguinem fudiſſe ad patefaciendam erga Patrem ſuum obedientiam, & ad indicandam nobis amoris ſui vehementiam, qua non expectato lictore ſanguinem ſuum pro nobis ſponte profudit: quemadmodum miraculo quoque ſanguinem potandum in cœna præbuerat Apoſtolis. Deinde ad effectus prodigioſos, ac repentinos ſignificandos, qui virtute ſanguinis Martyrum ſæpe facti ſunt: nam illis ſanguinem fundentibus multi ad fidem amplectendam repentè conuertebantur. Demum, quo ſpem certam concipiamus, in virtute huius ſanguinis etiam illa, quæ nõniſi miraculo obtineri poſſunt, nos impetraturos, & vt intrepide pugnemus, velut elephantes pugnantes viſus ſanguis mori illos corroborat, & confirmat ad bellum. Ideo Ioſeph ab Arimathia, qui prius meticuloſus latitabat, in vi illius ſanguinis foras prodijt ad Pilatum, & petijt ſibi donari corpus Chriſti.

Matth. 26.

Mori ſanguis exacuit elephantem ad pugnam. Ioan. 19.

Cur ex Chriſti latere exiuit ſanguis & aqua. Luc. 2. Infra 22. Ioan. 19. Hebr. 5. 1. Ioan. 5.

Ad ſeptimum, hic ſanguis miſſus cum aqua effuſus eſt: nam in circumciſione lacrymis admiſtus fuit, ſicut & in horto, & flagellatione ab eo cum lacrymis effuſum fuiſſe, à ratione non eſt alienum. In cruce etenim conſtat, illum cum clamore valido, & lacrymis fuiſſe exauditum: nam Ieſus Chriſtus eſt, qui venit per aquã & ſanguinem: non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Hoc autem factum eſt, quia ſanguis redimit, & aqua lauat, in quibus paſſio & commiſeratio CHRISTI ſignificantur. Deinde, quia nec aqua ſine ſanguine in baptiſmo aut pœnitentia prodeſt, nec contra, ſanguis ſine lacrymarum aqua in Sacramento Pœnitentiæ valet. Tertio, ob Sacramentum Euchariſtię, in quo aqua vino in Chriſti ſanguinem conuertendo admiſcetur. Quarto, vt ſanguinem bonorum noſtrorum in vſus pauperum effundamus cum aqua miſerationis: quia tunc duplex fit eleemoſyna. Nam miſericordia erga pauperem, niſi ſubleues, cum poſſis, non ſatis eſt: neque rurſus nuda eleemoſyna ſine intima cordis commiſeratione aliquid proficit. Frequentius tamen in Scripturis mentio fit ſanguinis, quam aquæ. Primo, quia ille cauſa eſt vniuerſalis alias ſecundarias, & inferiores mouens: ſic enim dicimus, Medicus ſanat, non tamen vt excludamus aut pharmaca, aut alia inſtrumenta neceſſaria. Ita dum dicimus, Architectus ædificat, non excludimus alios miniſtros, aut materiam ad ædificium aptam, aut ferramenta & alia, quæ arti fabricandi ſunt adiumento: ita Chriſto non repugnat aut fides, aut Sacramenta, aut opera, quę omnia ſunt inſtrumenta ſaluris, & Saluatoris. Deinde fit plerumque mentio ſolius, ob humilitatem noſtram, ne quicquam nobis tribuamus: quemadmodum Ioab obſidebat ciuitatem Moabitarum Rabba, cumque eſſet vicina deditioni admonuit Dauidem vt veniret, vt eius nomine ciuitas caperetur. Quicquid enim boni præſtare valemus, id totũ merito eſt Chriſto tribuendum, qui in nobis vincit. Denique multa ſunt, quæ Chriſti ſanguis in nobis facit, & quod in nobis operatur, plus ille facit, quam nos ipſi, ac proinde magis exprimitur vis ſanguinis, quam aquæ in Scripturis.

In aqua & ſanguine quid ſignificetur.

Qualis eſſe debeat eleemoſyna.

Sanguinis quàm aquæ in Scripturis frequentior mentio cur ſiat.

Exempla.

Cur ſanguinis ſolius ſæpe fit mentio. Humilitatis documentũ. 2. Reg. 12.

Ait autem Apoſtolus: *Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Alio loco ab eodem Euangeliſta dictum eſt: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: nam Græcè cum articulo dicitur τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, id eſt, certum quoddam, & peculiare peccatum mundi. Verum in illo cętera omnia peccata noſtra tanquam fructus continentur, vt propterea interpres recte verterit peccata mundi. Fuit enim, ſi recte inſpicias, multiplex illud Adæ peccatum: nam in eo fuit præuaricatio diuinæ legis, gulę vitium, ſuperbia diuinitatem appetens, furtum, colligens fructum vetitum, læſæ diuinæ crimen maieſtatis, quod Dei proprium eſt inuadens

Ioan. 1.

Quam fuerit multiplex Adæ peccatum. Geneſ. 3.

uadens, curioſitas ſciendi bonum & malum, excuſatio peccati, locutio cum excōmunicato ſerpente, homicidium corporis, & vt ſic dicam, animicidium, electio præ ferendi amorem coniugis voluntati diuinæ. Ad hæc peccata extinguenda contrarias virtutes Chriſtus attulit, in morteque ſua, atque paſſione ingentia facinora per Iudæos admiſſa ſunt. Nam in illa fuerunt inuidia, per quam traditus fuit; odium, quo gratis eum habuerunt; ſuperbia, qua timebant à ſua dignitate excidere per Chriſti prædicationem; auaritia, ne venirent Romani, & tollerent locum, & gentem; hypocriſis ſe tegens velo religionis, iracundia vindictæ appetentiſſima, proditio Iudæ, ac deſperatio, manuumque violentarum in ſe iniectio; peccatum abiurationis Petri, fuga Apoſtolorum, violatio diei feſti, cùm tamen dixiſſent: *Non in die Feſto, ne fortè tumultus fieret in populo*; impugnatio agnitæ veritatis, reluctatio diuinæ inſpirationis in turbis in terram proſtratis; calumnia falſorum teſtium, iudicium iniquum, & per metum & vim extortum; timor Cæſaris magis quàm Dei, ac iuſtitiæ; curioſitas ſignorum in Herode acceptio perſonarum in Barraba, latrone & homicida ſibi præpoſito, ſubornatio populi, vt crucem Ieſu peteret; ſtudium placendi hominibus, ob quam cauſam miniſter dedit illi alapam; angariatio violenta Cyrenenſis Simonis impietas crucifigendi coram matre, blaſphemiæ, deriſiones, illuſiones in factis, in verbis, & tentationes Dei: *Si Filius Dei es, deſcende de cruce:* crudelitas in porrigēdo aceto iam morituro; denique homicidium innocentis, aut potius Deicidium, & ſæuitia in mortuum, quando lancea latus eius eſt apertum, emptio mendacij à militibus quò eius reſurrectio tegeretur. Sed hæc omnia charitatem Chriſti extinguere non potuerunt tamen, ſed tanquam aquæ ſtilla in ardentiſſimam fornacem proiecta ſtatim extinguitur; ita cuncta peccata ab eo ex charitate deuorata ſunt; vt intelligamus tantam eſſe Chriſti in conferenda ſalute vim atque energiam, vt dilectione, & ſanguine ſuo omnia mundi peccata etiam atrociſſima, atque infandiſſima expiare valeat, ita tamen, vt quis ſponte velit peccatis nuntium mittere. Nam qui illa adhuc amplectitur, & ſuæ ſalutis inimicus reſiſtit veritati, ac luci oblatæ, ille cum peccatis viuentibus in æternum peribit.

Iudæi Chriſtū necantes quotupliciter peccauerint. *Pſal. 34. Ioan. 15. Supr. 11. Math. 26. Inf. 27. Sup. 26. Ioan. 18. Math. 26. Ioan. 19. Ibidem. Luc. 23. Ibidem. Ioan. 18. Matt. 27. Ibidem. Ioan. 19. Ibidem. Matth. vlt.*

Qualis Chriſti charitas, & quibus profutura tantummodo.

Subiungit de tertio Apoſtolus: *Et fecit nos regnum, & Sacerdotes Dei, & Patri ſuo.* Chriſtus in paſſione accuſatus eſt tanquam Regiæ dignitatis vſurpator; propterea illuſus eſt corona ſpinea in capite, purpureo veſtimento Regis, & arundine pro ſceptro in manibus, & quaſi Rex fictus, ac deridendus ab illis genua flectentibus, ac dicentibus: *Aue Rex Iudæorum.* Hunc titulum Iudæi expungi voluerunt: ſed reſtitit illis Pilatus, dicens: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Illis ergò iniurijs patienter toleratis, promeruit Ieſus verum & ſolidum regnum cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: regnatque nunc à ligno per illa quatuor crucis cornua, vt canit Eccleſia, quæ ſignificant charitatem, humilitatem, obedientiam, atque patientiam, tot ignominias perferentem. Promeruit quoque nobis verum regnum ſpirituale, vt non regnet amplius in noſtro mortali corpore peccatum, non tyrannus Satanas in Baptiſmo expulſus, non mors, quæ regnabat ab Adam vſque ad Moyſen, non denique mundus, aut alius præter Chriſtum. Cumque ille regnet in nobis, & nos in illo, ille quidem per gratiam, & nos per aſſenſum liberi arbitrij; vnum eſt illud Chriſti, & noſtrum regnum. Nam illi, Chriſto ſcilicet, ſeruire, regnare eſt. Eſtque regnum illud non de hoc mundo, neque ex vi liberi arbitrij, ſed de cælo datum. Charitas enim, quæ amor eſt diuinus, de cælo eſt: humilitas obediens vſq; ad mortem, de cælo profecta eſt: paupertas, ac nuditas, cæleſtis prorſus, ac nouus regnandi modus eſt: patientia tolerans ex amore aduerſa: bona pars regni huius eſt: tantùm regnat quiſque, quantùm in his virtutibus profecerit. Fecit autem nos Reges, non temporales, aut terrenos, quod parum eſt, & tales Reges mundus ſuppeditat, eorumque regnum expoſitum eſt prædæ & inuaſioni, plenum ſolitudine ac labore; ſed Reges nos Deo, & Patri ſuo fecit, hoc eſt, veros Reges in oculis Dei verè regnantes, & iuſtitiam in nobis obſeruantes, vt in huius præmium in regnum eius cæleſte aliquando recipiamur, ac per has quatuor virtutes, maximè verò per charitatem in alijs verè regnemus, eorumque curam tanquam Reges geramus. Deinde fecit nos Deo noſtro Sacerdotes. Chriſtus enim in morte ſua verus ac legitimus fuit Sacerdos ex hominibus conſtitutus in ijs quæ ſunt ad Deum; vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, vt condolere poſſet his qui ignorabant, & errabant. Accepitque Pontificales veſtes; nam velum amiciens caput, accepit in domo Caiphæ, albam tunicam in domo Herodis, cingulum in horto, quando ligatus eſt, Purpuram in domo Pilati, ſtolam, quando funem collo alligatus crucem baiulauit: obtulit in ara crucis acceptiſſi-

Vnde fecerit nos Chriſtus regnum Deo & Patri ſuo. *Ioan. 19.*

Ibidem. Matt. 27.

Cornua crucis quatuor quid ſignificent.

Rom. 6. Rom. 5.

Chriſto ſeruire, regnare eſt.

Charitas quid ſit, & vnde proficiſcatur.

Quales Reges nos Chriſtus fecerit.

Chriſtus item vt fecerit nos Sacerdotes Deo Patri ſuo. *Heb. 5.*

Luc. 22. Infra 23. Ioan. 19.

mam hoſtiam Deo inter duos latrones, tanquam inter duos miniſtros; ibi precem fudit pro omnibus; & manibus apertis benedictionem abundantem contulit, & vna oblatione, conſummauit in ſempiternum ſanctificatos. Promeruit quoque, vt nos de eius ſacerdotio participare poſſemus, & vt offeramus corde Chriſtum per fidem Deo, ore vitulos labiorum confitentium nomini eius, manibus eleemoſynas. Qui etiam nobis illud contulit, vt ſi ſumus in peccato, offeramus Deo ſacrificium ſpiritus contribulati, ac cordis contriti. Si in gratia, vt poſſimus offerre corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium, bouem laboris, & vitæ actiuæ, arietem ſanctæ prælationis, ouem manſuetudinis, hircum carnis caſtigatæ ac maceratę, agnum ſimplicitatis, columbam charitatis, turturem ingemiſcentis pœnitentiæ, paſſeres volantium verborum, ſalem diſcretionis, oleum miſericordiæ, thus orationis, myrrham mortificationis: in quem ſenſum Petrus vocat nos Sacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Ac vt proprium eſt Sacerdotis errantibus condolere, ita noſtrum eſt Chriſtum in nobis ipſis, atque adeò in alijs proximis noſtris commiſerari, & pro eis hoſtias offerre ad placandum Deum. Redde ergo amorem pro amore Chriſto tuo, pro miſericordia ſua miſerationis affectum, pro paſſione paſſionem, pro ſanguine ſanguinem, pro corpore corpus, pro anima animam, & ita Rex eris, & ſacerdotium ſpirituale ad ſempiternam tuam & aliorum ſalutem exercebis, ad gloriam eius, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, Ieſu Chriſto Domino noſtro, cui cum Patre & Spiritu S. reddamus honorem, gloriam, & imperium in ſempiternis ſeculis. Amen.

Heb. 10. *Infr. 15.* *Pſal. 50.* *Rom. 12.* *1. Pet. 2.*

Sacerdotis proprium quid.

Heb. 5.

Quid Chriſto debeamus, ſi Reges eſſe volumus, & Sacerdotes apud Deum.

TRACTATVS VII.

De teſtamento condito à Domino in paſſione, bonorumq; ſuorum diſtributione, cum hæredis inſtitutione, in verba illa Zachariæ: *Et dicetur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarũ? Et dicet, His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me,*&c. Cap. XIII.

Moribundi cur de morte

LAVDABILIS mos eſt, cum prudentia atque viridis obſeruantiæ conſuetudine coniunctus, vt homines opibus florentes, facultatibusq; præditi, cùm mortis inſtare horam præſentiunt, teſtamentum condant, vltimamque ſuam voluntatem declarent, ac de rebus ſuis liberè diſponant, ne fortè inter eos, qui ab inteſtato ſuccedere poſſunt, in hæreditate diſtribuenda iurgia ingentia, & lites immortales oriri contingat. Hinc Eſaias ad Ezechiam Regem Iuda miſſus, dixit: *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues.* Quibus verbis oſtendit magnos Principes, atque opulentos non decere inteſtatos de hac vita recedere. Eſt autem in teſtamento condendo neceſſarium ſanum iudicium, menſque libera. Proinde conſultum eſt, vt nemo extremam horam expectet, ſed tempeſtiuè, dum mens eſt ſana in corpore ſano, teſtamentum conficiat, ne vt quidam ſapiens dixit dum poſtremum vitæ ſpiritum attendit, nequaquam teſtamentum, ſed deliramentum condat. Ac primùm quidem in eo vbi conditori, & redemptori ſuo teſtatores animam commendauerint, de corpore, & loco ſepulchri, in quo ſit condendum, diſponunt; deinde, vbi deſignauerint hæredem, ſine cuius inſtitutione teſtamentum eſt nullum, vxori, quam habent dotem integram cum auctario aliquo pro eius in illam voluntate relinquunt; deinde verò parentibus, & amicis in ſymbolum amoris aliquid ſolet legari. Sed quoniam id quod debitum eſt, præcedere habet gratuitum ac voluntarium, creditoribus vt primo loco pendantur debita, iniungit hæredi, ſeruis verò, ſi qui ſint, libertas cum aliqua aſſignata facultatis portione de more dari ſolet, iuxta illud: *Seruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua; non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.* Vbi hæc præſtita ſunt, varia aſſignantur legata ad pia opera cœnobiorum, & hoſpitalium domorum, vt in his Miſſæ ſacrificia, & orationum ſuffragia pro anima ſua impendantur. Atque in hunc modum facta venia inimicis ſuis, qui offenderant, atque ab alijs, quos quomodo ipſe offenderat, poſtulata, dataque benedictione, & oſculo pacis filijs, atque amicis, qui adſunt, quietè redditur ſpiritus Domino. Hunc morem ſecutus eſt Iacob Patriarcha, qui congregatis filijs ſuis, quæcunque illis imprimis euentura prædixit, atque inter eos bona ſua diſtribuit, benedicenſque ſingulos benedictionibus proprijs, finitiſque mandatis, quibus filios ſuos inſtruebat,

condant teſtamentum.

Eſa. 38. *4. Reg. 20.* *2. Par. 32.*

Ad teſtamentum condendum quid requiritus.

Bartolus.

In teſtamēto faciendo quæ ratio ſeruetur.

Eccleſ. 7.

Teſtamentum Iacob Patriarchæ.

Gen. 49.

collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obijt, & appoſitus eſt ad populum ſuum.

Dauidis teſtamentum. 3. Reg. 2.

Dauid quoque moriturus, cùm ſucceſſorem regni Salomonem inſtituiſſet, præceptáque religioſè ac iuſtè viuendi tradidiſſet, dormiuit cum Patribus ſuis: vt habes in tertio libro Regum. Sed inter alios de

Alexandrum Magnum feciſſe teſtamentum. 1. Mach. 1.

potentiſſimo Alexandro Magno Macedonum Rege liber primus Machabæorum idem tradit feciſſe, his verbis: *Et poſthac decidit in lectum, & cognouit quia moreretur. Et vocauit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti à iuuentute ſua: & diuiſit illis regnum ſuum cùm adhuc viueret. Et regnauit Alexander annis duodecim, & mortuus eſt.* Vbi in primis annotandum, ſolum

Hiſtoriæ libri Machabæorū authoritas.

hunc autorem, qui Canonicus eſt, ac proinde cæteris omnibus ſcriptoribus, qui res Alexandri geſtas ſcriptis commendarunt, anteferendus, referre, Alexandrum Magnum teſtamentum condidiſſe, & diuiſiſſe regnum pueris ſuis, quanquam cæteri omnes contrarium aſſerant, & admirentur, quod cùm haberet fratrem Aridæum, ſed ignauum virum, & filium nothum, & Roxanen Perſiden vxorem grauidam, de diſtributione tamen imperij ſui nihil diſpoſuerit. Sed, vt diximus, illud eſſe falſum, hoc libri Machabæorum teſtimonio conuincitur. Quintus Curtius,

Q. Curtius lib. 10.

& Arrianus libro de Geſtis Alexandri referunt, Alexandrum teſtamentum non condidiſſe; ſed vt vanum rumorem, & incertam famam. Ioſephus tamen ſecutus ſacros libros, affirmat reuera condidiſſe: ſed pueri illi quo minùs religioſè facere viderentur, teſtamentum eius ſuppreſſerūt, & armis decernendum eſſe, quæ regni Alexandri portio cuique obtingeret, iudicarunt.

Adrianus lib. 7. Ioſeph. li. 2. antiquitat. cap. 1.

Teſtamentū Dominus Ieſus quare condiderit.

Sed vt ad rem noſtram redeamus, haud diſſimili ratione potentiſſimus Rex, pauperrimus ſimul, ac ditiſſimus Ieſus Chriſtus, cuius nec opes paupertati, nec paupertas opibus repugnant ſuis; agnoſcens ſibi inſtare horam, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, ab hac laudabili teſtandi conſuetudine noluit abhorrere, de qua re ipſe Dominus: *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*; & rurſus: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Hæc enim teſtantis verba eſſe videntur, noluit enim tanta, & tam eximia bona, quæ de cælo attulerat, & quæ in terra ſibi comparauerat, permittere vt perirent. Quare conſtitutus in mente ſana & iudicio libero, teſtari de ſuis bonis

Ioan. 13. Luc. 22. Ioan. 41.

decreuit: *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* In verbo diſperſit, copia, & abundantia rei dandæ deſcribitur, & ſparſit, vt ſemina, quæ multiplicarentur: neque in vnum aut alterum ſua bona contulit, verùm in vniuerſos diſtribuit. Eſt enim Ieſus omnium, quod ad ſe attinet, ſeruator, præ magnitudine charitatis ſuæ ac diuitiarum; adeò vt in vniuerſos ſpargi queant, & omnes ditari valeant. In verbo, Dedit, liberalitas eius exprimitur: quia gratis & ex pura clementia donat. In verbo, Pauperibus oſtenditur eius miſericordia, non enim diuitibus, & de ſua iuſtitia confidentibus quidquam tribuit Chriſtus, ſed pauperibus, & ſuam tenuitatem, & paupertatem, ſeque nihil eſſe agnoſcentibus, prorſuſque ſibi tribuentibus nihil. In eo quod ſubdit: *Iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi*; quàm ſit grata Deo hæc donorum ſuorum facta diſtributio, indicatur: & Deum iuſtum eſſe declarauit, qui ſatisfactionem exigit à Chriſto fideiuſſore tam amplam, vt nos non tantùm in præſenti per eam ſeculo iuſti, ſed & in futuro glorioſi coram Deo efficiamur. Primùm igitur Chriſtus inſtituit hæredes omnes, quorquot per baptiſmum in filios legitimos regenerantur. Si autē filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & glorificemur. Ad iuſtificandum enim peccatorem per baptiſmum, vel per pœnitentiam, requiritur, Deo ira volente, tota Chriſti facultas, ſanguis, charitas, iuſtitia, & obedientia; in qua hæreditate non tantùm gloria futura, ſed etiam fides, gratia, Sacramenta, perſeuerantia, reliquaque eiuſmodi dona cum ipſa Eccleſia includuntur, Hæc autem Chriſti hæreditas, alio modo dicitur regnum, de quo alibi dixit: *Nolite timere puſillus grex; quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Ac ne quis queri valeat, quòd paucos voluerit habere in filios, per Ioannem admonuit: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* At verò Dominus, vt filios habet ſpirituales, ita etiam vxorem, ſiue ſponſam ex qua ſuſcipit filios, id eſt, Eccleſiam Catholicam: quam, quia indotatam, & omnibus bonis nudam acceperat, aliam dotem non habet, quàm illam, quam ipſe eam ex dilectione deſponſans à principio illi aſſignauerat. Hanc igitur dotem moriens illi legauit, cùm dixit: *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo; ille vos docebit omnia. & ſuggeret vobis*

Pſal. 111. 2. Cor. 9.

Declaratur ille Pſalmi verſiculus: Diſperſit, dedit pauperibus, & reliq.

1. Tim. 4.

In quo Chriſtus conferat beneficia ſua.

Hæredes quos nam Chriſtus inſtituat. *Rom. 8.*

Ad iuſtificationem peccatoris neceſſaria.

Luc. 12.

Chriſti charitas & munificentia.

Ioan. 1.

Quæ ſit ſponſa Chriſti.

Dos ſponſæ Chriſti quænam ſit.

Ioan. 14.

Spiritus S. in Eccleſiam beneficia.

omnia, quæcunque dixero vobis: Nam per hunc Eccleſia ſoliditatem habet in fide, confirmationem in gratia, & charitate.

Plaut. in Aulul. Ac. 2. ſce. 4.

Nam, vt dici ſolet, ſatis dotata eſt, ſi bene morata venit; & in tribulationibus præſentaneas, ac ſolidas conſolationes.

Ibidem.

Quale ſui monumentū Chriſtus ſponſæ ſuæ reliquerit.

Huius tantæ dotis alius capax non erat, quàm Eccleſia, ſicut dixit: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritus veritatis, quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum.* Adiunxit prætereà memoriale ſui ipſius perpetuum, id eſt, Euchariſtiam, quæ eſt præcipua teſtamenti pars, de qua ait: *Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo.*

Luc. 22. 1.Cor. 11. Matth. 9.

Reliquit & illi, tanquam viduæ, & præſentia mariti deſtitutæ, fletum, & commiſerationem, qua mortem ſponſi ignominioſam, ac violentam proſequeretur: *Non enim poſſunt filij ſponſi, quamdiu cum illis eſt ſponſus, lugere: cum autem auferetur ab eis ſponſus, tunc lugebunt.* Et ita Dominus dixerat: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini.*

Ioan. 16.

Eccleſiæ Chriſti ſponſi ſui abſentis lachrymę quàm dulces, & iocundæ.

Sed hæ lachrymæ ſponſæ pretioſiores ſunt, ac dulciores omnibus mundi, ac carnis delicijs. Matri verò ſanctiſſimæ primò diſcipulum Ioannem dimiſit in filium, & in adminiſtrum loco ſui, & conſolatorem: rurſus, vt ipſa pro filio agnoſceret Ioannem, & in eo omnes, quotquot crucem Chriſti non erubeſcerent, ſed eam & corde crederent, & ore, & factis confiterentur; atque ita facta eſt aduocata mundi tanquam pientiſſima eius mater, & diſpenſatrix omnium donorum, & gratiarum, quæ ſanguine, & morte eius comparata ſunt.

Infra 19.

Seruis ſuis, id eſt, Apoſtolis quid legauerit Chriſtus. *Luc. 22.*

Seruis verò ſuis, hoc eſt, Apoſtolis, qui fideliter ac ſtrenuè quoad vixit, illi miniſtrarunt, de quibus dixit: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*: libertatem ſpiritus reliquit, & vt ipſi eſſent miniſtri per verbum, & Sacramentum, hanc tantam libertatem, quæ reconciliationem cum Deo, immunitatemque à peccato, & dæmonis ſeruitute includit, impertiendi in alios: addiditque illis amplum ſtipendium, ex quo poſſent vitam traducere, cùm inquit: *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, &cæt. Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.*

Matth. 19.

Sanctis verò Patribus, qui creditores erant Dei, & ſuſtinuerunt pondus diei, & æſtus in vinea Domini laborando, quamprimum debitam illis mercedem pendi voluit: quaſi enim illi eſſet dictum: Voca operarios, & redde illis mercedem, confeſtim ipſo die mortis claram, ac beatam ſui viſionem in eos contulit, & in ſanguine teſtamenti ſui emiſit vinctos ſuos de lacu, in quo non erat aqua.

Inf. 20.

Ibidem.

Zachar. 9.

Quid verò idē pauperibus legauerit.

Prætereà multa legata pia pauperibus in hac ſua morte reliquit Dominus. Nam crucifigentibus, & carnificibus, qui milites erant Romani, veſtes ſuas reliquit, quò illarum contactu reſipiſcerent, ac ſanctificarentur, & cum illis coniunctam veniam, & exoratum Patrem, cum dixit: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*, Sed illi citra fidem veſtes eius contingentes, fructum vllum ſpiritualem non ſunt conſecuti, ſed ſuper illas miſerunt ſortem.

Matt. 27. Luc 23.

Quid eſt quòd milites Chriſti veſtes diſpertierunt ſibi.

Matth. 27. Pſal. 21.

Quia bona Chriſti Eccleſiaſtica, & patrimonium Crucifixi, ſanguineque eius partum, ludis, iocis, crapulis, atque conuiuijs quamplurimi diſtrahunt. Petro pauperi, qui Chriſtum abiurauerat, reliquit fletum & conuerſionem à peccato: Malcho præciſam auriculam reſtituit, vt ſaltem poſt reſurrectionem audiret fidem ab Apoſtolis Euangelizatam: nam fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti.

Math. 26.

Luc. 22.

Rom. 10. Matth. 27.

Simoni Cyrenenſi & angariato ad baiulandum ſecum crucem, gratiam dedit, vt ſocius ſibi eſſet in cruce ferenda, atque ob eam gratiam nomen eius eſſet glorioſum in Euangelio per totam Eccleſiam: mulieribus eum plangentibus, & lamentantibus reſpondit verbum ſolatij, ac doctrinam tradidit eorum, qui ſunt plangendi, dicens: *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me; ſed ſuper voſipſas flete, & ſuper filios veſtros:*

Luc. 23.

ſanctæ fœminæ dictæ Veronicæ offerenti velum ad extergendum ſudorem, & ſanguinem vultus, vt piè creditur, glorioſam ſui vultus imaginem in velo impreſſam ad perpetuam memoriam, & venerationem reliquit: Latroni pauperrimo, & ſui memoriam à Chriſto in regno ſuo poſtulanti, libenter paradiſum eadem die poſſidendum ſupra quam petierat, vel intellexerat, promiſit, dicens: *Hodie mecum eris in paradiſo.*

Ibidem.

Longino militi lancea latus eius aperienti aquam dedit, & ſanguinem, vt oculos reciperet ad videndum quem pupugerat, & quod ad ſe attinet, ſanguine illo redimeretur, & aqua permundaretur.

Ioan. 19.

Centurioni ob cuſtodiam Chriſti in cruce, legauit fidem, & apertam veritatis confeſſionem, quòd homo iuſtus, & verè Filius Dei eſſet.

Luc. 27. Matth. 27.

Quod Iudæis crucifixoribus ſuis hoſtibuſque capitalibus itidem Chriſtus legauerit.

Iudæis verò inuidis atque malignis, mortiſque ſuæ machinatoribus, magna ſua charitate legatum reliquit amplum, vt à tanto flagitio reſipiſcerent; dum per trium horarum

Ibidem.

rarum tenebras, terræ motum, petras ſciſſas, ruptum velum, aperta monumenta, atque mortuos reſurgentes, terrorem incuſſit, ac tremorem, vt cogitarent de peccato à ſe commiſſo, & ſaniorem mentem induentes per fidem accurrerent ad Ieſum; nam multi ex illis, qui venerant vt adeſſent ſpectaculo, reuerſi ſunt, percutientes pectora ſua. Cum de his omnibus diſpoſuiſſet, tantùm ſupererat corpus, ſpiritus, atque ipſa crux. Corpus igitur Ioſepho & Nicodemo honorificè in ſepulchro cum aromatibus tumulandum reliquit: nam ſic etiam Chriſtus à nobis accipiendo, nobis largitur: maiuſq; fuit beneficium Dominum omnium à nobis quicquam recipere, quàm multa nobis dare; cùm ob id largiatur, vt illi reddamus. Dedit etiam pretioſum pectus, & fortitudinem, vt iſti, qui diſcipuli erant occulti, ſe tandem proderent, & præſertim Ioſepho Arimatheo, vt audacter peteret corpus Ieſu à Pilato. Cruci verò duræ, ac ignominioſæ mortis tormento, quia illam ſuo corpore contigit, ſuoque ſanguine rubricatam ſanctificauit, reliquit exaltionem, & gloriam, vt iam ſit ſceptrum Regum, & Imperatorum, vt ſit terror dæmonibus, qui illa viſa diffugiunt, Apoſtolis gloria, qui dicere poſſunt: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti:* fidelibus omnibus qui delicata atque pretioſa margarita crucis ſigno ſe muniant, edant miracula, perficiant Sacramenta, & per quam Deum nos exaudire efflagitent, & in qua Chriſtus exauditus eſt à Patre ſuo, & exaudiuit in ea latronem, illam adoramus, atque exoſculamur, illam fronti imprimimus, ac pectori, illam inuocamus, & blandè alloquimur, dicentes:

Luc. 23.
Ioſepho & Nicodemo Chriſti bona quæ ceſſerint eius beneficentia.
Ioan. 19.
Marc. 15.
Crucis Chriſti gloria, & triumphus.
Gal. 6.
Crucis beneficia.
Heb. 5.
Luc. 23.

O crux, aue ſpes vnica,
Hoc paſsionis tempore
Auge pijs iuſtitiam,
Reiſq; dona veniam.

Illa denique nobis benedixit tanquam filijs, & nos illo ſigno, ſiue filios noſtros, ſiue cibaria, quæ edenda ſunt, ſiue quæ ſanctificanda diſcimus benedicere. Vides igitur quàm amplum, & quanta cum ratione, & prudentia condiderit teſtamentum.

Poſt mortem teſtatoris moris eſt aperiri teſtamentum, vt qui ſunt hæredes, agnoſcantur, & quiſque ſua legata intelligat. Nam dum viuit teſtator, validum non eſt teſtamentum, dum voluntas teſtantis; vt dici ſolet, deambulatoria eſt, & mutari poteſt. Quare Dominus rectè dicebat: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Neceſſaria igitur erat mors Chriſti, vt confirmaretur teſtamentum eius. Poteſt autem dici teſtamentum apertum in die reſurrectionis, quando Apoſtolis aperuit ſenſum vt intelligerent Scripturas. Porrò Scripturæ nihil aliud ſunt, quàm vetus & nouum Teſtamentum: quòd dum Chriſtus non detegit, clauſum eſt, atque obſignatum.

Ioan. 12.

Chriſti teſtamentum quando fuerit apertum.
Luc. vlt.
Scripturæ quid ſint.

Sed miraberis fortaſſe, quòd tantus, ac tam diues teſtator, tantæque charitatis, atque ſcientiæ, vt prænouerit omnia, quæ futura ſunt, nihil nobis abſentibus in ſuo teſtamento aſſignauerit. Quod tùm eius ſapientiæ, atq; miſericordiæ decantatæ, tùm noſtræ indigentiæ repugnare videtur: noſtra enim vita, aut ſalus, Chriſti teſtamento ſublato conſtare non poteſt. Sed ceſſabit admiratio, ſi intelligas neminem à bonis ſuis Chriſtum exhæredatum reliquiſſe præter eum, qui hæreditati renuntiauerit, vt qui dicebant: *Nolumus hunc regnare ſuper nos*: &; *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* In cuius typum dictum fuit à Filijs Iſrael de Dauide Rege; *quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hæreditas in filio Iſai?* vel præter eum qui cum profano Eſau primogenita ſua vendiderit. Sicut enim nemo eſt, qui ſe abſcondat à calore eius, atq; amore. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret; ita & à fructu amoris ſui, obedientiæ, atque pretij Patri ſuo mundo ex dilectione perſoluti, ac proinde à parte aliqua teſtamenti ſui nemo eſt alienus. Ad nos igitur quoque tanquam ad filios, & ſponſas, & ſeruos, & creditores, & amicos hæc ſpectat hæreditas: nam his omnibus magnificis titulis in ſacris literis exornamur. Etſi autem hæreditas Chriſti incomprehenſa ſit, & ineffabilis, vtpote infinita; vt tamen breuitati conſolamus, duo potiſſimùm reliquit nobis, merita videlicet ſua, atque exempla, quæ ditare, & magnopere nos conſolari valent, atque confirmare. Si attentius teſtamentum hoc inſpiciamus, & quæ in eo continentur, contemplati fuerimus, à quæſtionibus difficilibus, atque implicatis abſtinebit oratio noſtra, hiſtoriam Euangelicam non percurret, prophetias innumeras nõ percenſebit, vna tantùm excepta Zachariæ diligentius excuſſa, atq; examinata, quæ amorem, ac deuotionem ingenerare poſſit, & commonefacere nos ne de tanto beneficio, & ampliſſimo legato inueniamur ingrati.

Quare Chriſtus tam diues ac ſapiens teſtator cùm ſit, nobis tamen nihil abſentibus in teſtamento reliquerit.
Luc. 19.
Ioan. 19.
3. Reg. 2.
Gen. 25.
Pſal. 18.
Ioan. 3.
Quæ nobis bona potiſſimùm Chriſtus in teſtamento legauerit.

Quærit ergo Zacharias: *Quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Et reſpondet;

tur per confeſſionem guttur tuum quaſi ſepulchrum exhalans fœtoré peccatorum, mortuæ in te inſpirationes diuinæ reſurgant, obſcuretur in te ſplendor rationis humanæ, cõfitere Chriſti gloriam cum Centurione, & ita commiſereberis Chriſto, & percuties cum turba pectus tuum, Chriſtique commiſeratio tibi erit ad ſalutem, & gloriam. Miſerere igitur animæ tuæ placens Deo: nam ſi te miſerum agnoueris, cum te ipſum diligas, inde tui orietur commiſeratio. Quoniam autem nemo alius ſuccurrere poteſt tuis miſerijs, quam Chriſtus, illeque neminem miſericordiæ oculis aſpiciet, niſi quem viderit ſenſu commiſerationis erga ſe affici, cogeris vel inuitus vno & eodem ſenſu per συμπάθειαν cum illo affici, & ad eius vulnera tanquam ſalutis tuæ medicamenta certiſſima cum viuis cordis lacrymis accurres. Et hactenus de Chriſti miſericordia.

Matth. 27. *Luc. 23.* *Eccleſ. 30.*

Iam dicendum de ipſa paſſione. De qua ſubiungit: *Et lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Nam mors per ſanguinis effuſionem in Scripturis ſignatur. Dicemus auté primo de neceſſitate ſanguinis Chriſti ad redemptionem, deinde quomodo ſanguis dicatur lauare, aut mũdare, cum ſanguinis ad ſpiritum non ſit contactus: nam ſi contingeret, potius ſuapte natura contaminaret: & quomodo mundat effuſio, quæ iam præterijt, nec mundet ſine fide & Sacramentis? Tertio, quare hic ſanguis extra venas fuſus eſt, cum poſſet offerri in illis, vt in ſuffocatis contingit animalibus? Quarto, quare ſepties ſit effuſus hic ſanguis? Quinto, quare fuſus de toto corpore, vt in horto & in flagellatione, & in cruce, vbi ex manibus, pedibus, latere, atque capite ſpinis coronato profluxit? Sexto, cur tum in horto, tum in cruce, cum ex latere Chriſti mortui profluxit ſanguis, & aqua? Poſtremo, cur cum aqua non tantum in cruce, ſed etiam in circumciſione, & horto, & flagellatione coniunctus effluxerit.

De Chriſti paſſione ſeptem difficultates explicandæ.

Luc. 22. *Ioan. 19.* *Ibidem.*

Ad primum reſpondemus, neceſſarium extitiſſe Chriſti ſanguinem ad redemptionem noſtram, tum ob peccatum noſtrum, quod, vt dici ſolet, obiectiue infinitum erat, quia in Deum infinitum admiſſum, & infinitos virtute lędere poterat, ſi mundus fuiſſet æternus, & peccatores ſeparabat à Deo infinito bono. Chriſti ergo Dei infiniti ſanguine opus fuit Deum iratum placare, vt infiniti homines, ſi forte eſſent, Deo reconciliarentur, & per illum ſanguinem Deo coniungerentur. Nam vt ait Apoſtolus, nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longe, & facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Talis enim, ac tantus humor peccans in nobis, alia, quam Chriſti ſanguinis medicina expelli non potuit. Conueniebat etiam pœnæ peccati infinitæ, & æternæ à nobis expellendæ, quæ merito ſanguine infiniti, & æterni Dei tollitur. Ideo hic ſanguis figuratus fuit in omni ſanguine victimarum veteris Teſtamenti: quia vt ille fundebatur pro offerente, qui dignus erat morte, & ſanguinis ſui effuſione, ita hic pro omnib. nobiſ, quorũ ſanguinem iuſtitia diuina fundi iubebat, effuſus eſt, & à morte æterna nos eripuit. Conueniebat etiam Satanæ peccati noſtri, & pœnæ autori, ſolicitatoriq; hic ſanguis, quem ſumme ſitiebat, & fundi procurabat. Cum enim cerneret, Deum præcipientem ſanguinem effuſum animalium offerri ſibi; male Deum imitans, odio, & inuidia percitus ſanguinem Chriſti fundi moliebatur, de quo ad Iudæos dixit: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio.* Ecce diaboli deſiderium. Fudit tandem per ſua organa hunc ſanguinem, atque in illo tanquam Pharao cum exercitu ſuo in mari rubro ſubmerſus eſt cum ſatellitibus ſuis. Et vt apis pungens perdit cum aculeo vitam, ita dæmon poteſtatem, & principatum, quem in peccatores exercebat, & vitam, quam iocunde in culpis noſtris agebat, prorſus amiſit. Ideo olim dæmon ſanguinem humanum ſibi fundi exigebat. Nam de Iudæis teſtatur Dauid: *Et effuderunt ſanguinem innocentem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptibilibus Chanaan, & interfecta eſt terra in ſanguinibus, &c.* De Gręcis vero Deos ſuos placantib. aſſerit Poëta:

Cur ad redemptionem noſtram opus fuerit Chriſti ſanguine.

Sanguis Chriſti vbi præfiguratus, & adumbratuſque fuerit.

Ioan. 8. *Gen. 3.* *Exod. 14.*

Dæmon api comparatur.

Pſal. 105.

Virg. 2. Æneid.

Sanguine placaſtis ventos, & virgine caſa, &c.
Sanguine quærendi reditus, animaq; litandum
Argolica.

Chriſti autem ſanguis ex parte Iudæorum inuidia illum fundentium, oblatus eſt dæmoni, ex parte vero Chriſti mortem cum charitate, & obedientia acceptantis, oblatus eſt Deo. Deinde congruebat hæc ſanguinis effuſio, vt mutua diuinarum perſonarum appareret cognitio, zelus, atque iuſtitia. Iuſtitia quidem, vt quam ſit ſeuera, ac rigida, nobis conſtaret. Nam ſi ſemper clamauerit: *Quaſi à facie colubri fuge peccata,* non tantum odium in peccata conciperemus, quantum ſola Filij Dei cęde concipere poſſumus. Deinde diuinarum promiſſionum oſtenditur veritas: tam fidelis eſt enim Dominus in omnibus verbis ſuis, vt etiam cum ſanguine Filij ſui chariſſimi fuſo promiſſis ſuis ſtare decreuerit, quo & tu diſcas promiſſa tua in baptiſmo Deo pendere,

II. Ratio fuſi ſanguinis Chriſti pro nobis.

Eccleſ. 21.

Pſal. 144.

etiamſi ſanguis tuus ſit profundendus. Apparet prętereà Dei bonitas, miſericordia, & charitas ad hominem, tanto amore trahẽs, & veluti qui piſcatur annulo aureo, & funiculis purpureis, quæ pretioſiora ſunt ipſis piſcibus. Apparet ſimul ſanguinis Filij Dei ſumma potentia parcens ſummo peccato, quod deletionem naturæ humanę promerebatur, ſi ob crimẽ læſæ maieſtatis humanæ, filij rebellium puniuntur, & eorũ cauſa quandoq; tota vrbs funditus euertitur. Sed noluit, vt Iudæorum demeritũ Chriſti meritũ vinceret, aut illorum peccatum maius eſſet Chriſti obedientia. Ceſſit etiam in Chriſti mediatoris gloriam hæc ſpontanea ſui ſanguinis profuſio: quia eius gloria ſumma fuit, pro vniuerſis totius orbis hominibus, qui fuerunt, ſunt, aut erunt, ab æterna peccati, mortis, ac dæmonis ſeruitute liberandis mortem oppetere, ſi glorioſum fuit

Codri Regis Athenienſiũ in patriam amor.

Codro Regi pro Athenienſium Republica ac Decijs Romanis pro patria mortẽ occũbere. Adhęc par erat, vt ſummus eſſet modus reconciliandi, poſtquam erat ſummus reconciliator, ac mediator: multum enim fuiſſet vel ſolis verbis cauſam noſtram agere, ac Deum placare: maius, ſi facultatibus ſuis magniſque difficultatibus, ac impenſis reconciliationem obtineret: illud ſummum, ſi morte ſua intercederet: maiorem quippe hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: quem gradum exceſſit Dominus, dum pro impijs mortuus eſt; at hoc alius maior ne cogitari quidem poteſt. Præterea ſumme conueniebat, vt quæ Chriſtus prædicauerat, quæ ſublimia erant, & ſupra naturæ cognitionem poſita, ſummo genere teſtificandi, id eſt, ſanguine ſuo diuino, confirmaret, & conſtabiliret: Ego, inquit, *in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Imo nec Prophetis, vel Apoſtolis pro veritate teſtificãda extinctis ita eſſet credendum, ſi non accederet ſummum, & per eſſentiam teſtimonium Filij Dei, pro Euangelio à ſe prędicato morientis. Conueniebat quoque gratiæ, quam nobis ſua morte comparauit, & gloriæ promiſſæ, quam promeruit, vt intelligamus quã ſint magni pẽdenda Dei dona, quæ vel hic largitur, vel in futuro largiturus eſt, & quam intrepide pro eis aut acquirendis, aut ſeruandis, aut perficiendis, ſiue in nobis, ſiue in alijs, ſanguinem noſtrum profundere minime ſit formidandum.

Ioan. 15. *Rom. 5.* *Ioan. 18.*

III. Ratio.

Tertio conueniebat mundo toti, qui confuſus erat, & omni ordine deſtitutus, ſeruiẽs homini peccatori, ac rebelli, qui vt cæcus cæco ducatum præſtabat. Mundus enim neq; videns, neque cognoſcens frequenter cadebat in foueam peccati, atq; inde in præcipitium gehennæ: verum Chriſti ſanguine illuminatur homo, vt redeat ad Deum, atq; cum eo totus mundus homini ſeruiens. Adhæc mundi valor, ac dignitas Verbo Dei creati, atq; ex dilectione conditi, non potuit efficacius nobis oſtẽdi, quam per inſtaurationem, & redemptionem eius, qui ſimul eſt Deus, & homo.

IV. Ratio.

Conueniebat etiã angelis, quibus hominum tutela, & cuſtodia deputata eſt, efficax ac validiſſimum exemplum exhiberi, vt in poſterum ſolicite nobis inſeruiant, nobis vigilent, noſq; cuſtodiant, atque ea inſpirent nobis, pro quib. cernunt Regem ſuum ſanguinem totum effudiſſe: Oſtenſa eſt pariter dignitas creaturæ humanæ in conſortium diuinum euehendæ, pro qua Deus ſanguinem fudit, vt inde ampliſſimam habeat perſanctè gloriandi materiam.

V. Ratio.

Ad extremum, cõgruebat homini præ alijs hęc ſanguinis effuſio: quia propter nos homines & propter noſtrã ſalutem deſcẽdit de cœlis; tum vt eum liberaret à iuſtiſſima Dei indignatione, à viliſſima ſeruitute dæmonis, ab indigniſſima captiuitate peccati, & ab horribili mortis timore per ſanguinem ſuum tanto amore profuſum, tum vt intelligeret, quanto odio peccatum ſit proſequẽdum, ac deteſtandum; tum vt ſciret, quantum, & quouſq; Deo ſit obediendum; tum vt agnoſceret animam ſuam pulcherrimam immortalem; nec enim Deus immortalis pro anima ad tẽpus viuẽte tanta pertuliſſet; tum deniq; vt Chriſti ſanguine calidi reddamur.

Chriſti humanitatis in virgine Sunamite Dauidi cũm ad fouendum data perelegans typus.
3 Reg. 1.
Ibidem.

Nam vt Dauidi iam ſeni, ac frigido, & præ caloris inopia quietem ſomni captare minime valenti, data eſt Sunamitis puella, cuius calore fotus ſomnũ capere poterat, quam tamen Dauid nunquam ſecundũ carnem cognouit: ita nobis refrigeſcentibus, & ſanguine, qui ad virtutẽ accendat, deſtitutis, data eſt Chriſti humanitas ſanguine diuino feruẽs, vt amore calefaciat, & vires ad operandum ſuppeditet, & ita ſomnum pacis, & æternitatis capere valeamus, modo ſecundum carnem non cognoſcamus. Nam Iudęi, & falſi pręlati, ſiue religioſi, qui à Chriſto tantum bona temporaria, carniſq; commoda, atque honores, & temporarias dignitates expectant, profectò Chriſtum ſecundum carnem cognoſcunt.

Cũm ſanguis ſpiritum contingere nequeat, quomodo illum dicatur abluere, ac mundare.

Ad ſecundum dicẽdum, quod ſanguis Chriſti non lauat, neq; mundat, quatenus pure humanus, & corporeus eſt, ſed quatenus oblatus à diuina verbi hypoſtaſi, cui erat vnitus, atque ita quadruplici ratione vim habet expiãdi. Primo quidem efficienter,

Quinque modis Chriſti ſanguis peccata mundat & abluit.

ter, quia Dei eſt ſanguis. Etſi enim ſanguinis Chriſti natura minime ſit diuina, imo nec humana; etſi hominis ſit, ſed creatura quædam, tamen vt corpus, & oculus ob vnionem cum hypoſtali Verbi, Dei dicitur (quemadmodum, & humanitas nō eſt diuinitas, homo tamen eſt Deus) ita ſanguis Chriſti Dei eſt ſanguis, & efficienter ſalutem operatur, vt verbi Dei inſtrumentum, quatenus non imputat Deus peccatum, & gratiam impertit mundantem. Deinde operatur meritorie, quia homo ille Deus ex obedientia Dei, & charitate mundi ſanguinem ſuum fundēs promeruit remiſſionem peccatorum, quam intuens Pater in Chriſtum dilectum largitur: vnde & nos rogamus. *Reſpice in faciem Chriſti tui.* Hinc ait Apoſtolus: *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians Deo,* non imputans illis delicta ipſorū, quę in Chriſto ipſō puniebat; quemadmodum veteres hoſtiæ, quæ mortem pendebant ab offerentibus luendam in ſignum Chriſti verę hoſtię, ob quam tunc verè dabatur remiſſio peccatorum in fide Chriſti ſanguinem bruti animantis offerenti, & ad hoc ſatis erat fides maiorum. Hinc ab Eſaia dicitur: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum,* & rurſus, *ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus,* & Petrus, *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Promeruit igitur nobis gratiam mundantem, & Spiritum ſanctificantem, ac propitiantem, vt Paulus dicat: *Quem propoſuit Deus propitiatorem, per fidem in ſanguine ipſius.* Tertio mundat hic ſanguis vt inſtrumentum eſt, quatenus videlicet ſanguis oblatus eſt à Chriſto. Vt pretium redemptionis, quemadmodum pecunia pro liberando captiuo mundat à miſera captiuitate, & libertatem confert: ideo dicitur ſanguis redemptionis. Hinc in Apoc. ait Ioan. *Dignus es Domine accipere librum, & ſoluere ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* In, more Hebræo accipitur pro Per, & ſignificat ſanguinem fuiſſe inſtrumētum redemptionis. Quarto, mundat exemplo, cùm ad radicem arboris ſecurim poſuit. Quia enim homo ex ſe animalis eſt, & ad ſummum humanus, & opus erat vt ſpiritualis & diuinus fieret propter bona intellectualia & ſpiritualia, delectationibus & triſtitijs tam animalibus quam humanis reſiſtēs, Chriſti autem paſſio ac mors contra partem in ipſo animalem dolores vehementes incuſſit, & contra partem humanam, & ratione præditam mille modis extitit iniurioſa: quia autē voluntarie aſſumpta fuit mors illa ignominioſa à Chriſto, oſtendit homini cæco bona quædam extare intellectualia, & diuina, propter quæ non ſolum tolerari, ſed etiam expeti queant. Quod eo magis oſtendit, quod intellectus Chriſti patientis, qui ſumma eſt ſapientia præditus, minus potuit falli; ideo Chriſtus propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta. Quamobrem inclyta Chriſti mors, atque in eius virtute Martyrum, & Confeſſorum tolerata tormenta, veritatem Dei, & vanitatem mundi indicant, in omnibus aduerſis conſolantur, in proſperis humiliant, omniumque virtutum amplectendarum, atque vitiorum fugiendorum illuſtriſſimum ac lucidiſſimum præbent documentum, ac ſpeculum. Vt ea etiam ratione ſanguis Teſtamenti dicatur, non ſolum quia illo firmatum eſt nouum Teſtamentum, ſed etiā quia docet quid pro gloria Dei, quid pro fuga vitij, quid pro virtute comparanda, quid pro ſalute proximi acquirenda quiſque facere debeat. Deinde purificat Chriſti ſanguis, & tangit per virtutem gratiæ & Spiritus ſancti, quem ille nobis promeruit, in quantum Dei eſt. Et licet exterius ille ſanguis videatur inquinare, tamen per virtutem latentem Deitatis lauat: quemadmodū ſmigma, quod ſaponem vocamus, extra quidem inquinare videtur rem illam quam tangit, intus tamen vim habet deliteſcentem ad externas ſordes abluendas. Tertio, illa effuſio etſi actu præterierit, adhuc tamen permanet in virtute, vt compoſitio theriacæ, etſi præterierit, manet in virtute expellendi venenum: quemadmodum ſeruitium impenſum à Iacob pro Rachele, actu quidem præterijt, in eo vero quod vtilitatem, & commodum præſtat, manſit. Ad eum modum opera bona noſtra etſi actu præterierint, æternæ tamen gloriæ mercede à Deo remunerantur. Præter eà requirit hic ſanguis aut fidem, aut Sacramentum, non ob imbecillitatem aut defectum ſuum, ſed ob decentiam ſuam, & vt illis det virtutem, & vt homo ſuauiter voluntate, & libero arbitrio Deo ſeruiat. Quemadmodum Deus humanitate, & Chriſti ſanguine vti voluit, quibus tamen non indigebat, ſed illis virtutem tribuebat ſaluandi, & vt ad cæcum illuminandum vſus eſt ſaliua & luto ex illa confecto, & lotione aquæ ad natatoria Siloē. Et ita Chriſti paſſio valet ad primum ingreſſum in Chriſtum per Baptiſmum, & ad ſecundum per pœnitentiam, & ad opera vitam æternam promerentia, poſt mortem vero ad ſuffragia in purgatorio ſuſcipienda, & im-

Margin notes (left): Pſal. 83. — 2. Cor. 5. — Veteres hoſtię quatenus emundarent corda. — Eſai. 53. — Ibidem. — 1. Pet. 2. — Rom. 3. — Chriſti ſanguis cur dicatur ſanguis redemptionis. — Apoc. 5. — Redimere in ſanguine more hebræo quid. — Matth. 3.

Margin notes (right): Heb. 12. — Chriſti ſanguis cur dicatur ſanguis teſtamenti. — Matth. 26. — Heb 10. — Paſſio Chriſti ſmigmati comparatur. — Qua ratione mundet hæc ſanguinis effuſio, cum iam præterierit. — Gen. 30. — Cur fidem, aut Sacramentum acquirat hic ſanguis. — Ioan. 9. — Quid conferat ſanguis Chriſti.

& impendenda, ad indulgentias ad Miſſæ ſacrificium applicandum: ita vt omnis virtus expiandi ſit à Chriſti ſanguine, varijs tamen modis applicata.

Virtus omnis expiandi vnde ſit.

Ad tertium reſpondendum, ſanguinem dici illum, qui in venis eſt; cruorem, illum, qui vulnere, aut alio modo eſt effuſus. Dominus tamen voluit ſanguinem ſuum extra venas effundi, & effuſum Deo offerri, ſecundum illud: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum*; &: *Factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*, &: *Lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua*: tum ad ſignificandum donorum Dei, & chariſmatum expanſionem: & quia in more eſt, vt vino effuſo ſuper menſam, lætitiam, & bonum augurium ſtatim concipiamus, ita ex effuſione ſanguinis Chriſti omne bonum nobis, ſiue præſens, ſiue futurum auguremur. Deinde illud conueniens erat, vt quod in ſacrificijs antiquis adumbrabatur, quorum ſanguis fundebatur, in Chriſto inueniretur impletum, & ob exemplum martyribus præſtandum, quibus ad ſanguinis vſque effuſioné erat pro Chriſto decertandum. Tertio, quoniam ſponſa hoc opus habebat ad lauacrum à lepra peccati, & in piſcinam animæ paralyticæ, & ad tollendam nigredinem obſcurantem eius pulchritudinem: vnde hic ſanguis dicitur dealbare, iuxta illud: *Lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine Agni.* Deinde adoptionem animæ ægrotantis, atque languidæ, quæ plerumq; poſt vitam ſpiritualem ægrotat, & remedium eſt bibere, ſicut ipſe præcepit: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Nemo autem ſanguinem potare poteſt, dum in venis eſt alterius, aut illo lauari. Adhæc eſt genarum ornamentum, nam ita S. Agatha dicebat: *Sanguis eius ornauit genas meas.* Nam rubricato ſanguine Angelus vaſtans Ægyptios non tangit: Chriſtus enim rubrum habens veſtimentum ſui coloris inſignia ſponſæ ſuæ præſtat. Valet quoque ad viuificationem, ſeu ſuſcitationé eorum, qui per peccatum moriuntur: nam pullus pellicani à ſerpente extinctus, parentis humido & calido ſanguine in vitam reuocatur. Valet quoque ad nobilitandam ſponſam: Chriſti enim ſanguis, ſemen eſt Chriſtianorum, calore charitatis, & Spiritus ſancti efficacia bene digeſtus, ex quo homines cœleſtes fiunt, ac diuinæ naturæ conſortes, de quibus Petrus: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Debet autem hæc nobilitas Spiritus non aliter illam carnis obſcurare, atq; Sol offuſcat lucernam. Ac vt Dauid dotauit ſibi in vxorem Michol filiam Saulis in ſanguine ducentorum Philiſthæorum: nam 200. præputia coram Rege enumerauit, & vt Poëta ait de quadam nubili puella:

Sanguis à cruore quid differat.

Matth. 26. Luc. 22. Ioan. 19.

Cum ſanguis Chriſti Deo offerri poſſet in venis, cur extra illas fuerit oblatus.

Apoc. 7.

Ioan. 6.

Exod. 12.

Ingenium Pellicani.

Chriſti ſanguis ſemen eſt Chriſtianorum.

1. Pet 1. 1. Pet. 2. Exod. 19.

Nobilitas Spiritus quo modo ſit, & illuſtrior nobilitate carnis.

1. Reg. 18.

Virg. 7. Æneid. aliquando ante med.

Sanguine Troiano & Rutilo dotabere virgo.

Ita Chriſtus Eccleſiam ſuam tanquam legitimam ſponſam, & quamlibet eius fidelem animam in ſanguine ſuo diuino principaliter, deinde etiam in Apoſtolorum & Martyrum ſanguine dotare voluit, vt agnoſcamus quam caræ ſponſæ ſimus Chriſto, & quam pretioſa ſanguinis dote ſibi deſponſatæ. Confert etiam ad munus fidelis aduocati præſtandum, diuinamque proinde miſericordiam pro nobis inflectendam, atq; hoc efficacius & fortius, quam ſanguis Abel voces querulas vindictæ edat, vel quã ſanguis Martyrum, & interfectorum propter Ieſum clamet: *Vſquequo Domine (ſanctus & verus) non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de ijs qui habitant in terra?* Nam illorum ſanguis, etiamſi iuſtorum, humanus erat, ille vero Chriſti etiam diuinus, non ſolum quod formatus ſit ab Spiritu ſancto, ſed etiam quod Deus ſit, qui illum fuderit in ſalutem hominum.

Gen. 4. Hebr. 12. Apoc 6.

Ad quartum dicendum, ſepties effuſum Chriſti ſanguinem fuiſſe, in circumciſione, horto, flagellatione, & corona ſpinea, in manibus ac pedibus viuentis Chriſti, & in latere iam defuncti, non ſine magnis rationibus. Primum quidem in ſignum publicæ lætitiæ, vt in Regis aut ſummi Pontificis coronatione ſæpe contingit, vt pretioſa, ſiue dulcia miſſilia in omnes largiter effundantur. Deinde, vt non tantum empti, ſed etiam redempti, dici valeamus: nam vt ait Propheta, apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. Nam non ſemel euenire ſolet, vt domus pretio enumerato comparata, poſtea dum per hypothecam alteri ſubiecta inuenta eſt, iterum pretium eius numeretur. Tertio, vt non tantum effuſus pro vno, aut altero ſed pro multis, & ad multos effectus prædictos exiſtimetur. Quarto, numerus ille ad ſeptem mortifera delicta expiáda ſpectat, & ad ſeptiformem Spiritum impetrandum: quemadmodum ſummus Sacerdos digito aſpergebat ſepties contra Tabernaculum. Quinto, vt ſignificaret, non tantum, vt olim figura, & actu, vt in cruce, ſed etiam fructu & effectu ſæpe eſſe fundendum, vt in myſterio Miſſæ. Sexto, quia quoties nos peccamus, etiam poſt baptiſmum, toties noua per Chriſti

Chriſti ſanguis cur ſepties ſit effuſus.

Luc. 2. Infra 12. Ioan. 19. Ibidem. Ibidem. Ibid.

II. Ratio.

Pſal. 129.

III. Ratio.

IV. Ratio.

Leuit. 4.

V. Ratio.

VI. Ratio.

ſangui-

ſanguinem indigemus redemptione,atq; poſt mortem, ſi quid luendum eſt in purgatorio, non niſi virtute ſanguinis Chriſti ſoluere poſſumus. Denique toties ille profudit ſanguinem,vt ſanguinem peccati noſtri libenter per contritionem, confeſſionem,atque ſatisfactionem fundamus; ſæpe etiam ſanguinem facultatum noſtrarũ per eleemoſynas in pauperes erogemus, ſanguinem quoque noſtrum illicitis motibus bulliẽtem, & ad peccata ſolicitantem, per macerationem & caſtigationem carnis ſæpius comprimamus.

...ptima.

...e toto cor-...ore cur ſan-...uinem fude-...t Chriſtus.

Ad quintum,de toto corpore ſuo Chriſtus ſanguinem fundit: tum quia pro toto corpore eius, quod eſt Eccleſia, patiebatur: quemadmodum ſectio venæ in beneficium corporis cedit totius: tum vt te plus ſibi obſtringeret, & fortiorib. amoris vinculis obligaret,qui nec guttam quidem vllam,quam non effuderit de corpore, reliquit,cum vel vna ſatis ſuperq́ue eſſet, tum denique,quia omnis noſter ſanguis per omnia membra diffuſus corruptus erat: *Omne,*inquit Propheta,*caput languidum, & omne cor mœrens: A planta pedis, vſq; ad verticem, non eſt in eo ſanitas.*

Ephef. 1. Coloſ. 1.

Iſai. 1.

Ad ſextum dicimus, Dominum miraculo,& in horto,& in cruce ſanguinem fudiſſe ad patefaciendam erga Patrem ſuum obedientiam, & ad indicandam nobis amoris ſui vehementiam, qua non expectato lictore ſanguinem ſuum pro nobis ſponte profudit: quemadmodum miraculo quoque ſanguinem potandum in cœna prębuerat Apoſtolis. Deinde ad effectus prodigioſos,ac repentinos ſignificandos,qui virtute ſanguinis Martyrum ſæpe facti ſunt: nam illis ſanguinem fundentibus multi ad fidem amplectendam repentè conuertebantur. Demum, quo ſpem certam concipiamus, in virtute huius ſanguinis etiam illa, quæ nõniſi miraculo obtineri poſſunt, nos impetraturos, & vt intrepide pugnemus, velut elephantes pugnantes viſus ſanguis mori illos corroborat, & confirmat ad bellum. Ideo Ioſeph ab Arimathia, qui prius meticuloſus latitabat, in vi illius ſanguinis foras prodijt ad Pilatum,& petijt ſibi donari corpus Chriſti.

Luc. 22. Cur in horto & in cruce, ſanguinem ſuum fuderit Chriſtus.

Matth. 26.

Mori ſanguis exacuit elephantem ad pugnam. *Ioan. 19.*

Ad ſeptimum, hic ſanguis miſſus cum aqua effuſus eſt: nam in circumciſione lacrymis admiſtus fuit, ſicut & in horto, & flagellatione ab eo cum lacrymis effuſum fuiſſe, à ratione non eſt alienum. In cruce etenim conſtat, illum cum clamore valido,& lacrymis fuiſſe exauditum: nam Ieſus Chriſtus eſt,qui venit per aquã & ſanguinem: non in aqua ſolum,ſed in aqua & ſanguine. Hoc autem factum eſt,quia ſanguis redimit, & aqua lauat, in quibus paſſio & commiſeratio CHRISTI ſignificantur. Deinde, quia nec aqua ſine ſanguine in baptiſmo aut pœnitentia prodeſt, nec contra, ſanguis ſine lacrymarum aqua in Sacramento Pœnitentiæ valet. Tertio, ob Sacramentum Euchariſtię,in quo aqua vino in Chriſti ſanguinem conuertendo admiſcetur. Quarto, vt ſanguinem bonorum noſtrorum in vſus pauperum effundamus cum aqua miſerationis: quia tunc duplex fit eleemoſyna. Nam miſericordia erga pauperem, niſi ſubleues, cum poſſis, non ſatis eſt: neque rurſus nuda eleemoſyna ſine intima cordis commiſeratione aliquid proficit. Frequentius tamen in Scripturis mentio fit ſanguinis, quam aquæ. Primo, quia ille cauſa eſt vniuerſalis alias ſecundarias,& inferiores mouens: ſic enim dicimus, Medicus ſanat,non tamen vt excludamus aut pharmaca, aut alia inſtrumenta neceſſaria. Ita dum dicimus, Architectus ædificat, non excludimus alios miniſtros,aut materiam ad ædificium aptam, aut ferramenta & alia,quæ arti fabricandi ſunt adiumento: ita Chriſto non repugnat aut fides,aut Sacramenta, aut opera, quę omnia ſunt inſtrumenta ſalutis,& Saluatoris. Deinde fit plerumque mentio ſolius, ob humilitatem noſtram, ne quicquam nobis tribuamus: quemadmodum Ioab obſidebat ciuitatem Moabitarum Rabba,cumque eſſet vicina deditioni admonuit Dauidem vt veniret,vt eius nomine ciuitas caperetur. Quicquid enim boni præſtare valemus,id totũ merito eſt Chriſto tribuendum,qui in nobis vincit. Denique multa ſunt,quæ Chriſti ſanguis in nobis facit,& quod in nobis operatur,plus ille facit, quam nos ipſi, ac proinde magis exprimitur vis ſanguinis, quam aquæ in Scripturis.

Cur ex Chriſti latere exiuit ſanguis & aqua. *Luc. 2. Infra 22. Ioan. 19. Hebr. 5. 1. Ioan. 5.*

In aqua & ſanguine quid ſignificetur.

Qualis eſſe debeat eleemoſyna.

Sanguinis quã aquæ in Scripturis frequentior mentio cur fiat.

Exempla.

Cur ſanguinis ſolius ſæpe fit mentio. Humilitatis documentũ. *2. Reg. 12.*

Ait autem Apoſtolus: *Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Alio loco ab eodem Euangeliſta dictum eſt: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*: nam Græcè cum articulo dicitur τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, id eſt, certum quoddam, & peculiare peccatum mundi. Verum in illo cętera omnia peccata noſtra tanquam fructus continentur, vt propterea interpres recte verterit peccata mundi. Fuit enim, ſi recte inſpicias, multiplex illud Adæ peccatum: nam in eo fuit præuaricatio diuinæ legis,gulę vitium, ſuperbia diuinitatem appetens, furtum, colligens fructum vetitum, læſæ diuinæ crimen maieſtatis,quod Dei proprium eſt inuadens

Ioan. 1.

Quam fuerit multiplex Adæ peccatum. *Geneſ. 3.*

uadens, curioſitas ſciendi bonum & malum, excuſatio peccati, locutio cum excõmunicato ſerpente, homicidium corporis, & vt ſic dicam, animicidium, electio præferendi amorem coniugis voluntati diuinæ. Ad hæc peccata extinguenda contrarias virtutes Chriſtus attulit, in morteque ſua, atque paſſione ingentia facinora per Iudæos admiſſa ſunt. Nam in illa fuerunt inuidia, per quam traditus fuit; odium, quo gratis eum habuerunt; ſuperbia, qua timebant à ſua dignitate excidere per Chriſti prædicationem; auaritia, ne venirent Romani, & tollerent locum, & gentem; hypocriſis ſe tegens velo religionis, iracundia vindictæ appetentiſſima, proditio Iudæ, ac deſperatio, manuumque violentarum in ſe iniectio; peccatum abiurationis Petri, fuga Apoſtolorum, violatio diei feſti, cùm tamen dixiſſent: *Non in die Feſto, ne fortè tumultus fieret in populo*; impugnatio agnitæ veritatis, reluctatio diuinæ inſpirationis in turbis in terram proſtratis; calumnia falſorum teſtium, iudicium iniquum, & per metum & vim extortum; timot Cæſaris magis quàm Dei, ac iuſtitiæ; curioſitas ſignorum in Herode acceptiò perſonarum in Barraba, latrone & homicida, ſibi præpoſito, ſubornatio populi, vt crucem Ieſu peteret; ſtudium placendi hominibus, ob quam cauſam miniſter dedit illi alapam; angariatio violenta Cyrenenſis Simonis impietas crucifigendi coram matre, blaſphemiæ, deriſiones, illuſiones in factis, in verbis, & tentationes Dei: *Si Filius Dei es, deſcende de cruce:* crudelitas in porrigẽdo aceto iam morituro; denique homicidium innocentis, aut potius Deicidium, & ſeuitia in mortuum, quando lancea latus eius eſt apertum, emptio mendacij à militibus quò eius reſurrectio tegeretur. Sed hæc omnia charitatem Chriſti extinguere non potuerunt tamen, ſed tanquam aquæ ſtilla in ardentiſſimam fornacem proiecta ſtatim extinguitur; ita cuncta peccata ab eo ex charitate deuorata ſunt; vt intelligamus tantam eſſe Chriſti in conferenda ſalute vim atque energiam, vt dilectione, & ſanguine ſuo omnia mundi peccata etiam atrociſſima, atque infandiſſima expiare valeat, ita tamen, vt quis ſpontè velit peccatis nuntium mittere. Nam qui illa adhuc amplectitur, & ſuæ ſalutis inimicus reſiſtit veritati, ac luci oblatæ, ille cum peccatis viuentibus in æternum peribit.

Iudæi Chriſtũ necantes quotupliciter peccauerint.
Pſal. 34.
Ioan. 15.
Supr. 21.
Math. 26.
Inf. 27.
Sup. 26.
Ioan. 18.
Math. 26.
Ioan. 19.
Ibidem.
Luc. 23.
Ibidem.
Ioan. 18.
Matt. 27.
Ibidem.
Ioan. 19.
Ibidem.
Matth. vlt.

Qualis Chriſti charitas, & quibus profutura tantummodo.

Subiungit de tertio Apoſtolus: *Et fecit nos regnum, & Sacerdotes Dei, & Patri ſuo.* Chriſtus in paſſione accuſatus eſt tanquam Regiæ dignitatis vſurpator; propterea illuſus eſt corona ſpinea in capite, purpureo veſtimento Regis, & arundine pro ſceptro in manibus, & quaſi Rex fictus, ac deridendus ab illis genua flectentibus, ac dicentibus: *Aue Rex Iudæorum.* Hunc titulum Iudæi expungi voluerunt: ſed reſtitit illis Pilatus, dicens: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Illis ergò iniurijs patienter toleratis, promeruit Ieſus verum & ſolidum regnum cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: regnatque nunc à ligno per illa quatuor crucis cornua, vt canit Eccleſia, quæ ſignificant charitatem, humilitatem, obedientiam, atque patientiam, tot ignominias perferentem. Promeruit quoque nobis verum regnum ſpirituale, vt non regnet amplius in noſtro mortali corpore peccatum, non tyrannus Satanas in Baptiſmo expulſus, non mors, quæ regnabat ab Adam vſque ad Moyſen, non denique mundus, aut alius præter Chriſtum. Cumque ille regnet in nobis, & nos in illo, ille quidem per gratiam, & nos per aſſenſum liberi arbitrij; vnum eſt illud Chriſti, & noſtrum regnum. Nam illi, Chriſto ſcilicet, ſeruire, regnare eſt. Eſtque regnum illud non de hoc mundo, neque ex vi liberi arbitrij, ſed de cælo datum. Charitas enim, quæ amor eſt diuinus, de cælo eſt: humilitas obediens vſq; ad mortem, de cælo profecta eſt: paupertas, ac nuditas, cæleſtis prorſus, ac nouus regnandi modus eſt: patientia tolerans ex amore aduerſa: bona pars regni huius eſt: tantùm regnat quiſque, quantùm in his virtutibus profecerit. Fecit autem nos Reges, non temporales, aut terrenos, quod parum eſt, & tales Reges mundus ſuppeditat, eorumque regnum expoſitum eſt prædæ & inuaſioni, plenum ſolitudine ac labore; ſed Reges nos Deo, & Patri ſuo fecit, hoc eſt, veros Reges in oculis Dei verè regnantes, & iuſtitiam in nobis obſeruantes, vt in huius præmium in regnum eius cæleſte aliquando recipiamur, ac per has quatuor virtutes, maximè verò per charitatem in alijs verè regnemus, eorumque curam tanquam Reges geramus. Deinde fecit nos Deo noſtro Sacerdotes. Chriſtus enim in morte ſua verus ac legitimus fuit Sacerdos ex hominibus conſtitutus in ijs quæ ſunt ad Deum; vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, vt condolere poſſet his qui ignorabant, & errabant. Accepitque Pontificales veſtes; nam velum amiciens caput, accepit in domo Caiphæ, albam tunicam in domo Herodis, cingulum in horto, quando ligatus eſt, Purpuram in domo Pilati, ſtolam, quando funem collo alligatus crucem baiulauit: obtulit in ara crucis acceptiſſimam

Vnde fecerit nos Chriſtus regnum Deo & Patri ſuo.
Ioan. 19.
Ibidem.
Matt. 27.
Cornua crucis quatuor quid ſignificent.
Rom. 6.
Rom. 5.
Chriſto ſeruire, regnare eſt.
Charitas quid ſit, & vnde proficiſcatur.
Quales Reges nos Chriſtus fecerit.
Chriſtus item vt fecerit nos Sacerdotes Deo Patri ſuo.
Heb. 5.
Luc. 23.
Infra 23.
Ioan. 19.

colligit pedes ſuos ſuper lectulum, & obijt, & appoſitus eſt ad populum ſuum.

Dauidis teſtamentum.
3. Reg. 2.

Dauid quoque moriturus, cùm ſucceſſorem regni Salomonem inſtituiſſet, præceptaque religioſè ac iuſtè viuendi tradidiſſet, dormiuit cum Patribus ſuis: vt habes in tertio libro Regum.

Alexandrum Magnum feciſſe teſtamentum.
1. Mach. 1.

Sed inter alios de potentiſſimo Alexandro Magno Macedonum Rege liber primus Machabæorum idem tradit feciſſe, his verbis: *Et poſthæc decidit in lectum, & cognouit quia moreretur: Et vocauit pueros ſuos nobiles, qui ſecum erant nutriti à iuuentute ſua: & diuiſit illis regnum ſuum cùm adhuc viueret. Et regnauit Alexander annis duodecim, & mortuus eſt.*

Hiſtoriæ libri Machabæorũ authoritas.

Vbi in primis annotandum, ſolum hunc autorem, qui Canonicus eſt, ac proinde cæteris omnibus ſcriptoribus, qui res Alexandri geſtas ſcriptis commendarunt, anteferendus, referre, Alexandrum Magnum teſtamentum condidiſſe, & diuiſiſſe regnum pueris ſuis, quanquam cæteri omnes contrarium aſſerant, & admirentur, quod cùm haberet fratrem Arideum, ſed ignauum virum, & filium nothum, & Roxanen Perſiden vxorem grauidam, de diſtributione tamen imperij ſui nihil diſpoſuerit. Sed, vt diximus, illud eſſe falſum, hoc libri Machabæorum teſtimonio conuincitur.

Q. Curtius lib. 10.
Adrianus lib. 7.
Ioſeph. li. 2. antiquitat. cap. 1.

Quintus Curtius, & Arrianus libro de Geſtis Alexandri referunt, Alexandrum teſtamentum non condidiſſe; ſed vt vanum rumorem, & incertam famam. Ioſephus tamen ſecutus ſacros libros, affirmat reuera condidiſſe: ſed pueri illi quo minùs religioſè facere viderentur, teſtamentum eius ſuppreſſerũt, & armis decernendum eſſe, quæ regni Alexandri portio cuique obtingeret, iudicarunt.

Teſtamentũ Dominus Ieſus quare condiderit.

Sed vt ad rem noſtram redeamus, haud diſſimili ratione potentiſſimus Rex, pauperrimus ſimul, ac ditiſſimus Ieſus Chriſtus, cuius nec opes paupertati, nec paupertas opibus repugnant ſuis; agnoſcens ſibi inſtare horam, vt tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, ab hac laudabili teſtandi conſuetudine noluit abhorrere, de qua te ipſe Dominus:

Ioan. 13.
Luc. 22.
Ioan. 41.

Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo; & rurſus: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Hæc enim teſtantis verba eſſe videntur, noluit enim tanta, & tam eximia bona, quæ de cælo attulerat, & quæ in terra ſibi comparauerat, permittere vt perirent. Quare conſtitutus in mente ſana & iudicio libero, teſtari de ſuis bonis decreuit: *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.*

Pſal. 111.
2. Cor. 9.

Declaratur ille Pſalmi verſiculus: Diſperſit, dedit pauperibus, & reliq.

In verbo diſperſit, copia, & abundantia rei dandæ deſcribitur, & ſparſit, vt ſemina, quæ multiplicarentur: neque in vnum aut alterum ſua bona contulit, verùm in vniuerſos diſtribuit. Eſt enim Ieſus omnium, quod ad ſe attinet, ſeruator, præ magnitudine charitatis ſuæ ac diuitiarum; adeò vt in vniuerſos ſpargi queant, & omnes ditari valeant.

1. Tim. 4.

In verbo, Dedit, liberalitas eius exprimitur: quia gratis & ex pura clementia donat. In verbo, Pauperibus oſtenditur eius miſericordia, non enim diuitibus, & de ſua iuſtitia confidentibus quidquam tribuit Chriſtus, ſed pauperibus, & ſuam tenuitatem, & paupertatem, ſeque nihil eſſe agnoſcentibus, prorſuſque ſibi tribuentibus nihil.

In quo Chriſtus conferat beneficia ſua.

In eo quod ſubdit: *Iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi*; quàm ſit grata Deo hæc donorum ſuorum facta diſtributio, indicatur: & Deum iuſtum eſſe declarauit, qui ſatisfactionem exigit à Chriſto fideiuſſore tam amplam, vt nos non tantùm in præſenti per eam ſeculo iuſti, ſed & in futuro glorioſi coram Deo efficiamur.

Hæredes quoſnam Chriſtus inſtituat.
Rom. 8.
Ad iuſtificationem peccatorum neceſſaria.

Primùm igitur Chriſtus inſtituit hæredes omnes, quotquot per baptiſmum in filios legitimos regenerantur. Si autẽ filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & glorificemur. Ad iuſtificandum enim peccatorem per baptiſmum, vel per pœnitentiam, requiritur, Deo ita volente, tota Chriſti facultas, ſanguis, charitas, iuſtitia, & obedientia; in qua hæreditate non tantùm gloria futura, ſed etiam fides, gratia, Sacramenta, perſeuerantia, reliquaque eiuſmodi dona cum ipſa Eccleſia includuntur. Hæc autem Chriſti hæreditas, alio modo dicitur regnum, de quo alibi dixit:

Luc. 12.
Chriſti charitas & munificentia.

Nolite timere puſillus grex; quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Ac ne quis queri valeat, quòd paucos voluerit habere in filios, per Ioannem admonuit:

Ioan. 1.

Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.

Quæ ſit ſponſa Chriſti.

At verò Dominus, vt filios habet ſpirituales, ita etiam vxorem, ſiue ſponſam ex qua ſuſcipit filios, id eſt, Eccleſiam Catholicam: quam, quia indotatam, & omnibus bonis nudam acceperat, aliam dotem non habet, quàm illam, quam ipſe eam ex dilectione deſponſans à principio illi aſſignauerat.

Dos ſponſæ Chriſti quænam ſit.
Ioan. 14.
Spiritus S. in Eccleſiam beneficia.

Hanc igitur dotem moriens illi legauit, cùm dixit: *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo; ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis*

omnia, quacunque dixero vobis: Nam per hunc Eccleſia ſoliditatem habet in fide, confirmationem in gratia, & charitate. Nam, vt dici ſolet, ſatis dotata eſt, ſi bene morata venit; & in tribulationibus præſentaneas, ac ſolidas conſolationes.

Plaut. in Aulul. Act. 2. ſce. 4.

Ibidem.

Quale ſui monumentū Chriſtus ſponſæ ſuæ reliquerit.

Huius tantæ dotis alius capax non erat, quàm Eccleſia, ſicut dixit: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, Spiritus veritatis, quem mundus non poteſt accipere: quia non videt eum, nec ſcit eum.* Adiunxit præterea memoriale ſui ipſius perpetuum, id eſt, Euchariſtiam, quæ eſt præcipua teſtamenti pars, de qua ait: *Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo.*

Luc. 22.
1. Cor. 11.
Matth. 9.

Reliquit & illi, tanquam viduæ, & præſentia mariti deſtitutæ, fletum, & commiſerationem, qua mortem ſponſi ignominioſam, ac violentam proſequeretur: *Non enim poſſunt filij ſponſi, quamdiu cum illis eſt ſponſus, lugere: cum autem auferetur ab eis ſponſus, tunc lugebunt.* Et ita Dominus dixerat: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini.*

Ioan. 16.

Eccleſiæ Chriſti ſponſi ſui abſentis lachrymæ quàm dulces, & iocundæ.

Infra 19.

Sed hæ lachrymæ ſponſæ pretioſiores ſunt, ac dulciores omnibus mundi, ac carnis delicijs. Matri verò ſanctiſſimæ primò diſcipulum Ioannem dimiſit in filium, & in adminiſtrum loco ſui, & conſolatorem: rurſus, vt ipſa pro filio agnoſceret Ioannem, & in eo omnes, quotquot crucem Chriſti non erubeſcerent, ſed eam & corde crederent, & ore, & factis confiterentur; atque ita facta eſt aduocata mundi tanquam pientiſſima eius mater, & diſpenſatrix omnium donorum, & gratiarum, quæ ſanguine, & morte eius comparata ſunt.

Seruis ſuis, id eſt, Apoſtolis quid legauerit Chriſtus.

Luc. 22.

Seruis verò ſuis, hoc eſt, Apoſtolis, qui fideliter ac ſtrenuè quoad vixit, illi miniſtrarunt, de quibus dixit: *Vos eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*: libertatem ſpiritus reliquit, & vt ipſi eſſent miniſtri per verbum, & Sacramentum, hanc tantam libertatem, quæ reconciliationem cum Deo, immunitatemque à peccato, & dæmonis ſeruitute includit, impertiendi in alios: addiditque illis amplum ſtipendium, ex quo poſſent vitam traducere, cùm inquit: *Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, &cat. Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael.*

Matth. 19.

Sanctis verò Patribus, qui crediiores erant Dei, & ſuſtinuerunt pondus diei, & æſtus in vinea Domini laborando, quamprimum debitam illis mercedem pendi voluit: quaſi enim illi eſſet dictum: Voca operarios, & redde illis mercedem, confeſtim ipſo die mortis claram, ac beatam ſui viſionem in eos contulit, & in ſanguine teſtamenti ſui emiſit vinctos ſuos de lacu, in quo non erat aqua.

Inf. 20.

Ibidem.

Zachar. 9.

Quid verò idē pauperibus legauerit.

Præterea multa legata pia pauperibus in hac ſua morte reliquit Dominus. Nam crucifigentibus, & carnificibus, qui milites erant Romani, veſtes ſuas reliquit, quò illarum contactu reſipiſcerent, ac ſanctificarentur, & cum illis coniunctam veniam, & exoratum Patrem, cum dixit: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt*, Sed illi citra fidem veſtes eius contingentes, fructum vllum ſpiritualem non ſunt conſecuti, ſed ſuper illas miſerunt ſortem.

Matt. 27.
Luc 23.

Quid eſt quòd milites Chriſti veſtes diſpertierunt ſibi.

Matth. 27.
Pſal. 21.

Quia bona Chriſti Eccleſiaſtica, & patrimonium Crucifixi, ſanguineque eius partum, ludis, iocis, crapulis, atque conuiuijs quamplurimi diſtrahunt. Petro pauperi, qui Chriſtum abiurauerat, reliquit fletum & conuerſionem à peccato: Malcho præciſam auriculam reſtituit, vt ſaltem poſt reſurrectionem audiret fidem ab Apoſtolis Euangelizatam: nam fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti.

Math. 26.

Luc. 22.

Rom. 10.
Matth. 27.

Simoni Cyrenenſi & angariato ad baiulandum ſecum crucem, gratiam dedit, vt ſocius ſibi eſſet in cruce ferenda, atque ob eam gratiam nomen eius eſſet glorioſum in Euangelio per totam Eccleſiam: mulieribus eum plangentibus, & lamentantibus reſpondit verbum ſolatij, ac doctrinam tradidit eorum, qui ſunt plangendi, dicens: *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me; ſed ſuper voſipſas flete, & ſuper filios veſtros*: ſanctæ fœminæ dictæ Veronicæ offerenti velum ad extergendum ſudorem, & ſanguinem vultus, vt piè creditur, glorioſam ſui vultus imaginem in velo impreſſam ad perpetuam memoriam, & venerationem reliquit:

Luc. 23.

Ibidem.

Latroni pauperrimo, & ſui memoriam à Chriſto in regno ſuo poſtulanti, libenter paradiſum eadem die poſſidendum ſupra quam petierat, vel intellexerat, promiſit, dicens: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Longino militi lancea latus eius aperienti aquam dedit, & ſanguinem, vt oculos reciperet ad videndum quem pupugerat, & quod ad ſe attinet, ſanguine illo redimeretur, & aqua permundaretur.

Ioan. 19.

Centurioni ob cuſtodiam Chriſti in cruce, legauit fidem, & apertam veritatis confeſſionem, quòd homo iuſtus, & verè Filius Dei eſſet.

Luc. 27.
Matth. 27.

Quod Iudæis crucifixoribus ſuis hoſtibuſque capitalibus itidem Chriſtus legauerit.

Iudæis verò inuidis atque malignis, mortiſque ſuæ machinatoribus, magna ſua charitate legatum reliquit amplum, vt à tanto flagitio reſipiſcerent; dum per trium horarum

rarum

Ibidem.

rarum tenebras, terræ motum, petras ſciſſas, ruptum velum, aperta monumenta, atque mortuos reſurgentes, terrorem incuſſit, ac tremorem, vt cogitarent de peccato à ſe commiſſo, & ſaniorem mentem induentes per fidem accurrerent ad Ieſum; nam multi ex illis, qui venerant vt adeſſent ſpectaculo, reuerſi ſunt, percutientes pectora ſua. Cum de his omnibus diſpoſuiſſet, tantùm ſupererat corpus, ſpiritus, atque ipſa crux. Corpus igitur Ioſepho & Nicodemo honorificè in ſepulchro cum aromatibus tumulandum reliquit: nam ſic etiam Chriſtus à nobis accipiendo, nobis largitur: maiusq; fuit beneficium Dominum omnium à nobis quicquam recipere, quàm multa nobis dare; cùm ob id largiatur, vt illi reddamus. Dedit etiam pretioſum pectus, & fortitudinem, vt iſti, qui diſcipuli erant occulti, ſe tandem proderent, & præſertim Ioſepho Arimatheo, vt audacter peteret corpus Ieſu à Pilato. Cruci verò duræ, ac ignominioſæ mortis tormento, quia illam ſuo corpore contigit, ſuoque ſanguine rubricatam ſanctificauit, reliquit exaltionem, & gloriam, vt iam ſit ſceptrum Regum, & Imperatorum, vt ſit terror dæmonibus, qui illa viſa diffugiunt, Apoſtolis gloria, qui dicere poſſunt: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti:* fidelibus omnibus qui delicata atque pretioſa margarita crucis ſigno ſe muniant, edant miracula, perficiant Sacramenta, & per quam Deum nos exaudire efflagitent, & in qua Chriſtus exauditus eſt à Patre ſuo, & exaudiuit in ea latronem, illam adoramus, atque exoſculamur, illam fronti imprimimus, ac pectori, illam inuocamus, & blandè alloquimur, dicentes:

Luc. 23. Ioſepho & Nicodemo Chriſti bona quæ ceſſerint eius beneficentia. Ioan. 19. Marc. 15. Crucis Chriſti gloria, & triũphus. Gal. 6. Crucis beneficia. Heb. 5. Luc. 23.

O crux, aue ſpes vnica,
Hoc paſſionis tempore
Auge pijs iuſtitiam,
Reiſq; dona veniam.

Illa denique nobis benedixit tanquam filijs, & nos illo ſigno, ſiue filios noſtros, ſiue cibaria, quæ edenda ſunt, ſiue quæ ſanctificanda diſcimus benedicere. Vides igitur quàm amplum, & quanta cum ratione, & prudentia condiderit teſtamentum.

Poſt mortem teſtatoris moris eſt aperiri teſtamentum, vt qui ſunt hæredes, agnoſcantur, & quiſque ſua legata intelligat. Nam dum viuit teſtator, validum non eſt teſtamentum, dum voluntas teſtantis; vt dici ſolet, deambulatoria eſt, & mutari poteſt. Quare Dominus rectè dicebat: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Neceſſaria igitur erat mors Chriſti, vt confirmaretur teſtamentum eius. Poteſt autem dici teſtamentum apertum in die reſurrectionis, quando Apoſtolis aperuit ſenſum vt intelligerent Scripturas. Porrò Scripturæ nihil aliud ſunt, quàm vetus & nouum Teſtamentum: quòd dum Chriſtus non detegit, clauſum eſt, atque obſignatum.

Ioan. 12. Chriſti teſtamentum quãdo fuerit apertum. Luc. vlt. Scripturæ quid ſint.

Sed miraberis fortaſſe, quòd tantus, ac tam diues teſtator, tantæque charitatis, atque ſcientiæ, vt prænouerit omnia, quæ futura ſunt, nihil nobis abſentibus in ſuo teſtamento aſſignauerit. Quod tùm eius ſapientiæ, atq; miſericordiæ decantatæ, tùm noſtræ indigentiæ repugnare videtur: noſtra enim vita, aut ſalus, Chriſti teſtamento ſublato conſtare non poteſt. Sed ceſſabit admiratio, ſi intelligas neminem à bonis ſuis Chriſtum exhæredatum reliquiſſe præter eum, qui hæreditati renuntiauerit, vt qui dicebant: *Nolumus hunc regnare ſuper nos:* &; *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* In cuius typum dictum fuit à Filijs Iſrael de Dauide Rege; *quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hæreditas in filio Iſai?* vel præter eum qui cum profano Eſau primogenita ſua vendiderit. Sicut enim nemo eſt, qui ſe abſcondat à calore eius, atq; amore. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret; ita & à fructu amoris ſui, obedientiæ, atque pretij Patri ſuo mundo ex dilectione perſoluti, ac proinde à parte aliqua teſtamenti ſui nemo eſt alienus. Ad nos igitur quoque tanquam ad filios, & ſponſas, & ſeruos, & creditores, & amicos hæc ſpectat hæreditas: nam his omnibus magnificis titulis in ſacris literis exornamur. Etſi autem hæreditas Chriſti incomprehenſa ſit, & ineffabilis, vtpote infinita; vt tamen breuitati conſolamus, duo potiſſimùm reliquit nobis, merita videlicet ſua, atque exempla, quæ ditare, & magnoperè nos conſolari valent, atque confirmare. Si attentius teſtamentum hoc inſpiciamus, & quæ in eo continentur, contemplati fuerimus, à quæſtionibus difficilibus, atque implicatis abſtinebit oratio noſtra, hiſtoriam Euangelicam non percurret, prophetias innumeras nõ percenſebit, vna tantùm excepta Zachariæ diligentius excuſſa, atq; examinata, quæ amorem, ac deuotionem ingenerare poſſit, & commonefacere nos ne de tanto beneficio, & ampliſſimo legato inueniamur ingrati.

Quare Chriſtus tam diues ac ſapiens teſtator cùm ſit, nobis tamen nihil abſentibus in teſtamento relinquerit. Luc. 19. Ioan. 19. 3. Reg. 2. Gen. 25. Pſal. 18. Ioan. 3. Quæ nobis bona potiſſimũ Chriſtus in teſtamento legauerit.

Quærit ergo Zacharias: *Quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Et reſpondet:

Similе.
Admiratio orta ſit vnde.

His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me. Quemadmodum enim ex radice oritur virga, ex virga flos, & flore fructus: ita ex nouitate profecta eſt admiratio, ex admiratione quæſtio, ex quæſtione reſponſio, ſiue ſolutio: nam propter admirationem cœperunt homines ad philoſophiam animũ adijcere. Maxima ergo nouitas ſunt plagæ, ſiue vulnera Chriſti: quia noui hominis ſunt, id eſt, Dei, & hominis, atque illius quidem innocentis; & quæ non veteraſcunt, quia cum eis reſurrexit, & in gloriam perpetuam eas in cælo ſeruat; cùm nos vulnera noſtra, & cicatrices extergere, atque etiam balſamo impoſito contegere ſoleamus. Præterea hæ plagæ renouant corda noſtra, & legem nouam ſtatuunt. Ex hac igitur tam magna nouitate, magna admiratio eſt conſecuta, tùm Prophetę dicentis *Quæ ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum*; tùm Angelorum acclamantium Chriſto: *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* tùm omnium hominum, qui Chriſtum profitentur, quorum animi ſuſpenſi ſunt, & attoniti in contemplatione horum vulnerum, tantiq́ue, ac tam admirabilis ſpectaculi.

Quid nouitatis & admirationis habeât plagæ Chriſti.
Ioan. 20.
Eſaiæ. 63.

Verba illa Zachariæ: Quæ ſunt plagæ iſtę in medio manuum tuarũ, &c. de Meſſia ad literam eſſe accipienda.

Vt igitur verba Zachariæ profundius ſcrutemur, verumq́; ſenſum eruamus, præmittendum in primis, verba Zachariæ per totum illud caput XIII. ad literam de Meſſia eſſe accipienda, vt Eccleſia illa verba legens in Miſſa de quinque vulneribus Chriſti interpretatur, & Patres, vt Theodoretus, Hieronymus, ac Rupertus exponunt, & conſequentia verborum apertè indicat. Ita enim exorditur Zacharias: *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.* Hic fons fuit apertus Chriſto in latere percuſſo in ablutionem peccatorum perſonalium, & originalis. Deinde quia terminatur hæc prophetia in verbis illis: *Percute paſtorem & diſpergentur oues:* quæ de paſſione Domini eſſe intelligenda, explicauit Chriſtus apud Matthæum. Quare & inter media verba neceſſariò de Meſſia ſunt interpretanda: *In die igitur illa*, nempe paſſionis, de qua præceſſerat: *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua.* ¶ *Erit fons patens domui Dauid:* Id eſt Sacramentum Baptiſmi, quod promanabat ex latere Chriſti lancea militis aperto, vt exiret ſanguis redemptionis, & aqua renaſcentiæ in ablutionem peccatoris ex circumciſione credentis, & gentilitatis ex fluxu idololatriæ menſtruatæ. Et ſubdit: *Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, Diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra, & pſeudoprophetas, & ſpiritum immundum auferam de terra.* Nam ex quo mundus per baptiſmum nomen Chriſto dare cœpit, deterra eſt idolorum cultura. Quod etiam in Ezechiele apertius eſt indicatum, vbi dicitur: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos.* Cùm verò ait ſe de terra ablaturum Pſeudoprophetas cum ſpiritu immundo: loquitur de Pontificibus & Phariſæis, qui malo ſpiritu imbuti dicebant: *Quid facimus? quia hic homo multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem:* quod totum prophetia fuit, præter illud, *Si dimittimus eum ſic.* Et inter tales Prophetas ſurrexit vnus, & dixit: *Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Meritò ergo ablati ſunt de Terra ſancta, & ſpoliati omnibus dignitatibus ac priuilegijs, qui ſpiritu immundo, & terrena bona tantùm ſpectante imbuti prophetarunt. Quanquam nihil vetet, ea verba ſimpliciter de vniuerſis pſeudoprophetis, atque de ſpiritu immundo, qui per ſtatuas diuerſas, & homines fanaticos oracula fundebat, intelligere: nam aduenienté Chriſto, illa omnia, quæ religionem deorum falſam fouebant, aruerunt prorſus, atq; obmutuerunt, & vt Horatius dixit.

Theod. par. 1.
Hieron. to. 6.
Rupert. in Porph. min.
Fons patens Chriſti quis.
Ioan. 19.
II. argumen.
Matt. 26.
In qua die fons ille fuerit patens domui Dauid.
Zach. 9.
Ioan. 19
Quando primum idolorũ culturam mũdus abiecerit.
Ezech. 39.
Pſeudoprophetas Chriſtus quos abſtulerit de terra cum ſpiritu immundo.
Ioan. 11.
Ibidem.
Quonam illi ſpiritu prophetauerint.
Alter ſenſus.
Horatius.

Iam pridem ceſſant oracula Delphis. Subiungit Propheta: *Et erit: Cùm Prophetauerit quiſpiam vltra, dicent ei pater eius, & mater eius qui genuerunt eum, Non viues: quia mendacium locutus es in nomine Domini: & configent eum pater eius, & mater eius, genitores eius cum prophetauerit.* Tanta, vt exponit Theodoretus, pietas verſabitur in orbe terræ, vt nec pater, nec mater filio ignoſcant diuinationem profitenti, quin eum vinculis conſtringent, & plagas inferent, & flagra inurent, & mortem intentabunt: atque omnes, qui prædictiones mendaces profitentur, videntes pietatem confirmari, & maximas vires colligere, lugubrem ornatum induent. Nam quod ait: *Induentur pelle cilicina*, hoc teſtatur. Adcò autem ingens timor eis inijcietur, vt idolorum errori renuntient, & pro illo agrorum culturam amplexentur, & dicet omnibus. Simul atque natus ſum, à parentibus ad hanc artem inſtitutus ſum. Hæc ille in hunc modum exponit. At Rupertus hæc omnia de Chriſto accipit magno Propheta, qui prophetauit vltra, id eſt,

Duplex ſenſus horum verborum: Et erit: cum prophetauerit quiſpiam vltra dicent ei, &c.
Theod. in 13. c. Zach. p. 1.
Alter ſenſus congruentior.
Rupert. in Zach. 13.

ſupra

Ioan. 11.

ſupra quod illi prophetauerant. Illi enim prædixerunt expedire, vt Chriſtus moreretur: vltra quam prophetiam mortis ipſe vaticinatus eſt reſurrectionem. Vnde pater eius populus Iudaicus quantum ad maiores, & mater eius, hoc eſt, ſynagoga, quantum ad minores, qui ſecundum carnem Chriſtum genuerunt, dixerunt illi: *Non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini*, quia ſubmiſſis duobus falſis teſtibus, dixerunt: *Hic dixit poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.* Et cum Pontifex dixiſſet, *Adiuro te per Deum viuũ, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei:* & Dominus prophetando reſpõdiſſet, *Tu dixiſti. Veruntamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli: tum princeps Sacerdotum Cayphas ſcidit veſtimenta ſua, dicens, Blaſphemauit, quid adhuc egemus teſtibus? Ecce, nunc audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? Et exclamauerunt vniuerſi, dicentes: Reus eſt mortis:* Et hoc eſt quod Propheta ait: *Non viues, quia mendacium locutus es in nomine Domini.*

Infra 26.

Ioan. 2.

Matth. 26.

Subiungit: *Et configent eum pater eius, & mater eius, genitores eius cum prophetauerit.* Id eſt, cum compleuerit prædicationis ſuæ tempus: nam ante non poterunt eum crucifigere, etiamſi maxime conentur. Et ſubdit: *Et erit, in die illa confundentur Prophetæ vnuſquiſq; ex viſione ſua quam prophetauerint, nec operientur pallio ſaccino vt mentiantur.* Vult dicere, Prophetæ illi, qui dixerunt: *Et venient Romani*, &c. & : *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo*, confundentur ex viſione ſua, id eſt, profundo conſilio ſuo, quo admirabili ratione cum non eſt factum, quod cogitauerunt, factum eſt quod dixerunt: quia omnes crediderunt in eum, & venerunt Romani & tulerunt locum & gentem. Taleſque Prophetę non operientur pallio ſaccino vt mentiantur, id eſt, vt tunc operti fuerunt, quando ſcilicet prophetauerunt. Operti ſunt pallio ſaccino: quia ſicut hypocritæ triſtes pauorem coram populo ſimulauerunt fingentes venturos Romanos: atque ita pallium ſaccinum fuit fictio triſtitiæ & pauoris quo illum occidere conſultauerunt.

Chriſtum poſtquam prophetauit, progenitores eius qui cruci confixerint.

Prophetæ qui per Meſsiam confuſi fuerint ex viſione ſua.

Ioan. 11.

Pallio ſaccino quonam operti ſint illi Prophetę vt mentirentur.

Sed dicet, non ſum Propheta, homo Agricola ego ſum: quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea. Sicut prius de plurib. pſeudoprophetis locutus eſt, quod eos cũ ſpiritu immundo auferet Deus de terra, mox de vno Chriſto dicit, *Et erit, cum prophetauerit quiſpiam vltra:* ad eum modum cum de pluribus dixiſſet: *Et erit: in die illa confundentur Prophetæ vnuſquiſque ex viſione ſua cum prophetauerit*, &c. ita nunc rurſus de vno morti crucis damnato Propheta loqui videtur. Et vt priores Prophetas arguit Scriptura mendacij, & ſpiritus immundi, ita vnum Prophetam non de mendacio redarguit, ſed patrẽ, & matrem eius dixiſſe narrat; Mendacium locutus es in nomine Domini. De hoc ergo vero Propheta, qui plagis impoſitis mortuus fuerat, & reſurrexit, & ſtans in medio diſcipulorum, dixit: *Pax vobis, & oſtendit eis manus & latus*, hoc loco ſermonem habet. Suſcitatus ergo, & inſultans Iudæis, atque ſubſannans ait per ironiam, *Non ſum Propheta, homo agricola ego ſum: quoniam Adam exemplũ meum ab adoleſcentia mea.* Subaudi, æſtimatione veſtra, quia dixiſtis ſeruo meo Nicodemo: *Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non ſurgit: Quomodo hic literas ſcit, cum non didicerit? Nonne hic eſt fabri filius? Scimus quia hic homo peccator eſt, & filius Adæ peccatoris.* Verum apparet an ego fuerim verus Propheta, & vos falſi: atque ita per ironiam hæc, & σαρκασμῷ dicuntur. Quanquam reuera ſi Ioannes Baptiſta negauit ſe Prophetam, quia erat plus quam Propheta, ita Dominus Prophetarum non eſt Propheta, ſed cunctis Prophetis maior. Eſt homo agricola, quia ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo, hoc eſt, in hoc mundo, in quo inimicus homo ſuperſeminauit zizania. Eſt Adam exemplum eius: quoniam ſicut Adam primus omnes ſua præuaricatione perdidit, peccatumq́; , & mortem in mundum intulit, ita ego obedientia mea mundum ſeruaui, & iuſtitiam atq; vitam in mundum inuexi. Sequitur textus: *Et dicetur ei, Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet, His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me.* Hæc interrogatio de plagis, vel ab Angelis, vel ab hominibus, quos plagis ſuis redemit, facta intelligenda eſt. Et quia nõ tantum in manibus, ſed etiam in pedibus, atq; adeo in latere vulnera habuit, iuxta illud: *Foderũt manus meas, & pedes meos, dinumerauerũt omnia oſſa mea*, tamen per illas manuum plagas, quia manifeſtiores, per ſynecdochẽ intelligim⁹ cæteras. *Et dicet, His plagatus ſum in domo eorũ, qui diligebant me.* Non ait, ab his, qui diligebant me, ſed in domo eorum, qui profitebantur meã dilectionẽ, quę dicitur domus Abrahã, Iſaac, & Iacob, ſiue domus Iſrael in Euangelio: nam illi Meſſiam diligebant, & promiſſum expectabant, & aduenientẽm cruci ſuffixerunt, & licet non videatur reſpõdere ad rem: quia nõ dicit, quæ plagę illæ, ſed tantum locum indicet, tacite tamen declarat eſſe calicẽ, quẽ Pater illi donauit. Vnde ſermonem conuertens ad gladium, ait: *Phramea ſuſcitare ſuper paſtorem meum*, &c.

Ioan. 20.

Iudæi Chriſtum quando Prophetam negauerint, ſed eſſe dixerint agricolam ab adoleſcentia ſua.

Ioan. 7.

Ibidem.

Matth. 13.

Ioan. 9.

Supra 1.

Matth. 13.

Chriſtus qualis agricola.

Infra 13.

Quomodo Adam ſit exemplum eius ab adoleſcentia ſua.

Gen. 3.

Rom 5.

Qui dicent Chriſto: Quæ ſunt plagæ iſtę in medio manuum tuarum

Ioan. 19.

Pſal. 21.

Quinam diligebant Chriſtum, in quorum domo fuit plagatus.

Ioan. 18.

Quid eſt Phramea ſuſcitare ſuper paſtorem meum.

emimus remiſſionē peccati, gratiam Dei, timoremq́ue eum offendendi, conſolationem in tribulationibus, atque æternam gloriam, vnigeniti vindictæ, quibus occurrit ingrato amori noſtro, zelus diuinæ bonitatis extorquens amorem, ac tituli denique ſupplentes amoris noſtri defectum. Prolixior ego profecto eſſem, ſi cunctas haſce propoſitas plagarum Chriſti conditiones oratione fuſiori perſequi vellem: vnam tamen, aut alteram attingam, vt reliquas meditandi perfectioribus, & religioſioribus viris occaſionem præbeam. Sunt enim hæc vulnera Chriſti amor ſignatus, ſeu amoris ſignum. Magnus Chriſti amor fuit dum viueret, nam paſcebat verbo animas, remittebat peccata, pellebat dæmonia: ſed in morte longe exceſſit, non tantum pro amicis, *Rom.5.* ſed etiam pro impijs mortem ſuſtinens, qui actu inimicabantur, & ſummum genus inimicitiæ contra ſe exercebant. Vnde hic amor cæcus fuit, nam *Luc. 22.* permiſit ſibi velari oculos: mutus, quia nihil *Matth.27.* pro ſe reſpōdebat, ita vt miraretur præſes *Ibidem.* vehemēter: nudus, quia nuditatis confuſionem *Ioan.18.* noſtri cauſa ſuſtinuit: inſanus, *Matth. 27.* quia permiſit ſibi ligari manus, & pedes: *Ioan. 19.* ebrius, quia noſtro amore inebriatus pro nobis guſtauit fel, & potauit acetum: ſignatus præcipuis quinque vulnerum ſignis quaſi grandioribus literis. Et cum illi eſſet promptum multis modis redēptionem noſtram operari, dignatus tamen eſt pro ſua bonitate ſeruare nos per ſupplicium, quo nullum horrendum magis, atque crudele crucis videlicet, per opprobrium, quo nullum ignominioſius, vt non apponat vltra *Pſal. 9.* magnificare ſe homo ſuper terram, per pretium, quo nullum maius, aut incomparabilius: *1.Pet.1.* non enim corruptibilibus auro, vel argento redemit nos de vana noſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine, per exemplum, quo nullum efficacius ad mouendum, per myſterium, quo nullum profundius, cuius longitudinem, latitudinem, ſublimitatem, & profundum nullus creatus intellectus apprehendere valet. O exemplar amoris incomparabilis, & abyſſus charitatis diuinæ, O pelagus inſuperabilis dilectionis, O inuicta clementia, & dulciſſima Dei manſuetudo. *Rom.8.* Deus enim vt nobis homuncionibus ingratiſſimis ſeruulis parceret, vnigenito Filio ſuo non pepercit, ſicut nec Filius ſibi ipſi, nec mater ſanctiſſima ſibi ipſi, aut Filio. O redemptor mitiſſime, niſi tu me maiori, ac puriori dilexiſſes amore, quam ego me ipſum diligam, & niſi tu plus nobis proſpexiſſes, quam ipſi nobis proſpicere aut poſſumus, aut velimus, nunquam mihi perſuadere potuiſſem, vt te tanto, tamq́ue indigno pondere crucis pro ſalute mea grauarem, citiuſque me præcipitem ferri in gehennam ſuſtinuiſſem. Fuit igitur *Chriſti in nos amoris inſignia quinque.* hic ſingularis amor, etſi multis in partibus, præcipue tamen in quinque præ cæteris ſignatus. *Ioan.20.* Quia illæ plagæ maiores erant ferro clauorum, & lancea factæ: ſeruatæq́ue poſt reſurrectionem, vt illis nos ad ſe alliciat, dæmones confundat, & in cœlum induxit, vt eas Patri pro nobis præſentet. In *Supra 19.* vita quatuor ſuſtinuit, poſt mortem, illam lateris, vt oſtendat, quam ex corde nos redemerit, & voluntas plura pro nobis patiendi indicetur, & charitatem eius extinctam non eſſe, ſed viuam ad benefaciendum. Profluxit ex illa ſanguis, & aqua, quo *Ibidem.* oſtendat ſe propter mortis iniuriam non eſſe irritatum, nec à benefaciendo deſiſtere. Et dixit Euangeliſta: *Lancea latus eius aperuit*, *Cur Euangeliſta dixit: Lancea latus eius aperuit, non percuſſit.* non percuſſit: quia eo tempore diuinitas ſeſe ſanctis patribus in limbo prodebat, & quod non patet aliud oſtium in terram cœleſtem, & promiſſam intrandi, niſi per merita vulnerum Chriſti. Quare populus *Exod. 13.* egreſſus de Ægypto, vt ingrederetur in terram promiſſionis, eduxit ſecū oſſa Ioſeph mortui: ita nos paſſionem Chriſti pro nobis extincti nobiſcum perferre debemus, quo nobis pateat aditus ad Deum. Dicitur dira lancea ab Eccleſia, quia in mortuum ſæuijt. Effectus tamen lanceæ præ cæteris nobis dulcior eſt, quia ex toto corde vult diligi Chriſtus à nobis: quod vt amore percuteret, ſuum lancea percuti voluit. Portat pedibus ad nos, datq́ue manibus ſuis, & ex corde. Magnus ille Euangelij præco ac tuba Apoſtolus charitatem commendans ad Corinthios, quindecim eius conditiones expreſſit, dicens: *Charitas patiens eſt,* *1. Cor. 13.* *benigna eſt. Charitas non æmulatur, non agit* *Charitatis conditiones ſecundum Apoſtolum quindecim, quas omnes Chriſtus impleuit.* *perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum: non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquam excidit.*

Has quindecim proprietates Chriſtus *I. conditio.* perfecte adimpleuit in cruce. Primū enim, *Charitas patiens eſt*: at quis tot, & tam magna tormenta vnquam ſuſtinuit? aut quis Chriſto patientior, qui tanquam agnus coram *Eſai.53.* tondente ſe, obmutuit, & non aperuit os *Marc. 26.* [?] ſuum: *Actor. 8.* ad iniurias, ad calumnias, ad falſa teſtimonia, qui mortem tam acerbam, tam æquo animo, & forti ſuſtinuit.

Deinde, *Benigna eſt.* *II. conditio.* Etſi enim Chriſtus per totam vitam munificentiſſimus extiterit,

terit, in paſſione tamen à benefaciẽdo non deſtitit: nam & Malcho aurem reſtituit, ſeipſum pro ſeruandis Apoſtolis obtulit: Si ergo me quæritis, inquit, ſinite hos abire, latronem ſuper vota ſua exaudiuit, Petrũ negantem ad pœnitentiam ſalutarem perduxit, pro crucifigentibus Patrem exorauit, crucem, & omnia mortis ſuæ tormenta ſanctificauit, nobiſque amabilia atque venerabilia effecit.

Luc. 22. Ioan. 18. Luc. 23. Matt. 26. Luc. 23.

III. conditio.

Tertiò, *Non æmulatur*. Loquitur de ęmulatione mala per inuidiam, nam Græce dicitur οὐ ζηλοῖ, & de qua Propheta: *Noli æmulari in malignantibus, neq; zelaueris facientes iniquitatem.* Etſi autem Chriſtus per inuidiam actus fuerit, ipſe tamen longe fuit ab æmulatione, ſiue inuidia, qui propterea ſibi cor aperiri voluit, & mortem ſuam pro omnibus Patri obtulit, & in vniuerſos ſine inuidia communicauit, vt quam longe ab inuidia diſtet, oſtẽdat. Charitas autem ęmulatur bonos, & virtutes aliorum, quemadmodum ait Petrus: *Quis eſt qui vobis noceat, ſi boni* (id eſt, bonitatis) *æmulatores fueritis*, & Paulus, *Aemulamini charismata meliora*, &c. *Aemulamini ſpiritualia*, & ad Galatas, *Aemulantur vos non bene, ſed excludere vos volunt, vt illos æmulemini. Bonum autem æmulamini in bono ſemper, & non tantum cum præſens ſum apud vos*, & in poſteriori ad Corinthios, *Aemulor enim vos Dei æmulatione.*

Pſal. 36. Matth 27. Ioan. 19. Charitas quos æmuletur. *1. Pet. 3. 1. Cor. 12. Infra 14. Galat. 4. 2. Cor. 11.*

IV. Proprietas

Quartò, *Charitas non agit perperam*, id eſt, inconſiderate, aut incompoſite, ne diſpliceat dilecto. Græce dicitur οὐ περπερεύεται, quæ vox Latina eſſe videtur. Sola enim charitas eſt, quam mala conſcientia non pungit. Et ita Chriſtus in morte nihil egit perperam: inter iras placidus fuit, inter inſidias innocens, inter iniquitates gemẽs, & in veritate reſpirans, nulla Chriſti actio vel minima fuit, vel verbum aliquod, quod non ſerium, & cum fructu coniunctum extiterit.

Sola charitas eſt, quam mala conſcientia non pungit.

V. Proprietas

Quintò, *Non inflatur*, videlicet de ſcientia, cuius proprium eſt inflare hominem: at Ieſus alienus ab omni inflatione fuit, qui nec coram Herode verbum aliquod protulit, etiamſi non ignoraret ſe vt ſtultum illudendum: & coram Pilato præſide, ac iudice nihil pro ſe ipſo reſpondere voluit. Vnde ob inſaniam regni affectationem illi obiectam punire voluit eum tanquam Regem Iudæorum purpura ornatum, & ſpinis coronatum illudendo.

1. Cor. 8. Luc. 23. Matt. 27. Ioan. 18. Infra 19.

VI. Proprietas

Sexto, *Non eſt ambitioſa*, ſiue, vt Græca vox ſignificat (non eſt inuerecunda) aut, nõ eſt impudenter procax. Id enim eſt quod ait, οὐκ ἀσχημονεῖ, & ſenſum videns interpres, recte dixit, non eſt ambitioſa: quia ambitioſi procaces ſunt, & ſine modeſtia inſolenter petulantes. At Chriſtus moriens quam longe eſſet ab hac ambitione procaci, & petulantia, ſatis indicauit tanta verborum parcitas, ac modeſtia, tanta diuinæ gloriæ ſitis, tantus noſtræ ſalutis ardor, tanta doctrinæ ſuæ, quæ nihil aliud quam modeſtiam, & humilitatem tradit, cum actionibus eius conſenſio, in hoſtibus vero ſuis omnis procacitas, petulantia, verborumq; ac actionum immodeſtia apparuit.

Proprium ambitioſi quid. Quam longe Chriſtus ab omni ambitione fuerit.

VII. conditio charitatis

Septimò, *Non quærit quæ ſua ſunt*, ſed quæ Dei, atque proximi. Quęrit autem quæ ſua ſunt, qui quæ ſua ſunt, tantum proſpicit, & curat, cum tamẽ charitas primum quæ Dei ſunt, quærat, certo ſciens quod quę ſibi debentur, curabit Deus. Ita dicebat Dominus: *Ego non quæro gloriam meam* (id eſt, mihi debitam) *eſt qui quærat, & iudicet.* Et ſi recte inſpicias, cum Chriſtus à momento conceptionis beatus extiterit, & per paſſionem in gloriam ſibi debitam intrauerit, magis quę noſtra ſunt, quam quæ ſua, curaſſe videtur: nam nobis non tantum gratiam, ſed etiam eſſentialem gloriam promeruit. Quæſiuit etiam quæ Patris ſui erant, id eſt, honorem & gloriam diuinę iuſtitię, & charitatis: quęſiuit quæ angelorum erant, vt eorum ruinas repararet: & ſuorum vulnerum oblitus, memorq; miſeriæ æternæ, cuius ſe debitores crucifigentes reddebant, pro eis Patrem eſt deprecatus, magis agens cauſam inimicorum, quam ſuam.

Quæ ſua ſunt, quis quærat. *Ioan. 8.* Quanta Chriſti charitas fuerit.

VIII. conditio

Octauò, *Non irritatur*, Iniurijs, & contumelijs, ſicut Chriſtus, cui in cruce pendenti inſultabant. Si Filius Dei es, deſcende de cruce. Sed vt magnus ignis paucis aquæ guttis in eum proiectis magis incenditur, corroboraturque, ita Chriſtus verbis pungentibus, ſummeq; irritantibus, & contumelioſiſſimis factus, vt flagellis corona ſpinea, fellis porrectione, magis eſt ad amandum prouocatus. Et vt leæna captis catulis magno impetu illos quæritans, tela, ignes, aquas, & gladios pertranſit, quo optatis catulis perfrui poſſit, ita Chriſtus clauos, crucem, & alia ignominioſa tormenta, quæ aquarum nomine deſignantur, iuxta illud: *Saluum me fac Domine, quoniam intrauerunt aquæ vſq; ad animam meam*, ſua potenti charitate penetrauit, & impletum eſt illud: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.*

Matth. 27. Simile. *Ioan. 19. Matth. 27.* Aliud. *Pſal. 68. Cant. 8.*

IX. proprietas

Nonò, *Non cogitat malũ charitas*, hoc eſt, malum eſſe ibi non exiſtimat, vbi illud nõ videt, ne homines & incertam eorũ mentem iudicet, ſed omnia interpretatur, ac vertit in bonum. Nam qui facile malum de alio cogitat ſine conſtanti, aut probabili conie-

Facile de alijs iudicium, & temerarium vnde proficiſcatur.

coniectura,vel ideo eſt,quia non diligit eum,vel quia nos mali ſumus, & quotū nos conſcij ſumus,facile alijs tribuere ſolemus. Chriſtus autem ne malum de alio cogitaret,mortem perpeti voluit, quo ſanguine ſuo eorum in Deo memoriam deleret.

Luc. 22. Matth. 27.

Propterea enim ſibi oculos velo tegi ſuſtinuit, cum grauiſſimis iniurijs afficeretur,& cum per tres horas in cruce penderet, tenebras in vniuerſum orbem immiſit, quo oſtenderet,ſe inimicos ſuos nolle agnoſcere, & de illis magnum cogitare non velle.

Proprium amoris quid.

Habet hoc natura amoris, vt vitia eorum, quos ſummo amore perſequimur,vix videamus, eaq; apud nos extenuemus,deinde vt talia de alijs cogitemus, quales nos ipſi ſumus. Cum igitur Dominus Ieſus ingenti nos charitate proſequeretur, ipſeque ſumma bonitate, atque. ſanctitate præditus eſſet, non poterat peccata noſtra cernere, niſi vt ea apud Patrem ſuum imminueret, atque extenuaret, eorumque remiſſionem impetraret, & pro ardenti ſua charitate, & ſanctitate malum de nobis cogitare nequibat.

X. proprietas.

Decimo, *Non gaudet ſuper iniquitate*: Id eſt, etiamſi malum non cogitet, non tamen probat aliorum peccata, neque delectatur iniquitate, qua iniuria afficitur Deus, ac ſummo damno,ac dedecore ipſe peccans. Et quanquam quis ex charitate iniurias ſuſtineat,magis tamen dolet vicem inferentis iniuriam,quam ſui vicem ſuſtinentis. Et ita Chriſtus vt ſe oſtēderet quam longe ſit à gaudio iniquitatum noſtrarum, pro peccatis noſtris fleuit, & ſanguinem cum vita profundere voluit, & magis hoſtes ſuos, quam ſe commiſeratus eſt.

XI. conditio charitatis.

Vndecimo, *Charitas congaudet veritati*, quoniam veritatem opponit iniquitati, per veritatem intelligamus iuſtitiam: nam vt de iniquitate non gaudet, ita de iuſtitia illi oppoſita lætatur: cum videlicet quis aut iuſto præmio remuneratur, aut iuſta

Pſal 57.

pœna pro peccato plectitur: Nam lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Et in vniuerſum charitas bonis operibus fauet, & congratulatur. Ieſum vero in paſſione hanc conditionem impleuiſſe, teſtatur il-

Ioan. 18.

lud quod dixit, *Ego in hoc natus ſum,& ad hoc veni in mundum,vt teſtimonium perhibeam veritati*; Et omnes veritates de ſe per Prophetas factas in ſua morte impletas eſſe oſtendit,vt Deum, & miniſtros eius fideles oſtenderet, & ſe veracem in promiſſis ſuis, quibus ſe moriturum pro nobis ſępius prędixerat,indicaret.

XII. conditio.

Duodecimo, *Omnia ſuffert*. Gręcum verbum habet πάντα στέγει, id eſt, omnia tegit: quia charitatis germanum munus eſt multitudinem peccatorum operire, vt ait Pe- *1. Pet. 4.*
trus: vniuerſa delicta operit charitas, & o- *Prou. 10.*
mnia mundi delicta ardentiſſima Chriſti charitas deuorauit, ſanguine ſuo deleuit, & quaſi nube quadam deſiſſima, ne à Deo viderentur,obtexit: Docuitque nos ſuo exemplo, vt ſicut ipſe peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ita & nos aliorum delicta feramus, pro eiſque extinguendis non tantum Deum precemur,ſed etiam nos ipſos offeramus, ſecundum illud: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

Chriſti documentum. *1. Pet. 2.*

Gal 6.

XIII. conditio. XIV conditio. XV. conditio.

Decimotertio, *Omnia credit*. Decimoquarto: *Omnia ſperat*. Decimoquinto, *Omnia ſuſtinet*. Dicitur omnia credere charitas,quia inducit intellectum ad credendū, præſertim de diuina potentia,ac bonitate: quęcunque enim in Scripturis leguntur,ea omnia facile credit charitas,& Chriſtus ſua morte impleuit, quæ in Scripturis de ipſo erant,vt propterea quia ipſe fidem habere non poterat,quæ excluditur viſione, dicatur omnia crediſſe, vt fidei noſtræ cauſa crux ipſa extiterit,vt in ea credibilia omnia teſtimonia cernere valeant.

Charitas omnia quomodo credat. *Luc. vlt.*

Quanquam & in hoc aliqua ratione crediſſe dici valeat, quod mortem ſuam Patri obtulerit pro omnium electorum ſalute, vt ſicut Chriſtus debitor erat Patri propter vniuerſos in lege naturæ, & Moyſi in expectatione ſanguinis Chriſti fundendi iuſtificatos, ita contra Chriſtus creditor fieret Patris pro vniuerſis electis ad finem vſque ſeculi per eius meritum iuſtificandis, vt ita omnia crediſſe dicatur.

Qua ratione Chriſtus dici poſſit omnia crediſſe, cū fidei eſſet minime capax.

Adijcit: *Omnia, ſperat.* Videlicet quæ à Deo promiſſa ſunt,& præſertim illa æterna, & cœleſtia regna, & adiumenta,quę ad illa perducunt. Etſi autem Chriſtus,quod ad ſe & ad gloriam eſſentialem attinet,ſpei virtutem nō haberet, quæ poſſeſſione excluditur,vt fides viſione,aliqua tamē ratione dici poteſt illum ſperaſſe,quia & illa,quæ ad corporis ſui immortalitatem,& nominis ſui gloriam,& aſcenſionem in cœlum,ſed præſertim quæ ad electorum ſuorum vocationem, iuſtificationem,glorificationem,ac corporum ſuſcitationem faciebant,quæ omnia cum futura eſſent, certiſſima ſpe, quaſi iam eſſent præſentia, apprehendebat.

Quomodo dici queat Chriſtum omnia ſperaſſe.

Vt propterea dici poſſit Chriſti charitatem omnia ſperare,quoniam cōfidebat ſe poſt triduum ſuſcitandum,& ſanctos patres à limbo eruendos,præſentiaq; ſua beandos. Sperabat Eccleſiā prædicatione Apoſtolica per vniuerſum orbem ex Iudæis,& Gentibus congregandam:

gandam: Sacramenta tradenda, quibus in finem vſq; ſeculi ſanctificaretur, atq; ornaretur: & in his omnibus ſedes Angelorum reſtaurandas, ſuamq;, ac Patris gloriam illuſtrandam. Addit deinde, quod omnia

Charitas cur omnia ſuſtinet.

ſuſtinet, quod verbum differt ab illo, *omnia ſuffert*. Nam ibi, vt diximus, eſt verbum ϛέγει quod eſt tegere, ſiue protegere, hic vero eſt verbum ὑπομένει, quo quædam perſeuctantia in ferendo ſubintelligitur. Omnia ergo ſuſtinet charitas, quæ hic immittũtur, quia expectatione felicitatis æternæ nihil duri ferre recuſat. At Chriſti charitas, quo nos à peccato, & dæmonis poteſtate eriperet, omnia tormentorum & contumeliarum genera patiẽtiſſime ſuſtinuit, vt tota hiſtorica paſſionis tractatio indicat. Poſtremo ſubiungit: *Charitas nunquam excidit*. Obijcies,

Quomodo verum ſit Pauli dictum charitas nunquam excidit.

charitatẽ quolibet mortifero delicto perdi. Sed non hoc agit hic Apoſtolus, vt doceat, charitatem non poſſe amitti, ſed indicat naturam charitatis. Nam cum alia dona deficiant in patria, vt fides, & ſpes, ſola charitas tantum abeſt vt excidat, vt etiam ibi augeatur atque perficiatur. Et de Chriſti charitate veriſſime dici poteſt, quod nunquam exciderit, nec excidere potuerit. Potuit quidem corpus Chriſti flagellis lacerari, caput pungi ſpinis, lancea latus eius aperiri, manus, & pedes configi, charitate tamen ſpoliari non potuit. Hinc veſtis Chriſti inconſutilis non eſt diuiſa in partes, neq; ſolida eius oſſa confracta, quæ ſoliditatem charitatis eius ſignificabant. Ideo etiam mortuus, & lancea punctus, aquam, & ſanguinem profudit; quo in ſe charitatem nece non eſſe extinctam, aut mortuam oſtenderet. Hæc eſt igitur illa inuicta, ac triumphatrix Chriſti charitas in aquis paſſionũ, ac tormentorũ magis vigens ac viuida, tam longe diſtans ab amore noſtro proprio, qui ad quamuis iniuriam, vel minimam impatiens eſt, benignus niſi ſibi ſoli, ac vix ſibi, non eſt, vritur inuidia in alterius bonis, erigitur, & ſupra alios ſe conſtituit; ambit honores, & primos accubitus, irritatur plerũque vel minimo verbo, plura agit perperam, incompoſite, & inconſtanter, quærit ſemper quæ ſua, non quæ fratris, vel Dei ſunt, gaudet iniquitate alterius, ſi inimicus ſit, dolet de veritate, ſi per eã ipſe quoquo modo obſcuretur, peccata aliorum non modo non tegit, ſed etiam detrahẽdo detegit, vix credit ſeipſum cuiquam: tam eſt ſuſpicioſus, Scripturis etiam ſacris, niſi pro ſenſu ſuo non credit, & intentus præſentibus bonis, æterna non ſperat, ac proinde cum multa pro mundi bonis ferat, pro æternis, quibus nuntium miſit ſuſtinet nihil.

Ioan. 19.
Ibidem.
Ibidem.

Proprius amor deſcribitur.

Philip. 2.

Hic amor plerunque excidit, & Proteo eſt mutabilior, & in odium ſui ipſius ob ſynteresim accuſantem plerunque conuertitur. Et niſi nos huic amori proprio renuntiemus, charitatem Chriſti induere non valemus. Si igitur pretioſam hanc atq; opulentam Chriſti hęreditatem, quæ in vna Chriſti patientiſſima charitate, aut amantiſſima patientia ſita eſt, poſſidere affectamus, amori proprio bellum indicamus, illo ſpoliari glorioſum ducamus, charitatemque Chriſti in nobis operari patiamur, & patientiam ex corde amplectamur, ac diligamus, vt digne paſſionem Chriſti commemorare, ac fructum eius percipere valeamus, præſtante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre, & Spiritu ſancto ſempiterna eſt felicitas, æqualis gloria idẽ imperium, atque poteſtas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Amoris proprij mutabilitas, & inconſtantia.

TRACTATVS VIII.

In quo Pſalmus XXI. qui paſſionem Domini Ieſu ſuis veluti colorib. deſcribit, exponitur, qui incipit: *Deus Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti? Longe à ſalute mea verba delictorum meorum, &c.*

NE hoc tantum, ac tam ſublime myſterium nouitate ſua animos hominum offenderet, aut eorum oculos ſplendore ſuo perſtringeret, prudentiſſime per Spiritum ſanctum cautum fuit, vt per multa retro ſecula à ſanctiſſimis vatibus, ac diuino Spiritu præditis non tantum factis adumbratum, ac delineatum, ſed etiam apertioribus verbis prænuntiatum, atque prædicatum fuerit. Vt interim omittam Sibyllas, quæ non minus diſtinctè, atque expertè, quam ipſi Prophetæ tantum arcanum prænouiſſe, atque prędixiſſe videntur, quo videlicet non tantum Chriſti mortem ad Iudæos, ſed etiam ad Gentiles indicaretur ſpectare. Chriſtus etiam Dominus pro ſua ſapientia frequentem de morte ſua ſermonem ad diſcipulos habuit, quo rem auditu, & perſuaſu omnibus difficilem, Apoſtolis ſuis inſtillaret, & minus vbi illam cernerent, turbarentur. Non eſt animus hoc loco omnia perſequi, quæ in Prophetarum oraculis de hoc myſterio dicta inueniuntur; ſed duorum tantum clariſſimorum vatum teſtimonia Chriſti mortem complectentia, & grauiſſimis verbis diſſerentia excutere, alterum nimirum

Cur non modo Prophetæ, ſed Sibyllæ etiam de Chriſti morte, & paſſione prophetauerint.

Cur Chriſtus frequenter ad diſcipulos de paſſione ſua ſermonem haberet.

Eſaiæ Prophetæ, alterum Regij vatis Dauidis, qui etſi multus ſit, & in multis locis de hoc vaticinetur Sacramento: nam Pſalmus ſecundus totus de paſſione Domini eſt, ſicut Pſalmus 29. & 68. ex his tamen omnibus illum 21. Pſalmum explicare conſultum eſſe exiſtimauimus. Porrò quòd ad Chriſtum ſpectet hic Pſalmus, non eget alia probatione, quàm vt quis ea, quæ in illo continentur, cum hiſtoria paſſionis à quatuor Euangeliſtis conſcripta conferat, inuenietque illa ſummè inter ſe conſentire.

Prædictum initio Pſalmū ad paſſionem Chriſti & mortē pertinere.

Nam vt Euſebius Cæſarienſis libr. de Demonſtratione Euangelica oſtendit, cui alteri poteſt conuenire illud: *Diuiſerunt veſtimenta mea ſibi*, & traiectio illa clauorum, qui illius manibus, ac pedibus in Cruce affixi ſunt, cùm ait, Foderunt manus meas, & pedes meos, &c. Cui vnquam eorum quos in vtero mater geſtauerit, tantum virtutis, tantumque vitium adfuit, vt conſtanti cogitatione, animoque imperturbato, & mente ſobria, & erecta, Dei cognitionem acceperit, & omnem ſuam ſpem in Deo collocauerit? Quis porrò vnquam vbi ipſe tantæ curæ Deo fuerit, poſt opprobrium hominum, & abiectio populi factus eſt? Qua ratione in puluerem mortis deductus eſt? & ſimul ac in talem puluerem eſt deductus, adhuc & talia loquitur, & viuit, & vocalem ſe præſtat? Et pleraque alia his ſimilia argumenta conficit, quæ apertè indicant totum hunc Pſalmum ad ſolum Meſſiam ſpectare.

Euſeb. Cæſa. li. 10. de Demonſt. Euāg. Demonſtrat. vlt. inſtio.

Quemadmodum longè ante eum Iuſtinus martyr Dialogo in Tryphonem. & Tertullianus libro aduerſus Iudæos: *Si adhuc*, inquit, *quæres Dominicæ Crucis prædicationes, ſatis iam poterit tibi facere 21. Pſalm. totam Chriſti continens paſſionem, canentis iam tunc gloriam ſuam.* Sic ille.

Iuſti. mart. tom. 1. Tertullian.

Adhæc prima huius Pſalmi verba per Matthæum referuntur à Domino vſurpata, & inſtante morte pronuntiata. Vt totus proinde Pſalmus ad Meſſiam referendus iudicetur.

II. argum. Matth. 27.

Quemadmodum illud: *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea*, à Ioanne in Chriſti veſtimentis diuiſis, & ſortè obuenientibus recenſentur impleta; quemadmodum etiam Apoſtolus illa verba: *Narrabo nomen tuum, fratribus meis*, ad Chriſtum accommodat, dicens, quomodò Chrriſtus dignatus ſit vocare ſuos fratres.

Ioan. 19.

Heb. 2.

Idem prætereà euincimus ex titulo illius Pſalmi, qui iuxta vulgatam editionem habet: *In finem: pro ſuſceptione, vel aſſumptione matutina, Pſalmus Dauid:* vbi aptè, & conuenienter per hanc aſſumptionem, vel ſuſceptionem matutinam, reſurrectionem Chriſti, quæ primo mane ante diluculum facta eſt, intelligimus, de qua manifeſtum eſt Pſalmum paſſionis deſcriptione terminari, eiusque mentionem fieri: in reſurrectione ſiquidem Pater Filium ſuſcepit, vel aſſumpſit de morte ad vitam; vel ipſe Filius ſuſcepit, & animam, & corpus, quando ea ſeparata iterum coniunxit, & inuicem couniuit, vt fieret homo viuus, qui paulò antè erat mortuus. Et hæc eſt lectio Septuaginta Interpretum, qui habent, Ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως ἑωθινῆς, & hunc tituli Pſalmi intellectum ſequitur Euſebius libro de Demonſtratione Euangelica.

III. argum. à titulo Pſalmi varia ſignificatione.

Ioan. 20.

Euſeb. loco notato.

Hebræa verò pro his habet: Hal aieleth aſclachar, vbi verbum aieleth tres habet ſignificatus iuxta ſermonis Hebræi proprietatem. Primus, vt ſit ſenſus pro ceruo matutino, vt Beatus Hieronymus vertit, vel, pro cerua auroræ, vel cerua matutina, vt Felix interpretatur: atque hac ratione accommodari poteſt & reſurrectioni, quoniam primo mane ante auroram, vel in aurora Chriſtus tanquam ceruus cum ſumma alacritate à morte tranſilijt ad vitam.

Verbi Hebræi aieleth triplex ſignificatus aſſignatur.

B. Hier. to. 8.

Felix Pratenſis interpres.

Vel ita inſcribitur: *Pro cerua matutina*; propterea quòd vt cerua canum vi exagitatur, ſic Ieſus matutino tempore à Pontificibus, principibus, & vniuerſo populo tanquam à rabidiſſimis canibus agitatus fuit; & ad mortem quæſitus, cùm à concilio ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, & ab eo rurſus ad Pilatum, ac denique vſque in Caluariæ locum eundem ſæuiſſimè pertrahendo ad mortem agitarunt. Ideò bis queritur in hoc Pſalmo ſe à canibus circumſideri, cùm ait: *Quoniam circumdederunt me canes multi*; & rurſus: *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam.*

Luc. 22. Inf. 23. Ibidem. Ibidem.

Ceruæ proprium eſt nonniſi magnis terroribus, & tonitruis percuſſam parere, nec niſi cum ſummis doloribus: ita Chriſtus, vt Rachel in Cruce cum ſumma difficultate, & dolore filium ſuum Ben-oni, hoc eſt, filium doloris peperit.

Ceruæ quando parere ſoleant.

Ben-oni quid ſonet.

Et ſicut Adamo primo dormienti coſta exempta eſt, & ex illa abſque vllo ſuo dolore Heua formata; ſic nunc ex ſecundo Adamo non ſuauiter dormiente, ſed in duro Crucis ligno affixo, & vehementer dolente.

Gen. 35. Heb. 5. Gen. 2. Simile.

Ceruæ caro manducata febres pellere dicitur, quæ ſi adoleatur, ſerpentes fugat, quos etiam flatu ſuarum narium extractos enecat, & in ventrem abſque vlla ſui infectione traijcit: ita Chriſtus innocens nulla peccati febre laborauit, imò eius caro fide manducata in Euchariſtia nos à delictis purgat, mundatque Ieſus etiam omnes ſerpentes paccatorum noſtrorum in cordibus noſtris tanquam in foraminibus deliteſcentes flatu Spiritus ſui in ſe tranſtulit,

Ceruinæ carnis eſus quid efficiat.

nihilque illi obfuerunt, quia ea omnia in ſe ipſo deleuit, diabolumque peccati autorem in fugam conuertit. Alter ſignificatus illius verbi eſt; vt ſignificet ſtellam matutinam: quod etiam rectè Chriſto competit, qui in Apocalypſi ait: *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea; dabo illi poteſtatem ſuper Gentes. Et reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur; ſicut & ego accepi à Patre meo; & dabo illi ſtellam matutinam.* Et rurſum in fine eiuſdem libri: *Ego ſum radix, & genus Dauid, ſtella ſplendida, & matutina.* Qui ſic dictus eſt; vel quia in mūdum aduenięns Solem nobis ſuæ diuinitatis aduexit, ſicut ſtella matutina, quam Luciferum vocamus, Solis eſt nuntia, atq; Auroræ vectrix; vel etiam quia in reſurrectione quaſi ſtella poſt tenebras mortis apparuit, Solemque ſuæ diuinitatis, quæ per reſurrectionem patefacta eſt, indicauit; ſiue ex eo quòd ſpem nobis noſtræ reſurrectionis dedit, ex eo quòd ipſe primus à morte reſurrexit, & quod in eius corpore contigit, omnibus omnium electorum corporibus ſperamus futurum. Tertius huius verbi ſignificatus eſt; vt ſignificet inſtrumentum muſicum, quo hic Pſalmus canendus erat. Erat enim appellatum Cerua matutina, ſicut in principio Pſalmorum dicitur, ſuper octichotdio, vel ſuper Lyra Githenſi: ita erat inſtrumētum dictum, Cerua matutina inter vireta decumbente inſculptum eſt. Verùm hæc ſignificatio minus eſt plauſibilis hoc loco, & minus approbatur. Ideò prioribus duabus magis ſtādum eſt, à quibus non diſſidet paraphraſis Chaldaica, quæ habet: *Pro fortitudine, ſiue virtute ſacrificij, iugiq; immolationis, & iugi holocauſto.* Sentit videlicet ſacrificium matutinum, ſiue iuge holocauſtum, quod Græcis dicitur ἐνδελεχισμός. Et à ſenſu prædicto non abhorret: quia Chriſtus vna oblatione cōſummauit in ſempiternum ſanctificatos; atque ita ſanctificatio ceruæ matutinæ eſt cōſona. Eſt igitur hic Pſalmus oratio Chriſti in afflictione poſiti, quam ad Patrē fundit: in quo primum ſuam derelictionem proponit, quaſi cum querimonia, in quo indicat carnis infirmæ fragilitatem, quam ſe habere veram, ac paſſibilem, atque paſſiones exhorreſcentem, Chriſtus Dominus ſua petitione demonſtrare volebat. Exaggerat porrò querimoniam ex eo, quòd Patres antiqui, qui nonniſi ſerui erāt clamantes ad Deum, frequenter exauditi fuerant, & de manibus inimicorum liberati; ipſe verò cùm Filius eſſet dilectus, non exaudiretur, ſed dereliqueretur prorſus. Mox verò ſuæ paſſionis miſeriam, ac magnitudinem enarrare incipit à verſu ſeptimo, vſque ad vigeſimum. Deinde poſt narratam miſeriam paſſionis, Patrem pro ſuſcitatione ſua orat: idque tribus verbus facit, ne in morte, vel inferno permaneat; ſed à mortuis victor redeat. Quæ verò ſequuntur à vigeſimo tertio verſu, ad Chriſti reſurrectionem, & ad nouæ Eccleſiæ per Chriſti reſurrectionem genitæ ædificationem pertinent, vſque ad finem, niſi quòd primùm Patri promittit clarificationem, & exaltationem ipſius in medio Eccleſiæ. Deinde ab eo loco: *Qui timetis Dominum, laudate eum:* ſermonem non iam ad Patrem, ſed ad fideles Eccleſiæ filios dirigit, pro ſuæ reſurrectionis gloria gratias agere Patri ſuo liberatori, monens. Atq; in hunc modum Pſalmus, qui in querimonia propter ſolitudinis derelictionem cœperat, in gaudio propter conuerſionem, & multiplicationem fidelium terminatur. Mira eſt autem vis, & energia Prophetæ, qui ea quæ futura erant, tam claro lumine diuinæ reuelationis acceperat, vt ea quaſi iam præterita deſcribat. In hoc igitur Pſalmo quædam aperta ſunt, & longam diſcuſſionem, aut expoſitionem non deſiderant; quædam verò ſunt, quæ meritò lucem, ac diligentem poſtulant diſcuſſionem.

Primus igitur verſus eſt: *Deus Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti: longè à ſalute mea verba delictorum meorum.* Cùm Dominus Ieſus duplici conſtet natura, diuina, & humana; mirandum non eſt, ſi multa eius tam dicta, quàm facta ad naturam humanam morti, & paſſioni obnoxiam referantur. Sicut igitur huius naturæ proprium eſt preces fundere, ita eius eſt clamores, & lamentabiles voces ob incredibilem cruciatuum magnitudinem exprimere. Nam cùm Dominus Ieſus innocentiſſimus peccata omnium hominum pro ſuis agnoſceret, eaque ſupplicio mortis ſuæ lueret, tantos dolores, & acerbitates perpeſſus eſt, quantas nemo, aut cogitatione complecti, aut verbis explicare queat; vt non immeritò natura humana à Deo ſe derelictam exclamet. Tria ſunt in hoc primo verſu tractanda. Primum, quomodò Deus Chriſtum dereliquerit, qui neminem ſanctum in tentatione poſitū derelinquit, cùm ſcriptum ſit: *Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum?* Deinde Chriſtus Dominus dixerat: *Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor. Et qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum.* Et iterum: *Ecce, venit hora, & iam venit, vt diſpergamini vnuſquiſque in propria, & me ſolum* relin-

II. ſignificatio verbi Hebræi aieleth.
Apoc. 2.
Inf. 22.
Chriſtus cur ſtella matutina nominetur.
III. ſignificatio, minus propria huius loci.
Ἐνδελεχισμὸς Græcè quid.
Heb. 10.
Propoſiti Pſalmi argumētū.
Chriſti in eo Pſalmo querimonia.
Matth. 5.
Inf. 17.
Eius Pſalmi partitio.
Chriſti hominis propria.
Triplex huius loci difficultas proponitur, & diſſoluitur.
Pſal. 90.
Ioan. 8.
Infr. 16.

relinquatis: & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt : Quomodò igitur queritur ſe derelictum, qui bis affirmat ſe cum Patre eſſe, & neminem propter ſe patientem Deus derelinquat?

Secunda.

Altera difficultas eſt: quid eſt illud, quod ait: *Reſpice in me*, cum illa verba in Hebraico fonte non habeantur, & minimè ad rem eſſe videantur? nam quid habet commune: *Quare dereliquiſti*, cum illo, *Reſpice in me*?

Tertia.

Tertia difficultas eſt in eo, quod addit: *Verba delictorum meorum*, quæ & à fonte Hebræo diſſident, vbi dicitur: *Verba rugitus mei*, vel eiulatus mei; & Dominus Ieſus omnis erat peccati expers, atque immunis. vt propterea dignus eſſet qui exaudiretur tanquam innocens, & iuſtus.

Quomodo Chriſtus à Patre queratur ſe derelictum.

Hilar. Can. 33. in Matth. circa mediū.

Sed breuiter hæc omnia diſſolui poſſunt. Et ad primum, ſtatuendum, hæc verba non eſſe eius, qui queratur diuinitatem à ſe ſeparari, vt videtur Hilarius exponere in Matthæum ſcribens, ait enim: *Clamor ad Deum, corporis vox eſt; recedentis à ſe Verbi Dei conteſtata diſsidium.* Hæc ille. Sed certè nulla fuit diuinitatis ab humanitate ſeparatio, & Deus quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit. Et quanquam anima à corpore fuerit ſeparata; à neutra tamen parte diuinitas ſeiuncta fuit; & ideò Hilarius idem paulo poſt explicat ſeparationem fuiſſe ex eo quòd mortem incurrit. Vnde ſubdit: Quare me dereliquiſti? ſed relinquitur, quia erat homo, etiam morte peragendus. Quibus verbis oſtendit derelictionem fuiſſe non ex eo, quòd diuinitas receſſerit: ſed ex eo quòd partes illas, quæ inuicem coniunctæ erant, à morte, cùm poſſet, non ſeruauerit.

Aug. Tract. 47. in Ioan. paulo poſt dimediū. to. 9.

Auguſtinus in Ioannem, ita ſcribit: *Quid fecit paßio, inquit, quid fecit mors, niſi corpus ab anima ſeparauit?* Sic ille Pater.

Impium, & inſanū Melāchthonis Philippi dogma refellitur.

Deinde illud omnino tāquam hæreticum, & inſanum dogma reijciendum quod Philippus Melanchthon aſſerit, Chriſtum ſublato Dei auxilio in deſperationis foueam incidiſſe, atque hæc verba effatum fuiſſe, & Chriſtum deſperatorum pœnas ſuſtinuiſſe. Sed abſit, vt tam dirum ſcelus Ieſu viro innocentiſſimo effingamus, de quo: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus dolus eſt in ore eius*, longeque abeſt ab eo, qui venit quærere, & ſaluum facere quod perierat, diffidentiæ crimen.

1. Pet. 2.
Eſa. 53.
1. Ioan. 3.
Luc. 19.

II. ſententiæ.

Proinde dicendum eſt, animam Ieſu, quæ iocundè diuino fruebatur conſpectu, eo tempore ſe ſponte eiuſmodi delectatione, quæ viſionem conſequebatur, ad tempus abdicaſſe, vt pro nobis acerbiſſimos dolores in morte ſuſtineret.

III. ſententiæ.

Sunt enim quidam qui hoc ſentiunt, ſed improbabiliter: quare illud verius eſt, & ſolidius cum Deus ſolitus eſſet inferiorem animæ portionem nouis conſolationibus perfundere, cæleſtibusq; viſitationibus oblectare, tempore imminentis paſſionis cœpiſſe eam deſerere; ac proinde illam intolerabiles angores ſentire, & in portione ſuperiore vnà cum ſummo gaudio ſumma, non ſine miraculo, afficiebatur triſtitia, vt in hanc vocem prorumperit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?*

Matth. 27.
Quid eſt: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me.

Geminat vocem Dei præ animæ anxietate. Aquila interpretatus eſt: *Fortis meus, Fortis meus*: qui nomen Heli à fortitudine ſumitur, & ſeruit derelicto, quod ſit à forti deſertus, quaſi dicat, Robur meum, Robur meum.

Aquila interpretes.
Heli Hebraicè quid ſonet.

Et ait; Qua mea culpa factum eſt, vt ego, qui filius tuus ſum, & nunquam te, per peccatum aliquod deſerui, à te, qui filius tuus ſum dilectus, in quo tibi bene complacuiſti, & à tuo fauore, & auxilio derelinquerer?

Matt. 3. & Infr. 17.
Quando primum Chriſtus fuerit à Pr̄e derelictus.

Neque tantùm hanc derelictionem ſenſit in Cruce, ſed etiam quando in horto gemens dicebat: *Pater mi, ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte*, iam enim ab eo tempore cœperat derelinqui, quando cœpit pauere, & tædere, ac dicere: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.*

Infra 26.
Marc. 14.
Euſeb. Caſ li. 10. de Demōſt. Euang. Demonſt. vlt. ſub initium.

De cauſa derelictionis ita ait Euſebius: *Cauſa porrò hæc fuit; Omnis humani generis redemptio, ac liberatio, quæ pretioſo illo ſanguine facta eſt, à priore illa intolerabili ſeruitute, qua ſub viſum effugientibus dominis, impuris vtique dæmonibus, & malignis principibus, ac ſpiritibus premebantur. Et alia item ratione deſeruit illum Pater; vt illud ſcilicet oſtenderetur, affectionem pro hominibus ipſius quoque Chriſti fuiſſe. Quapropter cùm illius animæ ius, & poteſtatem nemo haberet, volens ipſe pro hominibus illam poſuit, ita ſanè quemadmodum docet ipſe, dum ait: Nemo tollet animam meam à me: poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo rurſus ſumendi eam.*

Quare Chriſtus in cruce fuerit derelictus.

Ioan. 10.

Leo I. ſer. de Paſſ. Domini ad finem.

Leo primo ſermone de paſſione Domini: *Vox iſta, dilectiſsimi, inquit, doctrina eſt, non querela. Nam cum in Chriſto Dei & hominis vna perſona ſit, neq; ab eo potuerit relinqui, à quo non poterat ſeparari, pro nobis trepidis, & infirmis interrogat, cur caro pati metuens exaudita non fuerit. Inſtante enim paßione ad ſanandum, & corrigendum noſtra fragilitatis metum dixerat: Pater ſi poßibile eſt, tranſeat calix iſte à me, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Et iterum: *Pater, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua. Qui ergo trepidatione carnis euicta iam ad paternam tranſierat voluntatem, & toto mortis terrore calcato, opus ſuæ conſtitutionis implebat, cur in ipſo tantæ victoriæ exaltatus triumpho, cauſam, & rationem qua ſit relictus, id eſt, non exauditus, inquirit, niſi vt oſtendat altum eſſe illum effectum, quem ad humana formidinis excu-*

Math. 26.
Ibidem.

excuſationem recepit, alium illum, quem ex æterno placito Patris, pro mundi reconciliatione prælegit? Vnde ipſa vox non exauditi magna eſt expoſitio Sacramenti, quod nihil humano generi conferret redemptoris poteſtas, ſi quod petebat, noſtra obtineret infirmitas. Hactenus ille. Gregorius Nazianzenus libro quarto. Theologiæ ita hæc verba ediſſerit: *Neque enim ipſe derelictus eſt, vel à Patre, vel à ſua diuinitate, vt quidam opinantur, quaſi paſſionem extimeſcente: atque ob eam cauſam ſeſe à perpetiente corpore colligente, atque contrahente. (Quis enim eum, vel primùm humanitus gigni, vel in Crucem aſcendere coegit) verùm in ſeipſo noſtra repræſentat. Nos enim eramus derelicti illi prius, atque contempti; nunc verò impatibilis illius paſſionibus aſſumpti ac ſeruati.* Et Epiphanius in hæreſin 49. Ariomanitarum ſcribit: *Clamant ariomanitæ miſerabiliter vocantem, ac lugentem, & dicentem, Cur dereliquiſti me? & non intelligunt quod oportet omnes affectus humanos in Domino, in vera ipſius carne præſentes confiteri. Non enim ſeparat à deitate, & ſeorſum humana natura exiſtente dicebat hæc velut alius & alius: volebat enim deitas omnia perfici, quæ ad myſterium paſſionis pertinebant, & cum anima deſcendere ad inferna ad ſalutem eorum, qui illic prædormierant. Cùm igitur motus ſic fieret ab humana natura vox, ad propriam ſuam deitatem dicebat: Deus meus.* Eadem docet Leo ſer. 17. de paſſione Domini.

Greg. Naz.

Chriſtus in cruce quomodo relictus à Patre teſte Nazianzeno.

Epiphanij citatur ſenſus potius quam verba. Contra Ariomanis.

Leo Papa.

Quid ſibi velit: Reſpice in me, cum illud in Hebræo fonte non ſit.

Aug. Eugubi.

Ad ſecundum verò dicendum; quoſdam eſſe, qui illa verba: *Reſpice in me*, tanquam adiecta, & appoſita, obeliſco iugulanda eſſe cenſeant. Sed abſit, vt hoc dicamus. Illud eſt certius, & cum ratione magis coniunctum, vt hæc à Septuaginta Interpretibus ad maiorem verborum claritatem, & Emphaſim appoſita eſſe dicamus, vt docet B. Hieronymus in Matthæum, & in epiſtola ad Pammachium de optimo genere interpretandi: vbi ſe exemplo Septuaginta Interpretũ hoc loco excuſat, ſi quando addat aliquid maioris claritatis gratia. Et adiungit ibidem ſententiam auream, & cedro dignam, his verbis: *Conceſſum bono interpreti, vel addere, vel dimitere vocabula, quæ ſenſum non perturbant.* Quemadmodum illud: *Talithacumi, quod eſt interpretatum, Puella (tibi dico) ſurge:* vbi illud: *Tibi dico*, additum eſt ad maiorem expreſſionem. Et in Actis: *Quam audiſtis*, inquit, *per os meum:* vbi verbum. *Inquit*, additum eſt ab interprete, non à Chriſto, maioris expreſſionis gratia. Ita hic additum eſt: *Reſpice in me*, quãquam nec in Hebræo habeatur, nec Hieronymns in verſione ſua ex Hebręo illud poſuerit, neq; Chriſtus illud protulerit, qui tantùm dixit: *Heli, Heli, lammaſabacthani.* Neq; tamen ſunt

B. Hier. in c. 27. Mat. t. 9. Idem tom. 2. in fine.

Aurea D. Hieronymi de ratione interpretandi formula.

Marc. 5.

Act. 1.

Idem to. 8.

Matt. 27.

illa verba extra rem, quoniã eſt ſenſus Deus meus, Deus meus, noli auertere faciem tuã à me: nam ex tali auerſione ſequitur cõturbatio, & angor animi, iuxta illud: *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Et vt exponit optimè Euthymius: Reſpice me, inquit: ſolent enim qui carnifici quempiã tradunt, oculos auertere. Põderat Epiphanius contra Ariomanitas, Heli, Heli, Hebraica dialecto pronuntiaſſe, reliquum verò, hoc eſt, Lammaſabacthani, non Hebraica, ſed Syriaca: vt eorum abhorreret ignorantiam, qui de Hebraica gloriantur lingua; & alias loquelas dignas efficeret, in quibus de eo dicta implerentur. Hæc ille in ſenſu.

Prædicta verba: Reſpice in me vt cohæreant.

Pſal. 29. Euthym. in Pſal. 21. Epiph. in hæreſ 69. aliquanto poſt medium.

Ad tertium: ex verbis illis: *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum*, quæ Septuaginta ſunt Interpretum: οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου, inferunt Iudæi: ergo Ieſus fuit peccator. Sed dicendum, quòd Septuaginta diſſident ab his quæ in Hebræo habẽtur: nam Hieronymus ex Hebræo vertit: *Verba rugitus mei*, & Aquila, vt teſtatur Euſebius, *Verba fremitus mei*, Symmachus verò, *Verba luctuum meorum:* pro quo Chaldaica verſio habet: *Verba lamentationis meæ, ſiue eiulatus mei.* Eſtque ſenſus: Longè à ſalute mea ſunt lamentationes, & gemitus mei: id eſt, nihil profeci rugiendo, ingemiſcendo, & luctus edendo. Rugire proprium eſt Leonis, qui rugit, cùm eſt paratus ad prædam: ita Chriſtus rugit ab eſurie ſalutis noſtræ, & lucro prædæ, de quo Iacob: *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt Leo, & quaſi Leæna: quis ſuſcitabit eum?* Cauſa autem tam variæ tranſlationis Septuaginta Interpretum à reliquis, fuit vicinitas, & ſimilitudo duarum vocum Hebrẹarum, nempe Schaag, & Schaga: nam primum eſt, Rugire, ſecũdum eſt, Delinquere, ſiue peccare: & ita legiſſe videntur Septuaginta Interpretes, nempe dibreſchagagathi, nõ dibreſchaagati. Et quãquam prior lectio ſenſum habeat apertiorem; poſterior tamẽ lectio ſuum habet prægnantiorẽ, & pleniorẽ ſenſum, quaſi diceret; Ecce verba delictorũ meorum, id eſt, opera peccatorum generis humani populi mei, quę tu Pater in me poſuiſti, ſecundùm illud: *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum*, quæ ego in me ipſo libens ſuſcepi, atque portaui: quæ ego non ſecus atque mea reputo, volens pro eis tanquam pro proprijs peccatis ſatisfacere. Hæc inquam peccatorum opera ſunt, quæ longè me faciunt à ſalute mea, & in cauſa ſunt, vt me non exaudias, nec liberes: nã hc à te decretum eſt, & ego ſic acceptaui, vt hanc deſolationem ad mortem vſque pro

Quid ſignificet: Longe à ſalute mea verba delictorum meorum, varia huius que tranſlatio, eiuſ item cauſa.

Hier. to. 8. Aquila interp. Euſeb. Simach. interp.

Rugire Leonis proprium.

Gen. 49.

Ea lectio vulgata: Verba delictorum meorum, altera Verba rugitus mei, cur præſtet.

Eſaiæ. 53.

Euthym.

humani generis peccatis expiandis ſuſtinerem. Nam vt ait Euthymius; ſubit Dominus, atque accipit in ſe totius humanæ naturæ perſonam, vt cognatæ. Et quare, inquit, me hominem, hoc eſt, vniuerſam hãc humanam naturam dereliquiſti, ſinẽs eam opprimi à morte? Et cauſam infert: quia nimirum cõdemnationes meorum ſcelerum procul ſunt à ſalute mea. Nam cum his ego pariter elongatus ſum à te: quòd ſi apud te eſſem, ſeruarer ſanè ab hac morte. B. Auguſtinus in expoſitione ſecunda huius Pſalmi: *Quorum* (ait) *delictorum, de quo dictum eſt: Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius? Quomodò ergo dicit, delictorum meorum; niſi quia pro delictis noſtris ipſe precatur, & delicta noſtra, ſua delicta fecit, vt iuſtitiam ſuam, noſtram iuſtitiam faceret?* Ambroſius libro de Incarnationis Domini Sacramento, idem dicit: *Longè à ſalute mea verba delictorum meorum: hoc eſt, non capiatur qui audit, quare me dereliquiſti, ſed intelligat quod ſecundùm carnem iſta dicantur, quæ longè à plenitudine diuinitatis aliena ſunt. Aliena ſunt enim à Deo verba delictorum, quia aliena ſunt & delicta verborum, ſed quoniam delicta aliena ſuſcepi, etiam delictorum alienorum verba ſuſcepi, vt derelictum me à Patre Deo eſſe dicam, qui apud Deum ſemper ſum.* Hæc ille ſatis appoſitè.

B. Aug. in Pſal. 21. tom. 8. Tertio ſent. diſt. 15. c. Quadam. 1. Pet. 2. Eſa. 53. Ambr. lib. de Incarn. Dom. Sacramento, c. 5 tom. 2. ſub finem.

Quatuor modis Christus peccata noſtra fecit ſua.

Chriſtus autem: ſingulari charitate peccata noſtra multis modis ſua eſſe fecit. Primò, quatenus aduocatus eſt: nam culpam clientis ſolet vt ſuam agnoſcere aduocatus. Deinde vt Pontifex, ſiue Sacerdos, cuius eſt offerre pro peccatis populi ſui, & pro illis ac ſi propria eſſent, ſacrificare. Et hinc peccata populi dicebantur comedere, quia ſacrificia pro peccatis expiandis manducabant, quæ manducata ipſi precibus ſuis digerere debebant. Tertiò, tanquam caput pro membris, cuius eſt influere in reliqua membra vitam, ſenſum, motum, ac directionem, & eius eſt dicere, Dolet mihi manus, aut dolet pes. Etſi peccatum Adę cum morte potuit ad nos transfundi iuſtitia Dei exigente; quid ni potuerit Filius Dei peccata noſtra charitate imperante in ſe transfundere, & pro illis ſatisfacere. Quartò, quia erat vas, ac fideiuſſor in cauſa capitali, cum pro nobis Patri ſpopondiſſet, & nos non eſſemus ſoluendo: in ipſo ſumptum eſt ſupplicium peccatorum noſtrorũ quaſi propriorum, noſque liberos dimiſit, nam vades ob id dicuntur, quod poteſtatem faciat ei, cuius nomine ſpondent, vadendi quò velit. His, atq; alijs rationibus Chriſtus, aliorum peccata agnoſcit quaſi ſua. Dupliciter enim aliquid noſtrum eſſe dicimus: vel tanquam proprium, vt habemus

Heb. 5.

Qui comederent peccata populi Dei.

Oſe. 4.

Vades quare dicantur.

Noſtrum aliquid dupliciter dicitur.

fundum, animam, corpus, vel tanquam fidei commiſſum, & alieno nomine receptum: & ita Chriſtus agnoſcebat peccata noſtra pro ſuis in Pſal. 68. Vbi mortis Chriſti myſteria præcinit Propheta, hanc dolorum magnitudinem, quam hic vocat Dei derelictionem, ſub metaphora aquarum hominem demergẽtium expreſſit, dicens: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*, id eſt, tales dolores, qui vitam mihi eripiant. Et ſubdit: *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*, ſiue ſubſiſtentia, id eſt, nihil & ſolidum, vbi poſſim pedibus conſiſtere, nullum videlicet diuinum auxilium, quo poſſim mortem euadere. Nam ſubdit: *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me*: Deinde oſtendit, preces ſuas non fuiſſe exauditas, ſubiungendo: *Laboraui clamans: raucæ factæ ſunt fauces meæ: defecerunt oculi mei, dum ſpero in Deum meum.*

Quid Regius Propheta in Pſal. 68. pronunciet.

Id eſt, fruſtra effudi voces ad raucedinẽ vſque, nec obtinui quod petebam: in caſſum eleuaui oculos, & eleuatos ſuſtinui, quibus diuinam opem implorabam. Deinde proponit ſuam innocentiam, dicendo: *Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis*, & rurſus: *Quæ non rapui, tunc exoluebam.* Quæ verba nemo mortalium de ſe affirmare potuit, niſi Ieſus Chriſtus, cum ab omni peccati macula puriſſimus eſſet. Et addit: *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Id eſt, accuſant me ſtultitiæ, & improbitatis, quòd diuinam ſcientiam, & titulum Meſſiæ mihi arrogo; tu verò probè noſti num ego quicquam ſtultè, aut improbè admiſerim. Deinde precatur, ne ꝓpter illas iniurias ſcãdalum crucis patiatur, qui quærunt Dominũ, dum cernunt cauſa nominis Dei tãta Chriſtum perpeti. De quo ait: *Nõ erubeſcant in me, qui expectant te Domine: Domine virtutum, non confundantur ſuper me qui quærunt te, Deus Iſrael*, Et declarans propter quid patiatur, ſubiungit, dicendo: *Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.* Sed redeamus iam ad noſtrum Pſalmum.

Sap. 2.

Secundus verſus: *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad inſipientiam mihi.* Repetitio eſt prioris ſententiæ, & ſenſus eſt: inclamo dies, noctesque nomen tuum, neq; tamẽ aures ad voces meas ſupplices & queribundas adhibes. Quod verò addit: *Et non ad inſipientiam mihi*, in Hebræo tantum habetur, & non eſt ſilentium mihi, id eſt, noctu, ac diu ingemiſco, & inclamo, neque eſt vlla ceſſatio à clamore: atque hęc lectio facilis eſt. Iuſtinus Martyr in Dialogo contra Tryphonẽ Iudæum applicat hęc

Quid eſt: Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, &c.

Iuſt. Mart. tom. 2.

verba Chriſto in horto oranti pro amotione,vel tranſitu calicis. Quod verò LXX. verterunt: *Et non ad inſipientiam mihi,* id eſt, non eſt ad inſipientiam mihi imputādum, nemoq; debet me arguere,quod ſecūdum partis inferioris appetitū poſtulauerim id, in quo non ſum exauditus, ſicut alijs hominibus ad inſipientiam imputatur quòd petant,& non accipiant,eo quòd malè petāt.Sed alia ratio eſt de Chriſto,qui optimè nouerat cur non exaudiretur. Quia etſi ſecundum ſenſus infirmitatem ad teſtimonium veræ meæ humanitatis inquit calicem exhorruerim, atq; pro eius amotione fuerim deprecatus; tamen ſecundum ſpiritum diuinæ meipſum voluntati ſubmiſi, dicens: *Non ſicut ego volo,ſed ſicut tu.* Euſebius Cæſarien. interroganter legit: *Clamabo per diem, & non exaudies?* quaſi dicat,exaudies, nec eſt inſipiens mea fiducia:nam ſcriptum eſt: *Tempore accepto exaudiui te,* & cum Lazarum excitauit à mortuis:*Ego,*inquit,*ſciebam, quia ſemper me audis.*Atque hoc ipſum paulò poſt in eodem Pſalmo oſtendit, cùm ait: *Quoniam non ſpreuit,neq; deſpexit deprecationem pauperis. Nec auertit faciem ſuam à me:* & cùm clamarem ad eum, exaudiuit me. Non eſt ergo exauditus tunc, vt ſeruaretur à morte; fuit tamen exauditus, vt à morte excitaretur. Quod autem ait, die, ac nocte:vel ad tempus crucis referēdum eſt, in quo tenebræ fuerunt ab hora ſexta, vſque ad horam nonam, & illud tempus pro die, & nocte computatur,vel diem vocat ipſum tempus crucis, noctem verò orationem pridie ſub nocte fuſam in horto: vt annotauit Euthymius. Leuiſſimum quod Faber vt ſolœciſmum notat, quod ait, per diem, & nocte; quaſi dicendum eſſet,per noctem, ſed non vidit nō dici coniunctum per diem, & nocte,ſed interpoſitis duobus verbis:*Et non exaudies.* Et in eo, quod ſequitur,*Nocte,*poteſt ſuppleri præpoſitio, *In,*vt ſic nullus ſolœciſmus admittatur.Imò nec opus eſt ſupplere præpoſitionem:aptè enim dicitur: *Clamabo nocte.*

Iacob. 4. — *Matth. 26.* — *Euſeb. Caſar.* — *2. Cor. 6.* — *Eſa. 49.* — *Ioan. 11.*

Quo die Chriſtus, nocteq; clamauerit nec fuerit exauditus, & quomodo.

Matth. 27. — *Euthym.*

Ridicula Fabri in hunc locū obſeruatio.

Tertius verſus eſt: *Tu autem in ſancto habitas, Laus Iſrael.* Promiſerat Deus ſe commoraturum apud gētem Hebræam, & bonis præſidio perpetuo, ac ornamento futurum; itaque illum promiſſi admonens, ait: Tu cuſtos ſanctæ huius ciuitatis es,tu eiuſdem habitator, eiuſdem hymnus,te cœtus piorum ſemper decantat, tibi gratias agit adiutus, & conſeruatus: tua igitur miſericordia vtere, & ſuccurre laboranti. Laus ergo Iſrael dicitur, vel quem laudat populus fidelis, vel qui eſt magna gloria, lauſq; populi Dei,quòd Dominum habeat Deum ſuum in ſe habitantem ad cuſtodiam, atq; protectionem. Auguſtinus intelligit, Deū in ſancto habitare, id eſt, in illis, quos ſanctificauit, & quos facit intelligere, quod ad vtilitatem quoſdam non exaudit. Iuſtinus, ac Euthymius per ſanctum, diuinam perſonam intelligit humanæ coniunctam naturæ: *Ego in Patre,*inquit,*& Pater in me eſt.* In Filio ergo Pater habitabat quaſi in templo diuinitatis ſuæ; & erat laus Iſrael, quia tertio die à ſupplicio crucis ex mortuis erat reſurrecturus, vt intelligas ita fuiſſe à Deo derelictum, vt tamen diuinitas ab eo non receſſerit, in quo habitabat. Et exaggerans cauſam ſuæ derelictionis ſubdit per duos verſus: *In te ſperauerunt patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos. Ad te clamauerunt, & ſalui facti ſunt: in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.* Vbi in primis morem ſecutus prophetarum ad maiorem emphaſin eandem ſententiam repetit. Quaſi diceret; Patres noſtri fideles ſerui tui, ſiue Patriarchæ, ſiue Prophetæ, ſiue cæteri iuſti,eorum imitatores, ex quibus ego ſecūdùm carnem factus ſum; ipſi ſpem ſuam totam in te poſitam habuerunt, nec de illa ceciderunt, ſed illos pro magnitudine tuæ benignitatis liberaſti, vt Abraham ab Vr Chaldæorum, Iſaac ab immolatione ſacrificij, Iacob de manu Eſau fratris ſui, Ioſeph de manu fratrum ſuorum, Moyſen de manu Pharaonis, populum Iſrael de Ægypto, Dauidem de Saulis, & Abſalonis filij ſui perſecutione, Iuditham de manu Holofernis, Suſannam de falſo crimine, Danielem de lacu Leonum,tres pueros de fornace ignis ardentis, Ionam de ventre ceti;Ego autem,qui filius tuus ſum ſolus fauorem tuum, auxiliumq; non inuenio. Sequitur ſextus verſus: *Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum,& abiectio plebis.* Quemadmodùm Abraham ſe puluerem, & cinerem apud Deum eſſe fatetur, & Dauid ſe vocat pulicem vnum, & canem mortuum;ita Dominus Ieſus filius Abrahæ, & Dauidis ſe vermem vocat,quod animal eſt contemptiſſimum,& infirmiſſimum, quod ſine ſemine ex terra oritur, repit humilis, mouetur ſine ſonitu, teritur atque interficitur ſine vlla commiſeratione: nam cætera animalia perfectiora ob vſum humanum conſueuerunt homines non ſine quodam commiſerationis affectu interficere, hoc tamen abſque vlla crudelitatis oſtenſione faciunt, ſiue vno gladij ictu,ſiue perfoſſione gutturis morte breuiori, & faciliori ipſa interimentes; at vermes abſque hac commiſeratione interficiūtur. Atq; huius naturalis commiſerationis cauſa eſt, quòd illa ſint humanæ ſpeciei

In quo ſancto Deus habitaret, iuxta Prophetam.

Deus cur dicatur laus Iſrael.

Aug. in dictum Pſal 21.

Alter ſenſus horum verborum: Tu autē in ſancto habitas.

Iuſtin Dial. in Thriphon. — *Euthym.* — *Ioan. 14.*

Prophetarum mos erat maioris emphaſis cauſa repetere eandem ſententiam.

Patres Iudæorum in ſe ſperantes quos Deus liberauerit.

Gen. 15. — *Infr. 22.* — *Infra 37. & ſeq.* — *Exod. 2.* — *Infr. 14.* — *Iudith. 13.* — *Dan. 13.* — *Supr. 3.* — *Ion. 2.*

Gen. 18.

Cur ſe vermē Chriſtus appellet.

1 Reg. 26. — *Math. 1.*

ſpeciei ratione perfectionis ſenſuum, atque membrorum magis ſimilia, atque vicina. Ad hunc modum Chriſtus non vt cæteri homines eſt humano more conceptus, ex concubitu ſcilicet maris, & fœminæ, ſed nouo miraculo ex ſuperna operatione Spiritus ſancti de terra Virgine natus, humiliter repſit inter homines, in improperia iacientes non reclamans, neque interminans in paſſione, & propter nimiam crudelitatem, quam in eum exercuerunt impij Iudæi, vermis, & vix homini ſimilis videbatur. Hinc ab Eſaia prædictum fuit: *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum, deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vnde nec reputauimus eum:* Quæ omnia vermis noſtri miſeriam atteſtantur. Et quoniam præ hac ſumma deſpectione homini ſimilis non videbatur, vix quiſquam erat, qui ſuper eo miſericordia moueretur. Imo cum à Pilato flagellis per totum corpus vulneratus portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum turbis ad miſericordiam excitandam demonſtraretur, adeo moti non ſunt perſecutores, vt etiam amplius mortem eius ſitirent, & clamarent: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Cum præterea in cruce poſitus animam ageret, & naturale ſit morti vicinos commiſerari, illi inſultabant, eumque pungentiſſimis maledictis afficiebant, omni prorſus humanitatis natura exuta. Adhæc vt Dauid legitur tenerrimus ligni vermiculus, cum typus eſſet Domini Ieſu, ſignificabat Chriſtum ſecundum humanitatem tenerrimum, ac temperaturæ diſpoſitionem nobiliſſimam habere, eſt tamen in illo fortitudo rodendi ligna: ita in Chriſto virtus conſumendi peccata. Quod addit: *Et non homo*, in Hebræo non eſt enos, quod ſignificat vilem hominem, & miſerijs ſubiectum, neque adam, quod ſignificat hominem plebeium, ſed iſch, quod ſignat virum egregium, atque virtute præſtantem: Propterea Chaldæa paraphraſis habet: *Et ego vermis debilis, & nequaquam fortis.* Quod ait: *Opprobrium hominum, & abiectio plebis*, id fuit, quoniam deſpicabilis extitit, tum apud Romanos milites, homines dictos, tum apud plebem Iudæorum. Dicitur vero abiectio plebis, quæ latronem Barrabam elegit, & Chriſtum abiecit. Chaldæa paraphraſis habet: *Portans vituperia hominum*, quod videlicet in illum ſcommata, atque innumera improperia, quæ ille vtpote fortior, deuorabat, atque portabat, iuxta illud: *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs tanquam dulciſſimis dapibus*, quæ ille libenter pro noſtra ſalute comparanda ſuſtinuit. Et tamen vel vnum verbum pro Chriſto Deo ferre tibi durum videtur, cum ille pro te vermiculo tantam opprobriorum multitudinem pertulerit. De quibus ſubiungit duos ſequentes verſus: *Omnes videntes me, deriſerunt me. Locuti ſunt labijs, & mouerunt caput. Sperauit in Domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.* Quæ apud Matthæum, & Marcum ad literam indicantur impleta, Chriſto in cruce pendente. Subſannantes autem capita mouebant, vt non tantum verbis, ſed etiam factis illuderent, præcipue vero eius ſpem in Domino fixam deridebant. Quaſi vero vnquam aliquis in Domino ſperauerit, qui fuerit confuſus, cum Paulus dicat, Spes autem non confundit. Ipſi vero, qui Domino conuitiabantur, confuſi remanſerunt, & ſpe ſua, quę telę araneorum, & baculo arundineo Ægypti, hoc eſt, cogitationum, & virium humanarum, fruſtrati ſint Chriſto à morte excitato, & in cœlum exaltato, & per vniuerſum orbem eius nomine, & cultu propagato, ipſi vero de ciuitate ſua, ac promiſſionis terra expulſi, in vniuerſum orbem diſperſi, atque diſſipati, facti ſunt opprobrium hominum, & abiectio plebis: *Quoniam tu es qui extraxiſti me de ventre: ſpes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus ſum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu.* Merito horum meminit, vt ſe ipſum conſoletur, & à præſentibus malis auertat, & vt Latini dicere conſueuere, à teneris vnguiculis, à lacte, ab incunabulis, ita in ſacris literis, ab vberibus, ab vtero, ſic Dauid Pſalm. 70. & Iob, ab infantia, per hyperbolem ſignificantes tempus, quo homines incipiunt vti ratione. Atque hæc ita exponit Euſebius: *Qui enim*, inquit, *fuiſti mihi adiutor, cum humanum corpus aſſumerem, quo tempore ex ipſius parturientis vtero, me, tu ipſe Deus meus, & pater meus, tanquam obſtetricis fungens officio, pro ea, quæ mihi de Spiritu ſancto comparata erat carne, extraxiſti, tua porrecta virtute, da mihi iam nunc ſalutem, ne qua fraus, aut vllæ inſidiæ, ab aduerſis poteſtatibus, malignisque ſpiritibus, qui mihi etiam in acceſſu meo ad homines inuiderunt, fiant, quoniam in prima item conceptione tu rurſus quod in vtero fui, obumbraſti, vt principes ſeculi huius ipſa de Spiritu ſancto, & ſancta Virgine conceptio lateret. Quod ſane ingens myſterium tuum Archangelus Gabriel Mariæ indicauit, dicens: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,*

Qualis Ieſu manſuetudo, patientia.

Eſai. 53.

Iudæorum, & carnificum in Chriſtum ſæuitia.

Ioan. 19.

Matth. 27.

2. Reg. 23.

Enos Hebræis quid ſignificet.

Quare Chriſtus opprobrium hominum dictus ſit, & abiectio plebis.

Matth. 27.

Thren. 3.

Omnes videntes Chriſtum, quando deriſerint eum, & mouerint caput.

Matt. 27.

Marc 15.

Sap. 2.

Subſannare quid.

Eccl. 2.

Rom. 5.

Iudæi, Chriſto in cruce illudentes, quam fuerint illuſi ipſi atque confuſi.

Quid eſt dicere, Deus meus tu es ſpes mea ab vberibus matris meæ, & rel qua.

Iob 31.

Euſeb. lib. 10. de demonſtr. Euang. Demonſtr. vlt.

Euſebij ſententia illorum verborum.

Luc. 1.

& virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Quemadmodum igitur tua tunc, qui es altiſsimus, virtus me in concipiendo obumbrauit, in pariendo autem extraxit de ventre matris meæ. Ita quoque non parua mihi adeſt conſolatio, quod multo magis de morte ſis extracturus. Sic ille. Vnus eſt autem verſus vſque ad: *Matris meæ.* Secundus, vſque ad: *Deus meus es tu.* Tertius incipit: *Ne diſceſſeris à me: Quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt qui adiuuet.* Hic eſt enim ordo in fonte Hebræo, & apud Hieronymum. Euthymius ponderans illud verbum: *Tu es qui extraxiſti me de ventre,* ſcribit: *Viri copula virginalia ventris clauſtra aperit. Immiſſum enim ſemen naturaliter vuluam aperit, quæ deinceps concluſum illud continet, donec fœtus perficiatur, ac demum pondere grauata rurſum aperitur, & fœtum labi permittit. In Saluatore autem noſtro quemadmodum conceptio abſq; vlla fuit viri copula, ita & progreſsio fœtus ſupra naturam extitit, ipſa ſcilicet diuina vi fœtum extrahente, & virgineis clauſtris nullatenus apertis.* Hæc ille. Pulchre autem ait: *Spes mea ab vberibus matris meæ.* Tu nimirum ab ipſo lacte fuiſti ſpes mea, & cum alium Patrem in terra non habeam, in te cognoui eſſe collocandas omnes ſpes meas. Iuſtinus Martyr Dialogo in Tryphonem, hunc verſum ſic explicat: *Nam quod dicitur: Spes mea ab vberibus matris meæ: illud eſt, quod quam primum in Bethleem natus eſt (prout dixi) rebusq; eius ex Magis Arabia cognitis, Herodes Rex inſidias ei ſtruxit, vt è medio tolleret eum, Ioſeph iuſſu Dei recepto eo cum Maria in Aegyptum abierit. Nam poſtquam mandatum illi à ſe verbum vir factus prædicaſſet, tum demum gnatum ſuum morte mactandum conſtituerat Pater.* Ita Iuſtinus diſertè.

Hieron. to. 8. Euthym. hoc loco.

Qualis aliorũ hominum ſit, qualis vero Chriſti conceptus.

Quare Deus Pater vna ſpes Chriſti fuerit ab vberibus matris ſuæ. Iuſtin. tom. 2.

Matth. 2. Cur Deus Pater Filium ſuum ab Herode cæſum noluerit.

Ne diſceſſeris à me: Quoniam tribulatio proxima eſt, quoniam non eſt qui adiuuet. Idem eſt ac ſi dicat, Non me nunc derelinquas Pater vſquequaque, quemadmodum iſti exiſtimant, propterea quod temporalis liberationis auxilium non præſtas, arbitrantes me prorſus à te derelictum, ſed adeſto mihi in auxilium, tum vt fortiter in his paſſionibus perſeuerem, tum vt tempore definito per te à mortuis exciter: quoniam humanum auxilium nullum adeſt, ſiquidem omnes me diſcipuli mei, atq; noti deſeruerunt: & ſi qui etiam ſint qui velint adiuuare, propter rabiem inimicorum non valent. Iuſtinus loco dicto ita exponit: *Docentis quoque eſt verbum, in Deo, qui omnia condidit, ab omnibus ſpem eſſe collocandam, & apud illum ſolum ſalutem, & opem quærendam: neque opinionem eam concipiendam, quam alij obtinent homines, propter genus, aut opes, aut potentiam, aut ſapientiam ſalutem contingere poſſe. Quemadmodum & ipſi quouis tempore feciſtis, qui aliquando quidem vitulum conflatilem erexiſtis, ſemper autem ingratiſsimos vos, & iuſtorum percuſſores, & faſtu tumidos propter genus exhibuiſtis. Nam ſi Filius Dei, neque eo quod Filius Dei eſt, neque quia fortis, neque quia ſapiens (quippe virtus, & ſapientia Dei) & præterea neque eo quod immunis peccato eſt, prout Eſaias dicit, eum ne voce quidem peccaſſe (iniquitatem enim non fecit, nec dolum ore commiſit) abſque Deo ſe ſaluari poſſe manifeſte dicit, quonam modo vos, aut alij etiam, ſalutem citra ſpem iſtius modi expectantes, non exiſtimemini vos ipſos ſeducere?*

Chriſtus cur petit à Deo non derelinqui.

Idem.

Iudęorum impietas, ingratitudo, ſuperbia. Exod. 32.

1. Cor. 1.

Eſa. 53. 1. Pet. 2.

Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut Leo rapiens, & rugiens. Metaphoræ ſacris Poetis frequentes ſunt, Iudæos, feros, barbaros, ac truculentos tauros appellare, obuium quemque cornibus appetentes, in numero ferarum, nõ hominum locandos: faciem duntaxat hominum geſtantes, cætera belluas. Et vt Iuſtinus, & Theodoretus exponunt, per tauros intelligimus Sacerdotes, & Scribas, qui patres ſunt vitulorum, id eſt, populorum, & miniſtrorum, qui Chriſtum in monte Oliuarum comprehenderũt, vbi nullus ei adiumẽto extitit, ſed omnes eum deſeruerunt, & adduxerunt ad domum Pontificis, vbi circumdederunt eum, cauſam eius examinantes, & hi ſunt tauri, quibus principatus populi commiſſus erat: quos pingues appellat tanquam bonis ab ipſo ſuppeditatis perfruentes, quãquam Hebraice dicatur, tauri Baſan, quod in illa regione eſſent paſcua fertiliſſima, quib. feræ, & iumenta paſcentia mirum in modum pingueſcebant. Per vitulos intelligimus plebem Iudęorum iuniorem laſciuam, & omni prorſus regula carentem, quæ conuenit ad capiendum Chriſtum. Subdit, illos inſtar Leonis rapientis, ac rugientis aperuiſſe ſuper ſe os ſuum, quando congregati clamabant: *Tolle, tolle, crucifige eum.*

Iudæorum feritas, & inhumanitas.

Iuſtinus. Theodor. in 21. Pſal. par. 1. Per tauros pingues qui veniant intelligendi. Matth. 26. & ſeq.

Tauri Baſan quales illi.

Quid per vitulos intelligendum.

Quando Iudęi aperuerunt os ſuum ſuper Chriſtum more Leonis rugientis. Ioan. 19.

Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Alijs metaphoris magnitudinem dolorum proponit, figura aquæ defluentis vſitata in ſacris literis, qua reſolutio præcordiorum, ſolutioq; mẽbrorum, imaniſq; metus penetrans vniuerſam compagem deſignatur, cum genua labant, & vox faucibus hæret: cui non eſt diſſimile illud Poetæ:

Qualis Chriſti dolor, ac timor.

Extemplò Aeneæ ſoluuntur frigore membra.

Virg. 1. Æneid.

Præ acerbitate ergo pœnarum, & vexatione immenſa dilapſus ſum, quaſi viribus o-

mnibus deſtitutus in modum aquæ effuſę, quæ nunquam conſiſtit, & mox defluit, ac dilabitur. Talis fuit metus Meſſiæ, qui propoſito ſibi crucis tormento in horto, totus ſanguineo ſudore maduit, vt interpretatur Iuſtinus Martyr ibidem. De hac metaphora habemus apud Ioſue: *Pertimuitq́, cor populi, & ad inſtar aquæ liquefactum eſt.* Aduertendum eſt, Græce nunc legi ἐξεχύθη, id eſt, effuſa ſunt, & refertur ad oſſa, ſicut aqua effuſa ſunt oſſa mea. Sed facit contra veritatem Hebrææ lectionis, vbi dicitur. *Et factus ſum.* Ideo corrigenda illa lectio Græca, & legendum ἐξεχύθην, quod ſignificat in ſingulari numero, effuſus ſum. Subdit: *Et diſperſa ſunt omnia oſſa mea.* Per quod intelligit ſolutionem membrorum, quaſi vnum alteri non hæreret, aut lacerationem, & conuulſionem, quæ fit metu membra permeante inter ſe ſimilia. Per oſſa tamen intelligunt Theodoritus, & Euthymius Apoſtolos: quoniam vt oſſa robur ſunt corporis, & ab his quicquid in corpore mollis, & fluxi eſt, ſuſtentatur, ita Apoſtoli veluti confirmantes ac continentes reliqua Chriſti membra erant, qui tamen tempore paſſionis inſtar aquæ huc & illuc diſperſi ſunt fugiendo. Et Auguſtin. in epiſtola ad Honoratum: *Quid ſunt, inquit, oſſa niſi corporis firmamenta, corpus autem Chriſti Eccleſia? Firmamenta ergo Eccleſiæ, qui niſi Apoſtoli, qui etiam columnæ alibi nuncupantur? Hi vtique diſperſi ſunt, cum ad paſſionem ipſe duceretur, vel cum eſſet paſſus, & mortuus.* Sic ille. Altera metaphora eſt: *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Nam cera per ignis calorem diſſoluitur, ſicque ſuam perdit quam prius habebat duritiem, & continuitatem: & per ventrem intellige partem corporis ſuperiorem, vbi cor ſitum eſt, vicinum ipſi ventriculo. Et aliam adhibet metaphoram in verſu ſequenti, dicens; *Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxiſti me.* Fortitudo mea, inquit, omniſque vigor, qui intra me fuerat, præ defectu ſanguinis, & humoris vitalis penitus abſumitur, & excoquitur paſſionis magnitudine, quomodo ex vaſe fictili, quod humido prius fictum fuerat, per actionem ignis exhauritur, & ſiccum remanet, & ligna viridia aſſumpta humiditate paulatim deſiccantur, & apta eſca ignis fiunt. Ex eadem ariditate ſequitur quod ait: *Et lingua mea adhæſit faucibus meis.* Quod accidere ſolet illis, qui nimia ſiccitate premuntur, quæ non permittit verba formare: vnde Chriſtus licet ſæpius eſſet interrogatus, non reſpondebat.

Luc. 22. Iuſtinus. Ioſue 7. Græca lectio corrupta huius loci. Quæ ſint hæc oſſa, quæ Propheta ait eſſe diſperſa, duplex ſenſus. Theodori. Euthym. Matth. 26. Ioan. 16. Aug epi. 120. ca. 14. tom. 2. Eſa. 60. Eccleſiæ firmamenta quæ ſecundum Auguſtinum. Venter hoc loco quid ſignificet. Explicatur id: Aruit tanquam teſta virtus mea. Vnde ducta hæc metaphora: Et lingua mea adhæſit faucibus meis.

Et in eadem metaphora perſiſtens, ſubdit: *Et in puluerem mortis deduxiſti me.* Nam eo tandem redit caro humana, vnde ſumpta eſt, id eſt, in puluerem, iuxta illud: *Puluis es, & in puluerẽ reuerteris*, & in alio loco: *Et in puluerem reuertentur.* Traditus eſt enim Dominus ſepulturę poſt crucem: id quod puluerem mortis nominat, eo quod puluere obducuntur, qui ſepeliuntur, vt ait Theodoritus.

Quoniam circundederunt me canes multi: concilium malignantium obſedit me. Poſt Iudæos, de exercitu Gentium facit mentionem, nam illi crucifixerunt eum. Et merito illos quidem tauros, ac vitulos, veluti qui iugo legis premerentur, etſi legis eſſent transgreſſores, nominauit. Romanos vero milites nunc canes vocat, velut immundos, ſecundum legem, & valde impudentes: qua ratione Dominus in Euangelio dixit: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Sed tamen, vt eleganter annotat Theodoritus, poſt crucem, qui olim canes erant, per fidem, in filiorum ordinem tranſierunt, & qui olim tanquam filij tractabantur, canum appellationem acceperunt, tanquam canes contra Dominum rabie perciti. De his beatus Paulus exclamat: *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem.* Deinde ſubiungit quid iſti canes in Dominum auſi fuerint facere, dicens: *Conſilium malignantium obſedit me.* Lege Concilium per C. vt Hebræa & Gręca docent, quæ habent, Synagoga malignantium.

Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea. Nam accepta tandem impijs ſuis rugitibus, ac latratibus importunis ſententia, vt ego ad mortem crucis damnarer, perfoderũt clauis manus meas, & pedes meos, cruci me ſic affigẽtes, & in cruce tenerum corpus meum tam terribili diſtenſione extenderunt, vt facile poſſent ab aſtantibus omnia oſſa mea diſtincte videri atque annumerari. Hic litem habemus cum Hebræis, qui ex ſuis fontibus oſtendunt duas eſſe voces inter ſe vehementer ſimiles, nempe caru, & caari: quarum prior, foderunt ſignificat, poſterior, ex duabus conflatur, nempe ex ca, & ari, & ſignificat, ſicut Leo, quam lectionem Hebræi præferunt, & perſpicue illam ſecutus eſt Chaldæus interpres. Profertur q; locus ſimilis ex Cantico Ezechiæ, vbi dicitur: *Quaſi Leo ſic contriuit omnia oſſa mea.* Contendunt eſſe hunc ſenſum: velut Leones manus meas, & pedes meos circumdederunt, vt in nullam partem mouere me poſſem. Commemoraſſe autem

Gen. 3. Pſal. 103. Puluerem mortis ſepulturam cur vocet Propheta. Qui ſint illi canes multi, à quibus circundatus Dominus fuit. Leuit. 11. Deut 14. Matth. 15. Theodorit. Quam merito modo Iudæi canes appellentur, filij Dei vero Gentiles nominentur. Philip. 3. Quorſum id: Foderunt manus meas, & pedes meos, &c. Alia verſio huius loci, quorundam Rabbinorum. Eſa. 38.

manus, & pedes tantum, quod manibus præliaretur, & pedibus fugam arriperet: quibus impeditis, ac circumdatis veluti à Leonibus totum ſe in eorum poteſtate eſſe. Hæc Rabbi Abraham, & Rabbi Salomon. Rabbi vero Dauid Kimhi: *Manus*, ait, *& pedes meos circumdederunt ſicut Leo. quod Leo in quas beſtias, aut feras incidit, cauda circumdat: illas terribilem aſpectum veritas, colligere manus, pedeſq;*. Atque hanc lectionem ſecutus eſt Zuinglius, vertens: *Conciliorum peſſimorum frangit manus, & pedes meos inſtar Leonis.* Sed reuera præſtantior eſt prior lectio, quam probant Biblia Complutenſia, & Felix Pratenſis antiquum codicem ſe legiſſe tradens: & ita Paulus Burgenſis ſuſpicatur hunc locum fuiſſe à Iudæis corruptum, quicquid deliret impoſtor ille Nizaion, qui pro Iudæis ſcripſit contra Chriſtianos: quem confutat Victoria Porcheti. Quod vero ille ait, Iudæos non eſſe ſolitos crucis ſupplicio homines addicere, vel clauis configere: nihil refert, quia Spiritui ſancto perinde erat prædicere mortem Chriſti, ſiue illa inferretur à Iudæis, ſiue à Romanis. Et Chriſtus non eſt crucifixus à Iudæis, ſed à Romanis. Et non tantum clauis crucifigere non ſpectabat ad Iudæos, ſed nec crurifragium, nec transfixio pectoris ex lege erant, ſicut nec infixio clauorum, ſed ex Romanis qui dominabantur Iudeæ. Et Ioſeph dicitur petijſſe corpus Ieſu, cum ex lege ante Solis occaſum eſſet deponendum. Ergo ex poteſtate Romana fuit crucifixus. Præſtat igitur noſtra lectio: tum quia eam ſecuti ſeptuaginta, tum quia codices multi antiquiſſimi ita habent, tum quia communes omnes codices habentes lectionem Hebræorum, indicant per figuram ab eis dictam Core Catiph aliam eſſe lectionem in eo loco, vt aliter ſcribatur quidem, aliter vero legatur, & ita legunt cari pro caru. Præterea ſimilitudinem paulo ante vſurpauerat: *Aperuerunt ſuper me os ſuum ſicut leo rapiens, & rugiens.* Adhæc fauet huic literæ quod imperfectus ſit ſenſus, ſi dicas, *Sicut Leo manus meas, & pedes meos*, niſi verbum ſuppleas aliquod. Qua ratione etiam nos noſtrum ſenſum erueremus, veluti ſi dicamus, ſicut leo, ſcilicet impetierunt manus meas, & pedes meos vnguibus ſuis. Moris quoque erat in Syria leones crucifigere, ſuppoſita tabula pedibus inſtar hominum, quemadmodum apud nos lupi, vel vrſi cum capiuntur, & pro foribus domorum aulæ principum configi ſolent. Et hæc de Hebræa litera.

Quantum ad Græcam, aduertendum eſt, Tertullianus libr. aduerſus Iudæos legere ἐξώλεσαν. id eſt, exterminauerunt, nos vero rectius legimus, ἐξώρυξαν. id eſt, perfoderunt, ſiue fixerunt. Sed hæc in idem redeunt. *Dinumerauerunt omnia oſſa mea.* Nunc in Hebræo habetur, dinumerabo aſaper, quomodo legit Hieronymus ex Hebræo. Sed veriſimile eſt Septuaginta legiſſe, Dinumerabunt, ſiue dinumerare poterunt: nam iſtud magis quadrat cum præcedentibus, circumdederunt, foderunt, & homo crucifixus difficile ſua ipſius oſſa dinumerare poteſt, cum ab alio facile queant. Eſtque ſenſus quod arefacta carne, quod in calamitate, ſummiſque cruciatibus accidit duntaxar, oſſa nuda ſuperſunt, vt ea liceat numerare. Queritur ergo ſe ad extremam mortem redactum, quemadmodum Iob dixit: *Pelli mea conſumptis carnibus, adhæſit os meum.* Alij per oſſa intelligunt, propinquos, & amicos, iuxta illud: *Os meum es & caro mea.* Ita vt ſit ſenſus, ſe derelictum à fratribus & amicis, & eum tanquam hoſtes deſpicientes irridebant. Sed prior ſenſus videtur magis germanus.

Ipſi vero conſiderauerunt, & inſpexerunt me. Id eſt: Ipſi enim αὐτοὶ pro γὰρ, non contenti dinumeratione oſſium, vt non referatur ad verbum, dinumerabo, Hebræum, ſed ad Iudæos, cum dinumeraſſent oſſa, & cum hæc egiſſent nihil permoti miſericordia, & ſtabant ex aduerſo, contuebantur exaltatum in ligno, pendentemque in altitudine patibuli, ac diligenter inſpexerunt ad ſatiandũ deſiderium ſuum, & ſibi inuicem me demonſtrabant illudentes. Et quia denumeratio oſſium inducit nuditatem, nuditas veſtium oblationem, ideo ſequitur; *Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Hoc quoque à Romanis militibus adminiſtris iuſtitiæ (vel potius iniuſtitiæ) factum eſt, nam partiti ſunt ſibi veſtimenta mea, vnicuiq; militi partem vnam, ſuper veſtem vero inconſutilem, quod ſcindi non poſſet, ſortes miſerunt. Quæ ad literam in Euangelio completa fuiſſe legimus. Et hactenus quidem hiſtoriam Dominicæ paſſionis complexus eſt. Et in poſterum incipit fundere preces, vt à malis imminentibus liberetur, dicens: *Tu autem Domine, ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice.* Id eſt, ne differas, neque procraſtineris, ſed ad defenſionem meam conſpice, ſiue, ad adiuuandum me feſtina: quocunque me vertero deſunt vndique perfugia, niſi auxilii tui ſpes me ſoletur. Et proinde: *Erue à phramea Deus animam meam, & de manu canis*

vnicam

Marginal notes (left): *Rabb. Dauid Kimhi.* — *Zuinglius.* — Vtra lectio ſit præſtantior. — *Felix Pratenſis.* — *Paulus Burgenſis.* — *Nizaion.* — *Victoria Porcheti.* — A quibus proprie crucifixus ſit Chriſtus. — *Ioan. 19.* — *Deut. 25.* — Core Catiph Hebræis quid ſit. — Olim in Syria Leones ſuffigebantur cruci. — Expenditur lectio.

Marginal notes (right): Græce perfoderunt manus meas, & leg. *Tertull.* — Vt verum illud ſit: Dinumerauerunt omnia oſſa mea. — *Hieronym in Pſal. 21. to. 8* — *Iob. 19.* — Alter ſenſus. — *Gen. 29.* — Cur impij Iudæi Chriſtum in cruce ſpectarent. — Quinam diuiſerunt ſibi veſtimenta Chriſti. — *Ioan. 19.* — Quare Chriſtus auxilium poſtulet à Deo.

A phramea cane, leone, & vnicorni liberari, quid.

vnicam meam. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Metaphoricè per phrameam, vel gladium, vt eſt in Hebræo, leonem, canem, & vnicornem, aut intelligit poteſtatem dęmonis, & mortis, vt exponit Euſebius, & Theodoritus: nam dæmones varios mortem Chriſti meditatos fuiſſe, atq; ad illam inferendam Iudæos atque Gentiles tanquam organa ſua ſolicitaſſe, indubitatum eſt, cum Dominus dixerit: *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Precatur ergo à gladio diaboli, & ab eo, qui poteſtatem, & imperium habebat mortis, erui, vt videlicet non teneatur à morte, nec ab inferno, aut per phrameam & canem, Romanos milites intelligit, qui gladio accincti arma geſtabant quos etiam canes ea ratione appellat, per leonem vero, & vnicornes, ob ſummam eorum ſæuitiam, Iudæos vult accipi. Vnicornes, qui & monocerotes vocantur, diſtincti ſunt à rhinocerotibus, vt Ælianus in libro de Animalibus, & Plinius oſtendunt. Etſi enim rhinoceros vocari poſſit vnicornis, quod vnicum eſt ei cornu, idque in naſo, tamē diſtinctus eſt à monocerote. Nam ille ſæpe viſus eſt Romæ vnius in nare cornu, hoſtis elephanti, cuius longitudo par eſt illi, ſed crura breuiora, color buxeus: at monoceros aſperrima eſt fera, reliquo corpore equo ſimilis, capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro media fronte, cubitorum duum eminenti. Vocat autem Iudæos vnicornes veluti in vnā tantum perſonam credentes, vt ait Euthymius. Liberatus eſt autem Chriſtus à gladio, & carne, à leone, & vnicorni, id eſt, Iudæis, & Romanis, quando inuictus eius ſpiritus permanſit plenus charitate, & beneficētia, & quando à morte, & inferno non fuit detentus, ſed victor immortalis remeauit ad vitam, & fefellit omnē eorum expectationem. Et quam vocauerat animā ſuam, iterum vocat vnicam ſuam, hoc eſt, propriā, charam & pretioſam animam, quam Plato poſt Deum nobis eſſe chariſſimam aſſerit. Græce dicitur, μονογενῆ, hoc eſt, vnigenitam, non ſolum quod quiſq; vnicam animam habeat, ſed, vt ait Euthymius, quod eſſēt vnica, & ſingularis inter cæteras, quippe quæ ſola inter omnes alias peccatum no fecit, & quæ ſola Dei Filium ſibi vnitum in eadem habet perſona Gręci vnicam interpretantur, μεμονωμένην, id eſt, ſolitariam, & ita tranſtulit Hieron. nam ſublata anima, mutū cadauer remanet homo. Hanc autem animam ſeruari petit, alludens ad id, quod Chriſtus in cruce vltimo ſpiritum ſuum Patri commendauit.

Euſeb.
Theodorit.
Ioan. 14.
Heb. 2.
Alter ſenſus.
Monoceros, à qui & vnicornis, à rhinocerote differt.
Ælianus lib. 16. cap. 20.
Plin. lib. 8. ca. 20. & 21.
Vnicornis vnde ſit dictus. Monoceros quale ſit animal.
Cur Iudæi vnicornes dicantur.
Euthym.
A leone & cornibus vnicornium quando liberatus fuerit Chriſtus.
Quare Chriſtus animam vnicam ſuam appellauerit.
Plato in Alcib. 1. circ. fin. Poſt Deum nihil charius anima habemus teſte Platone.
Euthym. ibidem.
Eſa. 53.
1. Pet. 2.
1. Ioan. 3.
Alter ſenſus.

Quod poſtremo addit: *Humilitatem meam*, ſignificat inopiam, afflictionem: libera me humilem, deiectum, afflictum. Quia tamen vox Hebræa poteſt eſſe nomen, & verbum, ideo Hieronymus vertit: *Et à cornibus vnicornium exaudi me:* Quanquam prior lectio præſtantior videatur. Tertullianus exponit: *Libera ex ore leonis, id eſt, mortis, & à cornibus, hoc eſt, de apicibus crucis.* Scribit ſuper hæc Iuſtinus eodem loco: *Hoc enim: Libera à gladio animam meam, & de manu canis vnigenitam meam. Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humiliationem meam: denuntiantis eſt, quanam paſſione, & pœna, crucis ſcilicet, moriturus eſſet. Nam quod omnium cornuum vnicornium cornu ſolum crucis forma ſit, antea vobis explicui. Et quod vt à gladio, & ore leonis, & de manu canis anima ſua ſalua conſeruetur, orat, vt ne quis anima ſua dominaretur, precatio fuit, quo & nos cum iam ad exitum vitæ ſumus, à Deo eadem poſcamus, qui auertere poteſt omnem impudentem, & malignum angelum, ne animam noſtram capiat.* Hactenus Iuſtinus.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te. Qui timetis Dominum, &c. Ex his verbis manifeſtum ſit, quod more humano hactenus hæc locutus ſit. Fratres enim, in ipſum credentes vocat: vt enim Deus, Dominus eſt, vt vero homo, & frater nominatur: vnigenitus enim eſt, & primogenitus, & illud quidem, vt Deo, & Domino conuenit: primogenitus vero, vt homini, vnde Paulus ait, Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Eſt autem ſenſus: Ego vero à morte, quam illi mihi putabāt inferre, ſuſcitatus, tui nominis gloriam annuntiabo, & manifeſtabo fratrib. meis, hoc eſt, Apoſtolis, de quibus apparens mulieribus dixi; *Ite, & nuntiate fratribus meis,* quibus poſt paſſionem meam prębebo me ipſum viuum in multis argumentis, apparens eis, & loquens de regno Dei. Per nomen autem Dei, nomen paternitatis intelligit, ait Euthymius: Deum enim olim ſemper fatebantur Iudæi, ſed Patrem Filij non cognoſcebant. Quod ſubdit, *In medio Eccleſiæ laudabo te:* intelligit Eccleſiam per fratres cōgregandā, & per illos de cultu laudandi, & glorificandi Deum ab omnibus fidelib. erudiendam, Subiungit: *Qui timetis Dominum, laudate eum.* Poſſent quæ ſequuntur, ab hoc loco in finem Pſalmi intelligi, quaſi ipſius Prophetæ Dauidis loquentis in ſpiritu de gloria reſurrectionis Chriſti, Eccleſiæ ædificatione, poſſunt tñ ſine vlla mutatione ipſi Chriſto cōgruere, vt totus pſalmus à principio in finē ſit vna Chriſti oratio. Vertitur tamē ſermo Chriſti

Hieronym.
Luc. 23.
Deum liberare humilitatem Chriſti quid.
Ibidem.
Tertius ſenſus.
Tertul. aduerſ. Iudæos.
Iuſtin. ibid.
Cornu vnicornis, ſecundum Iuſtinum.
Extrema precatio morientium.
Qui ſint fratres Chriſti.
Qua ratione Chriſtus ſit vnigenitus, & primogenitus.
Rom. 8.
Chriſtus vt narrauit Dei nomen fratribus ſuis, in medioque Eccleſiæ cum laudauit.
Matt. 28.
Act. 1.
Quod nomen Dei Apoſtolis Chriſtus enarrauerit.
Euthym.
In cuius medio Eccleſiæ Chriſtus Deū laudauerit.
Huius ſententiæ: Qui timetis Deum, laudate eum & reliq. duplex interpretatio.

ad fideles Eccleſiæ, quia hactenus Deum allocutus fuerat. Et veluti iam exauditus à Patre, hortatur reliquos fideles ad gratiarum actionem, ac primo fideles ex Gentibus, ad quos poſt reſurrectionem ſuam Apoſtolos miſit: *Euntes*, inquit, *docete omnes Gentes*, quoſque idem Propheta, ob ſummam eorum virtutem, timentes Dominū appellauit; Vnde Petrus dixit: *Viri Iſraelitæ, & qui timetis Deum, &c.* Hortatur autem tam Gentes, quæ timent Deum, quam vniuerſum vetum ſemen Iacob, quod non tam carne, quam fide conſtat, laudare Deum pro mirabili eorum redēptione, quam ipſe Deus per Filium ſuum operari dignatus eſt. Et iterum inculcans, ſubdit: *Timeat eum omne ſemen Iſrael.* Iubet non tantum laudari Deum, ſed etiam timeri velut omnipotentem: præſertim vero Iudæis iubet vt Deum timeant, veluti allaturum eis exterminationem ob furorem, ac rabiem, quam erga eius Filium demonſtrarunt. Subiungit continuo: *Quoniam non ſpreuit, neque deſpexit deprecationem pauperis. Nec auertit faciem ſuam à me, &c.* Oſtendit tandem exauditas fuiſſe preces ſuas pro dæmonis profligatione, & ſuſcitatione à mortuis, & pro redemptione mundi, & pro exterminio Iudæorum tantum lumen reſpuentium. Et vocat ſe pauperem Chriſtus, non tantum propter carnis exiguitatem, & quod pecunijs atque externis fortunæ bonis deſtitutus eſſet, ſed præſertim ob humilitatem, & deiectionem, qua ſeipſum coram Deo humiliauit, atque obtulit. Ac ſubdit: *Apud te laus mea in Eccleſia magna.* Primum verbum, *Apud te*, Hebraica & Græca lectio habet, à te, meit techa, & παρὰ σοῦ. Et ſenſus eſt, à te eſt, & à te proficiſcitur laus mea in Eccleſia. Id eſt: Quemadmodum hominibus te clarum facio, ſic & tu omnes homines eundem mihi habere honorem docebis. Tu enim dixiſti: *Tu es Filius meus dilectus*, & alibi, *& clarificaui, & iterum clarificabo.* Vel ſenſus literæ noſtræ eſt: Ad te, ô Pater mi, tendit, & apud te eſt, atque etiam de te laus in Eccleſiæ meæ nouæ copioſa multitudine. Indicat ergo, omnem Meſſiæ laudem, atque honorem in Dei Patris gloriam, tanquam filij honorem in Patrem eſſe referendum. Et vocat Eccleſiam magnam, fidelium, quæ ad vltimos vſque fines terræ peruenit, & quia ex magnis, & ſummis viris conflata eſt. *Vota mea reddam in conſpectu timentium eum.* Vouerat Deo ſummo ſanguinem, quo genus humanum redimeret, acceptamque à ſerpente antiquo plagam curaret profundere: Hunc autem ſanguinem, quem vouerat exponere, profudit toto aſtante populo, per vniuerſum orbem permeante fama tantæ rei geſtæ: vel hæc de Euchariſtia aptiſſime, ac ſuauiter intelligi poſſunt, vt etiam Auguſtinus libro de natura & gratia Noui Teſtamenti, & ſuper Pſalmos explicat. Qui ſenſus quia conſonus eſt his quæ tractata ſunt de Paſſione in hoc Pſalmo, & quia iſta erant potiſſima Chriſti vota ac deſideria, vt porrigendo corpus, & ſanguinē ſuum (vt publice fit in Eccleſijs) Eccleſiam totam paſceret, in quo ſe aperte ſeruatorem mundi teſtatur, propterea hunc ſenſum tantum, tanquam huic literæ congruentiorem perſequimur. Ait igitur: *Apud te laus mea in Eccleſia magna.* Id eſt, Etſi in cruce ſim contemptus, ero tamen glorioſus in Eccleſia quæ naſcetur primitiua, quæ paullatim grandeſcet, & fiet magna, primo additis tribus millibus, & poſtea quinq; millibus, vt habet liber Actorum. Conſueuerant illi, quibus imminebat aliquod periculum, vouere ſacrificium pacificum, quod voto ſuo potiti ſoluebant, inuitantes ad illud amicos, qui ex illo coram Deo in lætitia epulabantur: ita & Dominus beneficij accepti ſe memorem futurum pollicetur, & vota ſua, quę in extremis anguſtijs nuncupauerat, perſoluturum. At vero quæ potiora vota habuit Chriſtus, quam exhibere ſe Apoſtolis ſub Euchariſtia, de quibus deſiderijs aiebat: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar*? Hæc ergo mea deſideria reddam per Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, & in conficienda Euchariſtia miniſtros, non in aliquo angulo, vel occulto loco, ſed in conſpectu timentium eum, id eſt, in præſentia fidelium, & ſacrificio aſſiſtentium. Olim enim in primitiua Eccleſia verba conſecrationis alta pronuntiabantur voce, & populus reſpondebat, Amen, vt ex multorum Patrum teſtimonijs ſuperiori libro euictum reliquimus. Et ad hoc alludit Propheta, cum ait, In conſpectu timentium eum: Nam prolatis verbis à miniſtro, Chriſtus incomprehenſa ſua virtute atque infinita aſſiſtit, & perficit Sacramentum. Vnde pulchre ſubdit: *Edent pauperes, & ſaturabuntur. Et laudabunt Dominum qui requirunt eum.* Nam primitiui illi, qui omnia ante pedes Apoſtolorum ponebant, & vere pauperes ſpiritu erant, ad Sacramentum accedentes manducabant, quo vno cibo vere ſaturabantur fideles. Quem ſenſum non ignorauit Theodoritus, eleganter dicens: *Diuinum autem cibum, ſpiritus doctrinam ſcimus, & myſticum, atque immortale conuiuium, quod ſacris initiati cognoſcunt*

Marginal notes (left):

Matth. vlt.

Quos Propheta timentes Deū nominet. *Act. 13.*

Deo debentur duo, laus, & timor.

Quas preces Chriſti Deus exaudierit.

Quare pauperem ſe Chriſtus appellet.

Quid: Apud te laus mea in Eccleſia magna.

Matth. 3. Infra 17. Ioan. 12.

Alter ſenſus.

Quæ ſit hæc Eccleſia magna.

Vota quæ Chriſtus reddiderit Domino in conſpectu timentium eum.

Marginal notes (right):

Gen. 3. [illegible] ſenſus, commodior, & aptior eorum verborum Apud te laus mea, &c.

Aug. libro de nat. & grat. Noui Teſt. ca. 34. tom. 7

Idem in Pſal. 22 expoſit. 2 circ. med.

Quid ſit apud te laus mea in Eccleſia magna.

Act. 2. Infr. 4.

Antiquum vouendum [illegible]

Vota Chriſti potiora quæ fuerint.

Luc. 22.

Conſecrationis verba olim altiori proferebantur voce.

Iuſtin. in Apol. pro Chriſtian. ad Imp. Antonin.

Ambr. lib. de ijs, qui myſterijs initiantur, c. 9. ta. 4.

Aug. ſerm. ad Catechum. tom. 9.

De quib. pręcinit Propheta: edent pauperes, & ſaturabuntur.

Act. 1.

Theodori. Euthym.

ſcunt. Euthimius quoque ſic habet: *Comedent fideles Saluatoris corpus, cum quo & ſanguinem eius bibent: & ſaturabuntur, ſancto nimirum repleti Spiritu, hymniſque, & laudibus in menſa illa Deum extollent. Ita vt verſiculus ſuperior non ſolùm prophetam contineat, ſed de myſtico etiam menſæ illius Sacramento loquatur.* In hunc modum illi Patres intelligunt. Ac pulchrè ſubdit: *Et laudabunt Dominum, qui requirunt eum.* Quia ipſi non erunt ingrati de percepto papulo, ſed cum laude gratias agent nutritori ſuo Deo. Sequitur: *Et viuent corda eorum in ſeculum ſeculi.* Quoniam cibi eſt vitam corporis ſuſtinere; ita cibi ſpiritualis, ſiue panis cæleſtis eſt vitam in æternum producere. Nam ſcriptum eſt: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Et rectè ait: *Viuent corda:* quia præcipuè ad animos alendos, & confirmandos inſtitutus eſt hic cibus. Et quoniam mors corpus ad interitum ducit; propterea promiſit edentiEuchariſtiam corporum reſurrectionem, cum dixit: *Et ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.*

ideles Domi- num cur lau- ent in Eccle- ia.

anis, cibuſue æleſtis quid onferat.

oan. 6.

xpenditur: viuent orda eorum.

bidem.

Subnectit Propheta: *Reminiſcentur, & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ.* Hoc etiam mirificè quadrat Euchariſtiæ. Et ſenſus eſt. Recordabuntur eius, quod Ieſus fecit in cœna, quando dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ex hac autem reminiſcentia conuertuntur ad Dominum vniuerſi fines terræ: quia infimi quique per hoc Sacramentnm reducuntur ad Deum, & beneficiorum acceptorum grati exiſtũt: *Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ Gentium.* Aliud quod in Euchariſtia contingit, explicatur: nam antequam illam ſumant, proſtrati, & venerabundi Chriſtum ſub ſpeciebus panis, & vini adorant, & per illum patrem; atque hoc per vniuerſum orbem, vbicunque ſint Chriſti cultores. *Quoniam Domini eſt regnum; & ipſe dominabitur Gentium.* Quale ſit regnum, exprimitur apud Lucam à Domino, cùm inquit: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei. Et accepto calice gratias egit, &c. Et accepto pane gratias egit, & fregit:* & quæ ſequũtur. Vbi panis conſecrationẽ, & calicis benedictionẽ, impletionem Regni Dei, vel aduentum in illud vocat: quia per corpus Chriſti cum ſanguine, & veneratione ſumptum regnamus nunc per gratiam, regnaturi poſteà per gloriam. Domini eſt ergo regnum cæleſte, quò non peruenitur, niſi à permanente in Regno Dei, & edente panem cæleſtem. *Et ipſe dominabitur Gentium.* More Græco, Gentium dixit, pro Gentibus: Et Dominus regnat in nobis per fidem, quam habemus de tanto Sacramento. Ideò ſequitur: *Manducauerunt & adorarunt omnes pingues terræ.* Illa coniunctio; Et, cauſam indicat, & Quia ſignificat. Et eſt ſenſus: Manducauerunt fructuoſe, quia prius adorauerunt, non quidem communem panem, quia ſuperſtitio eſſet, & panis, communis poſt cõſecrationem non eſt, ſed Chriſtum contentum ſub panis ſpeciebus. Pingues terræ dicuntur, aut Reges, & Principes, aut opulenti, & diuites, aut oleo diuinæ gratiæ impinguati: quia omnes venerabundi aſſiſtunt ſacrificio Miſſæ. *In conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram.* Hoc eſt, Eum colent, ac venerabuntur vniuerſi mortales, qui in terram, & puluerem dilabuntur; vt per talem honorem Chriſto exhibitum, digni ſint qui à Chriſto excitentur. Vnde in Actis, Euchariſtiæ ſumptio in fractione panis deſignata coniungitur cum doctrina Apoſtolorum, & orationibus. Et ſubiungit: *Et anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi.* Id eſt, ego per te ſuſcitatus morte deuicta, vita ſpirituali in gloria immortalitatis viuam coram te, & vitam inſpirabo omnibus me dignè manducantibus. Et propterea ſemen meum, id eſt, Vniuerſi filij mei, ſiue vniuerſi fideles: qui crediderunt in nomen tuum, tibi fidelem, & obedientem ſeruitutem præſtabunt.

uid remini- antur Deum mentes in cleſia.

uc. 22.

Cor. 11.

uomodo il- d impletur: adorabunt conſpectu s vniuerſæ miliæ Gen- m.

uale Domi- ſit Regnũ, q; dominiũ.

uc. 22.

Domini Re- am perue- t quis.

ę pacto

Deus regnet in nobis. Quomodo accipiendum. Manducauerunt, & adorauerunt, &c.

Pingues terræ qui dicantur.

Quid eſt: In conſpectu eius cadẽt omnes qui deſcẽdunt in terrã.

Act. 2.

Quid item: Et anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi.

Et vltimò ſubiungit: *Annuntiabitur Domino generatio ventura; & annuntiabunt cæli iuſtitiam eius populo qui naſcetur, quem fecit Dominus:* Prima pars huius verſus eſt: Annuntiabitur Domino generatio ventura, id eſt, prædicationem, & annuntiationem de Deo, & de filio ſuo redemptore, & Sacramenti inſtitutore ſuſcipiet generatio fidelium. Cui fauet quod ſequitur: *Annuntiabunt cæli iuſtitiam eius.* Id eſt, ſancti Apoſtoli mei, viri planè cæleſtes populo illi nouo, qui adhuc naſciturus eſt, & per Apoſtolicam prædicationem in baptiſmate, & fide eſt generandus. Annuntiabunt autem Meſſiæ iuſtitiam, quam in cruce pro nobis redimendis pendit, & qua omnes baptizatos induit, & quam pro nobis alendis, & confirmandis per Euchariſtiam indies maiorem, ac cõfirmatiorem reddit. Nec mirum quòd verbum illud, Annuntiabitur, paſſiuè accipiatur. Nam in Euangelio dicitur: *Pauperes Euangelizantur;* id eſt, Pauperes bona, & læta nuntia accipiunt: atque huic expoſitioni arridet paraphraſis Chaldæa, quę habet hoc loco: *Semen Abrahæ ſeruiet coram eo, annuntiabit virtutem fortitudinis Dei generationi venturæ.* Hæc ibi. Dicitur autem de hac generatione ventura, quod naſcetur, & quòd eam fecerit Dominus, ſiue creauerit:

Quomodo accipiendum: Annuntiabitur Domino generatio ventura.

Qui cæli annuntient iuſtitiam Dei.

Matth. 11.

Naſci & creari differunt:

naſci, naturæ eſt; creari verò artis. At verò quia in baptiſmo ita noua efficimur creatura, vt in filios adoptionis recipiamur; videtur ars creandi ad naturam aliquo modo accedere,& ita vocamur geniti,& facti, ſiue creati: Nam ita dixit Paulus: *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus*, Illud verbum, *Cæli*,neque in Hebræo,neq; in Græco habetur, neque in Patribus Græcis, qui hunc locum exponunt: non tamen ſenſum vitiat,imò potius illum iuuat. Nos igitur vt tantis fructib. per Meſſiam nobis comparatis perfrui valeamus, demus operam,vt frequentemus myſterium Euchariſtiæ, in quo recolitur memoria paſſionis eius, & Euangelicam annuntiationem læti excipiamus, atque in alios illum effundamus;vt grati de tanto beneficio exiſtamus, & gratiam æternam conſequamur, præſtāte Ieſu Chriſto Domino noſtro, cui cum Patre, & Spiritu S. ab vniuerſa creatura, præſertiā Angelica, & humana,laudes decantantur in ſempiternis ſeculis, Amen.

Epheſ.2.

Fructus redēptionis per Meſſiam comparatos vnde participabimus.

TRACTATVS IX.

In quo exponitur Caput LIII. Eſaiç Prophetæ, quod Paſſionçm Domini, ac mortem cum eius fructibus eleganter, & ad amuſſim nobis deſcribit: quod incipit: *Quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt?*

Quàm clarè atque perſpicuè Eſaias de Chriſto ſit vaticinatus.

ESAIAS ſanguinis nobilitate potens, ſed vaticinandi gratia maior atq; præſtantior,res Chriſti longo poſt tempore futuras, & ante prænouit, & eas eam perſpicuo atq; eleganti dicendi charactere perſecutus eſt, vt magis videatur hiſtoricus aliquis aut Euangeliſta,quàm Propheta. Vſq; adeò enim apertè,ac planè quæ in hiſtorica ſerie Euangeliſtarum continentur, deſcribit, vt poſſis dicere, quemadmodum quidam eruditus, & Catholicus Eſaias interpres de hoc capite ſcripſit: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſto ſecundùm Eſaiam.* Cùm igitur multa de tempore eius aduentus, deq́ue ex ſancta Virgine conceptione, ac de ſignis, prædicatione eius atq; prçcurſore prędixiſſet,eius tandem acerbiſſimam paſſionē, ac fructus,quos ex ea colligunt fideles,in hoc Cap.LIII. deſcribit. Quod autem hæc quæ in hoc capite continentur, ad Meſſiam Dei Filium ſpectent, ſolidum eſt argumentum, prædicta hæc omnia mirificè cum hiſtoria paſſionis cōuenire,ita vt ne minimum quidem verbum, aut apicem in eius morte nō impletum legere non valeas. Deinde idem probat, quod Euangeliſtæ Matth.Marc. & Luc. quædam hui⁹ Capitis teſtimonia producunt in Chriſti paſſione. Adhæc Philippus Diaconus cùm ocurriſſet Eunucho legenti hunc locum Eſaiæ:*Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce,ſic non aperuit os ſuum. In humilitate iudicium eius ſublatum eſt.Generationem eius quis enarrabit? Quoniam tolletur de terra vita eius*:ac dicenti,*Obſecro te,de quo Propheta dixit hoc? De ſe,an de alio aliquo*? Tunc Philippus aperiens os ſuum,incipiensq́; à Scriptura iſta. Euangelizauit illi Ieſum.Paraphraſtes etiā Chaldęus manifeſtè de Meſſia interpretatur hoc Caput,ita vt planè ſit cæcutire, ac in media luce caligare, Iudaica perfidia aliter quàm de Meſſia interpretari.

Eſaia 53. Caput ſolum ad Meſſiam pertinere, oſtenditur.

Math.8. & 20. Marc. 15. Luc. 22. Act. 8.

Stultum autem eſt,atq; omni exploſione dignum, ꝙ tradit Rabbi Salomon, totum hoc Caput ad populum Iudæorum in captiuitate exiſtentem ſpectare. Quaſi ſint vnus homo,& Filius Dei,ſicut dicitur in Exodo: *Filius meus primogenitus Iſrael.* Sed hæc ſententia conuincitur in primis falſa ex ſolida autoritate Chaldæi paraphraſtis Ionathæ, quam antiqui Talmudiſtæ putant eſſe traditam ab Aggæo,Zacharia,& Malachia prophetis. Siquidem in fine præcedentis Capituli, cui ſequens continuatur in illis verbis: *Ecce intelliget ſeruus meus*, in prædicta Ionathæ tranſlatione additur, *Meſſias*:ibi enim debet incipere Capitulum, vt quidam codices habent, vt & exaltatio, de qua ibi eſt mentio, præcedat paſſionem. Et hanc interpretationem Ionathæ Talmudiſtæ omnes ſequuntur, & Rabbi Moyſes Gerundenſis ſuper 29.Geneſeos, vbi ſic habet:*Rex Meſſias habet dare quod ſuum ad petendum miſerationem pro Iſrael. & ad ieiunandum, & humiliandum ſe pro eis; ſicut ſcriptum eſt: Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Prætereà, vt ex verbis ipſis argumenta colligamus: Quomodo populus Iſrael attritus eſt propter ſcelera noſtra? Quæſo,Propheta,cuius perſonam ſuſtinens loquitur? Non quidem populi Gentilium,quia non puniuntur Iudæi pro nobis;neque hoc ipſi poſſunt dicere,quoniam ipſi putant nos eſſe deſtruēdos propter talem afflictionem, quam patiuntur. Deinde textus dicit: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*, Si ergo populus captiuus eſt propter peccata ſua, vt ipſimet fatentur, quomodo ergo propter peccata noſtra? Nam Rabbi Salomon dicit, ꝓpter peccatum vituli in deſerto, alij propter peccata varia ſingulorum, & alij pro-

Stultum planè & inſipiēs Rabbi Salomonis hoc de loco Eſaiæ cōmentum.

Exod. 4.

Ionathæ tranſlatio huius loci.

Rabbi Moyſes Gerundenſis.

Primum argumentum in eam interpretationem Rabbini Salomonis de populo Hebræo in captiuitate poſito.

II. Argum.

Exod. 32.

2. Cor. 3.

III. argum.

pter peccatum occultum, necillis reuelatum, quia velum adhuc habent. Tertiò, quomodò oblatus eſt quia ipſe voluit? Et quomodo ſicut ouis ad occiſionem ducetur? Et non eſt facile enarrare generationem populi illius. Et quomodo peccatum non fecit, nec dolus eſt inuentus in ore eius, de quibus ait: *Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum*; & Ieremias: *Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium, vt inique agerent, laborauerunt.* Quartò, quomodò pro tranſgreſſoribus rogat; quando in eorum ſynagogis explicitè orēt, ac dicant: Omnes hæretici ſubitò pereunt? quod exponunt de Nazarenis ipſemet eorum Rabbini. Porrò ſi Propheta ſuſtinet perſonam populi Iudæorum, quando illa narrat; quæ congruentia ſermonis eſt iſta, quòd loquatur populus de ſeipſo tanquā de tertia perſona; & quomodo non inuenitur dolus in ore tam ſancti populi? Cùm igitur hæc illi populo conuenire minimè poſſint, fit, vt de altero neceſſariò intelligatur. Cùm autem Meſſiæ omnia ad amuſſim quadrent; cogimur de illo tantùm, reprobata Rabbinorum ſententia, qui ex prophetia hiſtoriam faciunt, præſens caput explicare. Quemadmodum Origenes lib. primo in Celſum Philoſophum Iudæos refellit, qui hoc caput ad populum Iudæorum referebant, & hæc omnia de illo explanabāt. Quod porrò Santes Pagninus exiſtimat, exigentibus populi peccatis interfectū Cyrum defleri, eò quòd poſtea ſub Cambyſe deterius habuerint Iudæi, impedita tunc, & diruta templi ædificatione, quæ iam erat inchoata, teſte Daniele; & quòd ſub Cyri morte data ſit Prophetæ deflendi Chriſti paſſionem cauſa, cui ſoli competit horū verborū ſublimitas, & veritas, nimis eſt rabbinicū, & literale; cùm multa ſint, quæ illi quadrare non poſſint, vt quòd peccatum non fecerit, nec dolus ſit inuentus in ore eius; & quòd ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & non aperuit os ſuum; & quod, ſi poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longæuum; & Iudæi haberent quò euaderent, ne hæc de Chriſto acciperentur.

Eſa. 59. *Ierem. 9.* *IV. argum.* *Orig. to. 9.* *Santis quoq; Pagnini inepta interpretatio reijcitur.* *Dan. 9.*

Sed iam ad textus expoſitionem accedamus. Quod vt commodius faciamus, ab eo nobis loco capitis præcedentis inchoādum eſt, vt diximus. Ita enim inchoandum eſſe caput ab eo loco veteres Patres tradiderunt, vt Iuſtinus Dialogo in Triphonem, Origenes libro primo con. Celſum, Auguſtinus libro primo de conſenſu Euangeliſtarum capit. 3. & de Ciuitate Dei libro 18. ca. 29. qui hæc verba coniunctè cum ſuperioribus legunt, & vnius ſenſus eſſe perhibent. *Ecce*, inquit, *ſeruus meus exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde.* Nam ab eo loco, vt monuimus, ſumendum eſt initium huius capitis. Cùm enim in ſuperioribus verbis Propheta de populi Iudaici liberatione à captiuitate Babylonica per Cyrum ſermonem habuiſſet, vt Hebræi quos ſequitur Thomas, docēt, ſaltat, vt moris eſt Prophetis, ad liberationem ſpiritualem à peccatis futuram per Meſſiam, qui in Cyro deſignatus fuit, dicens: *Ecce intelliget ſeruus meus*, &c. At Hieronymus, & cæteri ferè omnes Interpretes Pauli veſtigijs inhærentes, non de Iudæis, ſed de Apoſtolis præcedentia iuxta literæ conſequentiā interpretantur: quibus præcipitur vt recedant de Ieruſalem, & in toto mundo Euangeliū prædicent: dicente Domino: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, & reliqua, vt nequaquam cum Iudæis obſtinatis maneant, in quorum necem Romanus paratur exercitus, ſed pollutos derelinquant, & ſeparentur ab eis: & mundentur qui portant vaſa Domini, hoc eſt, Sacramenta nouæ legis & Scripturas. Et addit: *Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis: præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Iſrael*, &c. Vult dicere; Quia non vt victi de Ieruſalem, ſed vt victores recedetis. Et mox proponit prædicta verba: *Ecce intelliget ſeruus meus.* Verbum illud, *intelliget*, Hebraicè Iaſchil, ſignificat, prudenter aget: & intelligere interdum ad actionem potius, & ad voluntatem, quàm ad intellectum refertur. Et vocat Chriſtum propter humanitatem aſſumptam ſeruum ſuum, ob verbi miniſterium, docendique munus. Et ita dicitur apud Zachariam: *Ecce enim ego adducam ſeruum meum Orientem.* Idem quoque Eſaias alibi inquit: *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea.* Meſſiam ergo ſeruum vocat ſuum; quia reuera exinaniuit ſemetipſum, vt Paulus ait, formam ſerui accipiens. Sed ne quiſquam exiſtimaret Meſſiam eſſe purum hominem, ſubiungit: *Et eleuabitur, & ſublimis erit valde.* Pro quibus Ionathan Chaldæus hæc verba reddidit: *Ecce proſperabitur ſeruus meus Meſſias, exaltabitur plus quàm Abraham, eleuabitur plus quàm Moyſes, & ſublimis erit valde, plus quàm Angeli ſuperiores.* Hæc ille. Quòd ſi Meſſias ſublimiorem habet ſubſtantiam ipſis ſuperioribus Angelis; apertè oſtenditur diuinam habere naturam, ſecundùm quam Deus eſt: Non enim rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. Igitur quia bene omnia cum ſapientia & intelligentia fecit, propterea

Iuſt. mart. *Orig. tom. 2.* *Aug. tom 4.* *Idem to. 5.*

B. Thomas in Eſaiam. *Hieron. to. 5.* *Rom. 10.* *Matt. vlt.* *Eſaia. 53.*

Vaſa Domini quæ ſint de quibus Eſaias. Mundamini qui fertis vaſa Domini.

Iaſchil Hebraicè duo ſignificat.

Chriſtus Dei ſeruus ab Eſaia cur vocetur.

Zach. 3. *Eſa. 42.*

Chriſtus quando primùm ſeruus Dei fuerit. *Philip. 2.*

Ionathę Chaldæi tranſlatio.

Chriſti præſtantia & excellentia.

Ibidem.

Quid hæc Meſſiæ exaltatio &

eleuatio ſibi velit.

pterea in altum extolletur, & celebrabitur à nobis vt Deus, ac Dominus, & vt mundi redemptor ac ſaluator: ita enim exponit Cyrillus hunc locum.

Cyrillus in Eſaiam.
Alter ſenſus, nec ineptus.

Sed ne quid diſſimulem, ſunt alij, qui per exaltationem & eleuationem hanc intelligunt mortem crucis; nam ita ipſe mortem ſolet appellare: *Sicut Moyſes,* inquit, *exaltauit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet Filium hominis,* & rurſus: *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Neque hic ſenſus à priori diſſidet, ſi rectè perpendas: nam per illam mortem, quam exaltationem vocat, triumphauit de morte, mundo, & diabolo; & quando videbatur abiectus, & humiliatus, erat eius gloria ſublimis: quemadmodum arca Dei in templo Dagonis cùm videbatur abiecta, & victa, tunc erat eleuata, & glorioſa, & de Dagone mirabiliter triumphabat. Vocatur autem mors Chriſti exaltatio: quia pro nobis moriendo ſuam bonitatem, charitatem, & iuſtitiam, atque adeò diuinitatem indicauit. Sicut ipſe dixit: *Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum.* Sequitur: *Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius: & forma eius inter filios hominum.* Videntur hæc dicto ſenſui de exaltatione crucis quadrare. Eſtque ſenſus: Sicut multi Chriſti doctrinam, & miracula admirabantur, qui nondum erant excæcati, dicentes: *Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei;* & : *Vnde huic ſapientia hæc & virtutes?* & : *Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit?* ſic multi obſtupeſcent videntes eius faciem vulneratam, alapis percuſſam, ſputis conmaculatam, & ſanguine conſperſam, eiuſque pulchritudinem deformatam. Et quod ait: *Sic inglorius erit inter viros,* intellige; præ cæteris viris, ſicut illud quod ſequitur, Inter filios hominum, id eſt præ filijs hominum: nam in vtroque Hebræa litera habet mem comparatiuum. Vt ſit ſenſus: Si ad alios homines illum compares, erit inglorius & obſcurus. Quanquam hæc verba nonnulli antiqui de humili & contempta forma, quam Chriſtus aſſumpſit per incarnationem, intelligant: qua grauiter offenſi Iudæi diuinitatem eius inficiati ſunt, inter quos Clemens Alexandrinus libro Stromatum ita ſcribit: *Iam verò Dominus non fruſtra voluit vti vili & humili forma corporis: ne quis ſpeciem laudans, & admirans pulchritudinem, abſiſtat ab iis quæ dicuntur, & attendens iis quæ relinquuntur, abducatur ab iis, quæ percipit intelligentia.* Hæc ille, cuius ſententiæ ſubſcribit Cyrillus enarrans illum locum: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Et Beatus Hieronymus in hæc

Ioan. 3.
Infr. 12.
Num. 21.
1. Reg. 5.
Mors Chriſti cur exaltatio nominetur.
Matth. 8.
Inf. 19.
Ioan. 7.
Tertius ſenſus.
Clem. Alex. lib. Strõ. multo poſt med.
Quare Chriſtus vili & humili forma corporis eſſe voluerit teſte Clemente.
Cyril. li. 8. Theſaur. c. 2. aliquanto an-

verba ait: *Et hinc erit maius miraculum, quòd inglorius erit inter homines aſpectus eius: non quò formæ ſignificet fœlicitatem, ſed quo in humilitate venerit, & paupertate. Qui cùm diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt, & credentibus dixit: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde; de quo & Clemens vir Apoſtolicus, qui poſt Petrum Romanam rexit Eccleſiam, ſcribit ad Corinthios: Sceptrum Dei Dominus Ieſus Chriſtus, non venit in iactantia ſuperbiæ; cum poſſit omnia, ſed in humilitate: in tantum, vt verberatus à miniſtro Sacerdotis, reſponderit: Si malè locutus ſum, argue de peccato, ſin autem bene, quid me cadis.* Hæc ille.

te medium tom 2.
Pſal. 44.
Hier. in Eſa. c. 52. to. 5.
2. Cor. 8.
Matth. 11.
Clem. Rom. vir Apoſtol.
Dei ſceptrum Dominus Ieſus Chriſtus.
Ioan. 18.

Sequitur in Propheta: *Iſte aſperget Gentes multas, ſuper ipſum continebunt Reges os ſuũ.* Sermo eſt de aſperſione, qua ea, quæ expiantur, aſpergi ſolebãt; nam ſummus Sacerdos in veteri Teſtamento aſpergebat digito ſepties contra tabernaculum. Chriſtus igitur per Apoſtolos ſuos miſſos in vniuerſum orbem ad plantandam Eccleſiam, triplicitet Gentes aſperſit: tùm doctrina verbi ſui quaſi per ora Apoſtolorum effuſa, ſecundùm illud: *Concreſcat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* Deinde aſperſit virtute ſanguinis ſui peccata omnia expiatis per baptiſmum & reliqua Sacramenta, quæ ſanctificant hominem. Poſtremò, tanta virtute Spiritus ſancti quaſi aqua ſalutari Gentes aſperſit, vt de illis dicat Dominus: *Qui credit in me ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Addit deinde, quòd ſuper ipſum continebunt Reges os ſuum, ſiue, vt Hebraicè habetur, claudent. Senſus eſt: Etſi à quibuſdam fuerit contemptus, alij tamen tanta afficientur admiratione audita Chriſti morte, & viſis Apoſtolorũ miraculis in eius morte factis, vt non poſſint pro dignitate laudare eius conſilium, miſericordiam, & charitatẽ; & tacebunt admirantes, diuinam eius magnificentiam oratione conſequi non valentes. Nam ſicut Hebræis aperire os ſuper aliquem, eſt contumelioſè debacchari in aliquem, vt Iob 16. & Pſalm. 108. dicitur, *Quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt,* ſignificatque audaciam, & procacitatem, ſiuè inuerecundiam, vt apud Ezechielem 16. ita continere ſe, & comprimere os, eſt pudoris & ſubiectionis, ſiue etiam admirationis. *Quia quib. non eſt narratum de eo, viderunt, & qui non audierunt, contemplati ſunt.* Prophetat Gentes ſuſcepturas Chriſtum. Nam illæ, quibus non contigit legere Moyſen, aut Prophetas, ſed ſolitæ erant legere Ariſtoteles, & Platones, iſti, inquam, per fidem viderunt. Beati enim qui non viderunt, & crediderunt. Qui etiam non audierunt, neque

Gentes tribus quos modo Chriſtus aſperſit.
Leuit. 4.
Deut. 32.
Ioan. 7.
Deut. 18.
Ioel 2.
Act. 2.
Aperire os Hebræis quid ſit.
Continere & comprimere os quid ſit. Eſaiæ de Gentium conuerſione vaticinatio.
Ioan. 20.

neque fidem vllam de Meſſia conceperant, illi ipſi Meſſiam agnouerunt, atque eius myſteria magna cum fide & gaudio contemplati ſunt. Ab hoc loco incipiunt verba capitis 53. ſecundùm lectionem noſtram? *Quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt?* Septuaginta interpretes, vt notat Origenes in Epiſtolam ad Romanos, addiderunt in principio verbum, *Domine*, ad maiorem intelligentiam, & ita citatur à Ioanne Euangeliſta capit. 12. & ab Apoſtolo ad Romanos. 10. Et qua cùm hactenus locutus fuiſſet Pater enarrando magnitudinem Meſſiæ, ita ab hoc loco intelligamus loqui Prophetam, aut reliquorum Prophetarum, & Apoſtolorum chorum: qui admiratus de Iudæorum credentium raritate, & paucitate, in hæc verba prorumpit. Tertullianus libro in Praxeam vt probet duos dominantes (adiectiuè videlicet, non ſubſtantiuè; ita enim veteres olim Patres loquebãtur, id eſt, duos, dominium habentes) vtitur hoc teſtimonio: *Dixit Dominus Domino meo, &c.* &: *Domine, brachium Domini cui reuelatum eſt? Non enim dixiſſet, niſi Dominum Patrem, & Dominum Filium intelligi voluiſſet. Diceret enim: Brachium tuum cui reuelatum eſt; non diceret: Brachium Domini. Quòd ſi neges, Hebraicè eſſe, Domine, à principio habemus 72. qui duos dominantes agnoſcunt Patrem & Filium.* Sic ille. Quis ergo credidit auditui noſtro? nam de multitudine Gentilium, qui fidem erant amplexuri, ſtatim à principio capitis voce gratulatoria loquitur, cum ait: *Lauda ſterilis, quæ non paris: & decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filij deſertæ magis quam eius quæ habebat virum, dicit Dominus.* Expendit Chryſoſtomus Homilia. Quòd Chriſtus ſit Deus, non dixiſſe Prophetam: Quis credidit doctrinæ noſtræ, ſed auditui noſtro; eo quòd nihil proprium Prophetæ loquantur. Per auditum ergo intelligit doctrinam metaphoricè eorum quæ fide percipiuntur, & prius audiuntur, iuxta illud: *Fides ex auditu; auditus autem per verbum Dei*; ſiue quòd ea, quæ prædicant Prophetæ, & Apoſtoli, reuelante ſpiritu Dei audierunt. In hunc ſenſum idem Propheta alibi ait: *Quem docebit ſcientiam? & quem intelligere faciet auditum?* & Habacuc: *Domine audiui auditionem tuam, & timui.* Porrò familiare eſt Prophetis per brachium Domini Meſſiam intelligere, & quo idem Eſaias paulò ante dixerat: *Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini*, & Dauid: *Saluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius*, & beata Virgo: *Fecit potentiam in brachio ſuo.* Nam vt brachium

His verbis Eſaiæ: Quis credidit auditui noſtro? cur additum à 70. verbum, Domine.

Origenes Io. in c. 10. ad Rom. 10. 2.

Tertull. li. in Praxeam.

Pſal. 109.

Eſa. 54.

Chryſ. hom. 5. 10. 5.

Quare Eſaias non dixerit: Quis credidit doctrinæ noſtræ ſed auditui noſtro.

Auditus quid ſignificet.

Rom. 10.

Eſaia 28.

Habacuc 3.

Meſſias cur ſæpe brachij nomine à Prophetis deſignetur.

Eſaia 51.

Pſal. 97.

Luc. 1.

eiuſdem eſt naturæ cum corpore, à quo oritur; ita Filius eiuſdem eſt ſubſtantiæ cum Patre, à quo producitur: ſicut digitus, qui ex brachio procedit, eiuſdem eſt cum eo naturæ: ita Spiritus ſanctus, qui à Patre per Filium oritur, eiuſdem cum ipſis eſſentiæ. Adhæc vt per brachium operamur; ita per Chriſtum, qui verbum eſt Dei, omnia facta ſunt. Item vt in brachio eſt robur, & fortitudo; ita Chriſtus Dei potentia, ſpiritus malignos punitur, & omnes homines ſuperbientes deiecit, ſecundùm illud Prophetæ: *In brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos.* Præterea brachijs ſolemus amplexari eos, quos diligimus: ita Chriſtus per incarnationem nos omnes amplexatus eſt, ſecundùm illud: *Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*, & in cruce expenſis brachijs emiſit ſpiritum, vt omnes ad ſe venientes amplecteretur. Inſuper in brachio fieri ſolet ſectio venæ ad ſalutem totius corporis, ad humores peccantes euacuandos: ita Chriſtus, cùm in ſe ſuſcepiſſet cauſam noſtram & peccata noſtra poſuiſſet ſuper corpus ſuum expianda opus fuit lancea latus eius aperiri, quò exirent ſanguis, & aqua, ad redemptionem, & ablutionem peccatorum. Et vt olim brachio extento eduxit populum de Ægypto, ita Chriſto in cruce exaltato diuina virtute ſua, quæ ſub carne deliteſcebat, operatus eſt ſalutem noſtram, & eduxit nos ab Ægypto myſtica peccati, & vera ſeruitute Pharaonis, hoc eſt, Satanæ. Poſtremò, brachijs vtimur ad geſtandum infantes, ac debiles, eoſque protegendos, ac ſeruandos: ita Chriſtus brachium eſt Domini, quo pij, & iuſti viri ſuſtentantur, congregantur, atque proteguntur, dicente Eſaia: *In brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit.* Et in libro Sapientiæ: *Dextera ſua teget eos, & in brachio ſancto ſuo defendet illos.* Rectè igitur Dominus Ieſus dicitur brachium Domini. Hoc brachium fuit velatum, quoniam in Humanitate diuinitas latebat: nec omnib. reuelatur, ob id quòd homines diligunt magis tenebras, quàm lucem. Brachium ergo Domini cui reuelatum eſt? Id eſt, pauci intelligent, Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem, & ſummum generis humani conditorem, & ſaluatorem. Et cauſa cur non credant Iudæi, erit ipſa Chriſti humilitas, & paſſio, qua excæcati ſunt, ne viderent tantam Dei gloriam. Vtitur verò præteritis pro futuris, quemadmodum multis alijs in locis; vt vaticinationis firmitatem oſtendat.

Simile.
Infr. 11.

II. ratio.
Ioan. 1.

Pſal. 88.

III ratio. Quomodo Chriſtus nos amplexatus ſit.
Cant. 2.

IV. ratio.

Ioan. 19.

Exod. 14.

V. ratio.

Eſa. 40.

Sap. 5.

Chriſtus brachium vt fuerit velatum, & quibus.

Ioan. 3.

Cur ferè verbis præteriti temporis vtatur Propheta.

Non iidem ſunt progreſſus aliorum Principum, atque Domini Seruatoris noſtri, & quales iuxta Prophetam.

Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut de terra ſitienti. Progreſſus Meſſiæ qualis extiterit coram Deo Patre, hac metaphora declaratur. Solent enim magnates, & Principes ingreſſus ac progreſſus ſuos magnos facere, atque exaltare ſicut cedros Libani, & quercus Baſan: at Meſſias, qui eſt brachium & potentia Domini, via oppoſita oritur tanquam virgultum, quo nil humilius, & abiectius, & ſicut ſurcex ex arido ſolo. Vox Virgultum, Hebraicè dicitur ioneck, & eſt participium ſignificans ſugentem, aut lactantem, & per metaphoram Hebræi ſignificant teneram plantulam, vel puerum. Deus enim venit in facie pueri ſugentis vbera, & Paulus: *In ſimilitudinem carnis peccati*; & in Actione octaua Sextæ Synodi. Adhæc dicitur Deus puer futurus, vt poſtquam factum eſſet, à pluribus non crederetur. Et citatur hic locus à Tertulliano libro contra Iudæos de claritate gentium, & libro Marcionem, Sicut puerulus, ſubaudi, apparuit: quia Verbum caro factum eſt. Euſebius libro de Demonſtratione Euangelica, per ænigmata vaticinatur puerum Ieſum. Ait enim: *Annuntiabimus coram eo, quaſi puerulus*: id eſt, Annuntiabimus apparuiſſe Regem gloriæ puerum factum. Et ſubijcit, Aquilam vertiſſe. Prædicabitur vt lactens puer. Theodotion verò, *Aſcendens vt puer lactens coram ipſo ſolo.* Symmachus vertit inter antiquos: *Et aſcendet ſicut virgultum coram eo*: quem ſecutus eſt Hieronymus. Nam ſicut virgultum in hyeme eſt floribus, ac frondibus nudatum, ſed intus habet virtutem, quam oſtendit in Vere; tunc enim frondeſcit floretque, & baccarum vbertate pulcherrimum apparet: ita Chriſtus in natiuitate, ſiue in paſſione fuit contemptus, & incultus, ſed adueniente Vere, hoc eſt, reſurrectione ſua, florentiſſimus ac pulcherrimus apparuit. Comparatur rurſus cum radice arboris, quæ naſcitur in terra maligna, ac ſicca, hoc eſt, ſiticuloſa, ſiue deſerta, ex qua tamen nutritur arbor, ac ſuſtentatur, & ex ea procedunt arboris folia, flores, ac fructus. Radix nullam habet pulchritudinem, ſed ex ea tota arbor producitur. Hæc arbor Eccleſia eſt, radix eius Chriſtus in paſſione ſua deſpectus, acerbiſſimis contumelijs, ac doloribus confectus, atque in medio duorum latronum conſtitutus. Ipſe tamen arborem ſuſtentat. Terra ſitiens, humana natura peccato obnoxia, ſiue Iudæa arida, cæca, infrugifera. Pro ſitienti, Pagninus vertit: *Sicut radix de terra deſerti*, Aquila: *Sicut radix de terra inuia*: vel ſicut radix quæ eſt in Apocalypſi; quæ

Ioneck Hebræis quid ſonet.
Rom. 8.
Sexta Synodus
Tertull. lib. 8. in Marc.
Euſeb. li. 3. de Demõſt. Euang. c. 2. t. 1.
Ioan. 1.
Aquila interp.
Theodotion.
Symmachus.
Hier. to 5.
Quare Chriſtus ſicut virgultum aſcendere dicitur.
Idem cur radici arboris de terra ſitienti, & inculta ortę comparetur.
Matth. 27.
Pagninus.
Aquila interpres.
Apoc. 5.

Quænam ſit radix de terra ſitienti.

non eſt aliud quàm ſanctiſſima Deipara, ex qua natus eſt Meſſias, quæ deſerta fuit ab omni hominum conſortio; & terra prorſus abſque via, per quam nemo vnquam ingreſſus eſt, de qua Propheta dixit: *Benedixiſti Domine terram tuam*; & : *Veritas de terra orta eſt*; ac rurſus: *Terra dedit fructum ſuum*; & de qua idem Eſaias dixerat: *in die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis*; iterum: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem; & iuſtitia oriatur ſimul.* Vides igitur qualem fructum produxerit terra hæc deſerta, & inuia. Huius terræ priuilegium, hoc eſt, virginitatem, auſus eſt impius Heluidius commaculare, haud aliter atque Heroſtratus ille, qui flagrans famæ cupiditate in nocte templum celeberrimum Dianæ Epheſiæ combuſſit, quò nomen ſibi glorioſum compararet, vt Valerius Maximus eſt autor; ita hic nefarius Heluidius cùm rerum geſtarum gloria nomen ſibi comparare non poſſet, non templum falſæ Dianæ, ſed illud ſacratiſſimum diuinæ Virginis fanum incendio ſuæ peſtilentis hæreſis auferre eſt machinatus. Notum autem eſt, quàm parum viroris, ac pulchritudinis habeant plantæ, vt quæ in arenoſis regionibus oriuntur: contra verò quæ iuxta aquas plantatæ ſunt, de quibus habes apud Ieremiam cap. decimo ſeptimo. Porrò Dominus Ieſus natus eſt ex Virgine paupere, priuatamque vitam duxit triginta annos humilis, & ignotus, vt fabri filius inter homines egit; non opibus, aut amicis, aut honoribus clarus; adde quòd ſecta non erat Phariſæus, aut Sadducæus, ſed vt quiuis alius è media plebe Galilæus. Aſcendit ergo ſicut ſurculus è terra ſicca in oculis Iudæorum. Vnde ſubdit: *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum.* Id eſt, ille omnium pulcherrimus, & de quo dicitur: Speciosus forma præ filijs hominum: diffuſa eſt gratia in labijs tuis, pro nobis percuſſus fuit, flagellatus, ac vulneratus, & vſque adeo deformatus, vt non haberet ſpeciem neq; decorem. Quod animi oculis intuens Propheta, in hæc triſtia ac flebilia verba prorupit: *Non erat ſpecies ei, neque decor*: ſicut alius Propheta eum deſcribit, dicentem: *Ego autem ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Vel, non erat ſpecies ei, neque decor, ille ſcilicet, de quo: *In principio erat Verbum*; vel: *Qui cùm in forma Dei eſſet.* Hæc eſt ſpecies, & gloria, quæ non videbatur, quia dicebant: *Nonne hic eſt Faber, vel Fabri filius?*

Pſal. 84.
Ibidem.
Pſal. 66.
Eſaia 4.
Infra 45.
Heluidius illibatam Matrem Dei genitricem virginitatem negans, alterũ ſe Heroſtratũ prodidit impius, & ſceleſtus.
Valer. Max. lib. 8. c. 15.
Quales plantę ſint arenoſis in hortis conſitæ.
Chriſti humilitas & paupertas.
Math. 13.
Pſal. 44.
Quorſum id: Non eſt ſpecies ei neque decor.
Pſal. 21.
Alter ſenſus.
Ioan. 1.
Philip. 2.
Matt. 13.
Marc. 6.

Ioan. 8.

Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Et videtur hic præſtantior ſenſus, quia nihil hactenus de paſſione dixerat. Quod dicitur, *Et deſiderauimus eum*: quidam referunt ad deſiderium Prophetarum: hoc eſt, talem hominem, qui prima facie non videtur deſiderabilis, Prophetæ tamen deſiderauerunt, iuxta illud: *Multi Prophetæ, & iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt.* Vel ſenſus eſt, vidimus eum, & non erat aſpectus, cuius gratia deſideraremus eum: ſicut planta, quæ ſpecie, & decore caret, non expetitur, neque deſideratur, cum videtur. Vnde & quidam legunt: *Vidimus eum, & non erat aſpectus, & non deſiderauimus eum:* nam vau poſt negationem, vt Grammatici Hebræi docent, repetit negationem ſuperiorem. Et ita interpretati ſunt Septuaginta interpretes. Non ſecus atque illud: *Non auertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum*, interpretantur quidam repetendam negationem priorem per vau, id eſt, & ſimilis non ero. Sic nos videntes Ieſum, non putauimus eſſe brachium Domini, quod humilis, & abiectus eſſet, neque habere quicquam videretur, cur eum pro Meſſia, & redemptore vellemus. Exprimit enim Propheta in ſe populi ſenſum, & iuxta Hebraicæ linguæ proprietatem, formam vocat, quod quæ formoſa ſunt, oculos oblectent, & non habere viſum, pro, deforme eſſe. Cum ergo Iudæi eſſent auari, gloriæque, ac dogmatum ambitioſiſſimi, deformis erat eis Ieſu paupertas, atque humilitas. Nec enim de delineatione vultus, aut corporis hic eſt ſermo: nam etſi Saul eſſet proceræ ſtaturæ, & melior omnibus, filij tamen Belial deſpexerunt eum ob ignobilitatem, & paupertatem.

Quid ſibi velit illud. Et deſiderauimus eum.

Matth. 13.

Alter ſenſus.

Simile.

Hebraiſmus.

Pſal. 142.

Hebraiſm.

Quæ forma, & ſpecies Chriſto aberat, & qui decor.

1. Reg. 16.

Sequitur: *Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vnde nec reputauimus eum.* Non eſt periodus, ſiue nouus verſus apud Hebræos, vnde Santes Pagninus vertit: Deſpectus eſt, & abiectus inter viros: exponitque præcedentia, quaſi diceret: Ecce quid eſt eſſe ſine aſpectu, erat deſpicabilis in oculis hominum, nulla earum rerum, quas mundus magni facit, conſpicuus. Nam vel ipſa eius ſcientia, quæ in pretio eſſe ſolet, quod eam non didiciſſet, ſcandalo eis erat, vt eum inſaniuiſſe putabant conſanguinei eius, vt eſt apud Marcum. Hunc locum Marcus Euangeliſta videtur referre, cum ait: *Quomodo ſcriptum eſt de Filio hominis, vt multa patiatur.* Quod ait, nouiſſimum virorum: Hebraice dicitur, ceſſatio, vel ceſſator virorum, id eſt, vltimus, & finis, ſeu minimus, & nouiſſimus virorum, vltra quem non amplius vir: vnde de ſe dicebat, quod minor erat in regno cœlorum. Poteſt & alia ratione dici ceſſatio virorum, ſiue abſtinentia, id eſt, à quo viri abſtinerent, & cuius familiaritate dedignarentur vti, ne nominis ſui iacturam facerent. Hinc Nicodemus ad eum nocte acceſſit: & nemo ex Principibus, aut ex Phariſæis in eum credebat, & maledictam turbam dicebant, quæ in eum credebat, illique adhærebat. Alij vertunt, deficiens à viris, & Septuaginta, Facies eius inhonorata præter filios hominum deficiens. Sic etiam Tertullianus libro contra Iudæos, & Auguſtinus libr. 18. de ciuitate Dei, cap. 29. Et ita declaratur nouiſſimus virorum. Euthymius in Panoplia exponit, *Deficiens præ filijs hominum:* quia defecit clauorum dolore prius quam alij latrones defecerint, qui ſimul in crucem ſunt acti, & ideo latronum fracta ſunt crura, Domini non ſunt fracta. Quod ait, *Virum dolorum:* idem eſt cum eo quod ſequitur, ſcientem infirmitatem, id eſt, expertum, & ſenſum eius probe habentem. Nam defatigabatur itinera pedibus conficiens, inedia, & ſiti laborabat, flebat ſæpius, ridebat nunquam, & cum tot peccata cerneret, intus zelo Dei æſtuabat, ſuſpiria trahebat, & amaritudinem animi indicabat. Et nemo præter Chriſtum in Scripturis vir dolorum appellatur. Nam etſi Abel afflictus ſit à Cain, Iſaac ab Iſmael, Iacob ab Eſau, Ioſeph à proprijs fratribus, Dauid à Saule, & multi alij in acerbiſſimis calamitatibus ſint verſati, ſed inter omnes ſolus Chriſtus vir dolorũ dicitur, quoniam illi ſuos dolores ferebãt. Chriſtus vero ſuos, & omnium. Quod Propheta paulo poſt explicat, dicens: Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.

Santes Pagninus.

Ioan. 7.

Marc. 3.

Infra 9.

Hęc lectio Hebraica, ceſſatio, vel ceſſator virorum, pro, nouiſſimus virorum expenditur.

Matt. 11.

Ioan. 3.

Infra 7.

Ibidem.

Verſio quorundam.

Tertull.

Aug. tom. 5.

Euthym. in Panopl. par. 1. tit. 8.

Ioan. 19.

Meſſias cur dicitur vir dolorum & ſciens infirmitatem, & cur hoc vni Chriſto in Scripturis tribuitur.

Gen. 4.

Infra 21.

Gal. 4.

Gen. 27.

Infra 37.

Athanaſ. libr. de humanitate Verbi, ait deſcribi his verbis, & ſequentibus iniurias grauiſſimas Chriſto illatas, ne Iudæi errorẽ vel ignorantiam excuſarent, admoniti tot ante annis impietatis tantæ.

Altera interpretatio, magni nominis Athanaſij.

Subdit: *Et quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus.* Quia, vt exponit Hieronymus, hoc factum eſt, vt in humano corpore diuina potentia celaretur. Vnde dicebat: *Neque me ſcitis, neque Patrem meum.* Hebraice legitur, & quaſi abſconſio facierum ab ipſo, vt ſit paraphraſis lepræ: nam & leproſi perire ſolebant faciem, & qui eos habebant obuiam, idem facere horroris gratia conſueuerant.

Quare abſconditus Meſſiæ vultus ab Eſaia dicitur.

Hieron.

Ioan. 8.

Leu. 13.

Subdit: *Vnde nec reputauimus eum.* Id eſt, nullo eum honore dignum duximus.

Chriſtus Iudæis quam vilis fuerit atq; contemptus.

Vere ille cur languores noſtros dicitur tuliſſe, & dolores noſtros ipſe portaſſe.

Ac ſubdit: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Innocentiam, & iuſtitiam Chriſti oſtendit, ne quiſquam exiſtimaret, eum ob peccata ſua percuſſum. Explicat ergo, Ieſum nullam culpam admiſiſſe, ob quam ſupplicio dignus eſſet: ac voluit pro nobis pati, vt à nobis debitam peſtem arceret. *Languores noſtros.* Non ſuos, hoc eſt, peccata noſtra ipſe tulit: & dolores noſtros, id eſt, ſupplicia, quæ pro ſceleribus noſtris merebamur, ipſe portauit. Et hoc non ficte, ſeu imaginarie, ſed vere, & reipſa, quæ non rapuit, exoluens. Et pro eo quod Eſaias ait: *Vere languores noſtros ipſe tulit*, Petrus dixit in prima ſua epiſtola: *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Vbi vides, peccata eſſe animi languores, & infirmitates, quas Chriſtus pro nobis tulit. Etſi autem à Matthæo hæc verba producantur ad probandum, quod Chriſtus depelleret morborum ægritudines: non repugnat dicto Petri: quia vnus & idem locus Scripturæ poteſt duos ſenſus literales habere. Vel: Non tãtum Chriſtus tulit languores noſtros, id eſt, peccata, ſed etiam dolores, hoc eſt, ſupplicia, & pœnas peccatorum, inter quas erant febres, atque aliæ corporum moleſtiæ, ac ægrotationes. Vnde Origenes in caput octauum, & decimumquintum epiſtolæ ad Romanos, duobus in locis, ad morbos corporis, & animi refert hunc locum: & libro primo contra Celſum, his, & ſequentibus refellit, qui hoc caput ad populum Iudæorum referebant.

Quos languores ille, & dolores tulerit noſtros.

Iſai.63.

1 Pet.2.

Matth.8.

Matthæi Euangeliſtæ, hunc locum Eſaiæ ad infirmitates corporis, cum Petro Apoſtolo ad infirmitates animi referente, conciliatio.

Idem Ibid.

Et nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Vide mundi iudicium: cum ille vulnera multa pro nobis ſuſtineret, vt à nobis auferret ægritudines, & dolores, non vt medici, qui vix ſine dolore ægrotantis medentur, ſed veluti ſi manu acciperet morbos ac propelleret, cœci tamen Iudæi, quorum perſonam induit Propheta, eum veluti leproſum, & à Deo percuſſum reputarunt. Et pro leproſo, in Hebræo eſt, tactum: qua loquendi forma vti conſueuimus, cum ingentem plagam, & quæ non naturæ vitio, ſed peculiari Dei immiſſione euenerit, ſignificamus. Vnde patientiſſimus Iob ſe manu Domini tactum dicebat: & vulgus cum ingentem aliquam calamitatem accipit, ſe à Deo tactum indicat. Humiliatum etiam dixit, pro, ope deſtitutum. Hæc iam de paſſione Domini videntur accipienda: cuius illi, etiamſi non ignorarent ſe autores eſſe, credebant tamen hominem quempiam tam dira pati vix poſſe, niſi à Deo eſſet deſtitutus propter inſignia ſua flagitia.

Iudæorum cœcitas & ingratitudo in Meſſiam redemptorem quanta.

Chriſtus vti percuſſus à Deo, & humiliatus.

Iob 19.

Ac vide ſtultitiam, occulta Dei iudicia rimabantur, ac Deo peccata ſua imputabant, & non ſe, ſed Deum ipſum tantorum ſcelerum, ac immanitatis autorem exiſtimabant: quare Propheta ſimul & Dei beneficentiam, & præpoſterum Iudæorum iudicium coniunxit. Quod ſi quæreres, Propter quid ergo fuit iudicandus? Reſpondet: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.* Hic conſiderandum eſt, quod dicitur, percuſſum à Deo, in Hebræo haberi mickki Elohym, id eſt, percuſſum Deum. Et nulla eſt præpoſitio, qua voluit vates oſtendere, Chriſtum, eſſe verum Deum, & verum hominem. Nam diuinitas erat in humanitate occultata, iuxta illud Prophetæ Habacuc: *Ibi abſcondita eſt fortitudo eius.* Nam vt Sol cum nube tegitur, ſplendorem ſuum non amittit, ſed nos illum mittere impeditur: ſic Chriſti Deitas in humanitate illa, quam induit, fuit abſcondita, non tamen à corpore, nec ab anima ſeparata. Deus ergo erat ille, qui in cruce perpeſſus eſt, non quidem in ſeipſo, quia ſic pati nequit, ſed in natura humana, quam ad verbi hypoſtaſim aſſumpſit. Nam ſicut ſi lapidẽ ignitum in medium fluminis proijcias, extinguetur quidem ignis, lapis autem integer permanebit: quoniam aquæ in ignem agere poſſunt, in lapidẽ vero nequaquam: ita Chriſtus conſtitutus in medio afflictionum, quæ in aquis ſignificãtur, iuxta illud: *Intrauerunt aquæ vſque ad animã meam*, paſſus eſt quidem in humanitate, in quam aquæ afflictionum, atque hominum impietates agere poterant, diuinitas autem impaſſibilis permanſit.

Iudæorum inſignis ſtultitia, & impietas.

Quid myſterij habeat lectio Hebraica: Percuſſum Deũ, &c.

Habac. 3.

Duplici exemplo diuini verbi impatibilitas oſtenditur in humanitate patibili.

Aquæ in Scripturis quid ſæpe ſignificent.

Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum. Id eſt, non eum percuſſit Dominus, vt impij ſuſpicabantur, propter eius peccata, quod ſeductor eſſet, &c. ſed pro culpa noſtra attritus eſt. Vel ſimpliciter, ab iniquitatibus noſtris: noſtræ enim iniquitates illum ligno affixerunt. Accipitur hoc loco diſciplina pro flagello, ſeu caſtigatione, quaſi diceret: Supplicium, quod ipſi merebantur, ipſe tulit propter pacem noſtram: ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum, & vt ad Coloſſenſes ait idem Apoſtolus: *In ipſo complacuit omnem plenitudinem diuinitatis inhabitare: & per eum reconciliari omnia in ipſo, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt.*

Diſciplina pacis, hoc loco quid ſignificet.

Epheſ. 2.

Coloſſ. 1.

Subdit: *Et liuore eius ſanati ſumus.* Scinditur vena noſtræ ſalutis, vt durities cordis noſtri ſcindatur: percutitur Chriſti latus, vt cor noſtrum cuſpide diuinæ charitatis punga-

Quomodo liuore Chriſti ſanati ſumus.

pungatur: phlebotomia fit in capite, vt totum corpus ægrotans ſanetur.

Quare dicimur ab Eſaia oues errantes.

Subiungit: *Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Quia ſuperius ſignificauerat pace non carere, declarat quo pacto res noſtræ eſſent labefactandæ. Omnes, inquit, errauera- (Rom. 3.) mus veluti oues abſque paſtore, neque erat qui nos in officio contineret: vnuſquiſque impetu affectuum ſuorum ferebatur ad ea, quæ adlubebant, non diſciplina, non metu, non pudore, non ſpe à noſtris cupiditatibus retinebamur: peccauerunt omnes, & gratia Dei indigebant. Diuina itaque manu opus fuit, quo res noſtrę reſtitui poſſent: iram Dei in nos effuſam emollire, & placare nemo poterat, conſilium ergo diuinæ charitatis fuit, vt omnium noſtrum iniquitates Chriſto, ac ſi earum autor fuiſſet, adſcriberentur, & ipſe pro his pœnas lueret, atque ita Chriſtus paſtor oues errantes ſuper humeros ſuos adduceret, & per ſe, qui eſt vera via, ad cœlum perduceret. (Ioan. 14.) *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Quod manifeſtius eſt. Ita vertit Santes Pagninus. Dominus ad eum peruenire fecit pœnam omnium noſtrum. Tamen verbum Hebræū poſuit in eo, ad verbum eſt, incurrere fecit in eum, vel irruere cum eo, id eſt, commiſit eos veluti hoſtes, quod peccata noſtra exercitus extiterint, qui in Chriſtum Dominum irruerit. Vt ſignificet, Domiuum ab eis eſſe extinctum, quod ad humanitatem attinet. Septuaginta tranſtulerunt pro illis verbis: *Dominus tradidit eum iniquitatibus noſtris*, id eſt, pro peccatis noſtris, vt Paulus explicat ad Romanos, & Galatas. Et ita paraphraſtice expoſuit illud: *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Adiungit: *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & tanquam agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Deſcribit modū, quo acceſſit ad mortem. Etſi ergo Chriſtus ſit abiectus, vel angariatus inſtar ouium, quæ ad ſacrificiū ducuntur, de quibus mox loquitur, tamen ex parte ſua volens acceſſit ad mortem. Vt enim inquit ipſe: *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à meipſo: poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Id etiam voluit ſignificare Habacuc, cum de Chriſti cruce dixit: *Cornua in manibus eius*, quaſi diceret: Non cornua crucis manus eius tenebant, ſed manus eius tenebant crucem. Et ait: *Et non aperiet os ſuum.* Prouerbialis forma eſt pro eo quod dici ſolet, non eſt conqueſtus vel vno ali-

Vt poſuerit Dominus in Chriſto iniquitatem omnium noſtrū. Santes Pagninus.

Lectio 70. interpretum huius loci.

Rom. 8. Gal. 2.

Quomodo Chriſtus ſeſe ad patiendum comparauerit, teſte Propheta.

Ioan. 10.

Habac. 3. Quid ſit illud Prophetæ: Cornua in manibus eius.

Chriſtus cur non aperuit os ſuum.

quo verbo emiſſo. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non (1. Pet. 2.) comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſte. Hæc Petrus accepit ex hoc loco, vt ad ſimilem nos patientiam exhortetur. Et quod ſubdit: *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum,* Significat: Sicut ouis cum ducitur ad mactationem, nō aperuit os ſuum: Chriſtus enim in cruce & mactatus eſt vt ouis, & tonſus vt agnus, id eſt, ſpoliatus non tantum veſtibus, & ſanguine, ſed etiam ipſa vita & bona fama. Chriſtus autem in paſſione ſua tacendo loquebatur, docebat enim patientiam, & rerum humanarum tolerantiam. Habuit Chriſtus in cruce manſuetudinem ouis, & innocentiam agni, & voluntarie ſe obtulit ad mortem. Capite quinquageſimo dixerat Eſaias Domini perſonam indutus: Ego autem non contradico, retrorſum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. De hac tanta manſuetudine Sibylla quædam dixit: *Dabit autem ad verbera omnino innocens dorſum*, & infra: *Et colaphos accipiens tacebit.* Epiphanius in Antidicomarianitas: *Maria*, inquit, *datum eſt à Deo, vt pepererit nobis agnum, & ouem, & ex gloria ipſius agni, ac ouis, factum eſt nobis velut à vellere, in ſapientia per virtutem ipſius, indumentum incorruptibilitatis. Sed & aliud de his cogitare admirabile eſt, de Eua, inquam, & Maria. Eua enim mortis cauſa facta eſt hominibus, per ipſam enim ingreſſa eſt mors in mundum, Maria vero cauſa vitæ, per quam genita eſt nobis vita, & per hanc Filius Dei acceſſit in mundum. Et vbi redundauit peccatum, ſuperabundauit gratia. Et vnde facta eſt mors, illinc proceſſit vita, vt vita pro morte fieret.* Paulo ante dixerat: *Ab illa Eua omnis hominum generatio genita eſt in terra, hic vero verè à Maria hæc vita mundo genita eſt, vt viuentem gigneret, & facta eſt Maria mater viuentium.* Hæc Epiphanius.

Chriſtus cur oui & agno comparetur.

Sibyllæ de Chriſti patientia vaticinium

Epiph. hæreſ. 78. ſub fin.

Mariæ cum Eua comparatio ex Epiph.

Rom. 5.

De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt: generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium? propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Hæc iam videntur læta, & eſt ſenſus, vt Hieronymus exponit: Liberatus (Hieron.) eſt ex afflictione, & iniuſto iudicio ſceleratorum, id eſt, de anguſtia interna, quæ ſatis erat eum è viuis auferre, ſecundum id: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: & de iudicio Pilati eum ad mortem tradentis: quoniam reſurrexit, & victor glorioſus ad Patrem aſcendit, cum dixit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Propheta dicente: *De torrēte in via bibet, propterea*

De qua anguſtia & iudicio Chriſtus ſublatus ſit.

Matt. 26.

Infra 27.

Pſal. 109.

Alter ſenſus.

pterea exaltauit caput. Alij tamen ex Hebræo vocem illam, *de anguſtia*, accipiunt pro retentione ſiue carcere, vt ſit ſenſus: A carcere, & à ſententia ſublatus eſt de medio, ſiue ſtatim poſt vincula, & Pilati ſententiã eum occident. Explicat ſiquidem Propheta Iudæorum in Chriſti cæde celeritatem, quæ in edendo figurata fuerat, cum dicitur: Et

Exod.12.

comedetis feſtinanter. Et ita illud verbum, *Sublatus eſt*, idem valet, quod, Pertractus eſt, vel raptus eſt ad mortem. Et iuxta hanc expoſitionem, quę ſyncerior videtur, nondum loquitur de lætis, & proſperis, maxime cum ſequatur: *Quia abſciſſus eſt de terra viuentium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum*.

Verſio 70. horum verborum de anguſtia, &c.

Loco illorum verborum Septuaginta interpretes verterunt: *In humilitate iudicium eius ſublatum eſt*. Quam lectionem ſequitur

Actor. 8.

Philippus in Actis, & ibidem Lucas Euangeliſta. Et eſt ſenſus: Præ humilitate eius iudicium eius repulſum eſt ex conſilio Iudæorum, & indicta cauſa traditus eſt Romanis. Nam vt Procopius ait, ex congregatione Iudæorum repulſum eſt eius iudicium, & traditus eſt Pilato: Pilatus remiſit eum ad Herodem, hic rurſus ad Pilatum: vnde conſtat vtramque hanc lectionem eſſe accipiendam, & variam fuiſſe in Hebræis codicibus.

Procopius.
Luc.23.
Ibidem.
Ibidem.

Generationem eius quis enarrabit? Si in prædictis verbis, de anguſtia & de iudicio ſublatus eſt, Chriſti reſurrectionem prædixit, poſſet per generationem reditum ad vitam ſignificare. Vt ſit ſenſus; Reſurget quidem Chriſtus, ſed erit inenarrabile myſterium reſurrectionis: nemo ſatis poterit modum illius reditus ad vitam humanis verbis explanare. Paulus namque in Actis de reſurrectione explicat id: *Ego hodie genui te*. Eſt enim ſupra omnem

Actor. 13.

hominum captum, quomodo à priuatione ad habitum ſit reditus, & quod maius eſt, quod à priuatione ad habitum prǽſtantiorem, id eſt, corpus glorioſum, & immortale fuerit regreſſus, & vt natum ex Patre ab æterno nouimus, & ex tempore à matre genitum confitemur: ſed modum vtriuſq; generationis Chriſti, diuinæ, & humanę ſcilicet, ignoramus: ita ſuſcitatum à morte Chriſtum aſſeueramus, modum reſurrectionis vt ignotum prorſus, & incomprehenſum aſſerimus, ita vt recte dixerit, Generationem eius quis enarrabit? Vnde recte ſubiungitur: *Quia abſciſſus eſt de terra viuentium*, id eſt, vita eius per violentam mortem prærepta eſt, idcirco tanto eſt admirabilior eius reſurrectio, quanto contra voluntatẽ eorum, qui interfectionis eius autores extiterunt, reſurrexit. Et Dominus apud Ioannem mœrorem diſcipulorum de

Chriſtus quomodo abſciſſus de terra viuentium.

Ioan.16.

Chriſti morte, dolori mulieris parturientis comparat, gaudium autem reſurrectionis componit cum gaudio mulieris iam nato filio. Sunt qui ita hunc locum explicent: Generationẽ eius, vel ſeculum eius, quod dicunt voce Hebræa, dor, ſignificari, quis ſatis enarrabit homines illos tam perditos, gentem illam tam impiam, quæ manus intulit Filio Dei? Alij, vt Chryſoſtomus libro de incomprehenſibili Dei natura, Baſilius libr. aduerſus Eunom, & Clemens epiſtola ad Iacobum fratrem Domini, vt Cyrillus in libris Theſaurorum, Procopius, Euſebius libro de demonſtratione Euangelica, Athanaſius libro de humanitate Verbi, Iuſtinus in Tryphonem, Tertullianus in Iudæos de claritate Gentium in Chriſto Ieſu ad generationem Chriſti diuinam ex Patre, vel ad eam, quà conceptus eſt per Spiritum ſanctum, & genitus ex Virgine, atq; in vnam perſonam duæ ſubſtãtiæ coaluerint, hoc cenſent referendum. Et ex hoc loco cauillabantur Iudęi, Chriſtus cum venerit, nemo ſcit vnde ſit, vel ex illo, vere tu es Deus abſconditus. Sed hic Iudæorum fuit error, cum prædictum ſit vbi Chriſtus ſit natus, & vbi educatus. Sed de hac re ego latius lib.3. diſſerui: niſi pigeat, illum adire licebit.

Alter ſenſus.

Tertius.
Chryſoſt.
Baſil. lib.1. in Eunom.
Clem. epiſt. 1
Cyrill. lib. 1. Theſaur. cap. 1. paulo ante med. to. 2.
Procop. ibid.
Euſeb li. 4 de demonſtr. Euang. cap 15 propè fin. to. 1.
Iuſtin. Mart. tom. 2.
Ioan. 7.
Eſai. 45.
Mich. 5.
Lib. 3. tract. 26.

Additur præter hos & alius ſenſus huic loco magis congruens, & germanus, ac ſi dixiſſet: Quis poterit ſermone complecti eorum multitudinem, quos Chriſtus ſuo ſanguine genuit? Quis poterit numerare multiplicatam prolem credentium, per eum, qui abſciſſus eſt de terra viuentium factam, de quo ait Iacobus: *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis*, & Ioannes: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, &c. ſed qui ex Deo nati ſunt*. Hunc ſenſum confirmant verba ſequentia, cum ait: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*. Confirmat & quod Eſaias dixit, quod vocandus ſit Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis. Confirmat & Domini dictum illud Euangelicum: *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autẽ mortuũ fuerit, multũ fructum adfert*. Adhæc vt mortuo Ioſeph, creuerunt filij Iſrael, ita mortuo Chriſto, creuerũt Chriſtiani. Et vt Chriſtus morte ſua fideles genuit ita hoſtes ſuos interfecit. Vt enim Samſon captus à Philiſthæis ob amorem quo Dalidam proſequebatur, plures ex hoſtibus interfecit moriens, quam ante viuus occiderat, vt Scriptura teſtatur, ita Chriſtus amãs Gentilitatem, pro eàque captus, plures Iudæorũ incredulitatis morte occidit hoſtes

Quartus ſenſus textui congruentior.

Iacob 1.
Ioan. 1.

Multis exemplis ſenſus ille comprobatur.

Eſa.9.

Ioan. 12.

Exod 1.

Iudic.16.

morte

Ariſt. lib. 1. de gener. & corrupt. cap. 3.

morte ſua, quam viuens. Docet Ariſtoteles in libris ortus, & interitus, generationem vnius, eſſe corruptionem alterius: nam vt generentur grana, corrumpitur granum: vt generetur Eccleſia, Chriſtus mortuus eſt. Secatur arbor, vt fiat ſcapha: deſtruitur vita Chriſti, vt Eccleſiæ nauicula conſtruatur. Reddit ergo rationem quare Chriſtus nos erat ſuo ſanguine regeneraturus: quia, inquit, abſciſſus eſt de terra viuentium, ſiue, vt LXX. ſenſum exprimentes vertunt: quia tollitur de terra vita eius, vt etiam citatur in Actis, mutata litera mem in vau. Et hactenus concionatus eſt Eſaias de paſſione Domini: ab hoc verbo de reſurrectione incipit prophetare, vt docet Iuſtinus Martyr Apologia pro Chriſtianis, etſi alij aliter explicent. Similia dixit Ieremias: *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium.*

Iuſtin. Mart. Apolo 2 pro Chriſtia. to. 1.
Ierem. 11.

Quomodo accipiendum: Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.
Aug lib. 50. Homiliar. ho. 36. to. 10.
Luc. vlt.

Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Auguſtinus libro quinquaginta Homiliarum, de eo quod in Eſaia ſcriptum eſt: *Aſcendet ſicut virgultum*, ſimilia ferme ſcribit: *Poſtquam illa dixit Propheta, propter quæ dixerat Dominus oportere impleri quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de ſe, quia oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis: addit nunc cauſam paſſionis Domini, quoniam tolletur de terra vita eius, id eſt, reſurget de terra vita eius, & prædicabitur in nomine eius pœnitentia, & remiſſio peccatorum per omnes gentes. Subijcit nunc: Ab iniquitatibus populi mei ductus eſt ad mortem. Quod eſt idem cum illo, quod ipſe dicebat: Quis ex vobis arguet me de peccato? Et Pilatus, Ego nullam inuenio in eo cauſam, & ſine vlla cauſa malitia condemnatus fuiſſe dicitur propter inuidiam.* Sic ille. Verba ſunt Dei Patris, qui dicitur percuſſiſſe Filium, quoniam eum percuti permiſit, ſecundum id: *Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt*, &: *Percute paſtorem, & diſpergentur oues.* Frequenter autem inculcat Propheta hoc Chriſti beneficium, vt illius perpetuo ſimus memores ad gratiarum actionem, & conſolationem. Quod dicitur, *percuſſi eum*, Hebraice habetur negalamo, id eſt, percuſſum vel plaga ipſis, vel eis. Sed lamo pro lo accepit noſter interpres: quemadmodum etiam Pſalmo XXVIII. inuenies lamo pro lo in verſu octauo, & in Iob capit. 20. & Eſaiæ quadrageſimo quarto. Vnde infideles Rabbini non poſſunt hæc accipere de populo Iſraelitico. Vel dici poteſt omnes in Chriſto fuiſſe percuſſos, & crucifixos. Et vt refert Rabbi Dauid Kimhi, lamo propter mem eſt pluralis numeri, propter vau ſingularis. Sequitur: *Et dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua: & quod iniquitatem non fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.*

Ioan. 8.
Infra 18.
Matth. 27.
Pſal. 68.
Zach. 13.
Matth. 26.

Deus Pater quomodo Chriſtum percuſſit.

Altera interpretatio.

Rabbi Dauid Kimhi.

Triplex ſententia horum verborum: Et dabit impios pro ſepultura, & reliqua.

Prima clauſula aliter transfertur ab alijs, qui vertunt: *Dabit cum impijs ſepulturam eius, & cum diuite inter mortuos ſuos.* Id eſt, dabit illi ſepulturam & mortem cum impijs. Nam mortuus eſt in monte Caluariæ, vbi impij & ſcelerati morte afficiebantur, à quo loco non longe diſtabat ſepultura, in qua fuit conditus. Morietur ergo Chriſtus in monte Caluariæ, loco ſupplicijs damnatorum deſtinato, vbi impij ſolent ſuorum ſcelerum pœnas luere. Alius ſenſus eſt, vt ſignificet, populum Gentilem impium & peccatorem in præmium ſuæ mortis liberandum, & populum Iudæorum diuitem lege & Prophetis: nam vtrunque populum ſua morte lucratus eſt, iuxta illud: *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis*, & apud hunc Prophetam: *Erunt Reges nutritij tui.* Vel rurſus, vt exponit Euthymius in Panoplia, & Chryſoſtomus in Ioannem, dabit Scribas & Phariſæos, qui regnabant in populo, & neci & ſepulturæ Dominum tradiderunt, captiuos & ſeruos Romanis, pro eo quod innocentem hominem & iuſtum condemnarunt, & maxime vt exponit Cyrillus, & quod mendacium Chriſti ab Apoſtolis ſublati magna pecunia Iudæi redemerint. Tertullian. etiam libro in Marcionem ait datos peſſimos pro ſepultura, qui aſſererent cadauer Chriſti ſurreptum à diſcipulis. Locupletes vero pro morte eius, vt incendio conſumerentur à Romanis, qui ſcilicet à Iuda proditore traditionem pecunia emerunt, & à militibus falſum teſtimonium cadaueris ſurrepti à Iudæis. Vel illa vox, inter mortuos, quæ Hebraice dicitur bemothau, legenda eſt bamothau, id eſt, excelſa eius: bama enim, excelſum ſiue cœlum ſignificat, eo quod in altum erigebatur ſepulchrum, vel etiam quia plerumque in excelſo loco extruebatur. Et ita tantum eſt mutatio punctorum: ſepulchra enim, excelſa vocatur in Scripturis, vt apud Eſaiam ipſum cap. 22. & apud Ezechielem cap. 6. eſt ſermo de excelſis, quæ ædificabat Reges pro cadaueribus ſuis condendis iuxta domum Domini, & infra, ipſa excelſa, deorum ſepulchra per contemptum vocare videtur: nam prope excelſa ædificabantur ſepulchra, propter ſuperſtitionem erga idola. Hoc autem loco in plurali dixit excelſa per amplificationem, ad ſignificandũ ſepulchrum Chriſti, quod Ioſeph Arimathęus vir diues ſibi in petra exciſum in mõte Caluario habebat ſplendidum, & magnificum, quod duos Angelos, & aliquot mulieres capere potuit. Niſi forte iod ſit ad

Ioan. 19.
Secunda.
Pſal. 44.
Eſai. 49.
Tertia.
Euthym. in Panopl. tit. 8.
Chryſ. hom. 52. in Ioann. hom. 3.
Cyrill. in Ioan. tom. 1.
Tertull. lib. 3. aduerſ. Marcion multo poſt med.
Matth. 26.
Quarta.
Bama Hebræis quid.
Excelſa in Scripturis quid denotent.
Infra 42.
Cur prope excelſa ædificarẽtur ſepulchra apud Iudæos.
Matth. 27.

ditio,

ditio, & in ſingulari legendum ſit bemotho, id eſt, excelſum eius, & diuitem ſepulchrum eius. Deinde, quare in priori vocabulo ſepultura, non eſt appoſita præpoſitio beth, quam tamen iuxta Hebrææ linguæ conſuetudinem, potius habere debebat, quam poſterior? Eſſet ergo ſenſus, amplum & magnificum monumentum Ioſephi ab Arimathia prædictum à Propheta, Chriſto eſſe donandum. Et ita idem diceret ſecunda clauſula, quod prima, id eſt, dabit apud impios ſepulchrum eius, & apud diuitem excelſa eius, vt more Prophetarum ſit eiuſdem rei repetitio. Nam vt Auguſtinus ait, cadem res centies inculcatur à Propheta, tanquam ſuperbis, neſcio quibus, & contentioſis. Et ſubdit Eſaias: *Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* Id eſt, voluit eum pati pro humano genere per infirmitatem carnis LXX. verterunt, Dominus voluit mundare eum à plaga, ſiue ab infirmitate, vel quia ſuſcitauit eum à morte, vt ait Euſebius, & Iuſtinus in Apologia pro Chriſtianis, & Theophylactus in illa verba Ioannis: *Quod tu facis ſignum, vt videamus, & credamus tibi?* Vel Dominus voluit mundum, & innoxium, & innocentiſſimum paſſum eſſe illam plagam, vibes vniuerſas Iudææ ſubuertendo, Iudæos funditus delendo propter Chriſtum. Ita Procopius commentatur: *Eo quod iniquitatem non fecerit.* Pulchre ait, Chriſtum iniquitatem non feciſſe: quia innocens & immaculata debebat eſſe hoſtia, quæ aliorum debebat expiare peccata. Vnde Auguſtinus lib. 13. de Trinit. cap. 15. hoc expendens ait: *Sanguis ille quoniam eius erat, qui nullum habuit omnino peccatum, ad remiſſionem noſtrorum fuſus eſt peccatorum, vt quia eos diabolus merito tenebat, quos peccati reos conditione mortis obſtrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito pœna mortis affecit.* Hæc ille. Ex quibus vides conſequentiam horum verborum ad ea quæ ſequuntur: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longeuum.* Recte quoque dixerat: *Neque dolus fuerit in ore eius.* Nam pro doloſo eum habebant Iudæi, qui ſe Meſſiam, ac Dei Filium eſſe profitebatur, & ſignis, ac miraculis teſtabatur. Meræ ergo calumniæ extiterunt, cum dixerunt: *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit:* nam vera erant quæ Chriſto obijciebant, vel calumniæ, quib. affingebant quod volebant, aut in ſiniſtram partem bene dicta & bene facta interpretabantur: vt illud: *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.* Etſi ergo Chriſtus neque vi, neque fraude quicquam vili debuiſſet, tamen Deus voluit eum conterere infirma natura humana. Subdit: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* Animam pro vita ponit, vt conſuetum eſt in Scripturis. Præpoſitio autem illa Pro, non eſt in Hebræo, ſed ad verbum habetur: Si poſuerit peccatum animam ſuam: & Hieronymus hoc verbo teſtatur ſignificatum idem illud, quod Chriſtus dixit: *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Verbum Hebræum aſam, non tantum peccatum, ſed etiam hoſtiam pro peccato ſignificat, vt illud: *De peccato damnauit peccatum in carne,* & rurſus: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit,* id eſt, hoſtiam piacularé pro peccato. Ita accipitur illud Leuitici: *Iſta eſt lex hoſtiæ peccati,* id eſt, hoſtiæ pro peccato: Et infra, *Hæc quoque eſt lex hoſtiæ pro delicto, &c.* Idcirco *vbi immolabitur holocauſtũ, mactabitur & victima pro delicto.* Idem etiam contingit voci piaculi, nam ſignificat hoſtiam expiantem, de quo dixit ille:

Teque piacula nulla reſoluent:

id eſt, nullis hoſtijs te expiabis. Rurſus accipitur pro peccato, vt in Prouerbijs: *Stulti ſubſannant piaculum,* id eſt, nihili ducunt vel immane ſcelus, & Poëta: *Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.* Eſt ergo ſenſus: Si ſacrificauerit ſe, ſeu obtulerit hoſtiam pro peccato, videbit ſemẽ longæuum. Nam ex diuina inſtitutione, ac bonitate in victimas tranſferebantur ea, quę peccatores perpeti oportuiſſet: vnde & piacula dixere Latini, quod eis expiarentur, & à morte quam commeriti fuiſſent, per pecudis mortem liberarentur. Semen autem longæuum eſt illud, de quo ſupra dixit: *Generationem eius quis enarrabit?* De quo Pſalmiſta: *Anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi. Annuntiabitur Domino generatio ventura.* Et vt poſt Iſaac immolationem Abrahæ fuit à Deo promiſſa generis multiplicatio inſtar ſtellarum cœli, & arenæ maris, & vt in eius ſemine omnes gentes benedicerentur: ita hic poſt necem Chriſto promittitur ampliſſima ſoboles, quæ, vt inquit Dauid, ſicut Sol in conſpectu eius eſt futura. Et vbi nos habemus: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic:* pro illis verbis, *hi fuerunt illic.* Hieron. vertit ex Hebræo, *Hic natus eſt ibi,* id eſt, populus in Eccleſia per generationem ſpiritualem harum gentium natus eſt.

Et voluntas Domini in manu eius dirigetur. Videlicet Dei Patris beneplacitum de ſeruando mundo per ſanguinem, & mortẽ ita

Aug. lib. 1. de pec. me. & remiſſ. c. 27. ſub fin. to. 7.

Dominus vt voluerit conterere Chriſtum in infirmitate, variæ interpretationes.

Euſeb. li. 3. de demonſtr. Euang. c. 2 poſt dimid.

Iuſt. Apol. 2. tom. 1.

Theophyl. Ioan. 6.

Procopius.

Aug. to. 3.

Cur Iudæi Chriſtum doloſum exiſtimauerint.

Ioan. 19.

Iudæorum in Chriſtum calumniæ, & dol.

Luc. 23.

An more ponere, quid more Scripturarum.

Ioan. 12.

Aſam Hebræis id eſt, peccatum, duplicẽ ſignificationem habet.

Rom. 8.

2. Cor. 5.

Leuit. 6.

Infra 7.

Piaculũ quid ſignificet.

Horat. lib. 1. Carm.

Prou. 14.

Virg. 6. Æn. poſt med.

Quid eſt: Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.

Piacula nomen vnde deductum.

Pſal. 115.

Gen. 22.

Pſal. 88.

Pſal. 86.

Hieron. ra. 8.

Voluntas Domini quomodo in manu

Meſſiæ foret diligenda iuxta Prophetã. Ioan. 3.

animo Chriſti inſedit, vt in manu eius, & virtute proſperè procedat, & augmentum capiat, nec erit vlla poteſtas, quæ progreſſum Euangelij valeat impedire. Sic enim Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitũ daret. Et exaggerat quòd per mortem Chriſti ſeruandi ſimus; cùm reliqui homines vitam ſuam ſeruare ſoleant; & Antechriſtus, quem expectát Iudæi, mundi erit carnifex, prodigus, & profuſor humani ſanguinis, ſi præcedentes Barchozibæ, & Antichriſti præcurſores tantarum cladium autores extitere.

Qualis futurus ſit Antichriſtus à Iudæis expectatus pro Meſſia.

Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur. Verbum Hebræum ſignificat laborem, qui cum moleſtia, & defatigatione fit, qualis ille extitit, qui homini propter peccatum iniunctus fuit, de quo dictum eſt: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* ad quem locum videtur alludere hic Propheta. Videbit ergo ſemen longæuum tãquam fructum ſui laboris, illoque ſaturabitur, id eſt, plenè ſibi ſatisfactum putabit, & hoc vno ſuo laboris præmio contentus erit, iuxta illud: *Meus cibus eſt vt faciam voluntatẽ eius qui miſit me, vt perficiam opus eius*, & Ioannes, *Maius his non habeo gaudium, quam vt audiam filios meos in veritate ambulare*, & Paulus gaudium, & coronam ſuam eos vocabat, & Ieſus audiens progreſſum Euangelij per diſcipulos ab initio factum, exultauit in Spiritu ſancto: quid ergo, cùm vidiſſet orbem vniuerſum ad ſe conuerſum? Vidit, & ſaturatus eſt. Hæc enim ſunt viſcera miſericordiæ Dei noſtri, vt tũc benè habere dicatur, cùm res noſtræ benè habẽt: tunc comedat, quieſcat, delicijs affluat, & ſaturetur, cùm ſalutis noſtræ negotium promouetur. Sequitur: *In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.* Scientiam hoc loco pro fide accipi exiſtimo, quę ex auditu Euangelicę doctrinæ concipitur: plena ex doctrina Pauli tribuentis viuæ fidei iuſtificationem. Et Chriſtus abſolutè dicitur Iuſtus, quem ratione Humanitatis aſſumptè appellat ſeruum ſuum. Iuſtificauit ergo Chriſtus prędicatione ſua multos, qui eius verba fide apprehenderunt, & iniquitates eorum ipſe ad hoc portauit, vt iuſtos eos redderet. Et non ait: Hic doctus concionator in ſcientia ſua acquiret reditus amplos, aut dignitates Eccleſiaſticas venabitur; ſed iuſtificabit multos: non debet ſcientia ſua mundi diuitias quærere; ſed animas, & pro iniquitatibus portandis pati debet, & preces fundere.

Chriſtus vt laborauerit pro hominis liberatione. Gen. 3. Quæ ſaturitas eius fuerit pro tanto labore. Ioan. 4. Ioan. 3. Philip. 4. Luc. 10. Viſcera quæ miſericordiæ Dei noſtri. In ſcientia ſua qua iuſtificauerit Chriſtus ſeruos Dei multos. Chriſtus qua ratione ſeruus Dei nominetur. Finis ſcientiæ concionatoris qualis eſſe debeat.

Ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit. Pergit in enarrando prẽmio paſſionis Chriſti: proptereà dabo illi, ait, partem in multis. Sunt enim verba Dei Patris dicentis in Pſalmo: *Poſtulà à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam; & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Septuaginta hic habent: *Proptereà ipſe poſſidebit multos*, id eſt, Faciam vt diuidat ſingularia ſua chariſmata cum multis, vt alios faciat Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios paſtores, & doctores. Ac ſubdit: *Et fortium diuidet ſpolia.* Ne quis hanc gratiarum diuiſionem Patri ſoli, & non Filio adſcriberet, eo quòd dixiſſet, diſpertiam ei, ideò ſubdit, fortium diuidet ſpolia. Et quos prius dixerat magnos, hic vocat fortes, & robuſtos. Et quibus diuidit dona cæleſtia, eiſdem diuidit ſpolia: nam illis diuiſit prouincias, quas ſpoliarent in Domini gloriã, & hominum ſalutem, & hic eſt Galliarum, ille Hiſpaniarum, alter Indiæ, alter Æthiopiæ Apoſtolus. Vel quod ait, *Fortium diuidet ſpolia*, intelliget homines, qui erãt dęmonũ ſpolia; qui fortes appellantur, à quib. Chriſtus abſtulit ſpolia. Nam ita Chriſtus dixit: Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum; in pace ſunt ea quæ poſſidet. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum; vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Qui ergo erant ſpolia dæmonum, liberati ſunt, & ad diuerſa munera applicati; vt alij ſint Martyres, alij Cõfeſſores, alij Virgines, alij matrimonio copulati, alij præſules, alij ſubditi. Nam ſi in naui omnes idem facerent, obrueretur vndis, & ſubmergeretur abſq; dubio, ſed opus eſt vt hic ſedeat in puppi gubernaculum tenens, ille ſtet in prora longè proſpiciẽs, alij remis incumbant, alij velum teneant, alij ſentinam exhauriant, alij alia munera exerceant: ita in Eccleſia Dei fieri oportet, vt diuerſa diuerſis hominum generib. munera ſint deſtinata. *Eò quòd tradidit in mortẽ animã ſuam.* Hæc eſt illa exaltatio, quam Paulus humilitati paſſionis adſcribit. Et ſubiungit: *Et cum ſceleratis reputatus eſt.* Id eſt, Inter duos latrones crucifixus pependit, vt ipſe Chriſtus apud Lucam de ſeipſo interpretatur, & B. Marc. Niſi quid putes intereſſe, vbi 70. habent, ἐν τοῖς ἀνόμοις, Euangeliſta habet, μετὰ τῶν ἀνόμων. Sed nouum nõ eſt, in, more Hebræo accipi pro præpoſitione, cum. Verùm quò maiori fuit ignominia affectus, eò magis eius gloria detecta eſt, atq; ab vno ex latronibus cognita. Exponit autem elegãter hæc verba Chryſoſ. ſcribens in Ioan. Cæterum multum debemus Domino Ieſu Chriſto, quod nõn tantum vitam ſuam pro nobis prodegit, ſed etiam omni honore, &

Deus Pater quando diſpertiuit Chriſto plurimos, iuxta Prophetam. Pſal. 2. Act. 13. Heb. 1. & 5. 1. Cor. 12. Epheſ. 4. Quorſum id de Chriſto: Et fortium diuidet ſpolia, & quid ſignificet. Alter ſenſus. Luc. 11. Spolia Chriſti quæ. Qualis Eccleſiæ gubernatio. Exaltatus quare Chriſtus à Patre. Philip. 2. Chriſtus quãdo cum ſceleratis reputatus eſt. Luc. 22. Marc. 15. Luc. 23. Chryſ. hom. 84. in Ioan. initio tom. 3.

Qudes, quantique nos Christi ſimus debitores pro munere redemptionis ſecundum Chryſoſt. 1. Cor. 1.

gloria, & bona nominis ſui opinione ſe propter nos ab æterna morte, & infamia vindicandos ſpoliauit. Per multos enim reperire queas, qui pro domino, aut pro patria, aut pro amico libenter vitam impendant ſuam, ſed ita, vt de tanta fidelitate, & amore patriæ, aut amicorum beneuolentia laudandi veniant: at Chriſtus pro hoſtibus ſuis omni ignominiæ nota dignis, & ad tempus reputandus ſcandalum, & ſtultitia, pro nobis occumbere ſua charitate voluit. Ideò poſtquam dixit, Tradidit in mortem animam ſuam, id eſt, vitam, ſubdit de honore: *Et cum ſceleratis reputatus eſt.* Id eſt, habitus latro, peccator maximus, & omni opprobrio dignus, & maledictus. *Et ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit.*

Chriſti ignominia & dedecus pro nobis ſuſceptum.

Quod ſuperius dixit, *Iuſtificabit ipſe ſeruus*, ſiue iuſtus, *meus multos*, modò ait, *Ipſe peccata multorum tulit*: aut multos pro omnibus accepit, pro quibus Chriſti mors ſufficiens pretium fuit, vt docet Auguſtinus; aut multos ait, qui multi ſe ſuo vitio fructu paſſionis priuarunt, nolentes fide amplecti Meſſiam. Quod poſtremò ait, Pro tranſgreſſoribus rogauit; alludit ad preces, quas pro crucifigentibus Patri obtulit, cùm dixit: *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt.* Et vide vltionem, & iuſtitiam quam poſtulat, & vt doctrinam ſuam confirmaret, qua diſcipulos inſtituerat, vt orarent pro perſequentibus, & calumniantibus ſe. Et aduerte eos tranſgreſſores vocari, qui neſciebant quid facerent. Etſi enim ignorantia aliquatenus excuſaret, non tamẽ omnino. Et qui quaſi agnus coram tondente ſe, obmutuit, & coram Pilato, & Herode interrogatus tacuit, vbi agebatur de vita ſua, in cruce non interrogatus, vbi agitur de ſalute noſtra, voces emittit; oſtendens ſe pluris noſtram ſalutem quàm vitam ſuam facere. Intellige ex hoc loco quàm longè ſint à Chriſtiana charitate, qui ad exitum vitæ vocati dimittere iniurias nolunt. Nos igitur exemplo, & doctrina Chriſti imbuti, diſcam⁹ pro his, qui nos aut verbo, aut facto offenderunt, preces ad Deum fundere, quemadmodùm plerumque Martyres feciſſe eorum produnt hiſtoriæ: & hæ ſint noſtræ vindictæ, vt eos, qui Deum offenderunt, Deo lucrifaciamus ad gloriam Chriſti redemptoris, & doctoris noſtri, cui cum Patre, & Spiritu ſancto ſit omnis honor, gloria; & imperium in ſempiternum, Amen.

Quomodo accipiendum illud: Et ipſe peccata multorum tulit. *Aug. li. 20. de Ciuit. Dei, c. 23. to 5.*

Chriſtus quando pro tranſgreſſoribus rogauit. *Luc. 23. Matth. 5.*

Ignorãtia non tollit, ſed minuit peccatũ. *Luc. 23. Ibidem.*

Chriſti documentum in cruce pro tráſgreſſoribus regantis.

Quales noſtræ vindictæ eſſe debeant.

TRACTATVS X.

In verba Ioannis: *Hæc cum dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans Torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe, & diſcipuli eius, &c.* Ioan. 18.

PLvs ſatis procœmijs eſt conceſſum: iam ad verba textus explicanda accedendũ eſt. Pro conſequentia igitur textus ſtatuendum, poſt cœnam in Bethania, & vnctionem factam, & proditionem Iudæ per biduum ante Paſcha cum Pontificibus, Scribis, atque ſenioribus deſignatam, iuxta ordinem narrationis ſtatim conſecutam eſſe hiſtoriã de prima die Azymorum, qua interrogatus eſt Chriſtus à diſcipulis ſuis, *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Signauitq́ue Dominus patrem familias, in cuius domo parauerunt Paſcha, atq; hora cœnæ cum 12. diſcubuit; atq; in ea cœna geſta ſunt myſteria omnia illa, quæ præcedenti lib. expoſita ſunt, hoc eſt manducatio agni, ablutio pedum diſcipulorum, patefactio proditoris, & eius à ſuo commercio expulſio, ſacroſanctæ inſtitutio Euchariſtiæ, prædictio caſus Petri, & longus ille, ac dulcis ſermo in cœnaculo habitus; & poſtremò mirabilis illa, & affectibus plena precatio, quam Dominus apud Ioannem habuit: quibus omnibus completis, ſequitur quod explicãdum ſuſcepimus: *Hæc cùm dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt trans Torrentem Cedron.* Hactenus quidem qualis, ac quantus ipſe eſſet, ſeipſum declarauit, & expoſuit, vt ſciremus quantum bonorum in ſe contineret. Vt enim theſaurus, qui non aperitur, fruſtra eſſe videtur, ita nihil prodeſſet Chriſtus, niſi bona ſua nobis euangelizaſſet, ac detexiſſet. Externè enim propter crucis humilitatem cerni non poterant; propterea, cum hactenus verbo doctrinæ, & orationis, & facto ipſo oblationis agni in figura, & deinde agni incluſi in Euchariſtia, in qua ſe in veritate obtulit, & in figura (nam docere, precari atq; offerre, ſacerdotis ſunt munera) nunc ipſo quoq; ſacrificio, & iam ſola veritate ſe ipſum offerẽdo, verum ſe indicat Sacerdotem, & agnum. Pulchreq́; ad memoriã reuocat, quæ Chriſtus in cœna vltima dixerat: nã in illis ornatum myſticum ſummi Sacerdotis expreſſerat, de quo in Exodo dicitur: *Deorſum ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, &c. miſſis in medio tintinnabulis, &c. Et veſtietur ea Aaron in officio miniſterij.* Finis enim tunicæ ſunt extrema tempora vitæ Ieſu: mala punica

Matth. 26. Ibidem.

Quæ Chriſtus fecerit in vltima cœna.

Ioan. 17. & ſeq.

Eccleſ. 4.

Sacerdotis munera quæ ſint.

Exod. 28. & ſeq.

Ornatus ſummi Sacerdotis Leuitici deſcribitur quid adumbraret.

Ioan. 13. *Matth. 26.*

nica ignea, ſunt charitatis eius opera quæ lauando pedes, & dando Euchariſtiam in vltima cœna oſtendit: tintinnabula, ſunt clariſſima, & reſonantia dilectionis eius verba, quibus diſcipulos inſtituit, atque eos Patri commendauit. Debent in tintinnabulis doctrinæ, & precationis miſceri mala punica bonorum operum, quæ ex charitate recreant, atque delectant.

Cur Chriſtus fuerit egreſſus in Torrentem Cedron.

Egreſſus eſt autem ſpõte, vt prædictam mortem exequatur: quia non voluit in templo, vel Ieroſolymis capi, qui omnium animas ſitiebat, neque voluit domum patrisfamilias, vbi cœnam agni fecerat, perturbari, aut propter ſuam capturã aliquid illi moleſtiæ inferri.

Egreſſus iſte quid ſignet.

Et per hunc egreſſum de domo, in quo cœnauerat, ac ciuitate Ieruſalem, derelictio Iudæorum ſignificatur, ſecundum illud: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta,* & rurſus: *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi delictam animam meam in manum inimicorum eius.*

Math. 23. *Ierem. 12.*

Nam Ieſus non rediit in eam niſi ligatus, & tractus ad accipiendam mortis ſententiam.

Quando fuerit egreſſus, & quid ſignificetur eo tempore.

Egreditur præterea tertia hora noctis, vt creditur; vt te à nocte peccati, & charitatis liberet. Egreditur cum pauidis diſcipulis rogantibus ne egrediatur, dum proditor eſt paratus, ſed nihil iuuabat, quia mundi ſalutem nimis ſitiebat. Quòd ſi ſanctæ fœminæ adfuerunt, & illę quoque rogarunt, vt deliteſceret, vel ſe in fugam daret. Sed iam non erat infans Chriſtus, vt fugeret cum matre in Ægyptũ, ſed grandis, vt poſſet cum matre, & fœminis, quæ cruci adſtiterunt, ſe morti opponere.

Ioan. 19. Quomodo egreſſus. *1. Cor. 1.* Amoris proprium.

Denique egreſſus eſt per exceſſum amoris à ſeipſo; ita vt à mundo iudicetur ſcandalum, & ſtultitia, cùm ſit fortiſſimus & ſapiẽtiſſimus amor. *Trans Torrentem.* Tres primi Euangeliſtæ in genere explicuerunt locum, in quẽ eſt egreſſus, nempè montem Oliuarum, qui vt Lucas in Actis inquit, eſt iuxta Ieruſalem, Sabbati habens iter.

Matth. 26. *Marc. 14.* *Luc. 22.* *Act. 1.*

Matthæus & Marcus peculiarem huius montis (qui varia in ſe complectebatur) partẽ deſignauerunt, dicentes veniſſe in villam, vt Matthęus, aut in prædiũ, vt legitur in Marco; cùm tamen in vtroq; loco dicatur Græcè χωρίον, id eſt, locum, vel agrum, cui nomen Geth-ſemani, locus vbi Saluator ante paſſionem orare ſolitus erat.

Matth. 26. *Marc. 14.* Situs Torrentis Cedron.

Eſt autem ad radices montis Olіueti, vbi poſteà Eccleſia deſuper eſt conſtructa. Solus Lucas Dominum refert, in hunc locum egreſſum ſecũdum conſuetudinem: quia paulò antè dixerat diebus præcedentibus, quibus in Bethania & Ieroſolyma verſabatur, interdiu docuiſſe in templo, noctibus verò exiiſſe, & moratum in monte Oliueti.

Luc. 22.

Itaq; ſicut poſt ſumptam cœnam, è Bethania precationis gratia ad hunc locum ſolitus erat exire, ita & nunc è Ieruſalem à cœna ad eundem ſeceſſit. Ioannes locum illum peculiarem, quòd ab alijs eſſet explicatus non expreſſit, ſed locum medium, cuius cæteri nõ meminerunt deſignat, dicendo, *Trans Torrentem Cedron.*

Torrens quid ſit, & vnde deſcendat.

Torrens, eſt aqua ad tempus currens rapidiſſimo motu, ex pluuijs, vel montibus deſcendens, non de fonte, vel aqua viua; & propterea in æſtate deſiccatur: vnde torrens à verbo torreo, quod eſt deſicco, vel areſacio, deſcendit. Et propterea ſicut eſt calix in bonũ dulcedinis, qui præclarus, & inebrians dicitur, & calix alter amaritudinis in malum, de quo: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? ita duplex eſt torrens.

Pſal. 22. *Matt. 20.*

Torrens propriò quid ſignificet.

Et propriè ſignificat, vel præſentes tribulationes, quæ ad tẽpus durant, & poſteà per auxilium Dei deſiccantur; de quo eſt ſcriptum: *Torrentem pertranſiuit anima noſtra: Forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem*: reſpectu etiam aquarum inferni, quæ perpetuæ ſunt, & deſiccantur nunquam.

Pſal. 123. Mundi huius deliciæ quales ſint. Spirituales deliciæ aquis quibus ſimiles ſint. *Ioan. 4* *Infr. 7.*

Vel ſignificat præſentes delicias, quæ etiam finem habẽt, & more aquæ dilabuntur, & citò exareſcunt; vel ita dicuntur reſpectu donorum ſpiritualiũ, quæ à Chriſto comparantur fonti aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam; vel fluminibus aquæ vitæ de ventre fluentibus. Ideò non tam propriè dicitur Torrens de ſupplicijs inferni, vel de gaudijs Paradiſi, licèt dicatur apud Prophetam; *Torrente voluptatis tuæ potabis eos;* & ne putes ad tempus, ſubiungit: *Quoniam apud te eſt fons vitæ.*

Pſal. 14. *Pſal. 148.*

Egreſſus eſt igitur trans Torrentem. Non timet aquas noctu tranſire, ne tu lædaris ab aquis niuium gehennæ; & vt merito ſuo tu tendas ad aquas, quæ ſuper cælos ſunt, & ad Torrentem voluptatis, & vt tranſeas delectationes huius mundi, quæ mare torrentis citò trãſeunt, & in eis multi demerguntur. Et tota Chriſti vita in trãſitu aquarum, & tribulationum fuit, ſecundùm id: *In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis,* & propter nos torrentem pertranſiuit, id eſt, expertus eſt mortalitatem, & tribulationes, qui per Prophetam ait: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.*

Pſal. 76. *Pſal. 68.*

Nec niſi per torrentem ingreſſus eſt in hortum: quia peccator per pœnitentiæ torrentem intrat in hortum pacatæ conſcientiæ, & iuſtus nonniſi per multas tribulationes poteſt intrare in regnum Dei.

Act. 14. Quomodo legendum ſit: Trans Torrẽtem Cedron, an Cedrorum.

Sequitur: *Trans Torrentem Cedron.* Multi putant legendum, Torrentem Cedrorum, & Græcè volunt legi τῶν κέδρων: atque hanc lectionem ſequitur Nonnus antiquus

Nonnus Paraphraſtes.

Haymo. Simon de Caſſ. lib. 13. de Caſſ. Eraſmus. Franciſc. Titelman. Claudius. Guillaud. Stunica noſtri ſeculi ſcriptor.

Paraphraſtes beati Ioannis; ex noſtris, Haymo, Simon de Caſſia, Lyranus, & B. Thomas, & quidam noſtro ſeculo eruditi, vt Eraſmus, Franciſcus, Titelmannus, Claudius Guillaudus, atque alij nonnulli: vt quem admodum dicitur Mons Oliuarum, ab Oliuis hinc inde conſitis; ita Torrens Cedrorum, à multitudine eorum in Torrente cōſitorum. Sed merito hanc ſententiam reprehendit Stunica agens in Eraſmum: quia Cedron vox eſt Hebræa, & Latini habent Cedron cum N. non Cedrorum cum M. & in libris Regum dicitur: Quacunque autem die egreſſus fueris, & tranſieris Torrentem Cedron, ſcito te interficiendum: vbi LXX. habent, τὸν χειμάῤῥουν τῶ κιδρῶν, cum accentu graui in vltima ſyllaba κιδρὼν. Ideò Græculi alicuius vitio contigit, vt loco τῶ κιδρὼν, legerit τῶν κέδρων. De quo Torrente habes multa in Regum voluminibus, Paralipomenon, & apud Ieremiam. De Aſſa Rege legimus, quòd combuſſit ſimulacrum turpiſſimum in Torrente Cedron. Lege Ioſephum libr. 6. de bello Iudaico, capit. 3. & libr. 8. antiquit. ca. 1. in Hebræo verò Cedri dicuntur Arezim: lege etiam Hieronymum in Ierem. capit. 31. & in libr. de locis Hebraicis. Prætereà Cedri Libani in Scripturis memorantur, quia ibi naſcuntur, cùm ſit arbor ſylueſtris, ex quo logno fuit cōfecta domus Cedrina Dauid, & templum Salomonis: pinus verò, cypreſſus, & cedrus non erant in illa valle, ſed olīueta, vineta, & ficeta.

Cedron vox Hebræa. *3. Reg. 2.*

2. Reg. 15. 3. Reg. 15. 4. Reg. 3. 2. Par. 15. Ierem. 31. Ioſa Iudæus. Hier. to. 3. 2. Reg. 7. 3. Reg. 6.

Chriſti egreſſus trans Torrentem Cedron vbi fuerit adumbratus. *2. Reg. 15. Ioan. 13. Matth. 26. Pſal. 109. Philip. 2.*

Iſte Chriſti egreſſus trans Torrentem Cedron adumbratus fuit in egreſſu Dauidis Regis, qui perſecutionem perpeſſus à filio ſuo Abſalon, tranſibat cum exercitu per Torrentem Gedron flens, & operto capite: ita Chriſtus triſtis, & ſub noctem, & à Iuda quaſi filio ſuo proditus, & expulſus. Chriſtus ergo de Torrente in via bibet; propterea exaltabit caput: atque hoc eſt quod Paulus dixit: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Porrò Kidron, Hebraicè interpretatur, obſcuritas, aut denigratus, aut triſtis, vmbroſus, quia in profunda valle, ac ob id obſcura decurrat; & quia Torrentem pœnarum denigrantium corpus, & triſtitiarum internarum Chriſtus pro nobis tranſeundo meruit, vt & nos percalcemus triſtitias omnes internas, & pœnas omnes externas.

Kidron Hebraice quid.

Idem Chriſti tranſitus per Torrentem Cedron quid myſticè ſignet.

Porrò in Torrente Cedrō exaltari holocauſtorum per ſubterranea loca deſcendebat ſanguis ſacrificiorum, vt quidam ex Talmudica animaduerſione producunt. Sed Chriſtus hunc torrentem pertranſiuit: quia eius ſanguis cæterorum ſacrificiorum ſanguines longè antecellit. Egreſſus eſt autem Ieſus cū diſcipulis ſuis, non ſolùm vt teſtes haberet certiſſimos, & oculatiſſimos, quod voluntarius iret ad mortem; ſed vt etiam exemplo doceret piorum hominum conſolationes contemnendas non eſſe, dum affligimur, & in cruce ſumus, ad leniendum dolorem. Adhæc vt ſignificaret, ipſos ex eodem fonte paſſionis bibituros: quia ipſe in omnibus guſtauit mortem, & omnibus propinauit, ne mortem formidarent. *Vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe, & diſcipuli eius.* Figura eſt dicta Apoſiopeſis, ſiue Reticentia, & ſupplendum eſt, vt intelligas, vel in villam, vel in prædium Gethſemani, vbi erat hortus ad pedes montis Olīueti.

Quare Chriſtus egreſſus ſit cū diſcipulis ſuis, non ſolitarius. *Heb. 2.*

Nonnulli autem exiſtimant, locum Gethſemani, cuius meminit Matthæus & Marcus, nomē accepiſſe à torculari, in quo oliuæ premebantur ad eliquandum oleum: atque ibi primum Dominus voluit initio ſuæ paſſionis calcare torcular, quò oleum ſuæ miſericordiæ omnibus mortalibus infunderet: ibique pretioſiſſimum ſanguinis balſamum ſudauit. De qua valle Eſaias prædixerat; *Væ coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguiſſimæ, errantes à vino:* Quæ de corona ludibrij gratia Domino impoſita, & de Hebræis debacchantibus in Dominum, & de Iuda proditore Chriſti, & illū tradente in valle Gethſemani ijs, qui venerant eum comprehendere: & Iudas flos Apoſtolicæ gloriæ cecidit in valle pinguiſſima Geth-ſemani, Patres interpretantur Cyrillus, Procopius, & Hieronymus.

Matth. 26. Marc. 14. Geth-ſemani vnde dicatur ſecundum aliquos. *Eſaiæ 63. Luc. 22. Eſaiæ. 28.*

Ioan. 19.

Matth. 26. Quænam corona ſuperbiæ.

Cyrill. in c. 28. Eſaiæ. Procopius. Gaza. ibid. Hier. ibi. to. 5. idem in Mat 26. tt. 4. Geth ſemani quid ſecundum Hieron.

Geth-ſemani enim ſecundùm Hieronymum, interpretatur, Vallis pinguiſſima, vel, Vallis pinguedinis: vallis quidem, ob humilitatem pinguis, propter charitatem. Et ex humilitate atque charitate Chriſtus fundens preces atq; offerens ſemetipſum, Patrem mundo reconciliauit. Et quod alij Euangeliſtæ prætermiſerunt de horto, ſupplet Ioannes. Elegit autē hortum locum ſeparatum, & ſolitarium, & orationi congruum, iuxta illud: Tu autem cùm oraueris, intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum in abſcondito. Eſt enim quædam oratio publica, quæ in loco publico celebratur, id eſt, templo; altera verò priuata, quę pro quiete, & ceremonijs exigit locum priuatum. Et vtriuſq; quidem nobis exemplum dedit Chriſtus: prioris quidem in prece effuſa coram diſcipulis ſuis quaſi in Eccleſia; poſterioris verò per ingreſſum in hortum. Et congruit vt in horto incipiat pro peccatis ſatisfactio, vt in horto cœperat peccatum. In horto Paradiſi

Heb. 5. Hortum Chriſtus cur elegerit.

Matth. 6. Oratio duplex publica, & priuata.

Ioan. 17. & ſeq. Orationis Chriſti in horto congruentia.

Gen. 3.
Matth. 26.

diſi Adam præuaricator inuentus eſt; in hoc horto Chriſtus obediuit vſque ad vincula,& mortem acceptatam,cùm dixit,*Nō ſicut ego volo,ſed ſicut tu.* Illic Adam liberè nimium agendo, in captiuitatem ſeipſum, noſq; ſecum abduxit; hic Chriſtus vinculis captiuitatis ſuæ libertatem nobis promeruit. Illic ſententiam mortis & damnationis in hominem pronuntiauit Deus; hic eandem ſententiam in ſeipſum clementer idem ſuſcepit; vt tu videas, quomodo miſericordia ſuperexaltat iudicium. Illic Adā ne contriſtaret Euam ſuas delicias, comedit de vetito fructu; hic contriſtando ſuam Euam, hoc eſt, carnem, vſq; ad effuſionem ſanguinis de ligno mortis cœpit deguſtare.

Iacob. 2.

Nullus locus Chriſto tutus à proditore Iuda.

Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum: quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Domine, ſaltem abſconde te in horto. Sed abſit: quia Iudas ſciebat locum & Adam in horto ſe Deo abſcondendo perierat. Iudas autem peſſimè abuſus eſt hac ſcientia in ſuam perniciem; ac propterea opportunum fuit diabolo homicidæ inſtrumentum. Sicut enim ſerpens olim organum fuit Satanæ ad interficiendum in anima, & corpore terrenum hominem, ita modo Iuda, quaſi commodo organo vſus eſt ad inferendam mortem violentam ſecundo Adæ, ſiue homini cæleſti. Et ſicut ſerpens, propterea quòd fuit Satanæ inſtrumentum præ omnibus animantibus inuiſum eſt homini, ac maledicto, & execrationi obnoxium; ita Iudas præ omnibus hominib. plurimis, ac grauiſſimis maledictionibus obruitur Pſal. 108.

Gen. 3.
Quale inſtrumentum diaboli Iudas.
Ioan. 8.
Gen. 3.
1. Cor. 15.
Iudas quare maledictus.

Chriſtus cur venerit in hortum.

Non ergo vt proditorem fugeret, in hortum venit, ſed vt inueniretur in loco ab eo cognito, & vt in horto vinceret dæmonum, qui Patres vicerat in horto. Etſi enim Chriſtus eum viciſſet in deſerto, cùm ab eo eſt tentatus; atqui in alijs locis non quieſcebat dæmon, ſed quærebat nouas pugnas, quaſi non feciſſet ſatis Deo niſi maiorem obedientiam in caſu mortis duriori redderet. Et ita certabat dæmon cum eo, vt Ieſus amiſſa obedientia Deo non pareret, aut perdita manſuetudine per impatientiam frāgeretur; & ita eum ſibi ſubijceret. In hortum præterea venit, quia rem perditam ibi oportet quærere, vbi amiſſa eſt: natura verò humana in horto perierat, quàm Chriſtus velut paſtor ouem errantem, venit quærere, & ſaluam facere. Poſtremò locus ille & ſibi, & Apoſtolis, ac proditori aptus erat: ſibi quidem, ad orationem, & ſolitudinem; Apoſtolis, ad doctrinam, quietem, atq; contemplationem, Iudæ verò, quia notus, & non longè à ciuitate, & quia clauſus ſecundùm eorum æſtimationem, vt non poſſet fugere.

Matth. 4.
II. ratio.
Luc. 19.
Tertia.

Solitaria loca cur frequentaret Chriſtus.

Frequentabat autem Dominus ſolitaria loca, & ſilentij officinas non tam propter ſe, quàm propter nos erudiendos: quia eiuſmodi loca opportuna ſunt, & ad orationem, & ad doctrinam, & ad meditationem. Sequitur apud Ioannem. *Iudas ergo cùm accepiſſet cohortem.* Antequam hæc verba de comprehenſione Domini Ieſu explicemus, de qua Ioannes loquitur, addens quæ alij omiſerant; & prætermittens quæ alij dixerant, multa explicanda ſunt, quæ tempore comprehenſionem præceſſerunt, nempe admonitio de ſcandalo imminenti, cùm dixit: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte*, quod à Matthæo, & Marco poſitum eſt: reſponſio Petri, & Apoſtolorum magnifica de ſeipſis promittentium, prædictaque Petri trina negatio. Deinde explicandum, quomodo reliquit octo diſcipulos, & tres ſecum aſſumpſit, cœpitq; pauere, & tædere, ac dicere: *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem.* Tertiò, quòd auulſus ab eis quantum iactus eſt lapidis, proſtratus primò, deinde genibus flexis orauit tertiò eundem ſermonem. Quartò, quomodò venerit ad Diſcipulos dormientes, & hortatus ſit eos ad orationem, & vigiliam. Quintò quòd apparuerit illi Angelus de cælo confortans eum. Sextò, quòd factus in agonia prolixius orauerit, & ſudorem ſanguinem profuderit. Poſtremò, quòd ſurgens ab oratione excitauit diſcipulos dormientes, & hortatus eſt eos vt ſecum hoſtibus occurrerent. Tunc ſequuntur quę Ioannes ait: *Iudas ergò cum accepiſſet cohortem.* Illa igitur omnia deſumpta ex alijs Euangeliſtis explicanda veniunt ante comprehenſionem.

Domini comprehenſionem quæ præceſſerint.
Matth. 26.
Marc. 14.
Ibidem.
Luc. 22.
Ibidem.
Ibidem.

Inchoandum ergo eſt ab illa admonitione; de qua ſic habet Matthæus: *Tunc dicit illis Ieſus, Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim, Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Reſpondens autem Petrus, ait illi, Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Ait illi Ieſus, Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus, Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt.* Hæc præſenti tractatu explicāda ſunt. Tūc, inquit, id eſt, in via, qua hymno dicto exierunt in montem Oliueti, antequam peruenirent ad villam Gethſemani, vt teſtantur Matthæus, & Marcus. Ait illis: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte.* In me, inquit, id eſt, propter me: prædicit ſcandalum ipſorum futurum propter ſe. Vult dicere

Matth. 26.
Zach. 13.
Quando & vbi Chriſtus Apoſtolos dixerit in ipſo fore ſcandalizandos.
Matth. 26.
Marc. 14.

In Chriſto quemagmodùm Apoſtoli erant ſcandalizandi.
Carnalis hominis ingenium.
1. Cor. 1.
Ioan. 3.
Quæ iniuria fuerint illi ſcandalizati in Domino Ieſu.
Veri Chriſti fideles qui cenſendi ſunt.
Scandalum diſcipulorum cur prædixerit Dominus.
Zach. 13.

cere Dominus; cùm me videritis capi, alligari, ac malè tractari, & quòd ceſſabunt miracula, & quòd me ipſum minimè defendam, incidetis in graue ſcandalum. Carnalis enim homo oculis fidei deſtitutus cernens Ieſum ab omnibus derelictum, & cruci ſuffixum, ſcandalum, & ſtultitiam putat, ſed profectò non tam formam carnis, quàm voluntatem Patris oportebat attendere, quòdque Deus ſic dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret; atq; ita ceſſaret ſcādalum. Docemur deinde quàm ſit difficile in tentatione non ſcandalizari: nam credere Deum Patrem in proſperis, mirum non eſt: ſed in aduerſis, dum caſtigat, & ſe aduerſarium oſtendit, credere quòd Patris munus obeat, rarum eſt. Prædicitque illorum ſcandalum, non vt neceſſariò offendātur, aut ex eo quod ipſe prędicit, aut ex eo ꝙ ſic ſcriptum eſſet per Prophetam, nimirum quod percuſſo paſtore diſpergerentur oues: non enim ex his aliqua inducitur neceſſitas. Nam prædixit Chriſtus, & Scriptura, quod Deus omnino futurum præuiderat, qui omni temporis momento futuro per æternitatem ſuam præſens erat; & quia viderat liberum futurum eorum ſcandalum: quia neceſſarium ſcandalum peccatum non eſſet, cùm peccatum ſit fœtus, & proles voluntatis, & eatenus imminuitur ratio peccati, quatenus imminuitur ratio liberi, ſiue volūtarij. Adhęc cùm Chriſtus, & Scriptura prædixerint flagella, Crucem, & mortem Ieſu: nec coegit Ieſum, vt illa neceſſariò pateretur, quia habebat poteſtatem ponendi, & ſumendi animam ſuam; nec Iudæis neceſſitatem, aut vim intulit, vt Chriſtum ad crucis mortem damnarent, qui liberè peccarunt, & potuiſſent non peccaſſe, ſi voluiſſent, & Chriſtus, tùm verbis, tùm ſignis ex ſe arcebat eos ab illis peccatis. Ita cùm prædicit Dominus ſcandalum Apoſtolorum, non coguntur Apoſtoli peccare propterea, ſed monentur in primis fragilitatis ſuæ, & vt iacula pręuiſa minus eos ferire poſſint, magisque proinde incumbant orationi, quò leuius ſcandalizentur; & vt videntes ſe offenſos, agnoſcant Chriſtum, qui illud, & alia omnia quę ſibi, & ſuis euentura erant, & pręnouerit, & prædixerit, verum Deum extitiſſe; & vt certò confidant ſe liberandos ab ſcandalo, quia etiam prædixerat ſcandalum non fore ad deſperationem, & ad mortem, quia ſubiunxit: Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam: ac ſi dixiſſet: Ego paſtor percuſſus, ſed iam à percuſſione ſanatus, per reſurrectionem colligam vos tanquam oues meas in ouile, & paſcam

Origo, & fons peccati praua voluntas.
Ioan. 10.
Impia de ſcādalo Apoſtolorum a Domino prædicto refellitur intelligentia.

vos; & ita quos terruit, conſolatur. Inter hos autem non aderat Iudas, quia abierat ad principes Sacerdotum, & quia ille non fuit ſcandalizatus, vt cæteri, ſed ſcandalum præbuit, nec debebat videre Chriſtum à mortuis ſuſcitatum, vt hic diſcipulis promittit. Repetiuit etiam in genere ſcandalum omnium, vt Petrus, qui ſe præ cæteris bis iactauerat, minus ſibi arrogaret, & crederet plus Chriſto, quàm ſibi. Obijciens, cur Chriſt⁹ Apoſtolos, quos nouerat offendendos, in ſuos accepit ſocios? Nec enim vir fortis prodituus in pugnam, milites, aut comites acciperet imbecillos, & infirmos, & quos præſciret viſis hoſtibus in fugam vertendos. Reſpondeo, hoc factum magna Dei ſapientia. Primò, vt eſſent teſtes, & Dominicæ paſſionis, & ſuæ ipſorum fragilitatis, & poſteà eſſent fortes in Domino, poſtquam ſe agnouiſſent imbecillos in ſeipſis. Deinde quia non debebat eos ab ſe ablegare, ne ſolus Chriſtus inuentus videri, aut fingi poſſet in aliquo ſcelere deprehenſus. Adhæc non eſſet Apoſtolis, vt amicis, & ſeruis honeſtum, ſi ante pugnam viſi eſſent Dominum, & magiſtrum ſuum, ac ducem reliquiſſe, ſed victos ceſſiſſe prius, aut ipſius imperio magis, quàm inſultantium armis viuos abijſſe; aut quia credebant non poterant ſeſe tam puſillanimes futuros, vt vllius potentiæ cedere poſſent, & nō potius pro magiſtro occumbere poſſe, quàm à tanto amico diuelli. Voluit tamen, vt re ipſa experirentur, & ſeipſos agnoſcerent, & nos in illis agnoſceremus nos ipſos, quàm nihil nobis firmitatis adſit, vbi Chriſtus decreuit non adiuuare, ſed capi. Steterunt enim Apoſtoli vt homines, quoad Ieſus ſeipſos defendere eius non prohibuit: at vbi gladium deponere iuſſi ſunt, humana vi, qua tunc ſola vtebantur, prohibiti, cœperunt de ſalute trepidare ſua: & videntes poteſtatem tenebrarum, & audaciam impiorum, exterrefacti fugerunt.

Cur Chriſtus Apoſtolos, quos nouerat offendendos, acceperit in ſocios.

Scriptum eſt enim, Percutiam paſtorem, & diſperguntur oues gregis. In Propheta aliter dicitur, & per proſopeiam ſermo ad phrameā, ſeu gladium feriendi inſtrumentum dirigitur: per quod intelliguntur omnis generis perſecutiones: *Phramea ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi: Percute paſtorem, & diſpergentur oues.* Alloquitur ergo gladium, vel Iudæorum turbam gladio vtentem, id eſt, armis. Et iubet vt percutiat: quia gladius nec Chriſtum, nec Chriſtianum vllum percutere poteſt niſi Deo permittente, vt dixit Dominus Pilato: *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllā, niſi tibi datum eſſet deſuper:* datum vocat permiſſum. Et per-

Zach. 13.
Phramea ſeu gladius apud Zachar. quid myſticè.
Deus Chriſtum quatenus percuſſerit, & quando.
Ioan. 19.

Et perinde eſt dicere, percutiam, ac dicere, Gladio percute, vt declararet percuſſionem paſtoris per gladium Romanorum, fuiſſe actionem à Deo promiſſam. Ita dicitur Eſai. 53. *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*, & Pſal. 67. *Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt*. Percuſſit ergo eum, quando perſecutionibus Iudæorum expoſuit. Sicut & illud, quod in Eſaia per modum imperandi dicitur: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*. Reliqua verba huius Prophetiæ latius ſuperiori quodam tractatu fuerunt explicata.

Eſai. 6. Matth. 13. Tract. 7. huius libri.

Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Id eſt, licet diſpergantur oues, non tamen à lupo occupabuntur, ſed ad Chriſti reſurrectionem ſeruabuntur: ideo non ſinet eas Deus alijs negotijs implicari, neque mundi fauoribus, aut perfugijs conſolationem vllam recipere, vt reſurgens ipſe ſuas oues facilius recuperet. Antequam vos ergo in Galilæam patriam veſtram fugientes redeatis, ego veſter paſtor non abijciam vos, neque deſeram, ſed more boni paſtoris vos præueniam, ac præcedam videdus à vobis, ac proinde mea præſentia confirmandis, atque redintegrandis. Atque hoc nobis omnibus per tribulationes, & perſecutiones diſpertis dictum putemus: promittit enim in omni afflictione recreationem, & auxilium.

Chriſti adhuc patientis erga Apoſtolos cura & prouidentia. *Matt. 28.*

Quid nobis cum afflictamur, ſolatium poſſit adferre.

Reſpondens autem Petrus, ait illi, Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Quemadmodum magiſtratus, ita etiam tribulatio virum oſtendit. Pluries Petrus hæc verba dixerat, & pluries reprehenſus fuerat à Domino: & ſecundum B. Aug. quia ter ſibi hanc audaciam arrogauerat, bis in cœnaculo, ſemel apud Lucam, & iterum apud Ioãnem, & tertio poſt egreſſum de cœnaculo, vt hic habetur, & apud Marcum, permiſſus eſt negare. Tripliciter etiam Petrus errauit, vt docet Chryſoſt. Primum, quia Chriſto, & Prophetæ ab ipſo allegato fidem non præſtitit. Deinde quod per vitium ſingularitatis omnibus ſe alijs prætulerit. Tertio, quod ſuo, & non diuino nixus auxilio promittebat ſe poſſe Dominum ad mortem vſq; tueri. Et cum dicturus eſſet: Opem nobis feras, ne ſcandalizemur, è contrario nimium ſibi arrogans dixit: *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te*. Chryſoſt. in Matthæum interpretatur: *Ex multo certe amore, & copioſa voluntate nimium ſubypſi confiſus hæc dicebat: puto & ambitione quoque aliqua, & iactãtia in ea verba Petrum lapſum fuiſſe*. Hieronymus vero hoc loco: *Non eſt temeritas, nec mendacium, ſed fides eſt Apoſtoli Petri & ardens affectus erga Dominum Saluatorem*.

Quoties Petrus arroganter dixerit nõ fore ſe ſcandalũ in Chriſto paſſurum. *Aug. lib. 3. de conſen. Euangel. c. 2. 10. 4.*

Triplex Petri error ſic loquentis. *Marc. 14. Chryſ. hom 83. in Matth. tom 2.*

Idem ibid.

Hieronym. in Matt. 26. 10. 9

Vocat Hieronymus temeritatem quandam nullo zelo & charitatis ardore excuſabilem, ſed ſola virium præſumptione damnandam, & fidem intelligit informem. Idcirco præ cæteris à Domino permiſſus eſt ter cadere, & ideo ter interrogatus eſt à Chriſto ſuſcitato, diligis me plus his? & ter confeſſus eſt fidem ſuam, & amorem erga Chriſtum, cum humilitate, tum & modeſtia, non ſe præferens alijs, vt olim: *Tu ſcis*, inquit, *quia amo te*: non ait, tu ſcis quia præ alijs amo te.

Petrus cur præ cæteris à Deo, cadere permiſſus. *Ioan. vlt.* Petri modeſtia. *Marc. 14.*

Ait illi Ieſus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis, ſiue vt Marcus ait: *Priuſquam gallus vocem bis dederit, me es negaturus*. Iam ſingula verba expende. *Amen*, inquit, *dico tibi*. Communiter vobis omnibus dixi, quod ſcandalizabimini, tibi etiam, quia te cæteris præferre non deſinis, dico, quod negabis me hac nocte, & breui quidem, ſcilicet ante galli cantum: & non ſemel, aut bis, ſed ter, quod peius eſt quam fugere vel ſcandalizari. Et ſemper verbum Dei ad hoc tendit, vt humiliet, & deprimat hominem, & vanam eius confidentiã: quia vix diuelli, aut eradicari poteſt hæc ſuperbia Pelagiana, qua homo confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Pauci ſunt qui dicere poſſint cum Propheta: *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, &c.* Pauci nouerunt illud: *Bonum eſt confidere Domino, quam confidere in homine:* & rurſus: *Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion, non commouebitur in æternũ, qui habitat in Ieruſalem:* neque ſunt alij ad lapſum procliuiores, quam qui ſibi multum tribuunt, atq; confidunt, aut qui alios præ ſeipſis coutemnunt. Quod vero Marcus ait: *Priuſquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus*, quod ad literam impletum in ſua hiſtoria recitat, vt ſemel negauerit ante primam vocem galli, poſt illam vero ſecundo, & tertio, quod videtur pugnare cum alijs Euangeliſtis, qui ſimpliciter dicunt: *Antequam gallus cantet, ter me negabis:* Ita conciliat Caietanus: *Solus*, inquit, *Marcus numerum vocis galli explicauit, quia ſolus refert prima verba Ieſu ad Petrum dicta, alij autem poſterius dicta. Ieſus itaq; bis Petro dixit: Antequam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus*. Deinde Petro nimiam ſibi arroganti conſtantiam, Ieſus priora Euangeliſtarum verba, ac peiora prænuntiauit, nimirum: *Antequam gallus cantet, ter me negabis*. Sed hæc ab alijs tanquã falſa merito cõfutantur. Nam ſequeretur quod ante primum gallicantum ad minus ter illum abnegaſſet: quod non ſolũ eſt in alios Euangeliſtas, ſed in ipſum

Verbum Dei quid maxime curet.

Pſal. 17.

Pſal. 117.

Pſal. 124.

Ad lapſum procliuiores quinam ſint.

Marc. 14. Vt Marcus cũ Euangeliſtis conſentiat in deſcribenda trina Petri negatione.

Ioan. 18. *Marc. 14.* *1. Opinio.*

ſum Marcum. Adhæc ſecundum hanc doctrinam non bis tantum ceciniſſet gallus, ſed ſaltem ter, ſemel quidem in domo Annæ, vt ait Ioannes, & bis in domo Caiphæ, ſecundum Marcum. Quæ cum manifeſte ſint falſa, dicendum eſt, Marcum cum cæteris Euangeliſtis minime pugnare: quia alij volunt illam trinam negationem cœptam fuiſſe ante primum galli cantum, quę peracta eſt ante ſecūdam galli vocem. Vel ſecundum Chryſoſt. Marcus Petri diſcipulus hæc de bina galli voce ab eo didicit: nec pugnat cum alijs, quia prius bis, aut pluries ſolitus eſt cantare.

Chryſ. hom. 84. in Matth. tom. 2.

Non ergo bis vocem dabit, id eſt, non perficiet cantum ſuum, quia ſolet qualibet hora pluries canere. Idem docet Euthymius, gallum varijs temporibus ſæpius canere ſolitum, deinde ceſſare, & omnes illi cantus pro vno cenſentur, & rurſus canit, poſtquam aliquantiſper ceſſauit.

Euthym. in Matt. cap. 64.

Trina ergo negatio Petri, eſt vna negatio Ieſu ter repetita: & prima fuit ante primum galli cantum, ſecunda, & tertia poſt primum illum, & ante ſecundum galli cantum. Et ſimpliciter quod ab alijs Euangeliſtis dicitur: Non cantabit gallus, donec ter me neges, docet principium negationis, id eſt, donec incipias negationem, quā ter repetes. Marcus vero finem negationis exiſtentem in tertia negatione cōſiderans, dixit: *Priuſquam vocem gallus bis dederit*: & vtrumq; dixit Dominus, repetens reſponſionem diuerſis verbis.

Galli gallinacei proprium.

Eſt autem gallo naturale, ac inſitum, vt quater in die naturali cātet, nimirum mane, meridie, ſero, ac media nocte, quando Sol ſcilic. angulos horizontis, & mediæ terræ mutare ſolet: nam animalia, quæ parum circa proprias operationes ſolicita ſunt, vt eſt gallus, mutationes elementorum fortiter percipiunt, & maxime eas, quæ fiunt ex renouatis angulis à Sole. Hinc apud Iobem dicitur: *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?* Nam æſtimatio illa galli, intelligentia vocatur, quia à diuino intellectu procedit: quemadmodum dicimus opus naturæ, eſſe intelligentiæ non errantis opus.

Iob. 38.

Quam ei dederit intelligentiam Deus teſte Iob.

Iam audi quid, tum Plin. tum Ælian. tradant de hoc animanti. Prior ille ſic habet: *Proxime gloriam ſentiunt & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoq; ſomno natura genuit. Norunt ſydera, & ternas diſtinguunt horas interdiu cantu. Cum Sole eunt cubitum, quartaq; caſtrenſi vigilia ad curas, laboremq; reuocant. Nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere, diemq; venientem nuntiant cantu, ipſum vero cantum plauſu laterum. Imperitant ſuo generi, & regnum, in quacunque ſunt domo, exercent. Dimicatione paritur hoc quoq; inter ipſos, velut ideo tela agnata cruribus ſuis intelligentes: nec finis ſæpe commorientibus. Quod ſi palma contingit, in victoria canunt, ſeq; ipſi principes teſtantur. Victus occultatur ſilens, ægreq; ſeruitium patitur. Et plebs tamen æque ſuperba graditur ardua ceruice; criſtis celſa, cœlumq; ſola volucrum aſpicit crebro, in ſublime caudam quoque falcatam erigens, itaque terrori ſunt etiam Leonibus generoſiſſimis ferarum.* Infra: *Deſinunt canere caſtrati, &c. Pergami omnibus annis ſpectaculum gallorum publice editur, ceu gladiatorum.*

Plin. lib. 10. natura hiſt. cap. 21.

Galli proprietates ex Plinio & Aeliano.

Ælianus vero libro de Animalibus, ita inquit: *Matrice gallina extincta, is ipſe incubat, & pullos ex ouis excludit: ac tum (res admiratione digna) ſilentio vtitur, quod ſane ſibi conſcius ſit ſe muliebre munus obire, & parū viriliter facere. Quod ſi cum altero pugnans vincatur, idcirco non canit, quod ex illa mala pugna ſpiritus fracti illi vocem ſupprimant. Cuius offenſionis verecundia confuſus, in primam quamq; latebram ſeſe occultat. At ſi ex certamine victoriam reportarit, tum oculorum eminentia, tum ceruice erecta ſimul, & cantus contentione inſolenter effertur, & triumphanti ſimilis eſt. Illud item in eo mirificum, cum limen intrat, tametſi ſuperum altiſſimum exiſtit, is tamen ſeſe inclinat: quod quidem ipſum ſuperbia inductus facere videtur, ne videlicet criſta vſpiam offendatur.* Ita illi de natura huius animantis philoſophati ſunt.

Ælian. lib. 4. de animalib. cap. 29.

Patris in prolem amor.

Galli ſuperbia

Quod ſi obijcias, Quomodo Petrus abnegauerit Dominum, & ab eo defecerit, cum Dominus (qui exauditus eſt ſemper pro ſua reuerentia) rogauerit pro Petro, vt non deficeret fides eius? Reſpondeo, expetiuit Satanas, & coniecit Petrum in defectionem, & Chriſti abnegationem, ſed non impetrauit vt Petrum in abnegatione detineat, vt in ea Petrus deperiret, & hic eſt fructus orationis Chriſti:

Quomodo verum ſit Domini verbum: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, cum tamen eum poſtea negauerit.

Ait illi Petrus, etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Quanto magis affirmat caſum Chriſtus, tanto Petrus maiorem fortitudinem oſtentat: acer enim erat in eo erga Dominum affectus, vehemens quoque propriæ confidentiæ perſuaſio: Ideo volens ante pennas natas volare, corporis grauitate deprimitur in terra, & ignorata arte nauigandi volens mare tranare, miſerum patitur naufragium.

Heb. 5. *Luc. 22.*

Qualis in Chriſtum Petrus eſſet affectus.

Perpende autem ad quantam ſit modeſtiam poſt reſurrectionem reuocatus. Nam cum interrogaſſet de Ioanne, hic autem quid? & impoſitum eſſet ei ſilētium, conticuit ilico: & ante aſcenſionem cum audiſſet: Non eſt veſtrum noſſe tēpora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, ſimili ratione cōtinuit ſe ipſum: & cum de linteo è cœlo demiſſo audiſſet: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris,*

Petri trina negatio quantam ei modeſtiam pepererit.

Ioan. 21. *Act. 1.* *Infra 10.*

ris,etiamſi non intelligeret,nõ eſt auſus reſpõſare.Ille igitur abnegationis caſus eum reddidit & modeſtiorem, & prudẽtiorem. Deinde qui antea quicquid fidei habebat, ſibi tribuebat: *Ego*,inquit, *nunquã ſcãdalizabor*,nunquam te negabo,cum debuiſſet dicere,ſi te habuero adiutorem,neque ſcandalum incurram propter te, nec te inficiabor, poſtmodum vero in claudi ſanatione dicebat: *Viri Iſraelitæ quid miramini in hoc,aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare?* Hinc ergo magnum documentum accipimus, quod nec humana facultas abſq; diuino auxilio quicquam proficiat, vt in Petro: neq; rurſus diuinum auxilium abſq; noſtra conſenſione proſit quicquam, vt patet in Iuda Apoſtolo,quem cum omnib.rationibusDominus reuocare à ſcelere proditionis conatus eſſet,ipſe tamen ſuo libero arbitrio ſaluti ſuę obſtaculum præbuit.

Supra 3.

Vt ſine ope diuina humanus conatus nil proficit,ita ſine hoc diuinum auxilium eſt nullum.

Similiter & omnes diſcipuli dixerunt. Non poterant diſcipuli pati quod quiſquam ſe illis præferret,etiam ſi illePetrus eſſet:nam & ipſi carnis & ſanguinis affectibus ducebantur. Dicebant ergo quod dictabat amor,& quod facere amicitiæ ratio impellebat:ſed hoc peccabant:quod plus credebant ſibi ipſis, quam Chriſto dicenti contrarium. Vnde fuerunt ſeducti à ſe ipſis: quia omnis homo mendax, Deus autem verax eſt. Non replicauit Chriſtus,quia videbat ſe oleum & operã perdere apud eos, qui Spiritu Dei deſtituti non intelligebant quæ dicebantur, & quia expectabat euentum rerum per ſe reſpõſurum, & quia peccatorum pœnam portabat,quorum hæc vna eſt,fidem apud ſuos non inuenire, & vt in hac Apoſtolorum cœca promiſſione agnoſcamus nos ipſos, quam parum quæ promiſimus Chriſto, aut in baptiſmo, aut in pœnitentiæ Sacramento apud Sacerdotem,aut quæ in ingreſſu religionis polliciti ſumus, votiſque nuncupatis confirmauimus, præſtare valeamus. Quiſque ergo videat quid promittat Deo, aut quid rurſus per votum illi promiſerit : quia diſplicet Deo,vtSalomon ait,infidelis,&ſtulta promiſſio:nemoque ad ſuas vires reſpiciat,ſed ad diuinam gratiam,& munificentiam, vt poſſit dicere cum Apoſtolo: *Omnia poſſum in eo qui me confortat*, hoc eſt,in Chriſto Ieſu Domino noſtro,qui cum Patre, & Spiritu ſancto in ſempiternum ab vniuerſa creatura ratione prædita colitur, & adoratur, ſummiſque laudibus celebratur,

Amen.

Cur ſimiliter & omnes diſcipuli dixerint ſe Chriſtum negaturos nũquam, & cur illi à Chriſto perinde atque Petrus non fuerint reprehenſi.

Rom 3.

Pſal.115.

Quales noſtræ promiſſiones in baptiſmo, & in votis Domino factis videri queant.

Eccleſ. 5.

Philip.4.

TRACTATVS XI.

De triſtitia animæ Chriſti, verbis & factis expreſſa coram Petro, & filijs Zebedæi, Matth. 26. & Marci 14. in illa verba : *Et aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contriſtari,& mæſtus eſſe. Tunc ait illis, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem: ſuſtinete hic, & vigilate mecum.*

MAGNA fuerunt,&grauiſſima vulnera,quæ Chriſtus in corpore tempore paſſionis ſuſcepit,ſed longe maiora animo ſuo à timore,& mœrore inflicta,quanto anima maior eſt corpore, maiorique vi ſentiendi illatas iniurias prædita eſt:de quibus hic aliquid philoſophandum eſt: Ait igitur Matthæus: *Tunc venit Ieſus cum illis in villam, quæ dicitur Gethſemani.* Villam vocat prædium,vt ait Marcus, & illud ſitum erat in pede montis Olivueti, cuius aliqua pars cultior atque herbis hortenſibus, & oleribus ſeminata, hortus erat, fortaſſis ſæpe aliquando clauſus,vt moris eſt:quia dicitur, in illum introijſſe Ieſum cum diſcipulis. Ibi ergo exiſtẽs, in introitu dixit diſcipulis ſuis:*Sedete hic,donec vadam illuc,& orem*: tacite hortans illos ad orationem, & hoc dixit tantum octo Apoſtolis,quia ſecum ducebat tres: nam dicitur in textu: *Et aſſumpto Petro,& duobus filijs Zebedæi, cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe.* Dominus igitur ſolitarium quærit locum adorandum, vt commodius precari poſſet, & ne infirmos diſcipulos maiori mœrore,ac timore cõficeret.Quanquam ex illis tres fortiores ſecum duxit, qui eſſent triſtitiæ, precationis, &agoniæ ſuæ teſtes.Et vt ſolusChriſtus ſuo ſanguine nos redemit, ita ſola oratione redemptionem obtinet. Ideo non adduxit eos ad orandum ſecum,quia inepti erant, & ignorantes quid oraret,&ex ſe poriusChriſtum impedirent, & turpius in præſentia Chriſti dormiuiſſent, cum tñ vigilantibus, & non dormientibus cura, & oratio Chriſti ſubueniant: debebatq; præcedere exemplum Chriſti orantis pro Apoſtolis in tentatione &quia ſola Chriſti oratio,vt ſolus eius ſanguis,ſaluat.Et cum prælatus à ſuis abeſt,debet non longe à ſuis eſſe, ne oues pereant: & quando eſt ſolitarius, debent oues intelligere,quod incũbit orationi,aut ſtudio, aut contemplationi. Debetq; verſari in loco noto, & manifeſto, vt cum Moſes per quadraginta dies in monte ſub nube cum Domino fuit.Et recte iure Canonico cau-

Potiora Chriſti patientis vulnera,quæ plagæ.

De villa Gethſemani,in quã Dominus introiuit cum diſcipulis ſuis.

Documentũ paſtori,& omnibus à Chriſto traditum.

Exod. 34.

Deut. 9.

Epiſcopo qui ſemper aſsiſtant.
Chriſti in diſcipulos, & fideles omnes qualis prouidentia & cura

tum fuit, vt duo Canonici perpetuo aſſiſterent Epiſcopo, qui comites eſſent indiuidui, & vitæ ſanctæ, ac pudicæ Epiſcopi teſtes: ideò Dominus tres ſecum aſſumpſit. Quemadmodum autem pater ſolicitus, ac prouidus inſomnem noctem traducit cogitando quomodo, & cui, & quando locanda ſit filia, & vnde poſſit dotem habere, dormiente plerunque, atque ſtertente filia: ita Dominus Ieſus pro diſcipulorum ſuorum gloria, & exaltatione ipſis plerunque ſtertentibus vigilat, & precatur: *Et aſſumpto Petro, & filijs Zebedæi.* Id eſt, Iacobo, & Ioanne, vt explicat Marcus, quo teſtes eſsēt mœroris, & orationis fundendæ ad Patrem: vt quemadmodum gloriæ Domini teſtes extiterant in monte Thabor, & potentiæ diuinitatis in ſuſcitanda filia archiſynagogi, ita nunc ſpectatores eſſent imbecillitatis infirmæ ſuæ humanitatis. Iſti præterea tres maiora præ alijs pro Ieſu ſe paſſuros promiſerant: nam Petrus dixerat, etiāſi oportuerit me mori tecum, non te negabo, & filijs Zebedæi dixerat: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei, Poſſumus.* Ideo admiſſi à Chriſto ſunt, vt ſpectēt Chriſtum calicem deprecantem, nec tamē impetrantem: & ita agnoſcant quod minus ipſi poterunt euadere calicem: quia non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Docet etiam Chriſtus, maioribus, ac perfectioribus maiora onera imponenda: ideo cum ad octo dixiſſet: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem, ab iſtis trib. plus exigit, dicendo: *Suſtinete hic, & vigilate mecum*, ac idcirco teſtes eſtote deprecationis, & agoniæ meæ. Et perinde fuit dicere, Manete, & vigilate mecum, atque, agite excubias mihi: quanquam nunc temporibus omnibus in peius collabentibus, ignaris plerunq;, & imperfectis dignitatum, & officiorum munera, relictis idoneis, & perfectis, imponantur. Docet præterea, precationem bonam tribus exornandam eſſe comitibus. Primum fortitudine fidei ſignificata in Petro, de qua ait Iacobus frater Domini: *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, &c. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Secundo debet habere contemptum, & mundi ſupplantationem, per ſpem ſignificatam in Iacobo, de qua dicitur: *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Tertio charitatem, ſeu gratiam ſignificatam in Ioanne, vt oratio ſit meritoria, licet nihil impetret: nam hic Chriſtus precando promeruit; etſi non fuerit in eo, quod prima facie petere videbatur, exauditus. Cum primum autem oraſſet Dominus, & veniſſet ad diſcipulos, & inueniſſet

Cur Chriſtus Petrum ſolum & duos filios Zebedæi ſecū aſſumpſerit.

Matt. 27.
Luc. 8.

Matt. 20.

Supr. 10.
Maioribus maiora onera incumbunt.

Noſtri ſeculi abuſus notabilis.

Bonæ precationis comites quoſnam eſſe conueniat.

Iacob. 1.

Pſal. 36.

eos dormientes, tunc exegit ab eis orationem: *Vigilate*, inquit, *& orate, vt non intretis in tentationem*: indicans illis verbis non tantum vt pro ſe orarent, ſed maxime pro ſe ipſis: *Ne intretis*, inquit, *in tentationem*: præbens quoque exemplum ſuperioribus, vt non dedignentur petere ſuffragia orationum ab inferioribus, vt frequenter faciebat Paulus. Oſtenditque orationes noſtras tunc eſſe efficaces, ſi cum illis Chriſti coniungantur: ideo ſoliti ſumus adiungere: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Quare veriſimilius eſt, Dominum, tum octo, tum poſtea tribus diſcipulis, vt ſe precatione munirent aduerſus inſtantem tribulationem, mandaſſe: *Orate*, inquit, *non ne tentemini*, ſed, *ne intretis in tentationem*, id eſt, à ſuperuentura tentatione ſuperemini: quod quia ab ipſis factum non eſt, ad tempus tentatio eos vicit.

His verbis Chriſtus: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem, quæ nobis documenta tradiderit.

Orationes noſtræ quando ſint efficaces, & quid nobis orandum ſit.

Apoſtoli paſſionis Chriſti tempore cur inciderint in tentationem.

Cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe, ſeu, vt Marcus ait, *Cœpit pauere, & tædere.* Circa hæc verba quatuor obijcere poſſumus. Primum eſt, huiuſmodi affectus, & animi perturbationes minime conuenire diuinæ naturæ, quæ quam longiſſime ab his diſtat. Deinde non videntur eſſe ſine peccato, aut ſaltem ſine defectu imbecillæ, atque infirmæ naturæ. Tertio, non videntur conuenire duci fortiſſimo, & magnanimo, qualis eſt Chriſtus, qui in exemplar fortitudinis eſt nobis propoſitus. Præterea videntur eſſe contra Scripturam: nam de quolibet iuſto in libro Prouerbiorum dicitur: *Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit*, & iterum: *Iuſtus quaſi Leo confidens, abſque terrore erit*, & Lyricus.

Marc. 14.
In hæc verba: cœpit pauere, & tædere, & mœſtus eſſe, obiectiones quatuor diluuntur.

Prou. 12.

Infra 28.

Horat. lib. 3. Carm. Od. 3.

Iuſtum, & tenacem propoſiti virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida, &c.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Quanto minus iuſto iuſtorum Domino, de quo præcipue vaticinatus fuerat Eſaias: *Non erit triſtis, neque turbulentus*? Mirum igitur eſt cur dicatur contriſtari, & mœſtus eſſe. Ad propoſitum dubium rectius diſſoluendum quinque ſunt excutienda. Primum, quot fuerint iſtæ paſſiones à Chriſto aſſumptæ, & quomodo inter ſe differant: Secundum, an fuerint in Chriſto veri iſti affectus timoris, & triſtitiæ, an vero confictì, & exterius tantum oſtenſi: Tertium, quales extiterint iſtæ paſsiones, cum ſuapte natura ſoleant, aut præuenire, aut impedire rationis vſum, aut non ſine aliquo peccato in hominem inſurgere: Quartum, cuius rei gratia has Chriſtus aſſum-

Eſa. 42.

pſit

pſit paſſiones coram his tribus diſcipulis, & non tantum facto, ſed etiam verbis eas expreſſit, dum dixit: *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem:* Quintum, an liceat triſtari in morte propria, aut chari alicuius, vt parentis, filij, & amici.

Quot fuerint paſsiones à Chriſto aſſumptæ.

Ad primum reſpondemus, Matthæum vſum duob. verbis Græcis, nempe ἐκλυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, Marcum vero, ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, pro quibus interpres noſter in Matthæo vertit, contriſtari, & mœſtus eſſe, in Marco vero pauere, & tædere. Primum illud Matthæi ἐκλυπεῖσθαι, eſt mœſtitiam, ſeu angorem animi, atque anguſtiam extra etiam declarare, ſecundum vero, ἀδημονεῖν, quod idem eſt in vtroque Euangeliſta, eſt angi dolore, vt homo non ſit apud ſe, ſed extra ſe, & veluti populum penè exanimari, & præ dolore deficere. Primũ illud Marci eſt ἐκθαμβεῖσθαι, quod ſignificat, præ timore ingenti ſtupidũ, & attonitũ reddi, quod habetur alibi apud Marcũ, cum de mulierib. quod obſtupuerunt, angelus dixit: *Nolite expaueſcere,* ſeu ἐκθαμβεῖσθε. Et ita tres voces ſunt, quod ad Græcam literam attinet.

Marc. vlt.

Triſtitia, anguſtia, timor, tædium, hæ paſſiones quid differant.

Quantũ ad rē ſpectat, triſtitia, paſſio eſt vltima animæ cõcupiſcentis de malo præſenti, ſed anguſtia, vel angor de malo præſenti ineuitabili, timor vero, vel pauor, animi iraſcentis eſt paſſio de futuro malo imminēti, tædium vero, de eodem malo futuro quaſi præſenti: nam paſſionē, & mortem ſuã apprehendebat Ieſus, & vt futuram, & vt præſentē, vt vtroq; excruciaretur modo ac torqueretur.

Chriſti amor patiendi pro nobis.

Nam Chriſtus & Deus, & homo erat: & quatenus homo, trib. partib. conſtabat illis, nempe cõcupiſcente, iraſcēte, atq; ratiocinante. In concupiſcente ſex locãtur paſſiones, tres reſpectu boni communis, id eſt, amor, deſiderium, & delectatio: tres ratione mali cõmunis, hoc eſt, odium, fuga, & triſtitia. In iraſcēte virtute quinq; collocãtur paſſiones, duæ ad cõſequendũ bonũ arduũ, vt ſpes, & audacia, tres ſunt reſpectu mali ardui, vt diffidentia, timor, atque ira.

Quot concupiſcentis animæ, quot ſint iraſcentis partes.

Quomodo hæ paſsiones in hominem inſurgant.

Hæ paſsiones in homine non ſurgunt, niſi contractione, & dilatatione cordis? ideo egent ratione moderãte per virtutes morales, quarum eſt modum, ac medium in illis ponere. Iſtæ paſsiones Deo minime conueniunt, niſi tantum metaphoricè: in Chriſto proprie conueniunt, ſed ſine peccato, ſicut tentatus eſt ſine peccato & voluntarie illas aſſumpſit, nec præueniebant, aut impediebant rationem, neque ad malum ſollicitabant: in nobis vero inueniuntur proprie, & plerunq; non ſine defectu, vel peccato, licet ratione, & virtutibus, potiſsimum vero Dei gratia poſsint corrigi.

Eædem aliter Deo, aliter Chriſto conueniunt.
Heb 4.
Vt ſint in nobis, & quomodo corrigi poſsint illæ paſsiones.

In Chriſto inuicto Duce atque Imperatore noſtro quem locum habeant.

Quod vero nõ videantur cõuenire fortiſſimo Duci & Imperatori Chriſto, verum eſt, ſi ex animo vili, ac puſillanimo illi infuiſſent, vt nobis accidunt: ſecus ſi ex voluntate & amore noſtro: quia aſſumpſit quas voluit paſsiones, quando voluit, vbi, quantũ, & quomodo voluit: nã oblatus eſt quia ipſe voluit, & eſt ſermo de ſpiritu volente: nam caro infirma erat.

Eſai 53.
Matt. 26.
Iuſtum, vt Salomon dixit, quomodo nihil contriſtet.
Prou. 12.

Quod Salomon dixit: *Non contriſtabit iuſtũ quicquid ei acciderit:* intellige vt eum à recto deflectat, & iniuſtũ aliquid, vel inhoneſtũ agere cogat.

Illud de Chriſto: Non erit triſtis, neque turbulentus, explicatur.
Eſa. 42.

Quod Eſaias dixit: *Non erit triſtis neq; turbulentus:* intellige per paſsiones ipſi dominantes, bene aũt propter illas quas ſponte, & cum ratione aſſumpſit propter nos ſibi chariſsimos, patiens triſtitiã peccato debitam.

Triſtitiam eſſe ex his quę in nobis ſunt: quo ſenſu Damaſcen. dixerit.
B. Damaſc. li. 2. de ortho. fid cap. 14.

¶ Quod vero dici ſolet ex Damaſcen. triſtitiam eſſe ex his, quę nobis nolentib. fiunt: non intelligas reſpectu diuinæ, aut ratiocinalis voluntatis in Chriſto, ſed ex his quæ nobis nolentibus fiunt, id eſt appetitu naturali, & ſenſitiuo: quia talis appetitus ſine peccato, imo cũ merito refutabat mortem. Et hæc ſint ſatis de primo, quæ in ſequentibus maiori luce perfundentur.

An fuerint vere paſsiones in Chriſto necne.

Ad ſecundum dicendum, veras fuiſſe has paſsiones in Chriſto, qui cum veram humanitatem aſſumpſerit, vere contriſtatus eſt, & vere dixit: *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem.* Huius rei teſtimonium euidens eſt, quia vere ſudauit ſanguinem, & vere eguit angelo confirmante, vere paſſus eſt, vere mortuus, vereq; reſuſcitatus, & vt Propheta ait: *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit:* nec eſſet alias omnimodæ veritatis magiſter, ſi mendacio vſus fuiſſet, & omnia, quæ in Euangelio, aut dixiſſe, aut feciſſe legitur, in ſuſpicionē mendacij rapi poſſent, etiamſi quidam ex Patribus aliter videantur dixiſſe.

Luc. 22.
Eſai 53.
S. Hilar.

Nam B. Hilarius Canone 31. in Matthæum, hæc ediſſerens verba: *Aſſumpto Petro, & duobus filijs Zebedæi, cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe,* ait: *Ergo non ante triſtis eſt quam aſſumit, & omnis metus illis eſſe cœpit aſſumptis: atque ita non de eo orta eſt, ſed de his quos aſſumpſerat, mœſtitudo.* Et infra: *Denique ait, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Nũquid ait, Triſtis eſt anima mea propter mortem? Certe non ita. Nam ſi de morte erat metus, ad eam vtrique referri, per quam erat, debuit. Sed aliud eſt vſque in id, aliud ob id metuere.* Et infra: *Totus igitur ſuper his qui paſſuri erant, metus eſt, atque ideo quia non eſt poſsibile ſe non pati, pro his rogat, qui paſſuri poſt ſe erant, dicens: Tranſeat calix à me: id eſt, quomodo à me bibitur, ita ab his bibatur: ſine ſpei diffidētia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis.* Idem in præfatione Pſal. 68. *Vniuerſarum vtiq;* inquit

Idem.

huma-

humanarum paßionum ſorte perfunctus, ſecundum ſuſceptas infirmitates noſtras loquutur: & dolet ipſe quidem extra neceßitatem & timoris poſitus, & doloris, ſed his ſe tamen quæ ſuſcepit, accommodans: vt qui carnis noſtræ homo natus eſſet, ex dolorum noſtrorum querelis, & infirmitatis precatione loqueretur.

Idem.

Ad hæc in id: *In ſiti mea potauerunt me aceto,* ſubiungit: *Verum prophetice non ſitiſſe ſcribitur, ſed vt implerentur omnia, ſitiſſe ſe dixit: quia cuncta noſtra quæ in eo fuerunt infirmitates, non naturales ſunt, ſed aſſumptæ.*

Chriſto metũ mortis ademit Hilarius dupli ci ratione.

Idem Hilarius libr. 10. de Trinitate oſtendere nititur: inde ſumpto argumento: quia ſi Chriſtus mortem timuit, aut ſpiritus, aut corporis cauſa timuiſſet: quorum neutrum euenire potuit, nam ſecundum ſpiritum tanto mortis ardore eam appetebat, vt eam timere non poſſet. Carni vero metuere nequibat, quippe qui carnem haberet natura impaſſibilem,

Magiſt. in 3. ſent. diſt. 15.

Magiſter in tertio ſententiarum amice, & beneuole verba Hilarij exponens, nec verum timoris, doloris, & paſſionis ſenſum, nec naturalem neceſſitatem timendi, & dolendi Chriſto adimit, ſed cauſam, & meritum patiendi, timendi, & dolendi, quæ in nobis quidem eſt ex Adæ peccato, in Chriſto vero non vitio humanę conceptionis, ſed vltro ex eius libera voluntate ſuſcepta.

Claudianus Epiſc. de Hilario quid ſenſer.t.

Claudianus Viennæ Galliarum Epiſcopus, qui Petrum Lombardum per ſeptingentos fere annos præceſſit, in ſecundo libro de ſtatu animarum, ita excuſat Hilarium, vt eum erraſſe aperte affirmet, his verbis:

Duo errores Hilarij ab eodemmet per confeſſionis virtutem aboliti. Diuinarum Scripturarum tractatoribus fides ſit quatenus habenda.

Pictauus Hilarius inter complura præcelſarum diſputationum ſuarum quiddam ſecius ſentiens, duo hæc veris aduerſa diſſeruit: vnum quo nihil incorporeum creatum dixit, aliud, quod nihil doloris Chriſtus in paßione ſenſerit. Sed quoniam opinionis huiuſce vitium virtute confeßionis aboleuit, ſic ſuſtinet reprehenſionis ſtylum, quod non patitur detrimenta meritorum. Quapropter diuinarum Scripturarum tractatoribus fidem adhibere par eſt, quoad vſque eiuſdem tenore veritati adſtipulantur. In hunc ille modum ſcripſit.

Qua ratione ſolummodo Chriſtus mortem timuerit ſecundum Hilar. & eius ſectatores.

Tamen reuera Hilarius cum videret ex hoc loco Arrianos Chriſti diuinitatem impugnare, cauſam triſtitiæ, ac metus non retulit ad Chriſti inſtantem violentam mortem, ſed ad Apoſtolos, & ad nos ipſos: quem ſecuti ſunt Hieron. & Ambroſ.

Hieron. in Matt. 26. to. 9. Ambr lib. 10. in Luc. in ca. 22. to 5.

Imperat. Iuſtinianus indolentiam Chriſti corpori tribuit: *Euagrius. Luc. vlt.*

Iuſtinianus Imperator huic errori adhæſit de Chriſti indolentia. Sic enim Euagrius libr. 4. cap. 39. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcribit: *Iuſtinianus Imperator edictum propoſuit, in quo corpus Domini incorruptibile ſanxit: naturaliumq́; & inculpatarum paßionum haudquaquam capax fuiſſe dixit: ſed Dominum ante paßionem comediſſe, quemadmodum poſt reſurrectionem manducauit: nec ſacroſanctum illius corpus aliquam mutationem aut alterationem inde quo à Deo in vtero formatum eſt, neque in voluntarijs, neque in naturalibus paßionibus, neque poſt reſurrectionem quidem accepiſſe aſſerens. Cui opinioni aſſentire paßim Sacerdotes coegit.*

Anaſtaſius Antiochiæ Epiſcopus.

Contra hunc ſcripſit Anaſtaſius Antiochiæ Epiſcopus, illíque magna ſapientia, & eloquentia demonſtrauit, quod diuini Apoſtoli, & ſancti Patres corpus Chriſti naturalibus, & inculpatis paſſionibus corruptibile fuiſſe, & cognouerint, & tradiderint. Hæc Euagrius,

Damaſcen. de centum hæreſ. cap. 84.

cuius ſententiæ accedit Damaſcen. li. de centum hæreſibus, qui hunc errorem tribuit Eſcharodocitis, dicens: *Eſcharodocitæ, qui à Iuliano de Halycarnaſſeo, & Gaiano Alexandriæ, qui & Gaianitæ dicti, in alijs quidem omnibus, his quæ ex Seuero conſonantes, in hoc autem diuerſi, inopinari hos quidem differenter de vnione Chriſti, hos autem incorruptibile ex ipſa plaſmatione corpus Domini honorare: & paßionem quidem ſuſtinere Dominum confitentur, eſuriem dico, & famem, & ſitim, & laborem, non ſecundum eundem autem modum nobis hic ipſum ſuſtinuiſſe dicunt, & naturæ legibus non ſeruientem.* Sic ille, qui pulchrum nomen illis tribuit: quia enim inſenſibilem, & impaſſibilem quandam carnis duritiem Chriſto tribuebant, quæ vulneribus contuſa nihil pateretur:

Eſcharodocitæ cur dicti. Ἐσχάρα quid. Δοκίτης quid.

ideo Eſcharodocitæ vocati ſunt: nam Græcis ἐσχάρα eſt calloſa carnis durities inueteratis vulneribus obducta, quæ ſenſum doloris non habet, δοκίτης vero opinator, ſiue abrogator, vt Eſcharodocita ſit duræ, & impaſſibilis carnis approbator.

B. Bernard. epiſt. 190.

B. Bernardus epiſtola ad Innocentium Papam, redarguit Petrum Abailardum, quod negauerit in Chriſto fuiſſe Spiritum timoris Domini, contra apertum teſtimonium Eſaiæ.

Eſai. 11.

Fuerunt igitur in Domino veri illi affectus.

Hieron. in ca. 26. Matth.

Hieronymus quoque videtur cum his conſenſiſſe, nam in verba illa: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet,* ita ſcribit: *Erubeſcant qui putant Saluatorem timuiſſe mortem, & paßio nis pauore dixiſſe: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte.* Et infra in hæc verba: *Tranſeat à me calix iſte,* in hunc modum exponit:

Chriſtus vt à ſe calicem precetur ſecundum Hieronym.

Poſtulat vt ſi poßibile eſt, tranſeat ab eo paßionis calix, de quo ſupra diximus. Poſtulat autem non timore patiendi, ſed miſericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Vnde & ſignanter non dixit: Tranſeat à me calix, ſed calix iſte: hoc eſt, populi Iudæorum qui excuſationem ignorantiæ habere non poteſt, ſi me occiderit habens legem, & Prophetas, qui me quotidie vaticinantur. Hæc ille, qui varius extitit in commentario ſuo, quia diuerſas ſententias prædictorum colligebat, & fere idem accidit Ambroſio. Dicendum

ergo

Ambroſ. *Hieronym.* Hieronymi ſententia Chriſtum modo negantis, modo aſſerentis timuiſſe mortem exponitur. *Idem.*

ergo eſt, quòd quia Hieronymus in eodem capite ſuper illud: *Cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe*, ait Dominum, quatenus homo erat, verè contriſtatum fuiſſe, vt paulò pòſt citabitur: & in capite tertio epiſtolæ ad Epheſios aſſerit, Chriſtum ad paſſionem veniſſe, & pati timuiſſe, propterea non negaſſe, Chriſtum verè triſtitiæ, & timoris ſenſum habuiſſe, ſed tantùm paſſum, timuiſſe, & triſtatum eſſe per propaſſionem, nō per paſſionem. Vel dici poteſt, & idem eſt,

Altera conciliatio.

Hieronymum ſenſiſſe quòd Chriſtus non timuit per neceſſitatem naturalem timendi, & triſtandi, ſed ad comprobandum veritatem hominis, quemadmodum mortem voluntariè, ita & timorem, & dolorem mortis aſſumpſit. Tertiò allegatur in

Amb. li. 10. in Lucan. c. 22. tom 5.

contrarium Ambroſius qui in hæc verba apud Lucam ſcribit: *Minus contulerat mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum. Ergo pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit quòd doleret: & ſequeſtrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suſcipit enim triſtitiam meam, vt mihi ſuam lætitiam largiretur: & veſtigiis noſtris deſcendit vſque ad mortis ærumnam, vt nos ſuis veſtigiis reuocaret ad vitam.* Item

Aug. in Pſal. 93. aliquanto poſt medium, tom. 8.

quartus producitur Auguſtinus, qui in illud Pſalmi: *Quouſque iuſtitia conuertatur in iudicium*, ita ſcribit: *Præſignauit Dominus in ſua firmitate te, non ſe: non enim timebat Dominus pati, tertio die reſurrecturus. Si prorſus quomodo homo pateretur, & non quomodo Deus pati veniret, etſi ſciret ſe poſt triduum reſurrecturum, nullo modo formidaret moriturus, quod non*

Philip. 1.

formidauit Apoſtolus Paulus, in fine ſeculi reſurrectus, ait enim: Compellor autem ex duobus, concupiſcentiam habens diſſolui; & eſſe cum Chriſto: multo enim magis optimum, manere in carne neceſſarium propter vos: tædium enim illi erat manere in carne: ex duobus patiebatur ardorem, diſſolui & eſſe cum Chriſto, multo magis dicebat optimum: at cùm appropinquaret

2. Tim. 4.

ipſa paſſio, quomodo exaltabat? quomodo gloriabatur? Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. De cætero ſupereſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iuſtus. Iſte gaudet coronandus, & triſtis eſt ille coronatus? Gaudet ſic Apoſtolus, & dicit Chriſtus Dominus noſter: Pater ſi fieri poteſt, tranſeat hic calix? Sed triſtitiam ſic aſſumpſit, quomodò carnem. Idem libro de ſymbo-

Idem li. 2. ad Catech. ca. 6. in medio, t. 6. Matth. 2. Pſal. 23. Ioan. 14.

lo ad Catechumenos: *Quis eſt*, inquit, *iſte qui infans Regem terruit?* Infra: *Si Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ; ergo nec Iudæos timuit, quando armati venerunt, nec iudicem iniuſtè iuſticantem, nec milites irridentes, nec inimicos ſubſannantes, nec coronam ſpineam imponentes, nec ſua veſtimenta diuidentes, nec fel, nec acetum, nec crucem, nec lanceam, nec mortem.* Hæc

Quibus modis mortem timuerit Dominus.

illi. Sed ad hos Patres dicendum eſt, Chriſtum non timuiſſe mortem illis omnibus modis, quibus nos illam timemus: Itaque paſſiones enumeratæ aliter fuerūt in Chriſto, aliter in nobis: ſiquidem purum hominem ſæpe ſollicitant ad illicita, quem aculeum in Chriſto non habuerunt. Proueniunt ſæpe, & impediunt rationis vſum in nobis, in Chriſto ſequuntur ſpiritum & orationis ductum. Certè Auguſt. in Pſal. 93.

Aug. tom. 8.

in prædicta verba apertè confitetur triſtitiam in Chriſto fuiſſe. Et B. Ambroſ. poſt

B. Amb. ibid.

verba citata ſubiungit: *Confidenter ergo triſtitiam nomino, quia crucem prædico. Neq; enim ſpeciem incarnationis ſuſcepit, ſed veritatem. Debuit ergo & dolorem ſuſcipere, vt vinceret triſtitiam, non excluderet. Neq; enim habent fortitudinis laudem, qui ſtuporem magis vulnerum tulerint, quàm dolorem.*

Quales fuerint huiuſmodi paſſiones in Chriſto.

At tertium dicendum, apertè ex diſputatis colligi, quales eſſent illæ paſſiones in Chriſto: erant enim potius propaſſiones, quàm paſſiones; quod patres ſimul docent, & probant. Nam ſic Beatus Hieronymus ſcribit in illud: *Cœpit contriſtari, &*

Hieron. in Matth. c. 26.

mœſtus eſſe: Illud quod ſupra diximus de paſſione, & propaſſione, etiam in præſenti capitulo oſtenditur: quod Dominus vt veritatem probaret aſſumpti hominis, verè quidem contriſtatus ſit, ſed ne paſſio in animo illius dominaretur, per propaſſionem cœperit contriſtari. Aliud eſt enim contriſtari, & aliud, incipere contriſtari. Contriſtabatur autem non timore patiendi, qui ad hoc venerat, vt pateretur, & Petrum timiditatis arguerat, & reliqua. Sic ille

Quid paſſio, quidq; propaſſio ſit ſecundùm Hier.

bonus Pater, qui paſſionem vocat perturbationem, quæ mentis ſtatum euertit. Propaſſio verò quoddam morbi præludium eſt, & eius aduentatio, ſiue in animabus præpropera quędam motio, & perturbatio quædam potius inchoata, quàm perfecta, quæ vel ſuperiorem partem non attingit, aut ſi eam impetat; nihil eam turbat: quæ in Chriſto, & ſanctis eſſe potuit. Vt ſic intelligi poſſit illud Salomonis: *Non contriſtabit iuſtum quicquid ei acciderit*: Quia etſi ſapiens

Prou. 21. Cur iuſtus turbetur quidē, ſed non conturbetur.

turbatur, cùm caro eius ſit infirma; non tamen conturbatur, quia Spiritus eius promptus, ſicut & ethnicus quidam mundi ſapiens iactabat de ſe ipſo, quòd pertranſiens horrendum quendam, & ſubterraneum ſpecum, mouebatur quidem, ſed nō commouebatur. Paſſiones igitur iſtę triſtitię, vel timoris voluntariæ erant in Chriſto, & ſpirituales, hoc eſt, ab Spiritu eius perfectæ, ſicut dicitur in Ioanne: *Infremuit ſpiritu & tur-*

Ioan. 11.

bauit ſeipſum; non tamen innaturales, aut merè mataphoricè, vt dicimus Deum iraſci, triſtari, & timere. Et ſicut in Chriſto rationis vſum nec præueniebant, nec impe-

diebãr, ita nec diuinitas aut ratio, quæ illas moderabatur, non tollebat ab illis eſſe proprium, quia vnicuique earum permittebatur agere quod ſuum erat. Vnde Damaſcenus libro tertio de Ortho. fide capite vigeſimo ita ait: *Naturales noſtræ paſſiones, ſecundùm naturam, & ſuper naturam fuerunt in Chriſto. Secundum naturam quidem: nam mouebantur in ipſo, quando ſinebatur carni, vt pateretur propria: ſuper naturam verò, quod non præcedebant in Domino voluntatis naturalia. Nihil enim in ipſo coactum conſpicitur, ſed omnia ſpontanea. Volens enim eſuriuit, volens timuit, & volens mortuus eſt.* Hactenus ille. Hieronymus doctrinam illam accepit ab Origene, qui in hæc verba ſcribens, ait: *Conſidera,* inquit, *quia non dixit triſtabatur, & tædiabatur, ſed cœpit triſtari, & tædiari. Multum enim intereſt inter triſtari, & incipere triſtari. Si ergo aliquis defendens paſſiones humanas, profert nobis etiam ipſum triſtatum fuiſſe Ieſum, audiat quoniam qui tentatus eſt per omnia ſecundùm ſimilitudinem præter peccatum, hic non eſt triſtatus triſtitia paſſionis ipſius, ſed factus eſt ſecundùm humanam naturam tantùm in ipſo principio triſtitiæ, & pauoris, vt oſtendat diſcipulis ſuis præſentibus, maximè Petro magna ſe exiſtimanti, rebus ipſis, quòd poſteà eis dixit: Quia Spiritus promptus eſt, caro autem infirma, & non eſt aliquando confidendum, ſed ſemper timendum de ea: quia incauta confidentia ad iactantiam ducit, timor autem infirmitatis ad auxilium Dei confugere hortatur, ſicut & Dominum ipſum fecit paululum progredi, & cadere in faciem, & orare. Ergo cœpit quidem triſtari ſecundum humanam naturam, quæ talibus paſſionibus ſubdita eſt, non autem ſecundùm diuinam virtutem, quæ ab huiuſmodi paſſione longè remota eſt. Et hæc dicimus de Ieſu, vt non arbitreris, ſicut quædam hæreſes, hominem eum fuiſſe, ſed Deum veram humani corporis ſuſcepiſſe naturam, qui poterat compati infirmitatibus noſtris, quoniam & ipſe circumdatus erat infirma natura humani corporis: ſimiliter & ipſe participans corpus & ſanguinem, &cæt. Videns ergo inſtans ſibi certamen, quod non erat ei aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus tantos Reges terræ aſſiſtentes, & Principes congregatos in vnum aduerſus ſe, quantos nunquam, cœpit pauere, vel triſtari, nihil amplius triſtitiæ, vel pauoris patiens, niſi principium tantum. Nec enim ſcriptum eſt, quia pauit, vel triſtatus eſt; ſed cœpit pauere, & cœpit triſtari, quando & dixit: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Quod ipſum tale aliquid ſignificare videtur, tanquam ſi dicat: Triſtitia cœpta eſt in me, vt non omnimodò ſim ſine guſtu triſtitiæ: non ſemper, ſed vſque ad tempus mortis in me eſt, vt cùm mortuus fuero peccato, moriar & vniuerſæ triſtitiæ, cuius principium tantùm fuit in me.* Hactenus ille. Adde iſtis Theophylactum qui ſuper Matthæum ſcribit: *Quòd mœſtus eſt, & piget, per diſpenſationem fiebat, vt credatur verus eſſe homo. Humana enim natura eſt timere mortem, eo quòd præter naturam ingreſſa eſt mors, & proptereà illam fugit natura. Item vt ignoret diabolus, & inuadat eum vt purum hominem, quò conficiatur ipſe morte, & ſic conteratur. Vel aliter: Si Dominus mortem non timuiſſet, dediſſet Iudæis excuſationem quòd non peccaſſent, quod ita citra metum ad mortem proſiliſſet.* Cyprianus ſerm. de Paſſione Chriſti, in principio: *Quis non timeat,* inquit, *ſi timet ille, quem omnia timent: ſi pauet ille, cui omne genu curuatur: ſi ille, qui mors eſt mortis, & morſus inferni, morte propinquante pertimeſcit? Nonne ad hoc veneras, & ita futurum ipſe prædixeras? Nonne & hoc ſigna, & oracula, & vaticinia Prophetarum à mundi initio conclamarunt?* Cyrillus etiam in Ioannem: *Ea enim ratione,* ait, *qua Verbum Dei Deus eſt, & ipſa naturaliter vita, nemo ambiget quòd nullo modo mortem formidauit: caro autem factus, permittit carni vt ſua patiatur, & ideò vt verè homo præſentem iam in ianuis mortem timeſcit, ac dicit: Si poſſibile, Pater, eſt,* & quæ ſequuntur. Hæc ſancti Patres, ex quorum doctrina habes, illos affectus propaſſiones magis, quam paſſiones in Chriſto fuiſſe, nec fuiſſe fictas, nec pertinuiſſe ad naturam diuinam, ſed ad humanam, vt Origenes, & Ambroſius docuerunt: ſed ſicut dicimus Chriſtum paſſum, & mortuum, intelligitur in humana natura, non in diuina; ideò & has paſſiones in eadem natura, cui ſunt propriæ, ſuſcepit. Quare Petrus Gnapheus, & Eutyches meritò damnati, quod humanã cum diuina natura confudiſſent. Et vt ex melle & aceto fit tertium, quod dicitur Oximel, ita ex diuinitate, & humanitate tertiũ quid reſultaſſe, cui paſſionem adſcripſerunt. Et in triſagio Hymno illo ſeraphico: *Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis, miſerere nobis,* ꝙ Græcè habetur: Ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ὁ ἰσχυρὸς, ἅγιος ὁ ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς, ipſi ante verbum, miſerere nobis, doloſe addiderunt. *Qui crucifixus es, miſerere nobis,* tribuendo naturæ diuinę crucifixionem: Deus quidem, eſt Pater, Filius, eſt fortis, vnde & virtus Dei dicitur, Spiritus ſanctus, immortalis, quia æternam & gratiæ, & gloriæ vitam elargitur. Videturque ab Angelis hæc laus deſumpta, nam apud Eſaiam inueniuntur hunc hymnum Deo dicere: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius.* vbi perſonarum Trinitas in vnitate diuinitatis celebratur. Et conſtitit de hac, quia puer quidam fuit per horam in cælum raptus cum Proclo Conſtã-

Damaſc. li. 3

Orig. tract. 35. in Matthæum, longè ante mediũ. tom. 2.

Heb. 4.

In carne eſt nunquàm confidendum, ſed ſemper timendum de ea.

Heb. 4.

Pſal. 2.

Theophylac. in Matth. c. 26.

Cyprianus.

Philip. 2.

Oſe. 13.

Cyril. li. 4. in Ioan. c. 1. initio ferè to. 1.

Qua ratione Chriſtus mortem formidauerit.

Orig. ibid.
Ambr. ibid.

Petrus Gnapheus, & Eutyches olim damnati cur fuerint.

Simile.

1. Cor. 1.

Vnde illud ab Eccleſia in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio decantatur Sanctus, ſanctus, ſanctus, &c.

Eſa. 6.

Laus hymni ſacroſancti vim quam ſenſerit ciuitas Conſtantinopolitana.

tinopolitano Epiſcopo, & per illum Hymnum liberata ciuitas Conſtantinopolitana à peſte. Pulchrè autem Beatus Thomas in tertia parte de hac ipſa re philoſophatur, dicens: *Reſpondeo dicendum, quod animam in corpore conſtitutam dupliciter contingit pati. Vno modo paſſione corporali; alio modo paſſione animali: paſſione quidem corporea patitur per corporis læſionem. Cum enim anima ſit forma corporis, conſequens eſt, quòd vnum ſit eſſe animæ, & corporis: & ideo corpore perturbato per aliquam corpoream paſſionem, neceſſe eſt, quòd anima per accidens perturbetur, ſcilicet quantum ad eſſe, quod habet in corpore. Quia igitur corpus Chriſti paſſibile, & mortale (vt ſupra habitum eſt) neceſſe fuit, vt etiam eius anima hoc modo poſſibilis eſſet. Paſſione autem animali pati dicitur anima ſecundùm operationem, quæ vel eſt propria animæ, vel principalior eſt, animæ, quàm corporis. Et quamuis etiam ſecundùm intelligere, & ſentire, dicatur hoc modo anima aliquid pati: tamen ſicut in ſecunda parte dictum eſt, propriiſſimæ dicuntur paſſiones animæ, affectiones appetitus ſenſitiui: quæ in Chriſto fuerunt, ſicut & cætera, quæ ad naturam hominis pertinent. Vnde Auguſtinus dicit in quarto de Ciuitate Dei. Ipſe Dominus in forma ſerui vitam agere dignatus, humanitus adhibuit eas, vbi adhibendas eſſe iudicauit: nec enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus. Sciendum tamen eſt, quòd huiuſmodi paſſiones aliter fuerunt in Chriſto, quàm in nobis, quantum ad tria. Primò quidem quantum ad obiectum: quia in nobis plerumque huiuſmodi paſſiones feruntur ad illicita: quod in Chriſto non fuit. Secundò quantum ad principium: quia huiuſmodi paſſiones frequenter in nobis præueniunt iudicium rationis: ſed in Chriſto omnis motus ſenſitiui appetitus oriebantur ſecundùm diſpoſitionem rationis. Tertiò quantum ad effectum: quia in nobis quandoque huiuſmodi motus non ſiſtunt in appetitu ſenſitiuo, ſe trahunt rationem: quod in Chriſto non fuit: quia motus naturaliter humanæ carni conuenientes, ſi ex eius diſpoſitioni in appetitu ſenſitiuo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere quæ conueniebant.* Idem inferius ait: *Ad veritatem*, inquit, *doloris ſenſibilis requiritur læſio corporis, & ſenſus læſionis. Corpus autem Chriſti lædi poterat: quia erat paſſibile, & mortale, vt ſupra habitum eſt. Nec fuit ei ſenſus læſionis; cum anima Chriſti perfectè haberet omnes potentias naturales. Vnde nulli dubium debet eſſe, quin in Chriſto fuerit verus dolor.* Rurſus infrà: *Sicut ſenſibilis eſt in appetitu ſenſitiuo, ita & triſtitia, ſed eſt differentia ſecundum motiuum, ſiue obiectum: nam obiectum, & motiuum doloris, eſt læſio ſenſu tactus percepta: ſicut cum aliquis vulneratur. Obiectum autem, & motiuum triſtitiæ, eſt nociuum, ſeu malum interius apprehenſum, ſiue per rationem, ſiue per imaginationem (vt in ſecunda parte habitum eſt) ſicut cùm aliquis triſtatur de amiſſione gratiæ, vel pecuniæ. Potuit autem anima Chriſti interius apprehendere aliquid vt nociuũ, & quantũ ad ſe, ſicut paſſio, & mors eius fuit; & quantum ad alios, ſicut peccatum Diſcipulorum, vt etiam Iudæorum occidentium ipſum. Et ideo ſicut in Chriſto potuit eſſe verus dolor, ita potuit in eo eſſe vera triſtitia.* Et infrà: *Sicut triſtitia cauſatur ex apprehenſione mali præſentis, ita timor cauſatur ex apprehenſione mali futuri; Apprehenſio autem mali futuri, ſi omnimodam certitudinem habeat, non inducit timorem. Vnde Philoſophus dicit in ſecundo Rhetoricorum, quod timor non eſt niſi vbi eſt aliqua ſpes euadendi. Nam quando nulla ſpes eſt euadendi, apprehenditur malum vt præſens, & ſic magis cauſſat triſtitiam, quam timorem. Sic ergo timor poteſt conſiderari quantum ad duo. Vno modo quantum ad hoc quod appetitus ſenſitiuus naturaliter refugit corporis læſionem: & per triſtitiam, ſi ſit præſens, & per timorem, ſi ſit futura. Et hoc modo timor fuit in Chriſto, ſicut & triſtitia. Alio modo poteſt conſiderari ſecundum incertitudinem futuri euentus: ſicut quando nocte timemus ex aliquo ſonitu, quaſi ignorantes quid hoc ſit. Et quantum ad hoc timor non fuit in Chriſto, vt Damaſcenus dicit in 3. libr.* Hæc omnia Thomas in dicta tertia parte.

Ad quartum, quare Chriſtus aſſumpſerit hos affectus, non eſt difficile reſpondere. Hoc enim pro ſua ſapientia fecit. Primò, vt ſe verum Dominum iudicaret, vera Humanitate præditum, & Origenes, Hieronymus, & Theophyl, annotant. Deinde, vt oſtenderet animum Chriſtianum non eſſe impaſſibilem, Stoicum, & ſtupidum. vt notauit Ambroſius, ſed talem, vt huiuſmodi inſurgentes in ſe paſſiones ſuſcipiat, ſi opus eſt & vincat, vt fecit Dominus. Tertiò, quò veras Scripturas prædicentes has Chriſti paſſiones demonſtraret: *Conturbata ſunt*, inquit, *oſſa mea*. Et alibi: *Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit*; rurſus, *Anxiatus eſt ſpiritus meus; in me turbatum eſt cor meum*, & Eſaias, *Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur.* Præfiguratæ etiam fuerunt in Dauide ſubtriſti, & præ timore fugiente filium ſuum Abſalon, & patiente calumniam à Semei. Quartò, vt oſtendat mortem, quæ nobis eſt debita propter peccata, compoſitam eſſe ex his tędijs, & triſtitijs; & ideò qua promptitudine venit accipere mortem, accepit & tædia, & timores, & triſtitias, quæ pars ſunt mortis peccatis debitę, quam ſine illis vix illam aſſumpſiſſet. Quintò vt perſpicuum redderet, quòd ſicut peccatum Adæ in corde cõceptum eſt, & in opere conſummatum; ita

B. Tho. 3. par. q. 15. a 4. 5. 13.

Animam in corpore pati, dupliciter contingit.

Qu. 14. a. 2.

part 2. q. 22. art. 2 & 3.

Aug c. 9. 10. 5.

Humanæ paſſiones in Chriſto aliter quã in nobis fuere triplicites.

Artic. 5 in concluſ.

Ad veritatem doloris ſenſibilis duo requiruntur.

Qu. 14. art. 1.

Art. 6.

22. q. 35. art. 2. 10. 12.

Art. 7.

Triſtitia & timor vnde proficiſcatur.

Philoſo. lib. 2. Rhet. c. 5. circa medio. t. 6.

Timor dupliciter conſideratur.

Damaſc. libr. 3. Orthod. fid. c. 23.

Quare Chriſtus huiuſmodi paſſiones ſeu affectus aſſumpſerit.

Origenes. Hieronym. Theophyl.

II. ratio.

Ambroſ. in tom. 3.

III. ratio.

Pſal. 6.

Pſal. 68.

Pſal. 142.

Eſaia 53.

Paſſiones hæ Chriſti vbi olim figuratæ.

1. Reg. 15. Infr. 16.

IV. ratio.

V. ratio.

Chriſtus primò interius triſtatus eſt, deinde etiam in carne exterius paſſus, vt omnino noſtrum peccatum expiare valeat. Nam Dominus Ieſus non ſolum voluntariè ſubijt cruciatum externæ mortis, & paſſionis in flagellis, & in cruce, ſed etiam cruciatum internæ triſtitiæ, conſiderando peccata mundi, & omnia tormenta ſibi imminentia.

VI. ratio.

Sextò, teſtatum nobis reliquit, quòd ob ingentem triſtitiam, vel timorem vitandum, non debemus à bono cœpto retrocedere propter Deum, & propter ſalutem proximi: nec declinare ad peccata, vt frequenter facit mundus, ſed conſtanter pro alijs & triſtari, & timere, & turbari, vt Chriſtus fecit, & Samuel lugens Saulem.

Cyrill. to. 2.
VII. cauſa triſtitiæ, & timoris Domini noſtri, ex Cyrillo Alexand.
1. Reg. 15.

Septimò vt Cyrillus libr. 9. theſau. capit. 3. ſcribit: *Omnia ille perpeſſus eſt, vt nos ab omnibus liberaret. Sicut igitur niſi mortuus eſſet, mors non extingueretur: ita, niſi timuiſſet, non eſſemus nos à metu liberati: niſi doluiſſet, non ceſſaſſent dolores noſtri.*

VIII. ratio.

Octauo, vt agnoſcas quanta fuerit Domini paſſio, cuius meditatio potuit triſtitiam, & pauorem exculpere; & quantum fuerit peccatum mundi, quod cauſa extitit paſſionis, cuius imaginatio tantum animi angorem, & pauorem potuit ingenerare.

IX. & poſtrema.
B. Ambroſ. loco citato.

Poſtremo, ſecundum ſententiam Beati Ambroſij, de qua ſuperius, ſequeſtrata delectatione diuinitatis æternæ, & quorundam aliorum, qui eum in hoc ſecuti videntur, Chriſtus ſponte priuauit ſe conſolatione ex viſione Dei reſultante, quò ſic magis peccato ſatisfaceret, & triſtitia conuenienti delectationem noſtram in illo habitam expungeret: & hoc vſque ad mortem, nam poſteà ſuſcitatus dixit: *Notas mihi feciſti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua, vſq; in finem.*

Pſal. 15.
Qualis fuerit Chriſti mœror atque triſtitia.

Nam quemadmodum dum vixit, ſuſpendit animæ gloriam in corpus redundantem, vt poſſet pro nobis & pati, & mori; ita ad tempus per aliquot horas cœpit triſtari, id eſt, ſuſpendere gloriam, & delectationem animę, quę ex viſione Dei reſultabat, vt poſſet pro nobis ſupremo modo & timoris, & triſtitiæ, ſenſum habere, quod ingens eius erga nos charitatis argumentum fuit.

Simile.
Altera ſolutio difficultatis, quomodo ſcil. Chriſti anima ſummè & gaudere ſimul & triſtari potuerit.

Nam difficilè capere poſſumus, quomodo ſummus dolor exiſteret cum ſummo eius gaudio. Nam etſi vna manus poſſit in ſummo eſſe frigida poſita in niuibus, & altera in ſummo calida poſita in igne: tamen quod vna, & eadem manus ſimul ſit frigidiſſima, & ſimul calidiſſima, vix intelligim⁹. Quamuis dici poſſit, vt aliàs etiam tetigi, aliam eſſe rationē, proptereà quòd eadem voluntas non ſecundum idem fuit ſummè beata, & ſummè triſtis, ſed ſecundùm diuerſas animæ rationes, nimirum ſuperiorem, & inferiorem.

Quid eſt: Cœpit Chriſtus triſtari, & mœſtus eſſe.
Orig. tract. 35. in Matth.

Cœpit ergo triſtari: non ſignificat, parum triſtatus eſt, ſed, non eſt vltra progreſſa triſtitia, vt Origenes explicuit, quia repugnat verbum quod ſequitur: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*, id eſt, ſicut in morte, vel, vſquequo moriar. Fuit ergo grauis, quæ ſudorem ſanguineum elicuit; & diuturna, quæ vſq; ad mortem durauit. *Et an illis:* Verbo ſcilicet, quod factis iam dixerat. *Triſtis eſt anima mea.* Rationalis videlicet; *Vſq; ad mortem.* In Ieſu enim externa conueniebant internis, & ſignificat magnitudinem triſtitiæ intenſæ, & extēſæ.

Triſtitię Chriſti magnitudo, intenſæ, & extenſæ.

Intenſæ quidem, ob grauitatem doloris valentis in ſe abſorbere vitam & deducere ad mortem ob delicatiſſimam corporis temperaturam: quia Spiritus triſtis exiccat oſſa, & quidam dicuntur præ dolore peccati crepuiſſe. Hinc Euthymius exponens hæc verba, ait: *Quod ait: vſque ad mortem; tantundem eſt ac ſi dicat, ſicut in morte.* B. Hieron. ex hoc loco probat Chriſtum animam rationalem habuiſſe: *Dicat ergo*, inquit, *qui irrationalem Ieſum ſumpſiſſe animam ſuſpicantur, quomodo contriſtetur, & nouerit tempus triſtitiæ. Quanquam enim & bruta animalia mœreant; tamen non nouerunt, nec cauſas, nec tempus, vſque ad quod debeant contriſtari.* Sic ille.

Prou. 17.
Euthym. in Matth. c. 64.
Hierō. in 26. Matth. to. 8.
Brutorum mœror animaliū qualis.
Alter ſenſus.

Alter ſenſus eſt de triſtitia extenſa: Et ſicut perpetuò vſque ad horam mortis paſſus eſt in corpore, ita perpetuò contriſtatus eſt in anima. Et videtur ſenſus literalis, vt etiam Origenes notauit, quaſi dicat: Ex hoc tempore vſque ad mortem triſtis eſt anima mea.

Origen. Ibidem.

Cur autem magis triſtitiæ meminerit, quam timoris, vt verbis ſe dixerit triſtem, & non pauidum, in promptu cauſa: quia dum malum futurum, de quo eſt timor, apprehenditur vt ineuitabile, potius triſtitiam, vt diximus, generat, quam timorem, quia apprehenditur tāquam pręſens malum, quod vitari non poteſt, de quo eſt propriè triſtitia.

Cur Dominus potius triſtitiæ meminerit quā timoris.

Notatur prætereà his verbis iuſtorum triſtitiā durare vſq; ad mortem, poſteà verò cōuerti in gaudiū; ſicut Dominus dixit: *Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium*: at impiorū: & peccatorū triſtitia in morte finem nō habet, ſed augmentum. Ideò peccator ſi ſapit, doleat & triſtetur in animo ſuo vſque ad mortē peccati, vt ita viuat Deo, ſecundū illud: *Quæ ſecundū Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilē operatur.* Iuſtus etiā cōtriſtetur vſq; ad mortē veteris hominis, ſciens ꝙ huiuſmodi triſtitia admiſta eſt cōſolationi, & breui in morte terminabitur.

Iuſtorum triſtitia quando finem habeat.
Ioan. 16.
2. Cor. 7.

Si qras, cur Dn̄s ſe horrere oſtendit & verbis, & factis quod tātopere deſiderabat; hoc eſt, mortē eſt ne fortè Ieſus pœnitētia ductus de onere aſ-

Cur ſe horrere Dominus oſtendat, quā prius optauerat mortem.

re aſſumpto redimendi, vel ipſe delicacior eſt cæteris, qui eius exemplo permoti læti ad mortem venerunt, vt Andreas, Laurentius, an minori amore venit ad patiendum pro nobis, quam martyr homo pro Dei amore? Non pœnituit profectò Chriſtum de onere redimendi, ſed deſiderabat redimere, qui dicebat: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* Et ſicut redemptio ipſa continet triſtitiam internam, & cruciatum externum; ita vtrumque ſuſcipere deſiderauit. Sic etiam aliàs dixit: *Baptiſmo habeo baptizari: & quo modo coarctor vſq; dum perficiatur?* Quod ad externam attinet crucem, ſicut de interna dixit: *Calicem quem dedit mihi Pater meus, non vis vt bibam illum?* Nam ſicut baptiſmus eſt, quo exterius abluimur, ita calix quo intus potamur. Nec Martyres, qui pro illo paſſi ſunt, fuerunt fortiores, nec plus dilexerunt Deũ, quàm Chriſt⁹, vel magis dilecti ſunt à Deo, quam Chriſtus: quòd verò minus mortis cruciatus Martyres ſenſerint, ex dono Dei eis impenſo profectum fuit, & virtute Chriſti fortes erant, atq; infirmis fiunt iſti fauores; quemadmodum nobiles & magnates ſplendidius induunt ſeruos ſuos, quam ſe ipſos, quod tamen in gloriam ipſorum cedit; nam eorum expenſis, & ſumptibus fiunt. Chriſtus etiam infima opera cum maiori charitate edebat, quàm alij altioris generis actiones, vt proptereà illi non fuerint Chriſto præponendi.

Luc. 22.

Chriſti redemptio ſduo, in ſe includit.

Sap. 12.

Ioan. 18

Vnde Martyres in tormentis hauſerint conſtantiam ſuam.

Quid Chriſtus cum Martyribus feciſſe videatur.

Ad quintum, non ad inficiandum poſſe quenquam ſine peccato triſtari de morte propria vel charorum cõſanguineorum & amicorum, qui per mortem ſiuè naturalẽ, ſiue violentam ex hac vita rapiuntur. Nam hoc fecit Chriſtus & Sancti in veteri & nouo Teſtamento. Nam ſuper Stephanum mortuum viri timorati planctum magnum fecerunt: filia Iephte addicta morti duob. menſibus fleuit virginitatem ſuam: luxit & Daniel per tres hebdomadas. Denique natura quæ in triſtitiam & lacrymas prorumpit, vt animi ſui dolorem & commiſerationem ad proximum teſtetur, non peccat: nam aliquid naturæ indulgendum eſt. Et Paulus non ſimpliciter dixit: *Vt non contriſtemini*, ſed adiunxit: *ſicut & cæteri qui ſpem non habent:* quibus verbis cauet luctum ex infidelitate prodeuntem. Conſiderata tamen Chriſti gratia, & cæli ianua aperta, & fine qui peccatis & pœnis imponitur, lætandum potius eſt, quàm triſtandum. *Deſiderium habeo,* inquit Apoſtolus, *diſſolui, & eſſe cum Chriſto*; & Simeon: *nunc dimittis ſeruum tuum Domine.* Sed anima peccato mortua, pro qua Chriſtus mortuus eſt, prælugenda eſt, & triſtitia, & lachrymis proſequenda: nam eiuſmodi triſtitia de morte animæ, de qua dixit Propheta: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur*; vel animam mortuam valet ſuſcitare, vt teſtatur Chryſoſtomus, corpus autem nequaquam. Sed nos vt pueri ablato pomo de manib. lugemus; amiſſa verò gratia Dei atq; vita æterna, nullo doloris ſenſu tangimur. Demus igitur operam, vt ſeriò de peccatis noſtris triſtitiam atq; pœnitentiam concipiamus: ob hoc enim Dominus ſponte, atque ratione aſſumpſit triſtitiam pro nobis, vt noſtra quælibet, quæ cum ratione deteſtatur peccatum, ſatisfaceret coram diuino tribunali ad gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre, & Spiritu S. laudes occinunt immortales Angelicæ illæ, ac beatæ mentes ſimul & humanæ in æternis tabernaculis. Amen.

An liceat triſtari in morte propria, aut chari alicuius.

Act. 8.

Iudic. 11.

Dan. 10.

2. Theſ. 4.

Philip. 1.

Luc. 22.

Ezech. 18.

Chryſ. hom. 84. in Matt. tom. 2.

Quam triſtitiam habere debeamus.

TRACTATVS XII.

De oratione Domini in horto, in illa verba: *Et progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam, & dicens, Pater mi, ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte, veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu,* &c. Matth. 26. Marci 14. Luc. 22.

DIFFICILIS ſanè eſt orationis fundendæ apud Deum ars; eget enim ſpiritu Dei dirigente. Nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus, ipſe autem Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram. Hinc Socrates, teſte Valerio, nolebat quicquam in ſpecie à Dijs peti, niſi quid ipſis placeret: & ſanctus quidam fertur in more habuiſſe, vt Alphabetum recitaret per ordinem ante Deũ, & dicebat: *Domine, iunge literas, & à te peto quod tibi magis placet, & mihi magis expedit: quid autem ſit illud, tu melius me nouiſti.* Et B. Macarius dicebat hunc eſſe rectum orandi modum: *Deus meus quomodo vis, & ſicut tibi placet, ita fiat.* Difficile etiam eſt preces fundere, nec impetrare: quod ſæpe fit, vt meliora dentur. *Petitis,* inquit, *& non accipitis, eò quòd malè petatis*: quemadmodùm & Paulus de ſtimulo carnis Deum inſtanter deprecans non eſt exauditus. Denique ipſe Dei Filius, quò nos conſolaretur, precatus eſt, nec impetrauit; vt non miremur, ſi interdum orantes exaudimur minimè: quia non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.

Bene precandi ars quam difficilis & laborioſa.

Rom. 8.

Val. Max. lib. 7. cap. 2. ſub initium.

A dijs quid petendum ſuaderet Socrates.

Sanctus quidã vir quemadmodum oraret.

Rectus orandi modus à Macario traditus.

Iacob. 4.

2. Cor. 12.

Quid eſt quod Filij ſui calicẽ deprecantis, precem non Deus exaudiuit.

Ait ergo: *Et progreſſus puſillum.* Non ex-

Matt. 10.

Vbi Chriſtus cadeem ſit deprecatus.
Luc. 22.

primit quantum eſſet hoc puſillum: explicauit Lucas, dicens: *Et ipſe auulſus eſt ab eis quantum iactus eſt ab lapide*, ſiue, vt Græcè dicitur, ad iactum lapidis. Et aſcendit partem eminentiorem pedis Montis Oliueti, vt ſcribit Anſelmus de Paſſione: atque illa eminentia repræſentabat excellentiam precationis Chriſti, & cùm eſſet decima quarta Luna, id eſt, plena, videre potuerunt Apoſtoli cadentem in faciem Dominum, vt ait Origenes; vt diſcerent non magna, ſed humilia de ſe ſapere: propterea enim non longè progreſſus eſt, vt cerni poſſet. In verbo. *Progreſſus eſt*, non regreſſus, docet ex animi vilitate non retrocedere à veritate propter imminentem tentationem. Contra illos, qui omnem tẽtationem læſionem opinantur; cum tamen omnis tentatio, cui non aſſentimur progreſſio ſit. Quia ſi tentatio eſt vita hominis ſuper terram multum tentari eſt multum vincere: & fortius tentari, eſt vitam producere: & qui amat orationem, progreditur, & præcedit non orantem. In verbo, *Auulſus eſt ab eis*: ſignificatur amor Chriſti ad diſcipulos, qui cum difficultate auelli poterat à tam dilectis, quemadmodum arbor, quæ cum difficultate auellitur. Ideò nos eius abſentiam non ſentientes, non amamus Chriſtum. Vel dicitur auulſus, ob animi mœrorem, per quem naturaliter adhæremus amicis, à quorum conſuetudine aliquid accipimus ſolatij: & mœror ingens rapere ſolet dolentem ad aliquod perfugium, & Chriſtum rapuit ad precationis aſylum. Et ſignificabat parua illa diſtantia ab Apoſtolis, quod breui tempore, id eſt, per triduum mortis erat ab eis auellendus; & quia prælatus non debet ſeparari à grege, maximè tempore tribulationis. Quid ergo ſi laſciuiæ, vel ambitionis cauſa gregem deſerat, ſi Moyſe ſeparato ad orandum, & relicto bono vicario Aaron, populus in idololatriam incidit? Et Christus dum ſeparatur ad precationem, Apoſtoli ſuo vitio dormierunt; cum tamen vmbra Petri præſentis ſanaret infirmos, & dæmones perterrefaceret. In verbo, *Quantum iactus eſt lapidis*, Auguſtinus annotauit: *In hoc eos admonuit, vt in eum dirigerent lapidem, id eſt, vſque ad eum perducerent intentionem legis, quæ ſcripta erat in lapide: vſque ad illum enim poteſt peruenire hic lapis; quoniam finis legis, eſt Chriſtus: ad iuſtitiam omni credendi.*

B. Anſel.

Quare procidit in faciem ſuam.

Orig. tract. 35. in Matth. longè ante medium to. 2.

In eo quod progreſſus ad orandum eſſe dicitur, quid doceamur.

Iob. 7.

Cur à diſcipulis Chriſtus auulſus dicitur.

Chriſti abſentiam cum minime percipimus, eum profectò diligere comprobamus.

Domini ab Apoſtolis in paſſione auulſio illa quid indicaret.

Exod. 32.

Act. 5.

Quid quod Chriſtus ad orandum eſt progreſſus quantum iactus eſt lapidis, teſte Auguſtino.

Aug. li. 2. qu. Euangeli. q. 50. to. 4.

Sequitur: *Procidit in faciem ſuam*. Multa contingunt in oratione, vt geſtus, ſuſpiria, clamores, proſtratio, & ſimilia, quæ propterea ſolitarium locum requirunt. Docet Dominus in tribulatione, & ante pugnam colere ſtudium precandi, ſicut Moyſes in pugna contra Amalec feciſſe legitur, Ioſue contra Gabaon, Gedeon contra Moab, Iephte contra Amon, Samſon contra Philiſthæos, atq; omnes alij ſancti: quia precatio eſt telum defendens, atque offendens? Et proprium eſt ſanctorum agnoſcere inhærentem infirmitatem, & non ſibi fidere. Nec pugnat quòd orauerit poſitis genibus, vt Lucas ait: quia primò cœpit genibus flexis, deinde proſtratus, quod maioris eſt humilitatis, quæ potiſſima pars eſt bonæ precationis, & ſemper obtinere ſolet, ſecundùm illud: *Humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* Et hæc ſignis, & verbis exhibita eſt: primo poſitis genibus, & non altero tantùm; deinde proſtratione, quæ maior eſt humiliatio, indicans ſe per mortem proſternendum, & tanquam vermem calcandum. Et proſtratus eſt ne deſolaretur ſtellas ſuo aſpectu perturbato, & præ fœditate noſtrorum peccatorum, pro quibus ſuo ſanguine, & cruce expurgandis precabatur. Erubeſcebat leuare faciem ad Deum, cùm peccata totius mundi ſuſtineret, vt publicanus apud Lucam, & Eſdras ſanctus ille, qui dicebat: Deus meus confundor, & erubeſco leuare faciem meam ad te: quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſemper caput noſtrum, & delicta noſtra creuerunt vſque ad cælum, à diebus patrum noſtrorum. Nam vt quidam egregius paſſionis Chriſti meditator tradit, legimus illud, & experientia probatum eſt, ſi quem Deus permitteret videre peccata ſua, ſicut ipſe videt, præ dolore mox rumpendum eſſe cor illius, aut eum ſenſibus deſtituendum: vbi aſpiceret quanta iniuria, contemptu, vilipenſione affecerit Creatorem, & redemptorem Deum, ac Dominum ſuum: & quam turpiter, quàm indignè ſpecioſam deformauerit animam ſuam. Noluit præterea Dominus ſuos cernere, quàm ſit intolerabilis mors, antequam eam in ſeipſo vinceret, & interficeret, & impleret diſcipulos Spiritu ſuo, ne ante tempus ſcandalum perpeterentur; ſed poſtquam leonem mortis deuicit, illum eis tradidit calcandum. Orabat procidens in faciem ſuam, ipſo corporis geſtu declarans maximam cordis ſui contritionem, & humiliationem; ac nos docens in oratione animum profundè Deo ſubmittere: quod ſi fiat, conſequitur & corporis ſubmiſſio, in ſecretis præſertim orationibus. Confutanturque illo corporis Domini geſtu, qui monaſticas inclinationes: vt hypocriticas, vel vanas inſectantur; cùm ſint vel ſigna, vel excitamenta demiſſionis ſpiritus

Deut. 9.
Rom. 10.

Quare Chriſtus orãs procidit in faciem ſuam.

Precandi ſtudium quando maxime adhibendum.

Exod. 17.
Ioſ. 10.
Iud. 11.
Infra 16.

Oratio quale ſit telum.

Quid proprium ſanctorum.

Luc. 22.

Bonæ precationis potiſſima pars humilitas eſt.

Iudith. 9.

Cur Chriſtus proſtratus Patrem ſit deprecatus.

Luc. 18
1. Eſd. 9.

Eſdræ ſacerdotis in Deum reuerentia.

Taulerius li. de vita & paſſ. Chriſti. cap 7.

Cuiuſdam præclare dictum.

In eos, qui monaſticas inclinationes in precatione adhiberi ſolitas vituperant, & inſectantur.

ſpiritus noſtri debitum Deo corporis obſequium præſtantis.

Orans, & dicens. Orauit ſolus, vt Pontifex in lege ſæpius faciebat, & vt Moſes ſolus olim in monte Exod. 32. & ipſemet Chriſtus in monte Ioan. 4. *Pater mi, ſi poßibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Scilicet vis, fiat, eſt enim defectiua locutio. Ad huius loci intelligentiam in primis adducenda ſunt verba aliorum Euangeliſtarum. Nam Marcus habet: *Et orabat vt ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora* (ſcilicet mortis, & paſſionis tempus per ſynecdochen, hoc eſt, ſupplicium imminens) *& dixit: Abba, Pater, omnia tibi poßibilia ſunt: transfer calicem hunc à me. Sed non quod ego volo, ſed quod tu.* Scilicet fiat. Et dicitur Syriacè Abba, & Græcè Pater, vel emphaſis gratia, vel explicationis cauſa: explicat enim Latina vox Syriacam. Et imitatus eſt Paulus hanc inuocandi rationem, nempe Abba, Pater, ad Roman. 8. & ad Galat. 4. Lucas vero: *Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me. Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Solus Ioannes, ſecundum Origenem, huius precationis mentionem non fecit: quia ille deſcribebat Deum, cuius non eſt orare, ſed orationes exaudire. Quando vero ſecundo orauit, ſolus Matthæus refert verba quę dixit: *Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* In his primum perpendendum, varie Euangeliſtas hanc precationem Domini expreßiſſe. Sed non longe diſtant: nam ferè in eundem ſenſum conueniunt. Et vt docet Euthymius, veriſimile eſt omnia per partes dicta eſſe. Solemus enim in precationib. vnum & idem vario modo dicere. Vnum inter alia diſcutiendum, quod cum vnus dixit, *Si poßibile eſt*, alter dixit, *Si vis*. Sed facile hæc ſibi inuicem conſentiunt. Nam ſermo eſt de potentia, quam ſacri Theologi ordinariam vocant, & quæ coniuncta eſt cum Dei voluntate: ſecus eſt de potentia Dei abſoluta, quia aliter mundus redimi poterat præter quam Chriſti morte: & in vtroque laus eſt diuinæ potentiæ, & voluntatis, neceſſaria ad bene precandum, & ad precationem, quæ volumus, impetrandum. Deinde diſcutiendum quid ſit calix, & quid ſit transire calicem. Calix iſte metaphorice mortem Domini ſignificat, per figuram qua cōtinens ponitur pro contento. Eſtque ſumpta à magiſtratibus, qui multis ad mortem damnatis porrigebant potionē lethalem: vnde inter Athenienſes Socrati data eſt potio cicutæ, qua extinctus fuit, de qua Satyricus qui iam dixit:

Barbatum hoc crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit quem dira cicuta.

Photioni quoq; viro inſigniter iuſto, vt teſtatur Plutarch. in vita eius, porrectum eſt ſimile poculum: & cum carnifex ceſſaret quod pecuniam non haberet pro pretio potionis, ipſe Photio pecuniam numerari fecit, qua emeretur, & aſſiſtentibus dixit, vt admonerent filium, ne minus in Rempub. eſſet beneuolus propter ſuam mortem. Erat etiam calix medicinalis, de quo Pſalm. *Calicem*, inquit, *ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo:* declaransque quis ſit ille calix, ſubiunxit: *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.* Ac vt medicus potione & ſectione venæ externa, tanquam baptiſmo, ſanare ſolet, ita paſſio nomine calicis, & baptiſmi deſignatur. Dicitur ergo calix, quia cito tranſiuit illa mors, & delectauit eum, & ſanguinem ipſe in calice dedit, quæ potio quædam nutricis pro puero, vel capitis pro membris fuit. Generauit & in Chriſto amorem ebrietatis, & ſomnum pacis in nobis.

Ad hæc notandum, aliud eſſe, tranſire calicem à me, aliud, Tranſeat à me hora, ſcilicet mortis, vt non tangat me, vt in Exodo dicitur: Erit ſanguis vobis in ſignum in ædibus in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens, &c. & apud Matthæum Geneſareni viſo Chriſto rogabant eum vt tranſiret à finibus eorum: aliud vero eſt tranſire in me, vel per me, ſecundum illud: *In me tranſierunt iræ tuæ*, & rurſus: *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt.*

His præmiſſis, iam explicandus eſt ſenſus horum verborum. Primus ſenſus eſt B. Hilarij, dicentis: *Quod ait: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis: vellet quidē eos non pati, ne forte in paßione diffidant, ſed quo hæreditatis ſuæ gloriam ſine paßionis difficultate mereantur. Non ergo vt non patiantur rogat, dicens: Non vt ego volo, ſed vt quod Pater vult, bibendi calicis in eos ex ſe tranſeat firmitudo. Superius etiam dixerat: Tranſire à ſe calicē rogat. Nūquid ait: Tranſeat à me calix iſte? Hæc enim futura erat pro ſe timentis oratio: ſed aliud eſt vt tranſeat deprecari. In eo enim quod à ſe tranſit, ipſe ille à moleſtia tranſeuntis excipitur. Qui autē vt à ſe tranſeat, rogat, non vt ipſe prætereat, orat, ſed vt in alterum id, quod à ſe tranſit, excedat. Verus quidē ſenſus, & ſubtilis, & propter eū, qui dixit, etiā acceptione dignus: literalis tamen nō videtur. Quia calix non eſt proprie peccatum, vel ſcandalum, ſed pœna ipſius. Et textus dicit: Transfer calicem à me, non à diſcipulis: & orabat vt tranſiret ab eo hora, ab eo ait, non ab alijs. Chriſtus præterea nihil pro ſe ſecundū illū ſenſum precatus fuiſſet. Adhæc non videntur quadrare verba ſequentia huic ſenſui, quando ait: Veruntamen non mea voluntas,*

Marc. 14.

Syriaca habent: Abba Abbi, id eſt Pater Pater mi.

Rom. 8.

Galat. 4.

Luc. 22.

Cur Ioannes huius precationis mentionem non fecerit, ſecundum Origenem

Orig. ibid.

Euangeliſtę in oratione Chriſti in horto calicem deprecantis deſcribenda ſecum vt ipſi conueniant.

Euthym. in Matt. ca 64.

Qua potentia nequiuit calix à Chriſto tranſire ni eum biberet.

Calix iſte quid denotet.

Vnde calicis metaphora ſit deſumpta.

Perſ. Sat. 4. initio.

Socrates & Phoiio poiu veneni extincti ſunt.

Plutarch.

Photionis in rempub. [illegible] benignitas.

Pſal. 115.

Calix ſalutaris apud Prophetam quis ille ſit.

Paſſio Domini cur calix nominetur.

Hæc duo: Tranſeat à me calix iſte, & Tranſeat à me hora, eſſe inter ſe diuerſa.

Exod. 12.

Matth. 8.

Huius dicti Tranſeat à me calix iſte, variæ explicationes Petrum atque ſententiæ.

Pſal. 87.

Pſal. 76.

Primus ſenſus B. Hilarij can. 3. in Matth.

Refellitur hic ſenſus Hilarij.

Luc. 22.

potis conſeruanda, alicui ſit membrum aliquod abſcindendum, appetitus naturæ, cuius officium eſt omnia membra conſeruare, nollet abſciſſionem, atque illi repugnaret: appetitus vero ſenſitiuus propter dolorem maximum in continui diuiſione, horreret maxime, & fugeret talem abſciſſionem, tamen voluntas rationis videns nõ aliter totius corporis poſſe ſalutem conſtare, elegit membrum noxium igne & ferro præcidi. Nec hoc eſt voluntatem voluntati repugnare, vel ſenſum rationi: quia eſt motus cuiuſq; facultatis naturalis: natura enim, & ſenſus in homine etiam perfectiſſimo, & deliberato pro Chriſto morte͂ oppetere, naturali inſtinctu horret dolores, & mortem, illa tamen, id eſt, natura & ſenſus ſubijci debent deliberationi rationis. Quia ergo in Chriſto facultates naturales ſinebantur agere quod proprium cuiuſq; erat munus, idcirco ſicut ratione ſuperiori deliberate mortem ſitiebat, & pro mundi redemptione amabat, ita natura Chriſti, & ſenſus delicatiſſim⁹ in eo naturaliter mortem horrebat. Precatur ergo Dominus non pro ſe, vel dono aliquo obtinendo, quo eſſet deſtitutus:

Ioan. 1.

quia ab inſtanti conceptionis plenus erat gratiæ, & veritatis, de cuius plenitudine nos omnes accepimus, & gratia pro gratia, vt Ioannes inquit, ſed pro paſſionibus corporeis, quas aſſumpſit: non quidem quod illas nollet ineſſe ſibi, ſed vt oſtenderet ſe eſſe verum hominem, & non poſſe naturali inclinatione non dolere de paſſione, ac proinde diuina egere conſolatione, ſecundum id:

Matth. 27. Pſal. 21.

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Ratio igitur Domini Ieſu, quæ ſemper diuinæ voluntati fuit conformis, & à cuius regula nunquam naturalis, vel ſenſitiuus appetitus declinauit, tanquam aduocata quædam & patrona appetitionis naturæ, & ſenſus proponit eorum deſideria, & petitiones, quod videlicet naturaliter horrent mortem, & tamen ratio deliberata dictat morte͂ illius eſſe bonam, & commodam pro ſalute mundi, ſubijcitque ſe cum omnibus appetitibus diuinæ voluntati.

Qua ratione Chriſtus mortem expetebat.

Quantum ad actum tamen diuinæ voluntatis, conſentanei motus illi erant, quia per eos volebant id, quod Deus volebat illos velle. Chriſtus tamen voluntate libera, & ſumma charitate affecta pati, & mori pro ſalute mundi deſiderabat. Et hæc erat conformis diuinæ voluntati non tantum in obiecto, ſed etiam in ipſo actu nolendi: alioqui eius paſſio, nec ſibi, nec nobis fuiſſet alicuius meriti. Et quia in hac oratione abſoluto & deliberato animo voluntatem æterni Patris compleri volebat, ideo in ea, ſicut in cæteris omnibus ſuis orationibus, exauditus eſt pro ſua reuere͂tia.

Hebr. 5.

Et quia quod ſentiebat ratio inferior, id eſt natura & ſenſus, in eo non ſimpliciter orauit, quare nec fuit exauditus reuera, exaudiendus proculdubio, ſi ſimpliciter oraſſet: propterea verbum illud, ſi poſſibile eſt, modificatio eſt, reſpiciens diuinam potentiam, non abſolutam, quia poterat aliter mundus redimi, ſed ordinatam. Ideo Lucas quaſi explicans Matth. dixit: *Pater, ſi vis:*

Luc. 22.

nam conditio illa ponitur propter inferiorem rationem: Non enim ideo reſtrinxit: *Si poſſibile eſt*, quaſi ipſe Ieſus ignoraret, qui omnia nouerat, ſed quia ratio inferior ordinem definitum à diuina ſapientia prorſus neſcit: quia ipſius non eſt ſcire ſupremas rationes, ſed conſiderare externas rationes, id eſt, quæ ſecundum res creatas congruunt, vel diſſonant. Et propterea ſic orat: Scio, Domine, aſperrimam mortem fore, quam me vis ſuſtinere: ſed naturam, & ſenſum eam inhorreſcere indico. Opto gloriam tuam, & hominum liberationem, quam mea morte vis operari, ſi aliter fieri poſſet, vellem: ſed quia non poteſt, fiat voluntas tua: voluntarie ſacrificabo tibi.

Pſal 115.

Sicut alio loco cum oraſſet: *Pater ſaluifica me ex hac hora*, ſcilicet mortis:

Ioan. 12.

poſtea corrigens dictum, ſubiunxit: *Sed propterea veni in horam hanc: Pater, clarifica nomen tuum.* Orauit ergo pro carnis affectu, vt carnis orationem, ſpiritus oratione vinceret. Caro aperta fronte deprecatur crucem, & mortem, nec poteſt eam diligere: ſed ſpiritus corrigit, & vincit eam. Hunc ſenſum communiter ſequuntur Patres, inter quos Origenes in hæc verba Matthæi, ait:

Orig tract in Matth. longe ante med. tomo 2.

Secundum quod cœpit pauere, & triſtari, ſecundum illud orat & calicem paſſionis tranſire à ſe: ſed non ſicut vult, ſed ſicut vult Pater: hoc eſt, non ſecundum ſubſtantiam eius diuinam, & impaſſibilem, ſed ſecundum naturam humanam, & infirmam. Suſcipiens enim naturam carnis humanæ, omnes proprietates impleuit, vt non in phantaſia habuiſſe carnem exiſtimaretur, ſed in veritate: ſecundum quod in hoc loco orat calicem paſſionis tranſire à ſe, ſed non ſicut vult ipſe, ſed ſicut vult Pater. Quoniam proprium eſt omnis hominis fidelis

Omnis fidelis proprium quid ſit.

primum quidem nolle pati aliquid doloris, maxime quod ducit vſque ad mortem, quia homo eſt carnalis: ſi autem ſic voluerit Deus, acquieſcere, etiam contra voluntatem ſuam, quia fidelis eſt, ne plus videatur in ſe deſperare, quam in Deum ſperare. Nam ſicut multum confidere non debemus, ne noſtram virtutem videamur profiteri, ſic multum puſillanimiter agere, & diffidere non debemus, ne Dei adiutoris noſtri impotentiam videamur pronuntiare. Hunc eundem

Chryſ. ho. 84. in Matt. to. 2.
Theophyl in Matt. 26.
B. Thomas.
Ambr lib. 10. in Luc. to. 5.

dem ſenſum ſequuntur Chryſoſtomus, Theophylactus, atque Beat. Thomas, & illum videtur agnouiſſe Ambroſius: *Harent,* inquit, *plerique hoc loco, qui triſtitiam Saluatoris ad argumentum inolitæ potius à principio, quam ſuſceptæ ad tempus infirmitatis inclinant, & naturalis ſenſum cupiunt retorquere ſententiæ. Ego autem non ſolum excuſandum non puto, ſed etiam nuſquam pietatem eius maieſtatemque demiror. Minus enim contulerat mihi, niſi meum ſuſcepiſſet affectum. Ergo pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit quod doleret: & ſequeſtrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur.* Et infra: *Sed quid mirum, ſi pro omnibus doluit, qui pro vno fleuit? Et quid mirum, ſi moriturus pro omnibus tadeat, qui Lazarum reſuſcitaturus illacrymat? ſed & ibi præ ſororum lacrymis commouetur, quia mentem humanam tangebant: & hic alto operatur affectu, vt quia in carne ſua peccata noſtra perimebat, mœrorem quoque animæ noſtræ ſuæ animæ mœrore aboleret. Et fortaſſe ideo triſtis eſt, quia poſt Adæ lapſum tali tranſitu nobis erat ex hoc ſeculo recedendum, vt mori eſſet neceſſe. Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, & ideo faſtidit quod ipſe non fecit. Denique ait (Transfer à me calicem iſtum) quaſi homo mortem recuſans, quaſi Deus ſententiam ſuam ſeruans.* Et reliqua. Sic Ambroſius ſcribens in Lucam. Idem ſentit Leo Papa ſermon. de Paſſione Domini.

Ioan. 11.
Gen 3.
Sap 3.
Leo Pap. ſer. 5. & 7. poſt med.

Secundû ſenſum orare, cur Chriſto, & nobis minime conueniat.
Orat o cuius facultatis munus ſit.

Secundum autem ſenſum orare nec Chriſto, nec nobis proprie conuenit: tum quia motus ſenſus ſenſibilia non valet tranſcendere: quod tamen ad orandum exigitur. Deinde oratio in ſuo ſignificatu includit ordinem quendam, quo quis petit aliquid à Deo impleri, quod ſolius eſt rationis: nam oratio, actus eſt rationis, quare ad ſenſum ſpectare non poteſt.

Oret quatenus ſenſus.

Dicitur ergo ſenſus orare impropriè, quatenus ratio precando Deo proponit quod eſt in appetitu ſenſitiuo tanquam eius aduocatus & procurator. Ita in Chriſto accidit: quod propter tria fecit.

Quare Chriſtus poſtulauerit calicem à ſe transferri.

Primo, vt oſtenderet, ſe veram humanam naturam ſuſcepiſſe cum omnibus affectib. naturalibus. Deinde vt indicaret quod homini licet ſecundum naturalem appetitum aliquid velle quod Deus non vult. Poſtremo vt exemplo ſuo doceat hominem proprium affectum ſubijcere diuinæ voluntati, etiamſi ſenſus aut caro reluctetur: quia tunc orantis exauditur precatio, quando eius voluntas impletur.

Preces noſtræ quando exaudiantur.

Voluntas autem hominis, ſimpliciter eſt voluntas rationis deliberata: quod autem nolumus ſecundum motum ſenſus, aut naturæ, non ſimpliciter volumus, ſed ſecundum quid, ſcilicet ſi aliud non obſtet, quod per deliberationem rationis inuenitur. Ideo hęc potius eſt dicenda velleitas, quàm abſoluta neceſſitas: quia ſcilicet hoc vellet, ſi aliud non impediret.

Vere & abſolute quando aliquid velimus.

Secundum autem voluntatem rationis nihil voluit niſi quod nouit Deum velle. Hinc omnis abſoluta voluntas, etiam humana, in Chriſto ſemper fuit impleta; quia fuit Deo conformis, & ſic omnium aliorum orationes exaudiuntur: nam teſte Paulo ad Romanos: *Qui ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret ſpiritus* (id eſt, quid faciat deſiderare) *quoniam ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis*, id eſt, ſecundum conformitatem ad diuinam voluntatem facit poſtulare.

Rom. 8.

Cur Chriſtus calicem quem prius ſitiebat, modo deprecetur.
Matt 16.
Ioan. 18.

Dices fortaſſis, Quare cum coarctaretur præ deſiderio calicis bibendi, & Petrum ab eius potione reprehēderit auertentem: dicenti enim: *Abſit à te Domine, non erit tibi hoc*, reſpondit: *Vade poſt me Satana*, & iterum in captura reprehendit eum: *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Cum ergo iam veniſſet tempus bibendi, quare deprecabatur calicem: & quē niſi prior ille bibiſſet, quis noſtrũ biberet?

Quare cum Chriſtus pro debitis peccatorum noſtrorũ pateretur, huic voluntati non reſtiterit calicem deprecanti.

Reſponderi poſſet, ante hanc orationem Chriſtum abundanter diuinæ iuſtitiæ ſatis feciſſe, & ita poſſibile erat non bibere. Adhæc vna pars mortis & pœnæ debitæ peccato eſt, nolle pati mortem: ideo tanto durius illam pati, quanto eſt magis cōtra ſuam volũtatem. Dices: Quare Chriſtus, qui patiebatur pro debito noſtrorum, nō reſtitit huic voluntati de non bibendo calice: & multo minus debuit conſentire precationi huic, qua deprecabatur calicem? Reſpondemus, inter pœnas peccato debitas vnam eſſe, peccatorē ad Deum accurrere per orationem, & nō exaudiri, & pati repulſam, & repulſæ dolorem pro nobis. Deinde vt conſtaret nobis quam aſpera ſit mors, & amarus calix, pro quo transferendo non eſt exauditus, & quod Chriſtus non eſt paſſus ambitioſè ſine Dei voluntate, vel cum voluntate Dei magis propenſa ad non patiendum, vel cum voluntate Dei ęque inclinata ad patiendum, atque ad non patiendum, ſed cum Dei firma voluntate ad patiendum (intellige ratione præſcientiæ diuinę) quia in opere redemptionis voluntas Dei eſt principalis, at Chriſti humilis & obedientis voluntas adminiſtra eſt, & inſeruiēs, vt gloriari propterea poſſimus de noſtra redemptione.

Quare paſſus ſit Chriſtus.

Etſi Chriſtus non recuſauit calicem, quia illa fuit Dei voluntas, nec nos facti eius membra recuſare debemus, quia ob id ipſe paſſus eſt, non vt nos non patiamur, ſed vt cum fructu patiamur & calicem noſtrum ad ſalutem bibamus, paſſioneſque quæ inferuntur, vincamus

Atque huius fructuoſe patiendi modi dedit nobis Chriſtus meritum, exemplum, & præceptum: & propterea non ex ambitione bibit calicem, vt cogeret nos ad bibendum, ſed vt oſtenderet, illam eſſe meram voluntatem Dei, etiamſi voluntati eius naturali, & ſenſui eſſet contraria. Item, vt orationes noſtræ in fide Chriſti à Deo minime refutētur, ſed ſemper ad eum ſcopum exaudiantur, vt calix internus vel auferatur vel minuatur, vt multis Sanctis, qui paſſi ſunt cum feruore & hilaritate ſpiritus, contigiſſe experimur, vel vt externus magna ex parte leniatur, ac mitigetur, vt beſtiæ, ignis, aqua, & rota, & ſimilia Sanctis ceſſerunt, vel vt calix intus & extra amarus virtute Dei vincatur, licet Chriſto exaudiri non expedierit. Accedit poſtremus ſenſus B. Catharinæ Senenſis, quæ vt in eius vita frater Raymundus à Confeſſionibus eius, teſtatur, explicabat hæc verba: Transfer calicem hūc à me, ad ſimilem modum: Tempus eſt vt hic calix, quem ab inſtanti conceptionis meæ bibi per deſiderium vſque in hanc horam, vt tandem aliquando patiendo atrociſſimam mortem, quam mihi paratam video, re ipſa bibam. Et ideo accelerari deſidero: nam ſemel ebibitus trāſibit à me completa obedientia tua, & reſtituto tibi, ô Pater, honore, & hominibus ſalute quam perdiderant. Ita vt hæc verba complectantur ardens, & intenſum deſiderium bibendi calicem: ſicut illud: *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar*, & illud: *Baptiſmo habeo baptizari: & quomodo coarctor vſque dum perficiatur?* Et aſſerebat hæc ſancta virgo, hunc eſſe illius loci illuſtriorem ſenſum. Et ſicut in priori, & communi illa expoſitione, Chriſtus induebat perſonam imbecillium, & propter carnis infirmitatem mortem deprecantium, ita in hoc poſteriori ſenſu dicebat Dominum induiſſe fortium, & magnanimorum perſonam, qui fortiter omnia aduerſa ſuſtinent, & à ſe omnem ſenſus timorem repellunt, & in zelo honoris Dei, & ſalutis animarum, atque adeo in virtute rationis non ſolum non orant pro ablatione calicis, ſed etiam ſupplicant pro acceleratione calicis, mortem ipſam inuitant vt veniat, vt conſtat multos Martyres feciſſe, in quorum ſpiritu hanc precem Chriſtus effudit. Nec mirum eſſe dicebat, hos ſenſus etſi inter ſe contrarios, eidem literæ conuenire poſſe: quia non erant præciſè ſecundum eandem animæ partem intelligendi, & quia in illa Domini agonia duo erant affectus contrarij, alter horrens mortem ſecundum carnē, alter ſecundum

Preces noſtræ quo tendere debeant.

Quintus ac poſtremus ſenſus B. Cathari. Senenſ.

Frater Raymund. li. 2. B. Catharinæ Senenſ. c. 29

Luc. 22.

Supr. 12.

Luc. 22.

ſpiritum illam deſiderans, & amplectens. Aduerte etiam dupliciter poſſe accelerationem mortis deſiderari: vel ex animi mollitie, & impatientia, vt multi olim Gentiles, inter quos Marcus Cato, & Pomponius Atticus, & Marcus Antonius, qui præ vitæ tædio, vel morbi grauitate manus ſibi violentas iniecerunt, vel ex fortitudine ſpiritus, & zelo honoris Dei, ſicut multi Martyres fecerunt, qui ſe certo mortis periculo obijciebant ſponte pro Chriſti gloria, atq; de his loquitur ſancta illa virgo in huius loci expoſitione ſatis probabili & docta. Tamen ſi ſubtilius verba Chriſti perſcrutemur, quædam ſunt quæ illum ſenſum reſpuunt. Et primo illud verbum: *Tranſeat à me*, ſcilicet calix iſte, & me non tangat, vel abſcedat à me. Tranſeat in me, ſicut illud: *In me tranſierunt iræ tuæ, terrores tui conturbauerunt me.* Secundo Marcus & Lucas aperte aiunt: *Transfer calicem hunc à me.* Et cum ſecundo oraſſet eundē ſermonem iuxta Marcum, refert Matt. Dominum dixiſſe: *Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum, fiat voluntas tua*, ergo tranſire calicem à ſe, erat illum non bibere. Tertio, non quadrat verbo illi: Si vis, vel, ſi fieri poteſt, quia fieri poterat, & volebat Deus vt biberet calicem, & iam actu per triſtitiam bibebat. Quarto, non quadrat cōſequentibus: *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, ſcilicet vis, quia in bibendo calice etiam accelerato non erat differentia voluntatis diuinæ, & humanæ ratione præditæ ac deliberatæ, ſed erat conformitas. Quinto, non quadrat præcedentibus: *Cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe*, &: *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem*, quæ omnia manifeſte imbecillis carnis & trepidantis ſunt ſigna: atque ita deprecatio iſta non eſt partis ſuperioris, quæ erat fortis, ſed humanę & inferioris trepidantis, ac mortem deprecantis. Sexto, etſi verū ſit, quod in ſenſu iſto ſit exemplum fortium, qui libenter patiantur, ſicut in alio cōmuni eſt exemplum debilium, & infirmorum, tamen maioris charitatis ex parte effectus, non affectus fuit orare in communi ſenſu, quam in iſto ſecundo: quia maioris charitatis eſt iuuare multos, qui debiles ſunt, quā paucos qui fortes. Septimo, repugnat etiam duos actus contrarios voluntatis, id eſt, Volo mortem, &, Nolo mortē, eiſdem omnino verbis explicari, etiamſi eſſet in agonia, & lucta ſpiritus contra carnem: niſi dicamus quod Dominus modo diceret in vno ſenſu, modo diceret in altero, ſecundū illud Poëtæ cuiuſdam: (idem:

Sæpe precor mortem, mortem quoque deprecor

Hæc in illum ſenſum occurrebant.

Duobus modis optari mortis accelerationem.

Qui ſibiipſis mortem conſciuerunt.

Eiuſmodi ſententiam Chriſti verbis minime congruere.

I. Ratio.

Pſal. 87.

Secunda.

Marc. 14.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Patris animæ inferioris officium.

Sexta.

Septima.

Ouid. lib. 1. de Pont. Eleg. 2.

Quem locum habere poſſet eiuſmodi interpretatio S. Catharinæ Senenſis.

Tamen pro tuendo illo ſenſu in primis ſe mihi offerebat, quod illi duo ſenſus non eſſent inter ſe cõtrarij, ſed diuerſi, & diuerſarum facultatum, nimirum carnis, & ſpiritus, non autem carnis, & carnis, vel ſpiritus, & ſpiritus; quia ſic contradicerent. Deinde videmus, in eadem clauſula nomen peccati varie accipi, & pro vero peccato, & pro hoſtia expiante peccatum. Nam Paulus ait: *Eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit*, & iterum: *De peccato damnauit peccatum in carne*, & illud: *Expedit vobis, vt vnus moriatur pro populo*, duplicem habet ſenſum, alterum ad mentem Spiritus ſancti, alterum ad mentem Caiphæ. Adhęc erat Chriſtus in agonia, & luctu carnis, ac ſpiritus, & modo poterat dici in ſenſu carnis, modo in ſenſu ſpiritus. Item ſatis calix tranſit à me, quando non lædit, ſed tollitur eius amaritudo, & vincitur malum. Eſtq; nobiliſſimus tranſeundi modus in pœnis, quia addit victoriam mali, & inimici: ſecus eſt in culpis, quia excellentius eſt præſeruari, quá poſt lapſum ſubleuari, quemadmodum cum dicimus: *Sed libera nos à malo*, non ſolum petimus præſeruari malo, ſed vt in bono malum vincamus. Ita Paulus ait nos liberatos à lege peccati, & mortis: non quod fomes, vel mors amplius in Chriſtianos nó graſſentur, ſed quod non regnent, neq; dominentur. Quia non faciunt declinare à lege Dei, imo Dei gratia fulti facimus cum tentatione prouentum, id eſt, cum fomite & morte luctantes, meritum nobis, & coronam comparamus. Et confirmatur hic ſenſus per Epiphan. qui in Ariomanitas, & iterum in Ancoratu tractans hæc verba: *Tranſeat à me calix iſte*, cum obiecisſet ſibi quod dixiſſet: *Poteſtis bibere calicẽ quẽ ego bibiturus ſum*, & Petro dehortanti à morte dixerit: *Abi retro me Satana*, reſpondet: *Qui ante mortem dixit de morte, vel ob ipſam ne deprehenderetur mẽdax, nõ potuit precari vt tranſiret poculũ, ſed prouocat per hunc modũ aduerſariũ, quo illo opinante timere Saluatoré inducat ipſi mortem ad ſalutem morientib. per diſpenſationem. Idq; paulo ante probat ſimilitudine magni in inferiorẽ præliantis, & quandoq; fugã ſimulantis, vt inimicũ prouocet ad certamen, & ita eum perimat*. Hæc dici poſſent ad tuendum ſenſum illius virginis, non ſolum vt verum, ſed etiam vt literalẽ, & germanum. Et ita cum orauit, *Si vis*, vel, *Si fieri poteſt*, ſciebat Deum velle, & poſſe accelerare, & quod non vult præferri ſuá, ſed diuinam voluntatem, & ſe Deo ſubijcere: ita vt ſi etiam vellet eo tempore morté non accelerari, ſed adhuc animum paueſcẽtem in timore mortis, & triſtitia detinere, idem etiam ipſe maxime vellet: quod certe non minus graue eſt ipſamet morte.

2\. Cor. 5.
Rom. 8.
Ioan. 11.

A culpis præſeruari, quam poſt lapſum ſubleuari, longe præſtantius.

Matth. 6.

Rom. 8.
Quo ſenſu Apoſtolus dicat à lege peccati, & mortis nos liberatos.

1\. Cor. 10.
Facere in tentatione prouentum iuxta Apoſtolum quid.

Epiphan. in hæreſ. 69.
Matth. 20.
Supra 16.

Alter ſenſus virginis euſdem.

¶ Eadem tamen virgo in eodem loco in ecſtaſi poſita fertur alià quoque ratione illum locum interpretata. Nam repræſentata ante ſpirituales Domini Ieſu oculos obſtinatione, & malitia hominum reproborum, qui priuabant ſe fructu tantæ crucis, & amore ſalutis illorum accenſus venit in agoniam, & ſudorem, rogando transferri talem calicem in æterna damnatione tot animarum: & ideo petebat Dominus, ſi fieri poſſet, vt illis parceret, & parcendo, tolleret calicem à ſe. Et reuera, vt ait hæc virgo ſancta, obtinuiſſet, ſi abſolute precatus fuiſſet. Et quia ſciebat poſſibile, dixit, *Abba, Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt*. Sed ipſe coactus amore iuſtitiæ, addidit: *Sed non quod ego volo, ſed quod tu*, Id eſt, etſi amem creaturas ratione præditas, & ex parte mea nolim earum æternam damnationem, tamen Pater, acquieſco voluntati iuſtitiæ tuæ, quæ etiam mea eſt, & illam pręfero meæ, quam vt homo gero ad homines. Hic ſenſus concurrit cum illo Hieronymi ſuperius enarrato, & nihil pro ſe Chriſtus precatus fuiſſet. Et proprie non erat Chriſti calix æterna damnatio animarum, ſed mors præſens. Imo etiam Ambroſius ſuper Lucam eundem ſenſum attingens, ait: *Triſtis erat, quia nos paruulos relinquebat. Cæterum quam conſtanter ſe morti obtulerit, conſequentia declarant: quandoquidem quærentibus occurrit, turbatos confirmauit, trepidos prouocauit, proditorem oſculi dignatione ſuſcepit. Nec illud diſtat à vero, ſi triſtis erat pro perſecutoribus ſuis, quos ſciebat immanis ſacrilegij pœnas daturos. Et ideo dixit: Transfer hunc calicem à me. Non quia Deus Dei Filius mortem timebat, ſed quia nec malos pro ſe perire volebat*. Hæc ille. Ex illo autem verbo: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, grande habemus exemplum, de quo Leo Papa ſerm. de paſſion. Dom. ait: *Hæc vox capitis ſalus eſt totius corporis, hæc vox omnes fideles inſtruxit, omnes confeſſores accendit, omnes martyres coronauit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis poſſet perſecutorum ſuperare terrores, niſi Chriſtus in omnibus, & pro omnibus patiens, Patri diceret, Fiat voluntas tua? Diſcant igitur hanc vocem omnes Eccleſiæ filij, magno pretio redempti, gratis iuſtificati. Et cum aduerſitas violenta alicuius tẽtationis incubuerit, præſidio potentiſſimæ rationis* (alia lectio habet, *orationis*) *vtantur, vt ſuperato tremore formidinis, accipiant tolerantiam paſſionis*. Hæc ille magnus Pater, Primo ergo diſce, magnam eſſe dignitatem facientium voluntatem Dei, quia ille non eſt homo, ſed Deus: *Ille*, inquit, *meus frater, ſoror, & mater eſt*. Deinde in fide petamus auferri calicem noſtrum à Deo, quia vel auferetur, vel dabitur virtus fructuoſe bibendi, &

Marc. 14.

Ambr. lib. 10. in Luc. c. 22. in fin. tom. 5.

Leo Pap. ſer. 7. de paſſ. Dom. in fin.

Dum Chriſtus ſuam Patris ſubdidit voluntati, quæ nobis documenta tradiderit.

Primum.

Matt. 12.
Secundum.

di, &

Rom. 12. di, & vincendi in bono malum. Et non tantum diſcamus dicere, *Fiat voluntas tua*, in his quæ Deus voluntate beneplaciti probauit, & cui nemo poteſt reſiſtere; ſed etiã in his, quæ vult voluntate ſigni; quæ declaratur præcepto, prohibitione, actione & permiſſione. quatenus ſc. ſinit nos Deus affligi à malis. Curemus quoq; bene operari, non quia nobis placet, vel quia iuſtum nobis videtur, ſed ob id maximè quia eſt voluntas Dei, & vt ipſe nobis inſpiret facere quæ ſibi probantur. Adhęc Chriſtus orans ac petens à Patre id, quod à ſeipſo habere poterat, docet nos, qui nihil ex nobiſipſis poſſumus omnia à Deo poſtulare, & vt exprimatur amoris noſtri erga eum affectꝰ: quia talis eſſe debet, vt velimus magis ab amico noſtro habere, quàm à nobiſipſis: nam chariora eſſe debent, quæ à Deo ipſo habemus, quam quæ à nobis. Quod non facimus, quando non amamus, vel non vehementer amamꝰ: nam tunc nemini, nos obſtringere volumus. Vnde Chriſtus homo factus eguit, & petiuit à nobis, vt ſe nobis redderet obligatum. Præterea ex eo quod petimus præferri noſtræ diuinam voluntatem, gaudendum eſt, etiam cùm dolorem auferre non poſſumus. Sic enim quidam Sanctus dicebat ſe gaudere, quòd dolorem auferre non poſſet: quia ſic plenè fieret in eo voluntas Dei, quàm ipſe fortè, ſi poſſet, non ſequeretur, ſed ſuam diuinæ præponeret, dolorem à ſe pellendo. Ita vt non modò cùm petimus iniuſta, & indifferentia, ſubijciamus noſtram diuinæ voluntati, ſed etiam cùm iuſta, & neceſſaria ad ſalutem poſtulemus, non noſtram, ſed eius fieri voluntatem: quia ipſe vult nobis ea perfectiori, & nobiliori modo, quàm nos ipſi nobis illa velimus. Poſtremò, non decet diuinam voluntatem ad noſtram deijci, quia eſſet rectum deducere ad obliquum; ſed noſtram aſcendere ad Deum, quod eſt id quod tortuoſum eſt, per rectum corrigere. Et nos voluntati diuinæ vim conamur inferre; cùm tamen vis noſtræ voluntati ſit inferenda, illaque per diuinam expugnanda, vt ſcilicet quæ ipſe vult, & quomodo vult, velimus. Et dicere, Non mea voluntas, ſed tua fiat; perinde eſt ac ſi quis Deum verbis, ac promiſſionibus ſuis ad exaudiendum ligatum & ad faciendam noſtram voluntatem quaſi coactum, perinde inquam eſt, ac ſi eum ſolueret, & honoraret; & ſeipſum ligaret, ac diceret: Domine, fac de me, quidquid tibi libuerit, ac placuerit. Beati igitur quibus tam præclarè, & honorificè ſentire de diuina voluntate datum eſt: quia ipſi ſemper exaudientur à Deo, & fructum ampliſſimum ſuæ exauditionis colligent, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre, & Spiritu ſancto æternus eſt honor, imperium, & gloria in ſeculis ſeculorum, Amen.

Gen. vlt. & ſæpe alias.

III. docum.

Amoris noſtri erga Deum affectus qualis eſſe debeat.

IV. docum.

Quemadmodum de diuina voluntate ſentiret vir quidã ſanctus.

V. docum.

Bene de diuina voluntate ſentire quantum bonu fit.

TRACTATVS XIII.

In illa verba: *Et venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes: & dicit Petro: Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Iterum ſecundò abijt, & orauit, dicens*, &c. Matth. 26. Marci 14.

FVSIORI ſermone præcedenti Tractatu illius orationis, quam Dominus habuit in horto, verba diſcuſſimus, & quem potiſſimùm ſenſum illa verba ad literam facerent, examinauimus: pauca adiungemus adhuc ad maiorem intelligentiam. Et primum eſt, an fuerit voluntaria mors Chriſti, necne; quia videtur partim illa voluiſſe, partim detrectaſſe. Reſpondeo: Voluntaria fuit ſimpliciter, ſi conſideres voluntatem rationalem in Chriſto, etiamſi ſenſus, & natura aliqua ex parte eam detrectarent: quemadmodùm imminente tempeſtate proiectio mercium in mare, & præciſio membri noxij ſimpliciter eſt voluntaria, etiamſi ſecundùm aliquid à ſenſu, & natura recuſetur. Quare rectè dixit: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*; &: *Voluntariè ſacrificabo tibi*; &: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*, id eſt, non impediuit, vel fugit. Alioqui ſi voluntaria non erat, nec meritoria ſibi, vel nobis fuiſſet. Natura etiam, & ſenſus in Chriſto, non conueniebant cum diuina voluntate in obiecto deſignato, ſed bene in actione voluntatis, quia volebat ſenſus, & natura, quod Deus illa velle volebat. At voluntas ratione prædita conſentiebat per omnia cum diuina voluntate, non tantùm in obiecto, & actu volendi, ſed etiam in modo: quia vt illam illatam permittebat Deus, & ordinabat ad ſalutem mundi, ita Chriſti voluntas eam permiſit, & acceptatam obtulit ad gloriam Patris, & humani generis redemptionem. Et quia ſecundum illam ſimpliciter dicitur quis velle vel non velle, proptereà ſimpliciter dicendum, quòd paſſio ex parte

An fuerit voluntaria mors Chriſti, nec ne.

Qualis Chriſti voluntas moriendi.

Ioan. 10.

Pſal. 53.

Eſa. 53.

Ni voluntaria mors Chriſti fuiſſet quid inde.

Cyrill. lib. 4. in Ioan. ca. 1. init. to. 1.
Ioan. 6.

Chriſti voluntaria extiterit. Hinc Cyrillus in illud Ioannis: *Quia deſcendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me, Patris*, ait: *Quid autem erat quod voluntarium, & non voluntarium Chriſto fuiſſe dicimus? Iudæorum in illum iniuriæ, flagella, ſputa, calumniæ, mors ipſa; hæc enim propter nos paſſus eſt Chriſtus. Nam ſi potuiſſemus nos ſaluari (quod illi ſtudio erat) abſque paſſione omnino ſua, noluiſſet certè opprobria illa pati. Verùm quoniam libera voluntatis poteſtate vſi Iudæi, omnino cenſuerunt tot, tantaq; ipſi facere; admittit paſſionem propter nos, & facit voluntarium ſibi quod per ſe erat inuoluntarium, propter humani generis vtilitatem, Patre aſſentiente, ac comprobante. Hinc enim maximè immenſam diuinæ naturæ bonitatem inſpicimus, quòd etiam id propter ſalutem noſtram non recuſauerit, quod per ſe erat abijciendum. Quod autem non voluntarium quodammodo Chriſto erat crucis patibulum, voluntarium autem propter voluntatem Patris, & propter ſalutem noſtram; inde facilè diſces. Cùm enim ad paſſionem acceſſurus eſſet, Patrem in orationis habitu alloquebatur, dicens: Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non vt ego volo, ſed vt tu. Ea enim ratione qua Verbum Dei Deus eſt, & ipſa naturaliter vita, nemo ambiget quòd nullo modo mortem formidauit; caro autem factus, permittit carni vt ſua patiatur: & ideò vt verè homo præſentem iam in ianuis mortem timeſcit, ac dicit: Si poſſibile Pater eſt, tranſeat à me calix iſte: verum quoniam aliter fieri non poteſt, fiat non vt ego volo, ſed vt tu. Vides quemadmodùm natura humana etiam in ipſo Chriſto ſua patitur, & formidat? ſed à coniuncto ſibi Verbo ad conuenientem Deo fortitudinem, & robur reducitur, doceturq; ne quod ſibi videtur, ſed diuinam voluntatem ſequatur; & illo ſemper tendat, quò voluntas Dei perducit.*

Matth. 26.

An in prece illa ad Patrem fuſa: Transfer calicem hunc à me, Chriſtus fuerit exauditus, & quomodo.
Heb. 5.
Ioan. 11.

Hactenus Cyril. egregiè quidem, & doctè. Deinde quæri poſſet, an Chriſtus fuerit exauditus in illa oratione, nec ne: quia ſcriptum eſt: *Exauditus eſt pro ſua reuerentia*; &: *Ego autem ſciebam quia ſemper me audis.* Dicendum eſt, ſimpliciter Chriſtum exauditum fuiſſe in hac ratione: quia poſtremò concluſit orationem ſuam, dicens: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Nam quantum ad ſe attinet, in multis eſt exauditus, quæ potuit fortaſſe pati, quæ non eſt paſſus; & in nobis quantum ad multa, quæ Martyres Dei ſine calice, id eſt, anguſtia interna, & cum magna animi lætitia & alacritate paſſi ſunt: prætereà quantum ad multa externa tormenta, quæ ſancti Martyres precibus ſuis peruicerunt, & à quibus lædi non potuerunt, vt ignes, beſtias, rotas, equuleos, & ſimilia: exauditus deniq; eſt in omnibus quæ ſimpliciter, & ſine conditione petebat. Et Chriſtus non eſt ſimpliciter deprecatus mortem, ſed abſolutè precatus eſt vt fieret voluntas Dei: quod cùm factum ſit, etiam in hac prece exauditus eſt. Quare rectè B. Paulus de hac precatione verba faciens, ait Hebræorum 5. *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationesq; ad eum qui poſſit illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia*: quibus in verbis apertam videtur facere huius precationis mentionem, in qua precatus eſt à morte ſua liberationem, & nunquam alibi legitur Dominus pro ea preces fudiſſe.

An ſimpliciter calix paſſionis à Chriſto vitari potuerit.

Tertiò quæri poſſet ad dictæ precationis intelligentiam, an ſimpliciter vitari calix ille potuerit à Chriſto? Et dicendum, ſi abſolutam Dei potentiam conſideremus, maximè id fieri potuiſſe, cui multi alij modi redimendi non erant aut ignoti, aut impoſſibiles. Si tamen conſulamus potētiam ordinariam Dei, quia dixit: *Si poſſibile eſt*, &: *Si vis*, aliter fieri non poterat: quia voluntas Dei, eſt ordinaria eius potentia.

Voluntas Dei quænam propriè intelligitur.

Sed iam redeamus ad literam: in qua inprimis explicabimus circumſtantias aliquot orationis Chriſti, id eſt, quæ fecit, & dixit dum precaretur. Deinde aliquot eliciemus documenta bene precandi.

Quare Chriſtus poſt orationem venit ad diſcipulos.

Venit ergo ad diſcipulos ſuos, nimirum illos tres, fortè vt tanquam homo mœſtiſſimus ex colloquio amicorum aliquantum ſolatij caperet; quia Deus non videbatur exaudire eum quantum ad crucis deprecationem: vel vt excitaret eos à ſomno, & confirmaret illos ne intrarent in tentationem; & ita haberet ſocios in vigilia, & deprecatione. Docetque interpolandam eſſe noſtram orationem per reditum ad bona opera: & quia ob neceſſitatem ouium infirmarum, & curam earum habendam, relinquenda ſunt orationum & contemplationum ſolatia: vnde Moyſes orans iubetur de monte deſcendere. Laudes etiam diuinæ ſunt interpolandæ, vt non omnes eadem diei hora dicantur, vt ſic ſepties in die precemur, & benedicamus Deum in omni tempore.

Oratio noſtra vt interpolanda ſit.

Exod. 2.

Diuinæ laudes interuallis diſtinguendæ ſunt.

Pſal. 33.

Et inuenit eos dormientes. Ad ineuitabilem ſomnum duo inducebant ſecundum Chryſoſtomum: nox ipſa humida atque frigida, iuxta illud:

Chryſ. hō. 48. in Matt. t. 2.

Suadentq; cadentia ſydera ſomnum.

Virg. 2. Æn. init.

Maximè quia ex recenti cœna aſcenderant fumi in cerebrum, ex quibus generatur ſomnus; alterum erat animi mœror, de quo ait Lucas: *Inuenit eos dormientes præ triſtitia.* Magnaq; eſt noſtra imbecillitas, atq; ignorantia, qui cùm magna promiſerimus, in ipſo belli limine, & tētationis initio dormimus, maximè verò ipſi villici, & paſtores, qui

Somnus vnde fiat.
Luc. 22.
Infirmitatis noſtræ ſymbolum arrogantiæ.

Cur Petrus dormiens nominatim fuerit reprehenſus.

res, qui ad cuſtodiam Dominici gregis prępoſiti ſunt. Ideò in ſpecie Petrus reprehenditur: ſiue quia plura promiſerat, ſiue quia cæteris erat præficiendus. Et nos Chriſto orante, & aduocatum ſe nobis in cælo pręſtante, & vrgentibus mundi, carnis, ac diaboli tentationibus in vtramq; aurem dormimus: & quod peius eſt, dum oramus, dormimus, id eſt, non attendimus neque ad eum, ad quem fundimus preces, neque ad noſipſos qui precamur, neq; ad ea quæ dicimus; vt de nobis dici poſſit: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longè eſt à me.* Et peculiariter improperio dignus eſt vigilum ſomnus.

Eſaia 29. Matt. 15.

Somnus qui merito reprehenſibilis.

Dulcis Chriſti reprehenſio diſcipulorum dormientium quid nos doceat.

Et dicit Petro: Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Apud Marcum Simoni ſoli loquitur: *Simon, dormis? non potuiſti vna hora vigilare?* Sed in illo dulcius ac ſuauius aliorum ſomnolentiam reprehendebat: non eſt ſeuerè eos inſectatus, nec acerbo animo exprobrauit vel ſuum pro ipſis laborem, aut ipſorum magnificas promiſſiones, ſed manſuetè eos compellauit. Etſi enim Chriſtus commiſeretur ſomno deuictos Apoſtolos, reprehendit tamen eos, quò doceat reprehendenda vitia eſſe, etiam quæ quodammodo neceſſaria ſunt. *Et ait Petro, Simon, dormis?* Nominat Petrum, antiquo nomine Simonem: quia qui in regimine conſtitutus dormit, indignus eſt qui vocetur Petrus, cùm veteris hominis opera non autem noui hominis præſtet vt debet. Sic, ſupple agis, Petre, qui mecum in carcerem, & in mortem ire te poſſe iactaueras: ſi tempore vigiliæ dormis, tempore ergo pugnæ nōne fugies? In Petro inſinuat Prælatorum ſomnum, vrgentibus Eccleſiæ afflictionibus, vt facilis lupis ad oues deuorandas detur aditus. Et vt Hieronymus in caput 3. Nahum Prophetæ ſub finem ſcribit: *Scit enim Rex Aſſyrius non poſſe ſe oues decipere, niſi paſtores ante conſopierit.* Hæc ille. Qui poteris maiora vincere, qui minora non vincis?

Cur Petrum Chriſtus dormientem, Simonem vocauerit.

Simon dormiens quorum typum gerat.

Hier. to. 5.

Ex his verbis primò intelligimus, per vnam horam integram Chriſtum precationem continuiſſe ſuam. Et quanquam breuiſſima appareret eius oratio; tamen vel fuit precationis ſuæ concluſio, quam Euangeliſtæ recitant; nam Anſelmus lib. de Paſſione Domini in initio refert Dominum ſic precatum: Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me. Ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniā tribulor, velociter exaudi me. Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos tuos eripe me: vel dici poteſt, precationi tempus impenſum non eſſe verborum multitudine penſandum, ſed animi affectu, & vehementi meditatione, quę illi adhibeatur, & quæ longo tempore ſeruari poteſt. Vel ſanè docemur, orationes debere eſſe breues, & iaculatorias: quia difficile valde eſt in longis precibus attentionem ſeruare. Deniq; breuis eſt hora tentationis, in qua ſi vigiletur cum Chriſto, diffugiunt ſpiritus maligni, qui inſtar latronum nos dormientes volunt inuadere. In hoc autem Apoſtoli & Petrus nonnihil peccarunt, nō tamen ad mortem, quia non intrauerant per tentationem in conſenſum. Et nullum fit peccatum mortiferum ſine conſenſu in tentationem ad malum ſolicitantem: impoſſibile enim nobis eſt non accedere tentationem, at noſtrum eſt in illam intrare, vel non intrare: intramus autem vt piſcis in rete, vel hamum. Adhæc cùm præceptum vigilandi affirmatiuum eſſet, pro aliquò tēpore illud impleuerunt, ſed carne infirma impediente non continuarunt, vt ipſe dixit: Spiritus quidem promptus eſt; caro autem infirma. Hinc Dominus ait: Sic nō potuiſtis vna hora vigilare mecum, per quam totam & integram precatus fuerat. Et expende verbum: Non potuiſtis mecum, vigilantiſſimo videlicet, & excubias vobis faciente: etenim non dormirabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſrael. Mecum etiam vigilantiæ exemplum, & meritum, & præceptum vobis dante; præſertim cùm Iudas ac dæmon non dormiant, ſed vigilent vt me tradant. ¶ *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* Rurſum ad vigiliam, & orationem prouocat, non ſui, ſed ipſorum cauſa, ne, intretis, inquit, in tentationem: vigilia ſiquidem opus eſt. Fur enim, audito clāmore domus, fugit; & vicini, vt ſubueniāt, occurrunt: ita clamor orationis dæmonem fugat, Sanctoſque ad ſubueniendum excitāt. Ac quemadmodùm ſeruus, videns furem domum ſubintrantem, ſi non clamet, videtur furi fauere, ac dominum ſuum prodere; ita qui nouit tentationem eſſe in corde, nec per orationē clamat ad Dominum cum Propheta: *Ad Dominum cùm tribularer clamaui, & exaudiuit me:* videtur Chriſtū prodere, & diabolo conſentire. Vigilate ergo, quia hic nulla ſecuritas, vbi aduerſarius veſter diabolus tāquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret. Et quia nemo ex viribus proprijs illum valet vincere; addit: *Et orate*, vt diuinis viribus per orationem impetratis, illum vincere valeamus. Et quia impoſſibile eſt cor humanum aliquando non tentari; ideò orandum eſt ne à tentatione peruincamur. Idcircò ſubiungit: *Vt non intretis in tentationem.* Beatus Laurentius

Chriſti oratio ad Patrem pro calice deprecando quā diuturna fuerit, qualis ſecundum Anſelmum.

B. Anſelm. Pſal. 68.

Altera reſponſio.

Tertia.

Preces noſtræ quales debeāt eſſe.

Quos tētatos dæmones diffugiant.

Petrus & Apoſtoli tres dormientes quid peccauerint.

Quomodo nos intremus in tentationē.

Quàm vigil paſtor Chriſtus & cuſtos. *Pſal. 120.*

Idem cur diſcipulos tantopere ad vigilandum & orandū hortatur.

Orantis clamor quam fortis & efficax.

Qui videātur dæmoni aſſenſum præbere tentanti.

Pſal. 119. 1. Pet. 5.

Orationis tēpore tentationis neceſſitas.

Cur vigilandum ſimul & orandum ne intremus in tentationem.

B. Laurent. Iuſt. lib. de triumphali Chriſti agone. c. 6 poſt med.

Iuſtinianus in hæc verba: *Vigilate*, inquit, *contra intrinſecas concupiſcentias: orate contra extrinſecas tentationes. Vigilantiam enim circa cuſtodiam mentis eam purgans, facit vt ignitam emittat orationem; & oratio prudentiorem mentem reddit in vigilantia.* Hæc ille ferè. Armata igitur caro vincit ſpiritum inermem: ſed vigilia caro armis ſuis ſpoliatur, ſpiritus oratione armatur, vt vincat carnem. Vigilate etiam, & orate, non pro me, ſed pro vobis, vt non intretis in tentationem, per gradus ei conſentiendo, progrediendoque vſque ad peccati conſummationem. Nam ſi Apoſtoli oraſſent pro Chriſto, poſtulaſſent ne Chriſtus prorſus pateretur, ac potius perirent ipſi, quàm illum pro nobis pati maluiſſent: nec oraſſent cum exceptione, vt Chriſtus fecit. In tentationem, inquit, quam prædixit Ieſus vt diſpergerentur tanquam oues paſtore percuſſo: ideò volebat vt non offenſi, nec diſperſi, ſed ſcientes ac prudentes, atque eo modo quo Chriſtus permiſit ſe capi, ita ipſi fugiendo noſtræ redemptioni pro virili ſubſeruirent. Vel admonet precari, ne in maiorem tentationem intrent, quàm quæ prædicta ſit: ideò petere docuit in precatione Dominica: *Ne nos inducas in tentationem.*

Modus intrandi in tentationem.

In quam tentationem orare debebant Apoſtoli ne intrarent.

Alter ſenſus.

Matth. 6.

Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Ecce cauſas cur opus ſit vigilia, & oratione: quia ſpiritus, inquit, promptus, caro debilis. Robertus Stephanus ſic exponit hunc locum, Spiritus, ſcilicet malignus, promptus eſt ad tentandum; caro autem infirma ad reſiſtendum, vt in Eua nimis apparuit, quæ ceſſit dæmoni, & ſpiritui nequam. Verus quidem ſenſus, ſed in illum duo obijci poſſunt. Primùm, quòd ſpiritus abſolutè, vt annotarunt Hieronymus & Auguſtinus, nunquam capitur in malam partem, vel in nouo, vel in veteri Teſtamento, maximè cùm articulus illi apponitur, & dicitur τὸ πνεῦμα, vt B. Athanaſius in epiſtola ad Serapionem doctiſſimè perpendit. Deinde obijci poteſt, quòd quando carni opponitur ſpiritus, ſemper ſpiritus capitur in bonam partem, vt: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem*; &: *Quod natum eſt ex carne caro eſt: quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*; &: *Si ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*; & rurſus: *Spiritu ambulate & deſideria carnis non perficietis.* Alij verò in hunc modum exponunt: Spiritus, id eſt, homo ſpiritualis, promptus eſt, ita vt dicat cum Propheta: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*: id eſt, & ad bonum operandum; & ad malum ſuſtinendum. Caro autem, id eſt, carnalis homo, difficilè operatur bonum, & ægrè reſiſtit malo propter innatam concupiſcentiam. Sed & hic ſenſus verus eſt in ſeipſo, cæterùm non videtur ad rem, quia nullus adhuc inter illos ſpiritualis erat, & omnes tanquam carnales tentationi ſuccubuerunt, & Dominum deſeruerunt. Non deſunt qui ſic interpretetur: Spiritus S. promptus eſt ex ſe bona largiri; ſed caro infirma, id eſt, debilis & parum capax ad tot, & tanta dona accipienda. Veritatem habet & hæc ſententia, ſed ſicut reliqui minus ad rem: nec enim erat ſermo de accipiendis donis ab Spiritu S. ſed de fortitudine præſtanda in vigilia, & precatione, & morte, ſi opus eſſet pro Chriſto ſuſtinenda.

Primus ſenſus huius loci: Spiritus quidē promptus eſt, caro autem infirma, à Roberto Stephano traditus: ineptus tamē duplici nomine.

Hieron in Mich. c. 2. ſub fin tom. 6.
Aug. li. 2. ad Simplicia qu. 1. paulò ante med. to 4. & l. 1. de incarn. Verbi, c. 17. tom. eod.
B. Athan.
Vbi nomen Spiritus in bonū accipitur.
Gal. 5.
Ioan. 3.
Rom. 8.
Gal. 5.
Alter ſenſus qui etiam refellitur.
Pſal. 56.

Tertius etiam alienus Chriſti ſententiæ.

Igitur ſenſus verus eſt: Spiritus ex ſe promptus eſt ad dona promittenda & amanda, ſed ab infirma carne retardatur ac vincitur, iuxta illud: *Non enim quod volo bonum hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio.* Et infra: *Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Ideò ad hoc vt ſpiritus perficiat bonum, & non frangatur à carne, opus eſt vigilia, & precatione, vt obtineat gratiam, & armatus ſpiritus vincat carnem infirmam. Finge falconem alligatum perticæ, vel ignem ligno inhærentem, vellet quidem ille in altum euolare, & retinetur à vinculis; vellet & hic, ſcilicet ignis, ſurſum aſcendere, ſed retardatur à ligno, cui adhæret. Atq; his verbis mitigat reprehenſionem ſomnolentiæ ipſorum, ſignificãs eos ſe venia dignari, quòd non propter contemptum dormierint, ſed propter infirmitatem, vt annotat Theophylactus in Matthæum. Rectè autem annotauit Origenes ſuper Matthæum in hæc verba, nõ omniũ eſſe habere ſpiritum prõptum, ſicut omnium eſt habere carnem infirmam; ſed tantum Sanctorum: infidelium enim ſpiritus ſegnis eſt, & caro infirma. Deinde aduerte, carnem & ſpiritum ſibi inuicem aduerſari: in magnis enim virtutum operibus, vt martyrio & diſciplina macerante, caro reluctatur ſpiritui, & obmurmurat; in infirmis verò, & carnalibus vitijs repugnat ſpiritus carni, quia ratio nunquam ita abſorbetur, quin maneat ſynteresis reclamans, damnãſq; quod malè agitur. In medijs verò, ſiue bonis, ſiue malis, conuenire poſſunt caro, & ſpiritus: hinc dictũ eſt: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum meum.* Quãquã autem Chriſtus prædixiſſet, Apoſtolos ſcandalizãdos in illa nocte, hortatur tamen eos ad vigiliam & orationem, ne intrent in tentationem: quoniã prædictiones Dei vt plurimum ſub conditione intelligẽdæ ſunt, vt per Ieremiam docuit Dominus.

IV. ſenſus.

Rom. 7.

Vt Spiritus bonum perficiat, carnemq; vincat, quid facto opus ſit.

Quaſi ſpiritus noſter ſit fragili carne indutus & cinctus.

Theoph.
Orig. tract. 35. in Matth. ante mediũ tom. 2.
Quibus duntaxat datum ſit habere ſpiritũ promptum teſte Orig.

Synteresis officium in homine.

Pſal. 83.

Promiſſiones Dei ſrte vt accipiendæ ſint.
Ierem. 18.

Deinde

Deinde, etſi homo ſit certus quòd non impinget, aut peccabit, nihilominus vigilare, & orare debet, ne intret in tentationem, vel vt minus peccet, vel vt minus in peccato permaneat, ſed celerius reſurgat. Tertiò

Tertull.

expende Tertullianum hæc verba ponderare in eos, qui ſe per infirmitatem carnis excuſant, ait enim in libro ad Martyres:

Matth. 26.

Scimus ex Dominico præcepto, quòd caro infirma ſit, ſpiritus promptus. Non ergo blandiamur, quia Dominus conſenſit carnem infirmam eſſe. Propterea enim prædixit ſpiritum promptum; vt oſtenderet quid cui debeat eſſe ſubiectum, ſcilicet vt caro ſeruiat ſpiritui, infirmior fortiori, vt ab eo etiam ipſa fortitudinem aſſumat. Hæc ille egregiè ſanè. Diſcimus autem ex hac pulchra Domini ſententia, non tantum nobis eſſe de prõptitudine, & fortitudine ſpiritus pollicendum; quantum de carnis fragilitate trepidandum: nec tantum de nobis timendum, vt non plus bonitati Domini, & auxilio eius fidendum eſſe intelligamus: nec par eſt noſtram fragilitatem ſpiritum Dei, vel eius gratiam vincere.

De ſpiritus noſtri fortitudine nobis quatenus pollicendum ſit.

Non ita timẽda noſtra fragilitas eſt, quia maiorẽ de diuina ope ſpem concipiamus.

Iterum ſecundo abijt, & orauit, dicens, Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum; fiat voluntas tua. Hæc verba cùm eundem habeant ſenſum quem priora, licet verbis varia videantur; ideò Marcus dixit quòd orauit eundem ſermonem dicens. Et docet ne in diuino ſeruitio delaſſemur, ſi ſæpè eundem ſermonem repetamus: quia ſine fructu non repetitur, ſi nouo ſpiritus conatu petamus: nam vt dici ſolet: *Gutta cauat lapidem.* Nec faſtidire debes lectionem eiuſdem Pſalterij qualibet hebdomada, vel eiuſdem rationis repetitionem, vt facit Eccleſia in Litanijs, & in quibuſdam reſponſorijs, & in corona, vel Roſario, quod ad honorem B. Virginis recitatur. Iudæi ſine cauſa manna ſumere faſtidiebant; ſed Chriſtiani in eiſdem precibus debent magis ſpiritum & guſtum, quam nouam literam, doctrinamuè quærere.

Num. 21

Quid Dominus eandem orationem inculcando, calix vti ab eo tranſiret; nos docet.

Ouid. 4. de Ponto, eleg. 10 init. Prouerbium.

Deinde hac iteratione oſtendit, quòd variatio petitionum, inſtabilis mentis eſt indicium. Vnde Chryſoſtom. in Homilia quadam: *Quod ſecundo, & tertio fit in Scripturis, maximoperè veritatem oſtendit: veluti & Ioſeph ad Pharaonem dicebat: Secundò id tibi apparuit ſomnium veritatis gratia: ita enim factum eſt, vt ita credas omnino futurum: hac de cauſa etiam ipſe non ſemel, ſed bis & ter idem orando prolit; vt diſpenſatio firmiter crederetur.*

II. documẽtũ. Quid maximopere veritatẽ oſtendit more Scripturæ, ſecundum Chryſoſtomum.

Chryſ. hom. 84. in Matt. tom. 2.

Gen. 41.

Hieronymus in hæc verba, alludens ad ſuum illum ſenſum ait; *Secundò orat, vt ſi Niniue aliter ſaluari non poteſt, niſi aruerit cucurbita, fiat voluntas Patris, quæ non eſt contraria Filij voluntati, dicente ipſo per Prophetam: Vt facerem voluntatem tuã, Deus meus volui.* Tertiò docet ne turbemur, ſi quamprimum oramus non exaudimur: quia oportet perſeueranter orare, alioqui enim citò obtenta vileſcunt; ideò precationi inſtandum, donec obtineamus.

Hieron. in Matth. 26. tom. 6.

Ioan. 4.

Pſal. 39.

III. docum.

Quòd ſi obijcias ex li. Eccleſiaſtici: *Non iteres Verbum in oratione tua;* Dicẽdum eſt non eſſe ſermonem de oratione quæ ante Deum funditur, ſed de ea, quæ apud homines habetur. Quod verbum proximè præcedens indicat: *Noli*, inquit, *verboſus eſſe in multitudine preſbyterorum, & non iteres verbum in oratione tua.*

Ecleſ. 7.

Illud Eccleſiaſtici: Non iteres verbum in oratione tua; quem ſenſum habeat.

Quanquam ſi de oratione coram Deo eſſet ſermo, dici poſſet quòd non eſt repetendum verbum in oratione ex infidelitate, quemadmodùm Gentes, quæ putant quòd in multiloquio exaudiantur. Vel ne ſic male legas; ac interpolatim, vt oporteat te orationem iterare: ob inſtantiam tamen Spiritus, ſanctum eſt iterare precationem. Sed prior ſolutio eſt ſolidior.

Altera ſolutio.

Matth. 6.

Et iterum venit, & inuenit eos dormientes; erant enim oculi eorum grauati. Marcus addit: *Et ignorabant quid reſponderent ei:* Hieroymus in hæc verba: *Solus*, ait, *orat pro omnibus, ſicut & ſolus patitur pro vniuerſis. Langueſcebant autem, & opprimebantur Apoſtolorum oculi negatione vicina.* Sic ille.

Hieron.

Nota, quòd ſecundò rediens non reprehendit dormientes: indicans non eſſe corrigendos eos, qui ad ſuſcipiendam correctionem minimè ſunt diſpoſiti.

Quare Dominus ſecundò rediens diſcipulos non reprehẽdat dormientes.

Perpende quòd in prima oratione, vel ſecunda, vt quidam volunt ex Luca, qui non meminit, vt alij duo, trinæ negationis Chriſti, apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttę ſanguinis decurrentis in terram.

Luc. 22.

Quando apparuerit de cœlo Angelus Chriſtum confortans.

Vel potius quia dicitur quòd orauit tertiò eundem ſermonem, qui breuiſſimus eſt, nõ accidit illa prolixa oratio in agonia, ſed poti⁹ poſt ter repetitum eundum ſermonem venit Angelus de cœlo, poſt cuius aduentum ſubſecuta eſt prolixa oratio, & ſudor ſanguineus. Non enim videtur conueniens, vt poſt Angeli confirmationem Dominus ſemel & iterum eãdem paſſus ſit carnis infirmitatem.

Alter ſenſus.

Et relictis illis, iterum abijt: & orauit tertiò eundem ſermonem dicens. Ter rogauit pro Petro ter negaturo. Tria ſunt in oratione petenda: nimirum peccatorum venia, gratia & gloria, & vt integer ſpiritus & anima, & corpus inueniantur in Die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Omnes orationes ad Trinitatem dirigendæ ſunt: quia ter etiam orauit: Tres nocturni in Matutino dicuntur, & quoduis nocturnum tribus Pſalmis conſtat.

In oratione quæ petenda ſint.

1. Theſ. 5.

Precationes omnes quò dirigendæ ſint.

Et quia prolixius orabat; ideò officium matutinum cæteris eſt prolixius. Tertiò ter orauit, in ſignum perfectæ, & perſeueran-

Officium matutinum cur prolixius ſit cæteris.

Tertiò cur orauerit Dominus.

2. Cor. 12. uerantis orationis: vnde & Paulus ter Dominũ rogauit pro amouendo carnis ſtimulo. Quartò deniq; orauit, quòd nullam cõſolationem ab Apoſtolis acciperet; ideo ſe totum ad Deum conuertit, de quo ait Propheta: *Tibi derelictus eſt pauper orphano tu eris adiutor.* Cum .n. ignoremus quid agere debeamus; hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos ad Deum leuemus. Et ita venit Angelus de cælo corroborans eum. ¶ Ex his quæ in hac oratione habentur, collige 7. documenta. Primum de loco remoto, & ſolitario: *Volo*, inquit Apoſtolus, *viros orare in omni loco; leuantes puras manus.* Nam precatio habet manus eleemoſynæ; & ieiunij, quib. in cælum erigitur: ideò Chriſtus à Ieruſalem, & à diſcipulis ſegregatus erat. Quia enim Chriſtus vult nos diuites in ſpiritu eſſe, & vt diuitias ſpirituales conſeruemus, iuſſit olim verbo orare in abſcõdito, & nunc facto orandi in horto idem tradit: quia operanti, & non tantùm loquendi datur denarius. Vt ergo dæmonibus, & adulatoribus, & propria inani gloria precatio noſtra libera, & immunis eſſe poſſit, remedium eſt vt fiat occultè. ¶ Secundum Documentũ eſt, reuerentia, & humilitas, quam proſtratus, & genuflexus, vt ſancti in Apoc. docent. Ideò etiam opus eſt attentione actuali ad guſtũ, & illa, quæ virtute ſeruatur, ad alia neceſſaria cenſetur, id eſt, ad meritum, ſatisfactionem & impetrationem: in quo Dei benignitas maximè ſplẽdet, ſi res minimè ferret preces ſibi offerri ab eo, qui mẽtem minimè præſtat attentam. Abigendæ ſunt tamen aues cum Abraham à ſacrificiò orationis noſtræ, & hoc ligno crucis in memoriã reuocato, donec Deus cæli ignem mittat acceptionis ſuæ. ¶ Tertium Documentum eſt: precari prius ſecundum vocem, vt accẽdamur, ſicut Chriſt° fecit, qui eſt fons hortorum, id eſt, cordium, quib. dat aquas viuas. Oratio enim vocalis eſt vt pes ſcalæ, quæ conuenit ambulantib. & currentibus: id eſt, incipientibus & proficientibus: at oratio, quæ magis mente ſola perficitur, reliquum eſt ſcalæ conueniens volantibus, id eſt, perfectis, de quibus dicitur: *Eos qui adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare*, quemadmodum alij voce, iuxta illud: *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum.*

Pſal. 9. — 2. Par. 20. — Documẽta 7. bene precãdi. — 1. Tim. 2. — Oratio manibus quibus in cælum eleuetur. — Matth. 6. — Infr. 20. — Quare orandum ſit occulte. — II. docum. — Apoc. 7. — Abrahæ ſacrificantis diligẽtia orantibus imitanda. — Gen. 15. — III. docum. — Cant. 4. — Cui rei ſimilis ſit vocalis quę dicitur oratio. — Ioan. 4. — Pſal. 141.

IV. docum. Quartum eſt: quòd petatur quid magnificum, & excelſum à Deo magno, & in nomine magno Ieſu Chriſti, hoc eſt, gratia aut gloria, aut bona tẽporalia, quæ ob hæc ipſa expetuntur: nam hac ratione magna ſunt: vt multum valet annulus aureus etſi parui pretij, coniunctus cum adamante infiniti

Simile.

valoris. Qui autem pro ſe hęc à Deo poſtulat, puluerem profectò, aut ſi quid puluere vilius eſt, à Rege ditiſſimo, & munificentiſſimo petere videtur, ob merita Patris ſui, id eſt, Chriſti mortui in bello pro gloria Dei: qui ideò poſtlauit vitam, ſed nonniſi coniunctam diuinæ voluntati. Puluerem à Deo qui petere videantur.

V. docum. Quintum eſt: vt ſicut Chriſtus in hac precatione amore gloriæ Dei, & ſiti ſalutis noſtræ ſanguinem obtulit; ita oratio noſtra ſit ſacrificium, in quo mactentur hœdi paſſionum cõcupiſcentis animi, & vituli perturbationum iraſcentis hirci, prauæ, ac fœtidæ conſuetudinis, ſenſus externi ſpe æternæ vitæ alligentur, & igne amoris, atq; gladio fidei offeratur Iſaac cum medulla voluntatis, & incenſo arietum, id eſt, cremetur caro pœnitentia, cuius carnis fomes Dei timore frænandus eſt. Offerimus etiam aurum fidei, myrrham doloris, thus odoriferi exempli; quod eſt odor vitæ his qui ſeruantur, odor autem mortis malis, qui confunduntur.

Carnis fomes qua ratione frænandus ſit. — 2. Cor. 2.

VI. docum. Sextum documentum eſt, ſpes exauditionis: vnde Angelus venit ad Chriſtum, vt non ſperemus exaudiendos, ſi è medio tulerimus peccata, & humiliati fuerimus: quia nomen Chriſti defert orationem ad cælum, vt ſagitta pennam: & ſignum exauditionis eſt, cum anima in oratione quieſcit, & guſtat: gaudet enim Deus ob amorem, quem oſtendimus in eo laudando, licèt laudibus noſtris nihil illi conferamus, quemadmodum Rex lætatur, cùm audit, Viuat Rex, licèt vitam habeat.

Luc. 22. — Signum exauditionis quod ſit. — Simile.

VII. docum. Septimum, eſt perſeuerantia, ne ante victoria doni impetrati deſiſtamus, vt Chriſtus ter orans fecit: ſecus qui fiunt vt ſtatua ſalis ſibi amari atq; graues ob exemplum, ſi poſtquã cœpimus precari, inſipidi recedamus. Quòd ſi bonum opus, imò & homicidium, vim habet clamandi ad Deum; ergo etiam precatio, ſi tempore ſuo fiat, & cũ perſeuerantia. Refert Gregor. in lib. Dial. de peregrino quodã Iſaac, quòd ingreſſus Eccleſiam orandi gratia, à cuſtodibus dictę Eccleſię facultatem petiuit orãdi quãtum vellet: quibus annuentibus, per tres dies, & noctes continuas deprecationi incubuit. Tædio affectus cuſtos Eccleſiæ, impegit illi alapã vt abiret, & ſubitò inuaſus eſt à maligno ſpiritu. ¶ Habuit prætereà hæc oratio 7. conditiones, quæ noſtras preces ſolent cõdire, & exauditione dignas reddere. Prima eſt, quia fuit ſolitaria, tum ratione tum tẽporis, quia noctu effuſa eſt. Deinde fuit ſolicita, quia admonuit Apoſtolos vt vigilarent, & orarent, ad quos propterea bis venit. Tertiò, fuit diſcreta atq; prudens,

Gen. 4. — Greg. lib. 3. Dial c. 14. tom. 2. — Exemplum Iſaac ſanctiſſimi viri cuiuſdam. — Quibus partibus conſtet bona precatio quas nimirum omnes Chriſtus impleuit.

quia

quia tantum quod Deo fuit beneplacitum poſtulauit. Quartò, deuota extitit, atq; humilis: quia procidit in genua, & in faciem. Quintò anxia fuit, quia factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Sextò fuit circumſpecta: quia ter interrumpit orationem, vt viſitaret Apoſtolos in periculo exiſtentes. Septimò fuit fiducia plena: quia dixit, *Pater mi*, ſiue, *Abba, pater, omnia tibi poſſibilia ſunt*. Pater, verbum eſt Græcum, & Latinum, Abba, Syriacum eſt, & Hebræum: quia Deus per Chriſtum omnium factus eſt pater. Quare erigenda eſt ſpes, etiam cum minimè exaudiri nos putamus: de qua re audi Bernardum libro Meditationum dicentem: *Sed dicis: Ego quotidie oro, & orationis meæ nullum fructum video, ſed ſicut accedo ad illam, ſic & redeo: nemo mihi reſpondet, nemo loquitur, nemo quippiam donat, ſed incaſſum laboraſſe videor. Sic loquitur humana ſtultitia, non attendens quid inde veritas promittat, dicens: Amen dico vobis, quia quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. Noli ergo vilipendere orationem tuam, quoniam ille ad quem oras, non vilipendit eam, ſed antequã egrediatur de ore tuo, ipſe ſcribi eam iubet in libro ſuo. Et vnum è duobus indubitanter ſperare debemus: quoniam aut dabit nobis quod petimus, aut quod nobis debet eſſe vtilius.* Sic ille. Docuit præterea Dominus rationem rectè moriendi, & fœliciter vitam terminandi. Primò enim triſtis fuit anima eius, vt & nos de peccatis noſtris contriſtemur vehementer. Deinde confugit ad orationem propriam, & alienam Apoſtolorum, vt intelligamus, quanti referat ſancta precatio ad elidendum poſtremos ictus dæmonis. Tertiò adſit propriæ voluntatis ſubmiſſio ad diuinam, vt illud velimus, quod ille de nobis vult, vt ita obdormiamus in Domini voluntate iam eadem cũ noſtra facta. Quartò adhibeamus viros ſanctos, qui nos corroborent, & confirment in bono, vt Angelus confirmauit Chriſtum. Poſtremò ſudandum eſt vſque ad ſanguinem, & reſiſtendum aduerſarij tentationibus, ne à fide, & ſpe in Deo collocata excidamus, ſed victoriam nobis comparemus in Chriſto Domino noſtro, cui cum Patre, & Spiritu ſancto, cunctæ vires noſtræ adſcribendæ ſunt, perpetuæq; laudes reddendæ in ſecula ſeculorum Amen.

Luc. 22.

Pater, vox quę ſit, ſicut etiam Abbas.

Bern. lib. Medit. c. 6. circa med.

In eos, qui propterea quod in oratione nullum guſtũ, fructumue percipiant, ab illa deficiunt.

Marc. 11.

In oratione quid ſperandum ſit.

Rectè moriendi rationem quam hic Dominus erudierit.

TRACTATVS XIV.

De Angelo apparente, & confirmante Dominum, in verba illa: *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum.* Lucæ 22.

QVemadmodum panis ſudore, atque labore manuum partus ſuauior eſt multo atque gratior, quam panis manducatus ſine labore, adeo vt Domini illa ſententia: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*, non tantum fuerit iuſta, ſed etiam cum miſericordia coniuncta: idcirco Dominus etſi non eſſet filius Adæ damnatus ad laborem, & ſudorem, vt non ſumus, vt tamen nobis redderetur cibus ſapidior, voluit fatigari ex itinere, & poſitus in agonia prolixius orare, ſudareque guttas ſanguinis decurrentes in terram. De his igitur tam magnis myſterijs inprimis ſtatuendum eſt, hanc hiſtoriam Angeli apparentis, & Chriſtum confirmantis, & ſudoris ſanguinei à quibuſdam fuiſſe reiectam, & Caietanus notat, Hieronymum non omnino certam putaſſe: quod omnino falſum eſt, imo probat, & citat vt certam, licet dicat à multis codicibus abeſſe, quod non arguit eum habuiſſe ſuſpectam, & incertam. Verba Hieronymi in libro aduerſus Pelagianos, ſunt hæc: *In quibuſdam exemplaribus tam Græcis, quam Latinis inuenitur, ſcribente Luca: Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum, haud dubium quin Dominũ Saluatorem.* Et reliqua. Et Hilarius libro de Trinitate ſic habet: *Nec ſanè ignorandum à nobis eſt, & in Græcis, & in Latinis codicibus quamplurimis, vel de aduenien te Angelo, vel de ſudore ſanguinis nil ſcriptum reperiri. Ambigentibus igitur, vtrum hoc in libris varijs aut deſit, aut ſuperfluum ſit (incertum enim hoc nobis relinquitur de diuerſitate librorum) &c.* Hæc ille. Poſtea tamen probat illam hiſtoriam. Et videtur ſimplici zelo reiecta, quod fauere videretur Arrianis, qui ex hoc, & ſimilibus teſtimonijs aſtruebant in eadem impaſſibilis Dei natura Ieſum Meſſiam non eſſe. Nam & aliud teſtimonium de fletu Chriſti huic ſimile fuiſſe à Catholicis hac eadem de cauſa ex Lucæ Euangelio expunctum oſtendit Epiphanius in libro, qui dicitur Ancoratus, longe ante medium dicens: *Sed & fleuit* (ſcilicet Chriſtus) *velut in Euangelio ſecundum Lucam habetur in correctis exemplaribus, & vtitur eo teſtimo-*

Cur Dominus in agonia orauerit.

Gen. 3.

Ioan. 4.

Quid de hac Angeli apparitione Chriſtum in paſſione cõfirmantis ſenſerint quidam.

Caietan. in Luc. c. 22.

B. Hieron. lib. 2 aduerſ. Pelag. circ. med. tom. 2.

Hilar. lib. 10. de Trin. paulo poſt med.

Cur à quibuſdam reiecta fuit hæc hiſtoria Lucæ Angeli Dominum confortantis.

S. Epiphan.

Luc. 19.

S. Iren. libr. 3. aduerſ. hæreſ. c. 32. in fine.

nio ſanctus Irenæus in opere contra Hæreſes, aduerſus eos qui Christum in apparentia apparuiſſe dicunt. Verum orthodoxi ſuſtulerunt verbum, timentes & non intelligentes ipſius finem, ac vim, & robur. Et conſtitutus in anxietate ſudauit, & fuit ſudor ipſius velut guttæ ſanguinis, & conſpectus eſt Angelus confortans ipſum. Hęc Epiphan. Ad hæc Athanaſius in ſexto de Beatitudine Filij Dei volumine, inter alios Eccleſiaſticos Anathematiſmos id quoque recenſet:

B. Athanaſ.

Si quis, inquit, *confitetur verum hominem, quem aſſumpſit, non verè manducaſſe, aut bibiſſe, aut lacrymatum fuiſſe, & ſanguinem ſudaſſe, & paſſum fuiſſe, &c. anathema illi.* Probat quoque Dionyſius Areopagita libr. de cœleſti hierarch. hanc hiſtoriam Angeli, & citat, & probat, dicens: *Omitto enim ea dicere, quæ ſacroſanctis noſtris traditionibus exponuntur, ſcienti enim loquor, vt ſcilicet Ieſum Angelus paſſioni proximum, & orantem, confortaſſe memoretur.*

Dionyſ. Areopag. libr. 3. de cœleſt. hier. c. 4. in fine.

Præterea Irenæus antiquiſſimus libr. aduerſus Hæreſes: *Nec lacrymaſſet*, inquit, *ſuper Lazarum, nec ſudaſſet globos ſanguinis, nec dixiſſet quod triſtis eſt anima mea, nec percuſſo latere exiſſet ſanguis, & aqua, ſi ſcilicet carnem de Maria non accepiſſet.* Iuſtinus quoque Martyr Dialogo in Tryphonem Iudæum inſinuat hanc hiſtoriam, dicendo quod Chriſtus erat futurus in ſtupore, & pauore, id eſt, in labore, ſenſu, & ærumna paſſionis ſuppetijs indigente, vel ſupplicio crucis ferendo, & exhibita eſt huius rei prænuntiatio per id quod femur Iacob tactum ſit, & emarcuerit. Theodorus Balſamo interpres Gręcorum Canonum, inter errores Armenorum narrat, quod expupugerint de Luca hiſtoriam de ſudore ſanguineo, & de Ioanne hiſtoriam de adultera. Auguſti. quoque in libr. Sententiarum Proſperi ſic inquit: *Orans cum ſudore ſanguineo Dominus Ieſus Chriſtus, ſignificabat de toto corpore, quod eſt Eccleſia, emanaturas Martyrum paſſiones.* Hæc ille. Vt igitur reſurrectio Chriſti in dubium reuocata in cauſa fuit, vt poſtea certus, & conſtantius crederetur, ita de hac Angeli apparitione, & ſudore Chriſti ſanguineo, etſi aliquando fuerit dubitatum, tanto magis eorum fides in Eccleſia confirmata remanſit.

Iren. ibid.
Ioan. 11.
Matt. 26.
Ioan. 19.
Iuſtin. Mart. tom. 2.
Gen. 32.
Quid præfiguratum ſit in eo quod femur Iacob tactum ſtatum emarcuerit, teſte Iuſtino.
Theod. Balſamo.
Ioan. 8.
Aug. lib ſent. nu. 68. tom. 3
Col. 1.

Tertio quęrit Euthym. vnde Euangeliſtæ didicerint quid tunc orans Chriſtus dixerit, & quoties orauerit, & hiſtoriam Angeli apparentis, & agoniam, & ſudorem ſanguineum: quoniam Apoſtoli cum ſomno vacarent, non potuerunt videre, & poſtea eo relicto omnes fugerunt. Reſpondet: *Mihi ſanè apparet, quod poſt reſurrectionem Præceptor ipſe etiam hæc diſcipulis dixerit, quando per dies quadraginta eis apparuit, ſicuti refert Actorum liber.* Sic ille. Multa hic notare atque interrogare poſſumus: in primis notandum eſt verbum illud, Confortandi, quod Græcis eſt ἐνισχύειν, non ſatis eſſe Latinum, aut à claſſicis autoribus vſurpatum: in Scripturis tamen frequentiſſimum eſt, tum noui Teſtamenti, vnde illud: *Confortare, & eſto robuſtus*, & Apoſtolus: *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius*, Et, *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*, & Doctores etiam noſtri ab eo verbo non abhorruerunt, cum viderent in Scripturis illud vſurpari: quare non eſt cur huius verbi vſu magnopere abſtineamus, cum ſatis explicet verbi Græci vim atque proprietatem.

Euthym. in Matt. c. 64.
Vnde Euangeliſtis conſtiterit orationis Domini in horto, ac ſanguinei ſudoris hiſtoria.
Matt. 26.
Act. 1.
Confortandi vocabulū, ſacris tantum autoribus vſurpatum.
Ioſu. 1.
Ephef. 6.
Philip. 4.

His poſitis, interrogatur primo, Quis fuit ille Angelus qui Chriſto apparuit: textus enim non dicit niſi quod fuit Angelus de cœlo, ſignificans bonum Angelum, non autem quis fuerit. Reſpondet Ioannes Gerſon ex cantu Eccleſiæ fuiſſe Gabrielem, ſiue illum eundem, qui apparuit Virgini, & confirmauit eam ad incarnationis myſterium, dicens: *Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in vtero, & paries filium, &c.* Ita Chriſto apparuit, dicens, Ne timeas Domine, oſtendens fructum reſurrectionis ſuæ, & paſſionis gloriam. Vnde Gabriel interpretatur, Fortitudo Dei. Quidam tamen alij referunt fuiſſe Angelum Michaelem, qui Chriſto Domino dixerit, ſe cum omnibus Angelis obtuliſſe precationem ſuam Patri, & tamen eius voluntatem eſſe vt fundat ſanguinem, & moriatur pro mundi redemptione, & ita cœpit eum corroborare, proponendo præmium redemptionis mundi, angelicæ ruinæ reſtitutionem, & fructum ſanctorum Patrum ex limbo liberandorum. Sed quiſquis fuerit, ſiue hic, ſiue ille, conſtat Angelos officium ſuum præſtare in confirmandis electis, maxime cum in aliqua magna verſantur tribulatione, aut morti ſunt vicini.

Angelus qui Chriſto apparuit quiſnam ille fuerit.
Ioan. Gerſon tract. de paſſion.
Luc. 1.
Gabriel quid.
Alia opinio.
Angelorum officium.

Secundo quæritur, quomodo apparuerit hic Angelus, non quidem oculis mentis, quibus ſemper eum videbat vt cõprehenſor, ſed oculis corporis tãquam homo aſſumpto corpore, exteriori præſentia, atque colloquio Dominum confirmauit. Vt enim in deſerto nõ fuit intus tentatus, ſed diabolus exterius tantum ſuggerebat, deuictoque tentatore, atque repulſo, apparuerunt Angeli in corpore aſſumpto miniſtrantes ei cibum, ita nunc exteriori præſentia & alloquio Angelus Ieſum roborauit. Illa enim ratione amicos in tribulatione poſitos animare, & roborare ſolemus. Ac vt Eua in horto paradiſi terreſtris animata eſt à dæmone in ſerpente exteriori appa-

Quomodo apparuerit hic Angelus Chriſtum confortans.
Matt. 4.
Chriſtus in deſerto vt fuerit tentatus.
Gen 3.

Cunctorum viuentium vera mater eſt Chriſtus.

apparente,& alloquio ad eſum vetiti pomi ſolicitante:ita Ieſus,qui eſt vera mater cunctorum viuentium,in horto cōfirmatus eſt ab Angelo ad eſum ligni horrendæ crucis pro nobis deglutiendum. Tertiò, meritò quæri poſſet, cur nō Chriſtus erectus & animat⁹ fuit per homines,ſed per Angelos? Reſpondeo, homines ignorabant Chriſti triſtitiam,& angorē animi.Deindè indigni erant,& parum idonei,qui eum fulcirent, atq; erigerent:Tum quia ferentēChriſtum illas anguſtias pro hominibus nequaquam homines nouiſſent, imo iudicaſſent illum minus libenter pati, aut cum tanto animi mœrore ad paſſionem perueniſſe, vel crederent ſe illa cōfirmatione,quicquid Chriſtus pro eis pertulit, abūdè exoluiſſe. Tum quia ſępe à Deo nō mittuntur ad ſubleuādos alios,ſed ipſi ignorantes audacter ex ſe veniunt,volētes ſępe in eo ſolatium, & cōfirmationē præbere,in quo Deus non vult aliquem robur, ac cōſolationem accipere. Denique vt Moyſis prophetia in Cantico ſuo iuxta editionē 70. interpretum impleret,cuius bis Epipha.mentionē facit, nempè in hæreſi 69. Ariomaniratum, & in Ancoratu, vbi habetur: *Adorabunt ipſum omnes filij Dei, & confortent ipſum omnes Angeli Dei.* Et explicans quomodo Angeli cōfortent,ſubdit: *Non vt dent robur ipſi Angeli,nec enim indigebat Angelorum confortatione, ſed confortant ipſum, hoc eſt, confitendo proprium ipſius robur ipſi attribuunt.* Et infra: *Quapropter admiratione ductus Angelus dicebat ad ipſum, glorificans,& benedicens proprium Dominum in ſtadio conſiſtentem,tua eſt adoratio,tuum eſt dominium, tua eſt potentia,tua eſt fortitudo. Vt impleret id, quod à Moſe ſcriptum eſt:Confortent ipſam omnes Angeli Dei.* Ita Epiphanius.

Quare Chriſtus per Angelum potius, quam per hominem fuerit confirmatus.

Deut. 32. Heb. 1. Epiphan.

Angeli vt cōfortent Dominum ſecundū Epiphan.

Quartò interrogabis,Quare ſaltem ipſe Ieſus non animū ſuum corroborauit,& ſolatus eſt, vt faciunt viri ſapientes, qui cum in diſcrimen vitæ veniunt, ſe ipſos conſcientia ante actorum bonorum, atq; alijs rationib. quas prudētia ſuggerit, ſolari ſolēt. Dicendum eſt, deficiente homine conſolatore, Deum ſolitum mittere Angelum, vt ad Eliam in deſerto miſit, & ad Eliſęum videntem pro ſe exercitum Angelorū contra Latrunculos Syriæ, & ad tres pueros poſitos in fornace ignis Chaldæorum. Adfuerunt etiā Angeli in deſerto Chriſto tētato, & victori, Petro in carcere poſito,& Paulo Romam naviganti. Hoc autem facit Deus cum omnibus electis, qui in tribulatione aliqua vexantur: nam eos recreat ac reficit per internas, vel per externas Angelorum conſolationes. Deinde, cum Deus Angelos condiderit, nec velit illos eſſe otioſos, aut aliquid dicere, vel facere pręter ſuam ſcientiam,& voluntatem, illi precantur vt faciant, quicquid Deus decreuit illos facere. Ideo ex diuinę prouidētię cōſilio, Chriſto miniſtrarunt in infantia, & in deſerto, & per vnum ex illis iam proximus morti conſtabiliri voluit atque communiri: quia ſcilicet Deus inſpirauerat. Tertio, vt obſtringeret ſeipſum Angelo, qui dignabatur acceptare eum in ſubleuatorem,&confirmatorem,& certo modo obligaret eum vt idē faceret in membris ſuis, quæ magis hoc officium exigerent. Quartò, vt obligaret Chriſtum ſibi ipſi, qui quærit occaſiones profundendi ſuas diuitias, quo ſic erectus, ſuffultusque, in ſe, & ſuis membris poſſit in æternum in innumerabilibus ſuis defectibus ſuccurrere. Quintò, etſi ſapientis, ac fortis viri ſit ſeipſum in aduerſa fortuna, atque adeo in doloribus ipſis ſolari, vt Martyres in tormentis plerunq; fecerunt, recogitantes illum, pro cuius gloria patiebantur,& paſſionis breuitatem, & fructum æternum, non ſic tamen fuit in Chriſto, quia Deus non concurrebat cum memoria eius ad recordationem illorū, quæ animos ſibi facere poterant, ſed volebat vt nōniſi tormenta ac afflictiones, quibus erat vexandus, meditaretur. Deinde, etſi ipſe Chriſtus omnes Martyres, atq; adeo ipſos Angelos in cœlo poſitos confirmet, imo Apoſtolos ipſos in cœnaculo,& per viam multis rationibus erexerit, atque ſubleuauerit: voluit tamen ipſe Dominus Angeli opera, & auxilio roborari, ad præbendum nobis perfectū patientiæ exemplum. Vult enim Chriſtus, qui omnia habet in manu ſua, omni cōſolatione,& omni robore deſtitui, patiq; tanquam purus homo, ne tu, cū affligeris, ac vexaris, vidēs tibi Chriſtum in exēplum propoſitum, dicere valeas, Chriſtus, Deus erat,& non homo. Ieſus enim vt contriſtatus eſt tanquam homo, ita & corroboratus: nam Deus vt triſtitiæ, ita & confirmationis capax eſſe non poteſt.

Quare Chriſtus virorum inſtar ſapientum ac fortiū non ſit ſolatū ſeipſum. Conſueuit Deus humanis præſidijs deſtitutis angelica conferre ſubſidia.

3. Reg. 19. 4. Reg. 6. Dan. 3. Matth. 4. Act. 12. & ſeq. Infra 27.

Luc. 2. Matt. 4.

Quid fortis ac ſapientis viri proprium ſit.

Quare Chriſtus Angelo egere voluerit confirmante.

Quinto loco interrogabis, quare Deus per ſeipſum animum Chriſti non corroborauerit, ſed per Angelum? Reſpondeo, ꝙ etſi per nos poſſimus ſubleuare alios, & Deus per ſe ſolum ſine alijs, hominem erigere poſſit, eius tamen ſapientiæ eſt ſocios & adminiſtros adhibere: tum ob bonum ipſorum miniſtrorum, dando cauſam fructuosè laborandi,& labores eorum remunerandi, tum ob noſtrā humiliationē: hinc dicitur: Minuiſti eum paulo minus ab Angelis. Sexta quæſtio eſt: quis ſcopus fuerit Dei in Dominica hac cōfirmatione per Angelum, cū ipſe Chriſtus ſit virtus, & omnium for-

Quare Deus per ſeipſum animum Chriſti non corroborauerit, ſed per Angelum.

Pſal. 8. Quo Deus tenderet in hac Domini confirmatione per Angelum.

um fortitudo,& omnium firmitas, & melius noſſet cauſas ſubleuandi,'& conſolandi quam Angelus? Aio inprimis,quod cùm vel in Chriſto fuerit ſuſpenſum gaudium ex viſione Dei procedens, ex quo cœpit contriſtari,& pauere, vt quidam ſentiunt, erat omni prorſus ſolatio deſtitutus, vel quia in Chriſto nulla erat partis inferioris ad ſuperiorem, aut ſuperioris ad inferiorẽ redundantia, vt alij aſſerunt, ſic vt motus timoris,& triſtitiæ nõ pertingeret ad portionem animæ ſuperiorem,& contra delectatio continua ſuperioris partis de cõſpecta diuina eſſentia non tolleret, nec mitigaret triſtitiam, vel timorem inferioris portionis animæ: propterea magnitudo triſtitiæ,& pauoris tanta deſcribitur in inferiori parte, vt indigeret mitigatione, ac ſubleuatiõne aliqua: quæ quia ab intrinſeco eſſe non poterat (quia inuiolatus dictus ordo perſeuerabat) facta eſt ab extrinſeco, ne abſorberetur anima triſtitia,& plus pateretur quam congruum erat. At dices, Si Dei conſilium erat, Filium ſuum pœnam peccati pro nobis portare, quare conſolationem per Angelum mittit? melius namque videretur, ſi priuatus omni ſolatio pro nobis biberet calicem. Reſpondemus, Angelum non attuliſſe corroborationem dantem vllam refrigerationem, ſed expreſſiſſe paternam voluntatem, ex qua venit in agoniam. Et ſi verba aliqua expreſſit quæ vim haberent corroborandi, vt eſt veriſimile, dicendum tamen, quod Chriſtus debuit confirmari, quia portabat pœnam peccatorum pœnitentium, quib. mittitur à Deo auxilium, quo facilius ferant flagella paterna,& bibant calicem Crucis. Portabat etiam pœnam peccatorum impœnitentium, qui minus patiuntur, quam eorum peccata promereantur. Quia etſi peccatum nos indigos confirmatione, & indignos reddat, non poteſt tamen impedire Dei miſericordiam, vt non ſuccurrat. Et quia egere conſolatore, & conſolationem accipere, pœna eſt noſtrorum peccatorum, etiamſi ad minuendam pœnam ſit inuenta conſolatio: Dominus Ieſus tamen voluit Deũ honorare conſolatorem, conſolationem per Angelum miſſam acceptando. Deinde confirmauit Angelus Dominum, vt ab eo multos aſſenſus,& animi prompti actus in præſtanda Deo obedientia eliceret. Tertio, vt doceat nos cum animi ſubmiſſione confirmatores miſſos ad nos ſubleuandum acceptare, etiamſi in ſapientia, & dignitate minores ſint, vt pariter illis deuincti maneamus, illos in ſuis neceſſitatibus confirmando, pluſquam ſi generali obligatione teneremur facere,& vt ita magis humiliemur, & ſubmiſſius nos geramus: ob peccatum enim vel minimo alterius auxilio indigi redditi ſumus. Quarto, vt doceat quod cum quis fortem ſe, & obſtinatum contra tentationem præbet, neque illi vult cedere, ſed potius deliberat obedire Deo, poſtea ſuccedit diuina conſolatio confirmans ad facilius ferendum quod offertur pati. Quod non ſolum hoc loco oſtendit Dominus, ſed etiam apud Matthæum: cui non cedenti Satanæ, ſed illi repugnanti, aduenerunt Angeli,& miniſtrabant ei.

Cur cum Deus voluerit Filiũ ſuum peccati pœnam pro nobis ferre, conſolationẽ tamen per Angelum mittit.

Quare Chriſtus debuerit confirmari.

Cuius rei gratia ſit inuenta conſolatio.

Quales redditi ſumus per peccatum.

Matth. 4.

Septima quæſtio eſt, qua ratione Angelus confirmauerit Dominum, interius ne tantum, an exterius? De priori illo genere confirmandi loquitur Zacharias, dicens: *Et reſpondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me verba bona, verba conſolatoria*, & ad talem conſolandi rationem non erat opus præſentia corporea, nec ſenſibilibus verbis. Propterea probabilius eſt, Angelum exterius adhibuiſſe ſui præſentiam cum verbis coniunctam. Nam etſi præſentia ſine verbis, ſolatij aliquod genus videatur, vt conſtat de tribus amicis, qui Iob patientem conſolandi gratia adierunt, & per ſeptem dies nihil illi dixerunt, & quemadmodum etiam tempore luctus fieri ſolet, vt pullas veſtes induti præſentes adſint illi, qui parentis, vel filij, vel fratris mortem luget, dolorem ſuum teſtantes, etiamſi verba quæ ſolentur, nulla adhibeant: Tamen ſolidior eſt, ac verior patientis ſubleuatio, ſi etiam verbum exhortationis, aut conſolationis adhibeatur, quod hic Angelum feciſſe, longẽ eſt veriſimile. Quæ vero extiterint illa verba, Euangelium non exprimit. Theophylactus, Angelum dixiſſe refert: *Tua eſt Domine fortitudo: tu enim præualuiſti contra mortem, & contra infernum, & liberaſti genus humanum.* Anſelmus libro de Paſſione, inducit Angelum Chriſto dicentem. *Conſtans eſto Domine: modo genus humanum debes redimere.* Alij meditantur dixiſſe, quod olim dixit Angelus Heliæ: *Surge, bibe Domine calicem paſſionis, grandis enim tibi reſtat via.* Dicendum tamen eſt, neminem niſi Prophetam poſſe certò, & præciſè dicere verba, quibus vſus fuit Angelus, vel præter Ieſum ipſum, qui quatenus Deus eſt, Angelo ſuadebat, vt diceret quod volebat, vel vt diceret, idem quod ipſe illa nocte Apoſtolis dixerat corroborando illos ad imminentia pericula ſuſtinenda, nempe: Bibe Domine hunc calicem: non quia princeps huius mundi habet in te quicquam, ſed vt cognoſcat mundus quia diligis Patrem, &

Qua ratione Angelus confirmauerit Dominum interius ne tantũ, an exterius.

Zach. 1.

Iob. 2.

Vera & perfecta aliquem conſolandi ratio.

Quibus verbis vſus fuerit Angelus in ſolando Domino.

Theophyl. in Lucam.

Anſelmus.

3. Reg 19.

Ioann. 13. 14. 15. 16. & 17.

Ioan. 14.

ſicut

ſicut mandatum dedit tibi Pater, ſic facis, Si tu non biberis, quis eſt qui poſſit in æterna gehennæ damnatione bibere? Quod ſi tu præbibas æternum illum, amarum, & intolerabilem calicem, temporaneum, & momentaneum reddes, & nō ſolum tolerabilem, ſed etiam dulcem, & amabilem, & poteris propterea Spiritum S. conſolatorem mittere, qui reprehendat mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio. Niſi enim tu biberis, Paracletus non veniet ad homines, nec implebuntur Scripturæ, nec fiet vnum Ouile, & vnus Paſtor, nec fies Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, nec accipies omnem poteſtatem in cœlo, & in terra, nec tu poteris tuis committere vt prędicent Euangelium vniuerſæ creaturę, quia nō es miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, nec de Sion exibit lex, nec verbum Domini de Ieruſalem, nec conteres caput ſerpentis. Et quis eſt, qui nō recuſet calicem, ſi tu timore eum recuſas bibere? Et quis mori pro te audeat, ſi prius non intelligat te pro eo mortuum? Stultus qui alio ſpiritu quam tuo promittit ſibi tam viuere, quam mori, Non ceſſabunt prius lex, ſacerdotium, ſacrificium, niſi tu bibas: quia hucuſque durant officia legis, & Sacerdotis. Dixiſti Domine: *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis.* Dixiſti Petro te à morte reuocanti: *Vade poſt me Satana, ſcandalum es mihi: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.* Affirmaſti: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum:* Aſſeruiſti, *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec ſeruus ſuper dominum ſuum*, & : *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos*, rurſum, *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum:* Quæ verba omnia nullius erunt momenti, niſi prior tu bibas calicem. Bibe Domine, & reddatur vera gloria, & honor Patri tuo, & naſcatur homo in mundum poſt tuos, & Apoſtolorum dolores ſeminatos, & metes gaudia ſempiterna. Bibe poculum mortis, vt, quo ſolebat dæmon, & ſerpens homines terrere, electi tui vtantur modo eo pro ſcuto, gladio, & lancea contra eam, & amabunt eam vt ſecurum, & dulcem tranſitum ad gloriam: atque ita mors, quæ inſtar immanis Leonis omnes rugitų perterrefacit ſuo, fiat vt caniculus ſine vigore, qui non habeat niſi leuem vocem, & latratum. Vide Domine Patrem tuum porrigentem de cœlo calicem, & expectantem vt bibas. Vide, Angelos ſpectatores huius certaminis, & ſalutis humanæ ſitibūdos, tibi pro redemptione mundi ſupplicare. Vide Domineglorioſam coronā, quam petiſti à Patre tuo paulo ante, ad quam non aſcenditur, niſi bibendo calicem. Vide, bibitionem eſſe temporariam, fructum ſempiternum, imitationem electorum tuorum pro Dei gloria morientium perpetuam. Bibe Domine, quia non permittes te defendi, ſed ſponte occurres inimicis, vt te illis tradas & reprehendes Petrum te defendentem, nec diſcedes ex hac vita, niſi prius haurias fundum, & feces calicis in myrrha, felle, & aceto deſignatas. Hæc & his ſimilia Angelum dixiſſe probabile eſt.

Infra 16. Supra 10. Pſal. 109. Matth. vlt. Supra 15. Eſa. 2. Gen. 3. Ioan. 3. Num. 21. Matth. 16. Ioan. 12. Matt. 10. Ioan. 20. Matt. 10. Ioan. 16.

Poſtrema quæſtio eſt, Quid nos Chriſtus per hanc angeli corroborationē, quam grato animo ſuſcepit, docere voluerit? In primis, vt per quemcunque à Deo ad nos ſolandos deſtinatum, conſolationem, & exhortationem ſuſcipiamus, maxime dum tribulatio nos atterit, vel hora mortis imminet. Deinde diſce Angelos aſſiſtere orantibus, & orantes corroborare: *Præuenerunt*, inquit Pſaltes, *principes coniuncti pſallentibus, in medio iuuencularum tympaniſtriarum.* Atque ita non fuit Chriſti precatio ſine fructu, & quidem magno confirmationis ad bibendum calicem. Diſce Angelos aſſiſtere illis, qui grauibus tribulationibus exercentur, maximè ſi eorum auxilium imploretur: quemadmodum tribus pueris in fornacem ignis coniectis adfuerunt: vt olim etiam Agar ſitienti, & Loth in Sodomorum excidio, & Iacob in reditu, ne à fratre Eſau metueret, & Tobiæ, ne à piſce abſorberetur, & ab Aſmodeo ſuffocaretur, aſtiterunt, & Petro in carcere exiſtenti adfuit Angelus liberans, & Paulo Romam nauiganti Angelus aſtitit, omniū animarum ſalutem promittens. Diſce tu quoq; alios, dum laborant, erigere, vel potius Chriſtum in proximis tuis, & pauperibus egentem ſubleua, aut eleemoſyna, aut verbo ſolatij in ægrotantibus, & carcere poſitis viſita, & ſi potes teipſa adiuua. Diſce Prælate officium tuum ſubditis præſtare: quod eſt confirmare fratres tuos, & conſolari illos. Denique quicunque proxime morituros, ſiue domi ſuæ, ſiue publicè magiſtratus ſupplicium ſubeuntes ad Chriſtiano more vitam terminandam exhortātur, Angeli officium præſtant, & maxime eorum congregatio, quæ huic muneri præſtando deputata eſt: qui veſte alba etiam ipſos Angelos repræſentat, qui in Scripturis ſemper in ſtola candida apparent. Et licet vnus tantum ex illis exhortationem præſtet, cæteri tamen orant, vt efficax ſit confirmatio. Ac vt Angeli nonniſi Dei verba annuntiant, ita illi voluntatem Dei ex Scripturis deſumptam explicant atque declarant, &

In eo quod Chriſtus Angelicam in paſſione confirmationem ſuſcepit, quid nos docere voluerit.

Orantibus aſſiſtunt Angeli, eoſque corroborant.

Pſal. 67.

Quibus maxime Angeli aſſiſtant.

Dan. 3. Gen. 16. Infra 19. Infra 32. Tob. 6. Infra 8. Act. 12. Infra 27.

Angeli officiū qui præſtant.

Quodnam ſit Præſulis officium.

Luc. 22.

Angeli in ſcripturis in ſtola candida ſemper apparent.

per

Martyrum hortatores acerrimi.

per illam efficax redditur exhortatio. Magnus olim exhortator verbo ad martyrium diuus fuit Sebaſtianus, ſed multo tempore occultus: magnus verbo, & apertè fuit Origen. teſte Euſeb. acerrimus fuit, & magnus Cyprian. qui epiſtolis ſuis ad diuerſas Eccleſię prouincias miſſis innumeros ad mortem pro Christo ſuſtinendam erexit atque confirmauit. Quod ſi tibi non tantum datũ eſt, vt hoc modo ſubleuare alios queas, ſaltem da operam vt operibus bonis, eleemoſynis, ac precibus ad Deum fuſis, aut pauperes egentes, aut infirmos in xenodochio poſitos, aut in carcere vinctos, aut triſtitia mœroreq; confectos confirmare atq; conſolari valeas, quia in illis non alium roboras, ac ſolaris quam ipſum Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, cui cum Patre, & Spiritu ſancto, perpetuas laudes decantemus in ſeculis ſeculorum. Amen.

Euſeb. lib. 6. c. 9. initio. Eccl. hiſt. to. 1

Vtilis quędam altera proximum confirmandi ratio.

TRACTATVS XV.

De ſudore ſanguineo Chriſti Ieſu, in verba illa: *Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22.

Ordo huius tractationis.

ETſi hæc ſint maximè cum præcedentibus coniuncta, quia tamen æquo prolixior prodijſſet tractatus, ſi ſimul expoſita fuiſſent? ideo conſulto, vt minori moleſtia legerentur, in duos tractatus diuiſimus. Expedita igitur corroboratione Domini per Angelum, dicendum de agonia, in quam venit, & explicabimus quid & voce, & reipſa ſit, quomodoque ex illa Angeli confirmatione ſit nata, cum prolixiori oratione, & ſudore ſanguineo. Vt hinc igitur exordiamur, agon, lucta eſt, ſiue certamen, vel locus eſt, vel campus, vbi certatur, & contenditur de palma, de quo Paulus: *Omnis qui in agone cõtẽdit*, & Romę extat locus ita vocatus: inde agonalia, id eſt, ludi qui exhibebantur ad voluptatem populi, vbi pro præmio decertabant: inde agonizare, pro certare, vel luctari, ex quo illud: *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia*, & agonothetes, qui præmium certantibus proponunt: inde agonia, ſiue pugna, vel concertatio duorum contrariorum: atque hæc de voce. Quantum ad rem vero ſpectat, agonia accipitur pro anxio illo conflictu hominis morituri cum vltimo terribilium, hoc eſt, morte de-

Agon quid.

1. Cor. 9.

Agonalia apud Romanos quid erant.

Eccle. 4.

Agonothetes qui ſint.

Agonia ſecundum rem quid ſit, vnde proficiſcatur.

certantis. Eſt autem communiter agonia, ſiue conflictus ille in morituris, tum ob terrorem de anteacta vita, tum ob præſentis vitæ, quam ſumme diligimus, priuationem, & dolorem, tum ob ignorationem loci, quo anima poſt mortem ſit peruentura. Sed hoc genus agoniæ in Chriſto eſſe potuit minimè, vt qui nouerat vitam ſuam totam inculpatè, & ſanctiſſimè actam, ita vt diceret: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* tum quod vitæ producendæ deſiderio non tenebatur: *Baptiſma*, inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur?* tum denique quia certo nouerat quod ibat ad Patrem. Talis igitur agonia nõ erat in Chriſto. Deinde erat aliud genus agoniæ, quod ad partem animæ ratione præditam pertinebat: quidam enim inueniuntur adeo debili, & infirmo rationis iudicio præditi, vt dum vni rationi ſpeculandæ animum applicant, illud velint, rurſum aliam rationem oppoſitam conſiderantes, in illam inclinant: & neſcientes diſcernere quæ alteri præſtet, anguntur, & ſudant, atq; adeo perplexitatem, & mentis confuſionem incurrunt. Sed hæc agonia in Chriſto ſumma ſapientia, & intellectus perſpicacia prædito eſſe nequaquam poterat. Tertia agoniæ ratio eſt colluctatio quædam ſenſus, & naturę Chriſti delicatiſſimę horrentis mortem, pœnas, & ignominiam cum ratione ſuperiori ad Dei gloriam, & mundi ſalutẽ acceptante mortem, & ſenſui contradicente, atq; adeo illum vincente, de illoq; triumphante. Chriſtus enim in horto poſitus, omnium hominum peccata fœdiſſima, abominandaque, & omnes eorum minutiſſimas circumſtantias intellectui ſuo repræſentauit: quas dum expenderet, ſummum animi dolorem propterea concepit: perpendens Patris ſui bonitatem offenſam, & gloriam obſcuratam, animas vero turpiſſimè maculatas, atq; perditas eſſe. Animaduertens culpam quam incurrebant, gloriam quam amiſerant, pœnæ reatum, quem promerebantur: ſcienſq; ad ſe vt fideiuſſorem, & procuratorem ſpectare pro omnibus ſatisfacere, ac electis ſuis omnibus in baptiſmo ſui ſanguinis nomina imponere, educens eos ex culpa quaſi ex nihilo ad eſſe gratiæ, & gloriæ. Perſpiciens quoq; ſpeciatim Iudæorum ingratiſſimorum flagitia, proditoris nequitiam, diſcipulorum fugam, Petri abiurationem, iniquam Pilati iudicis, ne gratiam Cæſaris amitteret, ſententiam, mœſtiſſimæ matris dolorem, Iudaicæ gentis exciſionem, & futuras omnium membrorum ſuorũ acerbiſſimas paſſiones atque martyria, noſtros denique ad

Agoniæ duæ ſpecies, à quib. longè abfuit Dominus noſter.

Ioan. 8.

Luc 12.

Ioan. 13.

Quorundam infirmitas rationis & iudicij quanta.

Quam agoniam paſſus ſit Chriſtus.

Quæ res Chriſtum in hanc agoniam induxerint.

tanta beneficia animos ingratos, & obſtaculum quod ſuæ inſpirationi, vocationi, ac beneficio tantæ mortis eramus poſituri. Proponens ſibi deinde ante oculos amara omnia paſſionis tormenta ſuæ, comprehenſionem, alligationem, & ad diuerſos, & inimicos ſuos iudices deductionem, alapas, ſputa, flagella, purpuram, coronam ſpineam, Crucis baiulationem, fel, & acetum, amara, & aculeata verba, latronum ſocietatē, & mortem ipſam omni acerbitatis, & ignominiæ genere refertam, Non potuit Chriſti natura, & delicat⁹ ſenſus, tale tamque atrox genus mortis non exhorreſcere, atq; ad illud non cōtremiſcere, vt ſibi, perſonæ vita digniſſimæ, innocentiſſimæ atq; intimè dilectæ contrarium, ac proinde ſui ipſius miſericordia commoueri: etſi aliunde amor gloriæ Dei, & ſitis ardens ſalutis mundi aliud dictaret, pro qua & acceptabat omnia, & pugnabat in ſenſum, & naturam ſuam. Et hæc eſt lucta, & conflictus Chriſti exculpens prolixiorem orationem, & ſudorem ſanguineum, vt in alijs morituris acerrimum animi ſenſum, & ſudorem mortis: quia natura humana in Chriſto quod ſibi proprium erat, ſecundum Patres Cyrillum, & Damaſcenum agere permittebatur. Itaque hi duo amores ſibi inuicem pugnabant: amor enim ſenſus naturæ, ac vitæ propriæ, mori detrectabat: amor verò charitatis, & gloriæ Dei, & ſalutis noſtræ mortē ſpontè, & auidè amplectebatur, & ideò repugnabat alteri amori, illumque vt remiſſiorem vincebat. Et hæc eſt ſancta illa agonia Chriſti: Cape exemplum de eo, qui ieiunio ſe ipſum affligere, & carnem macerare legis præcepto iubetur: nam illæ ſi robuſtæ ſit naturæ: mane facto naturaliter eſurit, atque in oblatam lautam atq; ſplendidam menſam naturæ impetu fertur; ratio tamen perſpiciens id minimè eſſe decorum, neq; honeſtum, reclamat, & tali appetitui contradicit, & non ſine pugna atque conflictu illum expugnat: atq; hæc eſt ſpecies quædam agoniæ. Quare in eorum ſententiam non deſcendimus, qui omnem rationem agoniæ, ſiue colluctationis, aut pugnæ carnis in ſpiritum excludunt, eo quòd in nobis ſine peccato eſſe nequeat; & quia caro erat in Chriſto ſubiecta ſpiritui, & diuinæ voluntati; ita vt diceret, Non mea voluntas, ſed tua fiat. Et vertunt hunc locum alio modo, nempe: Et correptus angore, prolixius orabat; vt cùm anxietate animi premimur, diſcamus ad orationis præſidia confugere. Sed certè hæc verſio noua eſt, & aliquo modo receditur à proprietate vocis agoniæ, quæ propriè luctam, & pugnam deſignat: & quæ in hominibus ſine peccato non contingunt, in Chriſto ſine omni peccati ſpecie inueniebantur, quemadmodùm motus illi paſſionum pauoris metus, & triſtitiæ: quare præſtat meo iudicio prior intelligentia. Et hæc de primo.

Cyrill. li. 4. in Ioan. c. 1. initio ferè to. 1. Damaſc. lib. 3. Orthod. fi. cap. 20.

Duo amores in Chriſto inter ſe contrarij, ac repugnantes. Exemplum.

Aduerſus eos qui omnem agoniæ, ſiue pugnæ rationem à Chriſto excludunt.

Quantum ad ſecundum: nata eſt hęc agonia ex corroboratione animæ, & corroborata ratione ſuperiori, vt vinceret ſenſum & naturam (nec enim nos ſine gratia Dei naturam, & ſenſum noſtrum vincere poſſumus) atque huius victoriæ rationis ſupra naturam, & ſenſum, duo teſtimonia habemus. Primum eſt, prolixior precatio, qua fit vt ſpiritus armatus vincat carnem repugnantem: nam oratio prolixior, vt ſedetur caro, & obediat rationi, ac oblectetur Dei obſequio, obtinere ſolet. Alterum eſt, ſanguineus ſudor emiſſus. Et accepit Chriſtus illam agoniam ſpontè, quia illa eſt pars calicis bibendi, quem ille vt filius obſequentiſſimus, & à Deo confirmatus incipit bibere, contra omnem prorſus & naturæ, & ſenſus appetitionem: ipſaque oratio, & orationis prolixitas ad calicem bibendum ſpectabat. Quia peccator qui per ſe impetrare non poteſt, per interceſſores precatur, & vbi non poteſt vnum obtinere quærit aliud. Quid verò precatus fuerit, neſcimus, niſi quod exauditus eſt pro ſua reuerentia, vt ait Apoſtolus. Et fortè replicabat illam orationem profuſam, quam coram diſcipulis habuerat apud Ioannem. Atque hæc prolixior precatio diſtinguitur ab illa oratione per horam, de qua ſupra: *Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Itaque fortè per ſpatium duarum horarum, & paulò amplius precatus eſt, quia ter dixit eandem orationem, cùm primo loco per horam illam diſtuliſſet. Et ita cùm egreſſus ſit poſt horam tertiam de Ieroſolymæ cœnaculo, vt nono libro diximus, prope ſextam horam captus eſt, hoc eſt, media nocte, vt teſtantur Origenes, & Chryſoſtomus. Ab hac igitur Chriſti agonia diſce qui cultor Chriſti es, te ad multa incommoda, & ſenſui duo contradicentia pręparare, & vt Spiritus ſanctus ait: *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro iuſtitia; & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Nec propterea deſerendum eſt benefaciendi ſtudium, aut ad vitioſa opera feſtinandum, ſed in precatione vires obtinente perſeuerandum: Chriſtus enim hac ſua agonia omnes noſtras bonas actiones, quæ cum aliqua ſenſus, ac carnis repugnantia fiunt, iuſtificare voluit. Deinde ex Chriſti oratione diſce, quòd cùm

Vnde hæc agonia ſit orta.

Oratio prolixior quid aſſequatur.

Heb. 5.

Ioan. 17. & ſeq.

Matth. 26.

Libr. 9. tract. 12.

Chriſtus qua hora horæ noctis ſit captus.

Orig. tract. 35. in Matth. tom. 2. Chryſ. hom. 84. in Matt. tom. 2.

Hæc domini agonia nos docet duo.

Eccleſ. 4.

acceptamus crucem, & calicem, debemus prolixiori precationi ſeriò incumbere, ne intremus in tentationem, vt in opere noſtro bono, vel paſſione ſanctificetur nomen Dei, & adueniat regnum ſuum, & non noſtra, ſed eius voluntas fiat in cælo, & in terra: id eſt: ſicut Satanas, & peccatum de cælo eſt ablatum, ita ab homine in terra auferatur: vt donet panem quotidianum confirmantem ad potum calicis, & vt non impediantur alia Dei dona propter debita, quæ cum Deo contraximus: petamus dimitti nobis debita, vt nos debitoribus noſtris remittimus, quò per fructuoſam pœnitentiam conuertantur ad Deum: ac ne nos inducat in tentationem per conſenſum, ſed liberet nos à maligno tentatore.

Matth. 6.

Vbi perpende, morientes, quaſi emortuis ſenſibus, non poſſe amaritudinem mortis guſtare: ſecus Chriſtus Dominus; cuius erant ſenſus viuaciſſimi, & clariſſima apprehenſio mali, quod incurritur, & boni quod amittitur. Hinc eſt quod de eo Paulus ſcribit: *Vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.* Vbi verbo guſtandi Apoſtolus primum alludit ad poculum, vel calicem, quem hic deprecabatur Dominus, & oſtẽdit paſſionem ſpontaneam: guſtare enim, vel non guſtare, in poteſtate eſt deguſtantis; & quia ſenſus ille guſtandi, ſiue guſtus magis res diſcernit, quàm ipſe plenus potus; ideò ipſe verè ſenſit amaritudinem mortis. Eſt etiam guſtus breuis tempore: quia mors per triduum in Chriſtum præualuit, & in electos non niſi breui præualitura eſt. Cumque ſerui bibituro Domino prægustare ſoleant; Dominus tanquam medicus clementiſſimus, nobis, id eſt, ſeruis ſuis infirmis prægustauit, atque adeò propinauit.

Chriſtus cur ſolus vere mortem guſtauit.

Heb. 2.

Vnde conſtet voluntariam fuiſſe Chriſti paſſionem.

Qualis medicus, Chriſtus noſter.

De altero victoriæ teſtimonio ſupra naturam, & ſenſum, ſubiungit: *Et factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Circa aduerbium illud, *quaſi*, perpende, non eſſe Euangeliſtæ ſententiam, quòd ipſe Dominus emiſerit ſudorem ſimilem guttis ſanguinis, vt ipſe tamen ſanguis nõ fuerit, hoc enim eſſet in Patres aliter exponentes, & in communem omnium fidelium conceptum, quòd Dominus ſudauerit ſanguinem: & quorſum magis ſanguinis, quàm aliorum liquorum guttas meminiſſet? Cur præterea ſanguinis meminit decurrentis in terram, niſi ſignificare voluiſſet ſudorem decurriſſe cum ſanguinis guttis, idque tam abundanter, vt in terram ab ipſo defluerent? Ad hæc, vocula Græca ὡσεὶ, id eſt, quaſi, vel ſicut, non tãtùm ſimilitudinem ſignificat, ſed etiam veri ſpeciem, vnde illud: *Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre.* Quia verò incredibile videtur Chriſtum emiſiſſe ſudando craſſas ſanguinis guttas & quaſi grumos idcircò Euthymi⁹ & Theophylactus intelligunt dictionem, Sicut, hic tantum ſignificare ſimilitudinem, aut per hyperbolem Chriſti ſudorem guttis ſanguinis comparatum. Ait enim Euthymius in Matthæum. *Grumi ſanguinis, hoc eſt, craſiſſima ſanguinis gutta:* ſignificans non quòd ſanguinem ſudauerit, ſed quòd craſſos deduxerit ſudores. Theophylactus verò, vt verſus eſt ab OEcolampadio, in hunc modum habet: *Quod ab humana natura fuerit orare, quæ iuxta permiſſionem patiebatur communem affectionem, qua amamus vitam; & non à diuinitate, ſicut dicunt maledicti Arriani; manifeſtum eſt ex hoc quòd ſudauit, idque cum tanta anxietate, vt planè hæc fuerit & parœmia, eo quòd & ſanguinei riui ex eo ceciderint. Parœmia enim eſt in his qui valde laborant, ita vt ſanguinem ſudent, ſicut & in his qui amarè flent, dicimus quòd ſanguinem flent. Hoc igitur volens manifeſtare Euangeliſta, quòd non tenuibus quibuſdam indiciis, & oſtentationis gratia apparentibus, ſed fluentem fortiter ſudorem ſtillauerit, & collegerit ſecum riuos ſanguinis;* & reliqua. Sic ille. Clarius tamen habetur ſententia eius in Catena aurea Beati Thomæ: poſita enim illa ſententia qua Chriſtus verè creditur ſudaſſe ſanguinem, ſic ibi ſubiungitur nomine Theophylactus. *Vel hoc prouerbialiter dicitur de eo, qui vehementer ſudauit, quòd ſudauit ſanguinem. Volens igitur Euangeliſta innuere quòd groſſis ſudorum guttis madebat; ſumit guttas ſanguinis ad exemplum.* Hæc ibi. Vides ergo Euthym. negantem Chriſtum ſudaſſe ſanguinem, ſed nudam affirmãtem eſſe comparationem, ſiue ſimilitudinẽ. Vides Theophy. dicentem eſſe prouerbialem locutionem. Et tamen his non obſtantibus ſtandum eſt in priori ſententia, & rationibus, quæ illam egregiè comprobant.

Sudor Chriſti ſanguineus qualis fuerit.

Ioan. 1.

Altera opinio.

Euthym. in Matth c. 64.

Theophylact. in Luc. 22.

Arrianorum impium dogma.

Parœmia in quibus fit.

S. Tho. to. 15.

Vtri potius ſententiæ ſit adhærendum de ſudore Chriſti ſanguineo.

Deinde perpende, verbum guttę Græcè dici θρόμβοι, id eſt, grumi ſanguinis, nimirum craſſiſſimæ ſanguinis guttæ, vt exponere Euthymium diximus, & Irenæus dixit globos ſanguinis. Verbum *Decurrentis*, Gręcè habetur in Nominandi caſu, decurrentes, vt referatur ad guttas. Sed illud parui eſt momenti, ſiue ad guttas, ſiue ad ſanguinem referatur. In ſudore igitur, qui naturaliter ſequitur agoniam, deſignatur feruor & accenſio; in ſanguine verò pretium; in decurſu, abundantia: fuit enim tãtus decurſus, vt veſtes non potuerint illum exugere, atque abſorbere. In guttis particularis efficacia denotatur illius ſudoris, licet haberet vniuerſalem ſufficientiam, quia de

θρόμβος Græcè quid.

Iren. lib. 3 de Orthod. fid. c. 32. in fine.

In ſudore quid, & in ſanguine denotetur.

In guttis & iis quidem craſſis, ſi dos Chriſti ſanguinei quid myſterij deſignetur.

toto corpore exiuit hic ſudor. In guttis craſſis vt globis deſignatur eximia ei⁹ erga nos charitas, qua tantum angorem noſtri cauſa ſuſcipere dignatus eſt, & mortem tantopere naturæ ſuæ contrariam perpeti.

Aliquid hic nobis de hoc ſudore dubitandum, Chriſtianeq; philoſophãdum eſt, & illud in primis, an hic ſudor naturalis, an ſuper naturam extiterit? Secundo de cauſis tanti, ac talis ſudoris: Tertiò quid per illum ſudorem ſignificatum nobis eſſe voluerit. Ex his enim notis, ac bene perſpectis, rei tam ignotæ, & inſolitæ comprehenſionem aliquam habebim⁹.

An hic ſanguineus ſudor naturalis fuerit, nec ne.

Ad primum igitur, ſtatuendum, quod etſi Chriſtus perinde in operibus naturalibus, atque in ſupernaturalibus apud Deum promereretur, cùm vtraque ex ingeniti charitate, & infinita Verbi hypoſtaſi prodirent; tamẽ ſupra naturã operãdo, & ſupra naturã patiendo, ſingularẽ ſuæ beneuolentiæ affectum erga genus humanũ declarauit; atq; ideò nos ſibi deuinxit magis. Dicendum igitur ad primò loco ꝓpoſitum dubium, ſudorẽ hunc fuiſſe ſupra naturam: idq; vno conſenſu Doctores videntur docere, ex quibus ait Beda: Cõtra naturam eſt ſudare ſanguinem. Idem docet Simon de Caſſia, & plerique alii.

Fuiſſe ſupernaturalem, vnde conſtet.

Beda in Lucam lib. 6.

Simon de Caſſia lib. 13. de Caſſ.

II. ratio.

Deinde ex eo cõfirmatur: quia nunquam de aliquo mortalium auditum eſt, aut lectũ, ob horrorem mortis, & pauorẽ, ſanguinem emiſiſſe; bene tamen alios humores per ſudorem expuliſſe: nonnullos etiam vna nocte incanuiſſe ob imminentem ſequenti die mortem.

III. ratio.

Tertiò, quia ſicut natura expellit ſuperfluos humores per ſudorem, vel alio modo ita ſanguinem vt amicum naturę & pręcipuum, & pretioſum, & in quo vita cõſiſtit, ſemper retinet: ꝙ ſi forte ſanguis abundet; eius exceſſum emittit vel per nares, vel per os, vel per ſeceſſum, nunquã tamen ſudãdo.

IV. ex Ariſtotele

Philoſ. li. 3. de hiſt. animal. c. 29. circa medium.

Quartò Ariſt. lib. de hiſt. animalium, cõcedit ſudorem cruentum, ſed in infirmis, ac male affectis corporibus. Ait enim: *Si multum ſanguinis effluat, anima deficit: ſi nimium, vita interit. Si ſanguis immodicè humeſcit, morbus infeſtat: ſic enim in ſpeciem ſaniei diluitur, & adeò ſereſcit*, (id eſt, fit ſiccum, & in ſerum abit,) *vt iam nonnulli ſudore cruento exudarint.* Idem confirmat libro de Partibus animalium: *Iam nonnullis accidit, vt cruentum quoddam excremẽtum ſudarent propter vitiatum corporis habitum, ſcilicet cùm corpus laxum, fluxumq; eſſet, ſanguisq; præ cruditate humeſceret imbecillitate caloris, qui exiguis venulis incluſus concoquere non poſſet.* Hactenus Ariſtoteles.

Idem lib. 3 de Parti. anim. c. 3. poſt med.

Cruenti ſudoris cauſa ab Ariſtotele tradita.

Cum igitur Chriſtus conſtaret bona atque excellẽti corporis habitudine, & ſuper omnes homines delicata, & ad optimum temperamentum reducta, quia opus erat Spiritus ſancti immediatum, & non ſolius naturæ, vt nos: idcircò talis ſudor illi tanto temperamento prædito non poterat competere: vt egregiè hoc loco probat Caieta.

Quali Chriſtus conſtaret temperamento corporis.

Caietan. in Luc. 22.

Prouerbium Salomonis,

Nam etſi naturale ſit in generatiua virtute, deficiente ſemine in viro excuti ſanguinem, qui materia eſt ſanguinis, & in lactantibus deficiente lacte ſuccedere ſanguinem: vnde & prouerbiũ habet: *Qui vehementer emungit, elicit ſanguinem*: & de muliere quadam teſtatur quidam minimè contemnendæ autoritatis Scriptor, quòd cùm intensè defleret virum mortuum, & deficerent lacrymæ, guttas ſanguinis per oculos emiſerit, quibus excæcata permanſit: Nunquam tamen naturale fuit, vt deficiente materia ſudoris, defluxerit ſanguis.

Prou. 30.

Epiſc. Conimbricen, in Matth.

Exemplum de fletu ſanguineo.

V. ratio.

Sed vt in dictis exemplis naturaliter ſuccedit ſanguis ſemini, & lacti, ita hic ſudori ſupra naturam ſanguis ſucceſſit. Adhæc medici ſcribunt, accidere ictis à ſerpente, cuius nomen à fluxu ſanguinis dicitur Hemorrhoos, vt ſanguinem ſudent: quod hic minimè fingi poteſt; neque enim à ſerpente tali ictus fuit Dominus.

Hæmorrhoos ſerpens vnde dictus.

Auguſtinus libro de Ciuitate Dei ait: *Ipſe ſum expertus, ſudare hominem ſolere cum vellet.* Quem locum exponens Ludouicus Viues, ſcribit, quod compreſſo ſpiritu, & ſtragulis opertus ſudabat languens præ febricula cùm volebat, & medici preſcribebant. Notum eſt, vniuerſum ferè mulierum genus ad lachrymas profundendas cùm volunt, eſſe propenſum, de quibus Poeta quidam dixit:

Aug. li. 14. de Ciu. Dei. cap 24. poſt med: tom. 5

Ludouicus Viues.

Vniuerſum mulierum genus ad lacrymas propenſiſſimum.

Vt flerent, oculos erudiere ſuos.

Ouid. 2. de Remed. amor.

Dicendum igitur hunc Chriſti ſanguinem verum, & naturalem fuiſſe, ac de puriſſima Chriſti carne expreſſum: ſed quantum ad modum ſupra naturam fuit, & non ſine miraculo; quemadmodum ille, quem cum aqua iam mortuus emiſit è latere, & naturalis, & verus fuit, etſi modus profluentiæ ad miraculum ſupra naturam poſitum ſit referendus.

Qua ratione & naturalis ſimul, & ſupernaturalis hic ſudor fuerit Chriſti ſanguineus.

Ioan. 19.

Anima enim naturaliter corpus deſerente & calore naturali extincto, omnes humores congelantur, & præcipuè ſanguis: vnde vulnus illatum mortuo animali, ſanguinem nõ valet elicere.

Cur è vulnere mortui animalis ſanguis non effluat.

Ieſus igitur, qui virtute ſuæ diuinitatis ad minuendos ſuos dolores vti noluit, ſicut plerumq; ad imminuẽda tormenta ſanctorum Martyrum feciſſe deprehenditur: voluit tamen miracula edere ad eos ſibi augendos: inſolitus quippè eſt, & prodigioſus iſte ſanguinis ſudor. Quãquam autem nonnulli ſancti virtute Chriſti maiora ediderunt ſigna, quàm quæ Chriſtus fecit; nullus tamen grauiora, aut acerbiora pertulit ſupplicia.

Chriſti in ſeipſum auſteritas & acrimonia.

Cauſæ ſudoris Chriſti ſanguinei duæ reſcluntur.

Ad ſecundum, de cauſis huius ſudoris; quidam nouus autor ſcribit, timoris,& pauoris Chriſti in horto cauſam nō fuiſſe diabolum ab eo conſpectum, qui etſi formidabilis ſit ex ſe,non tamē Chriſto Domino eius victori,imò Chriſtus ipſe,& nomē eius inuocatum per ſanctos fugat dæmonem,eritq; illi, atq; eſt, & fuit quoad vixit, Chriſtus formidabilis. Rurſus nō expauit Chriſtus, quòd videret ſibi mortem imminere, ſi ea viris fortibus ac mediocriter ſapientib. viſa eſt tolerabilis: nouit enim ſapiens ſe natum eſſe mortalem,& poſt hui' vitę curſum ad beatam vitam profecturum. Vnde de Socrate legimus quòd ad nūtium mortis nec expauit,nec expalluit. Ait igitur hic autor,quod Chriſtus ad peccati aſpectum, quod & diabolo ipſo, & morte truculētius eſt,& formidabilius, expauerit. Quicquid enim eſt pauoris,& formidinis in terris,vel apud inferos à peccato proficiſcitur: quo ſublato,nihil eſt horribile,ſed lætum,& iocundum. Quòd ergo Deum timeamus, mortē, diabolum, infernum,vel alias creaturas expaueſcamus,peccatum fecit: *Non eſt pax impiis*, dicit Dominus; & iterum, *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.* Peccati ergo aſpectus truculentus ac teterrimus eſt, cuius ſquiſſima Chriſto in horto occurrit imago:conſiderauit enim eius malignitatem,temeritatem, impudentiam, & qua inuiſum fecerit Deo genus humanum, & quanta eſſent ſubeunda ſupplicia pro illo de medio tollendo;& quantum interim hominib. blandiatur, & imponat peccatū, quibus ſecurius eſſet vel cum immaniſſimis leonibus verſari,quam cum illo. Cum igitur ſe totū peccatis ſordidum,& cōtaminatum videret, q̄ ſuis humeris à Patre impoſita ſic agnoſcebat, quaſi ſceleratiſſimus ipſe deſignaſſet, tanto pudore,ac verecundia eſt affectus, vt totus ſudore ſanguineo perlueretur. Vt enim timor ſanguinem cōtrahit, & timētem efficit pallidū; ita pudor tranſmiſſus pudentes facit erubeſcere. Sed ſi vehementiſſimus ſit, ſanguis in venis ita concitatur, vt per excrementum effluat; quod nonnullis accidiſſe memoratur. Hæc ille ferè, quæ nō videntur à ratione diſiuncta. Apud Iudæos quidē mos erat, vt ſi Dei blaſphemiā,aut iniuriā audirent,in ſignum doloris veſtimenta ſcinderent,vt hoc facto Dei ſe honorem quærere demonſtrarent. Quod ſi ficti illi, & hypocritæ Iudæi faciebāt;quātum putamus Chriſtum verum Dei Filium doluiſſe, vbi omnē iniuriā, & contemptū vidit Patri cæleſti per peccata noſtra irrogari? Propterea ergo tantum dolorem & mœrorē ſuſcepit, quātum ſalua vita ferre potuit. Neq; vt Iudæi, veſtimenta ſcidit in argumentum doloris ſui quo mouebatur, ſed omne perrupit corpus ſuum, ita vt ſudor ſanguineus ex cunctis membris illius præ nimia anguſtia, & tremore, velut humor ex vua fortiter preſſa, erumperet. Hæc omnia nos edocent, quantum pudere,& erubeſcere de peccato debeamus. Nā de eo qui frontem perfricuit, dicitur: *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi: noluiſti erubeſcere:* quemadmodum ſpem concipimus de eo,qui facilè erubeſcit: *Erubuit:* inquit Comicus, *ſalua res eſt.* Alij verò aliam fortaſſis veriorem cauſam, & rationem aſſignāt huius ſudoris. Aiunt enim, tempore timoris omnem ſanguinem ſe ad cor roborandum recipere: vnde homo timens pallet ob abſentiam ſanguinis: Chriſtus tamen poſtquam, Angelo confirmante, calicem acceptauit,& mortem crucis,quam deprecabatur,qui prius pallebat, factus eſt rubicund' charitate victrice in eo, & in ſignum victoriæ ſuæ charitatis in ſenſum, percuſſit ſenſum ſine gladio, & expulit ſanguinem,exiuitque ſanguis & aqua, ſiue ſanguineus ſudor,ſicut Pater eum fundi volebat. Quod factum eſt vel ex fractione venularum,quę ſanguinem continent, vel ex nimia ſanguinis attenuatione, & commotione: & ita ſanguis ſubtilis per poros apertos exiuit, & in globos,ſiue grumos congeſtus eſt. Itaque ſicut voluit à Patre deſeri, & à ſeipſo noluit corroborari, ſed expectauit conſolationem ab Angelo; ita noluit ſanguinem cor adire, quò illud roboraret, ſed voluit cor ſuum deſeri, & fortiſſima charitas vt malleus quidam repercutiens eum pro nobis foras effudit.

Vnicen. Ciconia ſerm. de ſupplicijs Chriſti.

Socrates ad mortis ſuæ nuntium nihil expauit, ac timuit,ſicut nec Seneca. quod diligenter noſſe voluit Nero ex nuntio ad eum miſſo.

Quàm res ſit formidabilis peccatum.

Eſaia 48. Pſal. 37.

Qualis peccator Iclus & quantus.

Timoris, & pudoris effectus.

Iudæi audientes blaſphemiam, cur veſtes lacerarent,de more.

Qualis ſudor is qui ex corpore Chriſti cum ſanguine fluxit.

Ierem. 3.

Teren. Adelph. act. 4. ſcen. 5.

II. ratio. ſudoris eiuſmodi.

Qua ratione hic ſanguineus manarit ſudor.

Ad tertium; in primis vt docet Euthymius, hæc omnia facit, & patitur Dominus confirmās ꝙ non phantaſtice humanitatē aſſumpſerit,ſed iuxta veritatem. Etenim ſi etiam his ita factis, quæ ad humanitatem pertinebant, quidā adhuc eius incarnationem non credunt; quanto magis increduli eſſent,ſi hæc facta non fuiſſent: Sic ille. Deinde ſanguineo ſudore declarauit quātum nos amaret,quaſi diceret: Tanta dilectione erga hominem peccatorem afficior, vt etiam ſi nullus adſit carnifex, ſanguinē per me ipſum fundere ſim paratus; vt illi medear; quēadmodum pellicanus proprio roſtro pectus percutit, vt ſanguine ſuo pullos à ſerpente ictos, à veneno ſanare queat. Et quēadmodum feruens ebullitio ſępè extra emittit ꝙ intus delitеſcit; ita pectus Chriſti charitate incenſum,& bulliēs, externa ſanguinis effuſio declarauit;& ita torcular calcauit ſolus,& de gentib. nō fuit vir ſecū. In

Euthym. loco citato.

Quid per hūc ſudorem nobis Dominus ſignificatum eſſe voluerit.

II. myſteriũ.

Pellicani ingenium. Simile ſudoris Chriſti ſanguinei.

Eſaia. 63.

Quare Chriſtus torcular calcauit ſolus, & de Gentib. non fuit vir ſecum vti cecinit Propheta.
III. myſteriũ
Simile.

horto enim cœpit Chriſti caro velut in torculari calcari,& ſanguinis robur ex vua expreſſa defluere: & tunc non fuit vir ſecum: quia qui cum illo erant, vel dormiebant, vel ad fugam ſe parabant. Tertiò ſudore iſto,& agonia ſe nobis tenerum, & delicatum ad edendum præbuit. Vt enim vitulus hinc & inde agitatur, vt eius carnes gratiores guſtui, ſuauiores, ac teneriores reddantur;& ipſe propterea agitari voluit non ſolum à Iudæis tanquam canibus, ſed etiam ab interna triſtitia, & agonia: ita docuit vt ſudore, & labore agitati, nos ipſos teneros, & ſuaues reddamus Deo, vt ille viciſſim nos edere poſſit.

IV. myſteriũ
Aug. li ſent. Proſpe nu 68. tom. 3.
Coloſſ. 1.
D. Bern. Dominica in Ramis palmar. ſer. 3. ſub finem.
Iuſtin. Martyr. tom. 2.

Quartò, vt docet Auguſtinus in libro ſententiarum Proſperi, Orans cum ſudore ſanguineo, Dominus ſignificabat de corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, manaturas Martyrum paſſiones. Et Beatus Bernardus Dominica in Ramis palmarum: *Non ſolis, ait, oculis, ſed quaſi omnibus membris fleuiſſe videtur; vt totum corpus eius, quod eſt Eccleſia, totius lachrymis corporis purgaretur.* Iuſtinus Martyr in Dialogo contra Tryphonem verba illa Prophetæ Pſalm. vigeſimo primo. *Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Factum eſt cor meum velut cera liqueſcens in medio ventris mei*, dicit eſſe impleta in monte Oliuarum, cum factus eſt ſudor eius ſicut guttę ſanguinis decurrentis in terram.

V. myſterium.

Quintò conſidera, quàm ſit acerba pœna quæ peccato debetur, vt vel ſola eius apprehenſio à Chriſto ſudorem ſanguineum extorſerit. Cogita etiam, quàm duram egerit pœnitentiam pro peccatis cordis noſtri, quæ tamen nos vilipendimus, & nihili facimus.

Plin l. 2 c. 56.
Lactis & ſanguinis pluuiæ quale portentum ſit, teſte Plinio.

Plinius in libris de Naturali hiſtoria prodigioſam pluuiam ait eſſe, & lactis, & ſanguinis, & portendere cauenda eſſe ſuperna flagella, vt aruſpices interpretati ſunt. Pluuia hæc ſanguinis Chriſti diuini prorſus, & cæleſtis, portendit in ſolum Dominum deferbuiſſe iram Dei, & flagella, quæ nobis debebantur, in eum deſcendiſſe. Sudor hominis criſis eſſe ſolet medicis de viribus naturæ in morbum, & humorem peccantem luctantis: ſudor Ieſu indicium eſt morbi noſtri diſcedentis, & leonis inimici victi, & expulſi ab innocentiſſimo agno, iuxta illud: *Nunc princeps huius mundi eycietur foras*, extra hominem ſcilicet.

Ioan. 12.

Sudat ſponte, voluntariè ſanguinem fundens; quò intelligamus, illum qui fundendus eſt per verbera, coronam ſpineam, clauos, & lanceam, totum voluntarium eſſe, & nihil in eo inuitum.

Per quid efficax reddatur precatio noſtra.

Sudat ſanguinem, vt orationem efficacem ſupra naturam fieri omnino declaret, nec efficacem reddi niſi per ſanguinem Ieſu, in quo omnes ſancti exauditi ſunt, & exaudietur.

De toto corpore Chriſti emanauit hic ſudor.
Coloſſ. 1.

Exiuit de toto corpore, in ſignum quòd de toto corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, illum fundebat. Globi ſanguinis ſtillarunt in terram: quia pro ſalute hominis habitantis in terra, non pro Angelo habitante in cælo fuſus eſt à Chriſto. Quanquam autem omnis Chriſti ſanguis ſit pretioſus, & immenſi valoris: iſte tamen, qui non inciſa eius carne pro flagella, nec transfixo capite per ſpinas, nec perforatis manibus, & pedibus per clauos, nec latere per lanceam aperto effluxit, in magno honore eſt à nobis habendus: quemadmodum myrrha prima, ſiue myrrha electiſſima illa eſt, quæ vltrà decidit, balſamum ſponte cadens ſuaueolentius eſt, & carius.

Simile.
Myrrha electiſſima quæ & balſamum perfectiſſimũ.
Triplex Chriſti miraculum in dando ſanguine ſuo.
Luc. 22.
Ibidem.
Ioan. 19.

Tria igitur miracula Chriſtus operatus eſt in dando ſanguine ſuo. Prima in cœna ingenti ſigno ponendo ſanguinem in calice ad bibendum. Secundum in horto ſanguinem per ſudorem emittendo, & rigando veſtes, & terram. Tertium in cruce poſt mortem vulneratus, dando ſanguinem, & aquam. Primum dedit ſine vllo dolore, ſed non ſine prægustato mentis dolore. Secundum cum maximo dolore, tùm mentis, tùm corporis. Tertium rurſus ſine dolore corporis præbuit, præcedente tamen magno dolore mortis. Primò, liberaliter largitus eſt totum ſanguinem: ſecundò, non totum, ſed magnam eius partem: tertiò, totum effudit, qui in eo erat.

Exod. 4.
Chriſtus qualis ſponſus.
Sanguinis & aquæ è latere Domini effuſio quid figurauerit.
Epiſt. Abulẽ. in Gen. 9. 2. 1.

Vt videas quàm verùm ſit quod inſtar vxoris Moyſis habeamus ſponſum ſanguinum. Sanguis, & aqua, quæ è latere fluxerunt, ſignificarunt purificationem, & redemptionem, at non fecerunt, vt teſtatur Epiſcopus Abulenſis in Geneſim; at iſte ſanguis, qui in horto eſt effuſus, & ſignificauit, & promeruit.

Quem fructũ fidelis colliget ex hoc ſanguinei Chriſti ſudoris myſterio.

Perge igitur anima electa, quæ Chriſtum colis, & vade in hortum, & collige, ac lambe haſce ſanguinis guttas, reponeq; eas in vaſculo memoriæ tuæ: quia ſi fide illas fueris meditata, primò compellent te ad ſudorem, & reddere pro illis ſaltem ſtillas lacrymarum: curaberis à febre peccati hoc pretioſo ſudore pro te facto, cogeriſq; dare illi panem cordis tui ad veſcẽdum, pro quo habendo tanto ſudore laborauit Dominus in agonia poſitus. Videbis quàm leue onus, & ſuaue iugum charitatis tibi Chriſtus impoſuerit, & tu illi importabile peccati on⁹, de quo per Eſaiam ait: *Laboraui ſuſtinens.* Nam peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum ibi luenda. Caueque ne Dominus de te queri poſſit, ac dicere: *Multo labore ſudatum eſt, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neq; per ignem; Immunditia tua execrabilis: quia*

Eſaia 1.
1. Pet. 2.
Ezech. 24.

Cant. 8.

lis: quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis. Sicut igitur, Domine, fortis fuit vt mors dilectio tua, & in te, ô Chriſte, formidinem carnis tuæ modò deuicit, poterit & in me vincere formidinem carnis, & cōſcientiæ meæ peccatricis timorem. Fac Domine, vt virtute huius ſudoris tui ſanguis peccati, qui velut ſuperfluus humor abundat in venis animæ meę, à me expellatur, & ne vnquam tepidus inueniar in redamando te amatorem meum, redemptorem meum, ac Deum meum, cui cum Patre, ac Spiritu ſancto, ſit ſempiternus honor, ac gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

TRACTATVS XVI.

De ſurrectione Chriſti ab oratione, & excitatione Apoſtolorum, & de aduentu Iudę cum cohorte, & miraculis ab ipſo ante comprehenſionem editis, in illa verba: *Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, inuenit eos dormientes præ triſtitia. Et ait illis, Quid dormitis? Surgite, orate ne intretis in tentationem. Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos, &c.* Luc. 22. Matth. 26. Marc. 14. & Ioan. 18.

Matth. 4. Orationis quę ſit virtus & efficacia.

QVANTA ſit orationis virtus, & efficacia, ſatis oſtendit verbum Domini: *Omnia quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, & euenient vobis.* Oſtendit & Chriſti exemplum, qui prolixa oratione obtinuit, vt ex timido redderetur fortis, ex mœſto, ac triſti alacer, ac lætus; ita vt inuicto animo occurrerit hoſtibus, de quo Lucas ait; *Et cùm ſurrexiſſet ab oratione.* Tractatus hic farraginem quandam rerum continebit: pauca enim quædam ex Luca primò producens, nonnulla ex Matth. & Marco, quędam poſtremò ex Ioanne; nam quiſq; Euangeliſta aliquid proprium in hac capturæ Domini hiſtoria habet. Verbo igitur illo, *Et cùm ſurrexiſſet ab oratione*, indicat in primis hic humilitatem, & reuerentiā, qua Chriſtus orauit proſtratus primò, deinde genuflexus: quia quò magis humiliatur homo, eò magis ſpiritu vnitur cum Deo: quemadmodum pila quò fortius in terram iactatur, eò altius eleuatur. *Et veniſſet ad diſcipulos ſuos.* Intellige abſterſo prius ſudore ſanguineo à facie, ne Apoſtoli viſo illo perterrefacti morerentur, aut ſaltem perturbarentur. Et venit vt illos à ſomno excitaret, atq; illorum curam ſe gerere tanquam paſtor bonus oſtenderet, & vt corroboratus ab Angelo, viciſſim eos corroboraret: nam ob eam cauſam dona Dei nobis dantur, vt in alios illa effundamus. Vnde Paulus ait: *Siue autem tribulamur, pro veſtra exhortatione, & ſalute: ſiue conſolamur, pro veſtra conſolatione,* & reliq. *Inuenit eos dormientes præ triſtitia. Et ait illis, Quid dormitis? Surgite, orate ne intretis in tentationem.* Vbi primùm nota, ad hiſtoriæ ordinem pertinere, Matthæum & Marcum apertè teſtatos Dominum ter Patrem oraſſe, & ter ſuos inuiſiſſe. Lucas prætermiſit quoties orauerit, & ſuos inuiſerit, dicens tantum quod alij tacuerunt, nimirum orantem ab Angelo fuiſſe confirmatum, & prolixius orantem ſudorem emiſiſſe ſanguineum. Quę oratio prolixior, & ſudor ſanguineus veriſimilius accidiſſe creduntur in tertia ipſius oratione: nec enim rationi eſt conſonum, vt ſuperius diximus, in prima oratione Dominū ab Angelo corroboratū, & poſteà imminenté morté contra Angeli ſuggeſtionem, Patris voluntatem annuntiantis iterum atque iterum deprecatum fuiſſe. Quod ergo ſequitur apud Lucam: *Et cum ſurrexiſſet ab oratione, & veniſſet ad diſcipulos ſuos, inuenit eos dormientes præ triſtitia. Et ait illis, Quid dormitis? Surgite, orate, ne intretis in tentationem*, non videtur poſſe intelligi poſt tertiam factam orationem, ſed poſt primam, poſtquam narrant Matt. & Marc. Dominum ſuos de ſomnolentia arguiſſe, & ad vigilantiam, ac orationem excitaſſe; cùm poſt ſecundam ſignificent, eum ad ſuos reuerſum ſiluiſſe, poſt tertiam verò eis etiam ſomnum permiſiſſe. Quod enim dixit: *Dormite iam, & requieſcite*, non eſſe ſic accipiendum, tanquam ab exprobrante, non à permittente ſit dictum, rectè colligit Auguſt. ex eo quod Marc. hoc ita commemorauit: vt cùm dixiſſet, *Dormite iam, & requieſcite*, adiunxerit, *ſufficit*: intulerit deinde, *Venit hora, Ecce Filius hominis tradetur.* Hinc enim colligimus, Dominum, poſtquam dixiſſet, Dormite iam, & requieſcite, aliquantulum ſiluiſſe, vt hoc fieret quod promiſerat: & tunc intuliſſe, *Sufficit, venit hora.* Hoc ergo: *Cùm ſurrexiſſet ab oratione*, coniungendum eſt cum eo, quod alij duo narrant contigiſſe poſt primam orationem, quemadmodùm & Ammonius Alexan. in ſua concordia fecit. Per hoc igitur quod dixit, *Inuenit eos dormientes*, indicatur, triſtitiam Chriſti pro noſtris peccatis aſſumptam, trinam orationem, agoniam, & prolixiorem precationem

Chriſti humilitas & reuerentia aduerſus Deum.

Quò magis humiliatur homo, eò magis ſpiritu vnitur cum Deo.

Qualis tandem ab oratione Chriſtus venerit ad diſcipulos ſuos dormientes

Dona cur ſint nobis Deus largiatur.

2. Cor. 1.

Quoties Chriſtus Patrem orauerit pro calice deprecando, & diſcipulos dormientes inuiſerit.

Sudor ſanguineus Chriſto quando acciderit deprecanti.

Chriſtus quādo dixerit Apoſtolis: Quid dormitis; Surgite, orate ne intretis in tentationem.

Matth. 26.

Augu. lib. 3. de conſen. Euang. ca. 4. tom. 4. Marc. 14

Ammonius Alexan.

Quod Chriſtus inuenit diſcipulos dormientes, quid nobis inſinuetur.

tionem cum ſudore ſanguineo nobis eſſe celata,& incognita: ignoramus enim, & quaſi dormimus ad tantam charitatis diuinę demonſtrationem. Verba ſequentia Lucę, Quid dormitis? Surgite, orate, ne intretis in tentationem, ſi eadem ſunt cum illis, poſtquam primum orauit, & inuiſit Apoſtolos, iam ſunt expoſita. Supereſt vt verba Matt. quæ tertio dixit veniens ad diſcipulos ſuos, explicemus.

Ait igitur Matthæus: *Tunc venit ad diſcipulos ſuos,& dicit illis, Dormite iam & requieſcite: ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquabit qui me tradet.* Eadem verba habet Marcus: niſi quod poſt illud, *Dormite iam,& requieſcite,* adiungit, vt diximus, *Sufficit.* Hæc igitur verba dicta ſunt ſine ironia, ſignificantque ſecundum Chryſ. quod neq; viſum poſſent futurorū malorum ſufferre, & quoniam eorum nō indigeret auxilio, & quod omnino oporteret eum tradi. Dormite ergo, quia ego iam ſum vobiſcum, & pro vobis vigilo: abſoluo vos ab eo quod dixi: *Vigilate,& orate.* Et poſtquā hæc dixit, & permiſit aliquantulum quieſcere, ac dormire, poſtea rediit ad eos, & dixit quod ait Luc. *Quid dormitis? Surgite, orate ne intretis in tentationem:* quod idem eſt cum eo quod Matth.& Marc. dicunt: *Sufficit, venit hora, vel appropinquauit, ſurgite, eamus.* Vt hæc ſit noua alia ratio conciliandi Lucam cum aliis duobus Euangeliſtis. Origen. Chryſoſtom.& Hieron. volunt, Dominum miſertum imbecillitatis diſcipulorum permiſiſſe eos aliquantulum ſomno vacare: ideo dixit, *Dormite iam.* Quod ſi Chriſtus poſt tertiam effuſam orationem corroboratus eſt ab Angelo, & ſudorem ſanguinis emiſit, dicendum, verbum apud Lucam, *Quid dormitis? ſurgite, orate ne intretis in tentationem,* nō repugnare cum verbo Matthæi & Marci, *Dormite iam,& requieſcite:* quoniam teſtibus Theophylacto, & Euthymio, hoc dictum eſt per ironiam, quaſi diceret: Non potui à vobis impetrare, vt pauliſper mecum vigilaretis: nunc ipſa res excitabit vos, cum videritis,& meum ſupplicium, & veſtrum periculum. Et quadrat quod ſequitur: *Surgite, eamus.* Sufficit, id eſt, plus ſatis dormitum eſt, plus ſatis ceſſatum. Auguſtinus tamen libr. de conſenſu Euangeliſtar. ex eo quod Marcus poſt illa verba: *Dormite iam,& requieſcite,* ſubiungit, *ſufficit,* colligit nullam fuiſſe ironiam, ſed Dominum aliquantulum ſiluiſſe, vt hoc fieret, quod permiſerat. Et tunc intuliſſe: Ecce appropinquauit hora. Quanquam reuera hæc non conuincant non fuiſſe ironiam: & ſecundū priorē ſententiam intelligi poteſt, per verbum ſufficit, Dominum explicuiſſe ironiā, quæ erat in præcedentibus verbis: quaſi dicat, Sufficit hactenus vos, etiam me prohibente, ſomno vacaſſe: Ecce aduenit tēpus, quod vobis facile ſomnolentiam omnem excutiet. ¶ *Ecce appropinquauit hora,& Filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Vocat peccatores Gentiles, de quibus Paulus: *Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus, peccatores.* Ac ſubdit de Iuda Iudęo: *Surgite, eamus, ecce, qui me tradet, propè eſt. Et adhuc eo loquente venit Iudas Iſcariot, vnus de duodecim,& cū eo turba multa cum gladiis, & lignis, miſſi à ſummis Sacerdotibus,& Scribis,& Senioribus. Dederat autē traditor eis ſignum, dicens: Quemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt: tenete eum,& ducite cautè. Ieſus itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper ſe, proceſſit, & dixit eis, Quem quæritis?* Hic videtur rectus ordo verborum, quæ Euangeliſtæ in hac hiſtoria conſcribunt. Quidam illa verba: *Dormite iam, & requieſcite,* quæ Imperatiui ſunt modi, annotant more Hebręo pro futuro eſſe accipienda, vt ſit ſenſus, Dormietis poſthac,& requieſcetis, me capto,& pro vobis Patri ſatisfaciente: nunc vero ſufficit, vt cum dixit, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud,* id eſt, ſoluetis.

Quod ait: *Appropinquauit hora,& ipſe venit in illam horam:* ſignificat, ꝙ cum toties ante tentauerint capere, & non potuerint horā præuenire, ita quoq; nec nunc cum venerit, poterat differri, etiāſi in concilio definitum eſſet, vt non die feſto fieret, propter imminens periculū à turba. Quod ait, *Surgite, eamus: ecce, qui me tradet, propè eſt:* videlicet ne nos, aut timentes, aut mortem fugientes inueniant: innuens ſe non inuitum, ſed ſponte paſſurum, & quaſi ſe illis obtuliſſe capiendum. Deinde ſequitur: *Adhuc eo loquente* (vix enim Ieſus verba hęc finierat) *venit Iudas Iſcariot, vnus de duodecim, & cū eo turba multa cum gladiis,& lignis, miſſi à ſummis Sacerdotib.& Scribis,& Senioribus.* Pro his Matt. ac Marci verbis habet Ioan. *Sciebat autē & Iudas qui tradebat eum, locū, quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Iudas ergo cum accepiſſet cohortem,& à Pontificib.& Phariſæis miniſtros, venit illuc cū laternis,& facibus,& armis.* Primum ergo perpende in Iuda inſcrutabile Dei conſilium, ꝙ permiſerit hūc quē tā honorifico munere cohoneſtauerat proditoris ſcelere cōtaminari: ideo qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Si.n. Deus naturalib. ramis,& electo populo ſuo nō pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Nouerat a. Iudas locū ſeceſſus Domini, ne quis putaret Dominum latere voluiſſe,& vt intelligatur qua ratione factū ſit, vt illuc Iudas veniret

Chryſ.ho. 84. in Matt.to.2.

Quorſum Chriſtus dixerit: Dormite iam,& requieſcite.

Altera ſolutio ſuperioris quæſtionis.

Orig.tract. 35. in Matt.to.2. Chryſ. ibid. Hieronym. in Matt. tom.9.

Theophyl. in Matt.26. Euthym. in Matt.c. 64.

Auguſt. loco præallegato.

Galat 2.

Gentiles peccatorum nomine deſignātur more Scripturæ.

Matt. 14.

Ioan. 18.

Imperatiuum pro futuro ſæpe in Scripturis accipitur.

Supra 2.

Infra 12.

Matt.26.

Chriſti paſſio voluntaria.

Dei ſuper Iudam Chriſti proditorem inſcrutabile iudicium quid doceat nos.

1.Cor.10.

Rom. 11.

Quo iure Chriſtum, Iudas vendiderit.

cum ſuis. Deinde quæris, quod ius habebat Iudas in Chriſtum, vt illum venderet? Non quidem tale, quale habet dominus in ſeruum, qui eum pro voluntate poteſt diſtrahere: ſed profectò illud ipſum quod latro, vel ſeruus proditor in Dominum ſuum.

Cur Iudæi Ieſum pretio redemerint, cum ſine Iuda illum capere poſſent.

Gen. 27.

Verbum Dei à quib. corrumpatur, à quibuſque moleſtiam patiatur.

Tertio quæres, quorſum Iudæi illum pretio redemerunt, cum ipſi poſſent ſine Iuda illum capere? Sed iam pepigerant cum Iuda, vt illum ſibi ſub certo pretio traderet, vt prophetia delineata in Ioſeph à fratrib. vẽdito in Chriſto impleretur, in hoc ſimiles fuerunt Iudæ, qui non ſua, ſed alijs iam vendita, rurſus bis, & ter vendunt. Quarto aduerte, quod Chriſtus non proditur, niſi ab Apoſtolo, & proditur his, quorum Chriſtus veritas erat, id eſt, Sacerdotibus. Nam verbum Dei non truncatur, nec corrumpitur niſi ab amicis, & non patitur perſecutionem ab alienigenis, ſed à ſuis amicis, & filijs.

Pſal. 30.

Hinc in perſona Domini dicitur: *Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis.* Prophetas non interfecerunt Gentiles, ſed Iudæi de verbo Domini glorianteſ, Apoſtolos perſecuti ſunt Phariſæi, Eccleſiam hæretici.

Iudæ proditoris impudentia, audacia, malitia.

Quinto perpende, quod Iudas veniebat munitus vtroque brachio, Eccleſiaſtico, & ſeculari, vt ſi Chriſtum tueri vellent ſui, propter cohortem Pilati non auderent. Atque hoc conſilium fuit Iudæ, vt tutus, & ſecurus poſtea viuere poſſet, ne ſolus ſcilicet ſeciſſe videretur, nondum enim miſer conſcientiam prementem ſentiebat.

Peccatum dũ mente concipitur ac rurſus dum perpetratur, cui rei aptè comparetur.

Eſt enim peccatum in conſcientia dum perpetratur, tanquam lignum in aqua, quod facile mouetur ſuper illam: at vbi perpetratum eſt, tanquam lignum de aqua extractum ponderoſum eſt valde, tantæq; grauitatis, vt Iudam adegerit ad ſuſpendium.

Iudæ inſipientia, cœcitas, temeritas.

Infelix proditor, qui putat inſidias poſſe latere eum, quem noſſe hominum cogitationes fuerat expertus: putat armis quicquam poſſe agi contra eum, qui verbo mortuos ſuſcitauerat: cogitabat ſeptem horti poſſe eum detinere, qui per tot millia hominum volentium comprehendere ſæpe euaſerat.

Ioan 9.

Exiſtimabat facibus, & lucernis videre poſſe illum, qui oculos cæcorum aperiebat, & videntium claudebat.

Cohors quid.

Rupert. lib. 13. in Ioan. inst.

Aduerte præterea cohortem eſſe militum cateruam conſtantem trecentis viris, ſecundum Rupertum, at ſecundum alios conſtat ex 1125. peditibus, nonniſi fortibus, & militaris artis gnaris.

Tribunus vnde dictus.

Cohorti præerat tribunus, de quo mentionem facit Ioannes, qui Græcè dicitur χιλίαρχος, eo quod mille præeſſet militibus. Hanc cohortem habebat Pilatus in Ieruſalem pro ſui capitis, & principatus tutela, & ſecuritate, & ad compeſcendos ſeditioſos, & populares motus. Erat autem cohors peditum ſicut turma equitum.

Matt. 27.
Act. 27.
Veget. li. 2. de re mil. cap. 7.

De hac cohorte dicitur: *Congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem*, & in Actis fit mentio cohortis Auguſtæ. Quia teſte Vegetio libr. de re militari, in vna legione plures erant cohortes: quarum prima & numero, & præſtantia militum antecellebat reliquas, & geſtabat in vexillo aquilam.

Cohortis partes.

Cohors diuidebatur in centurias, & in manipulos: obediebatq; miles in exercitu ſuo Centurioni, Centũrio tribuno, Tribunus legato, hic Conſuli, ſiue Imperatori.

Vnde excidij vrbis Ieruſalem, & Iudæorum obcœcatio ac reprobatio.

Quia igitur Iudæi cohortem Romanam contra Chriſtum Regem armatam tulerunt, promeruerunt per immenſum Romanorum exercitum concidere: & quia cum laternis & facibus noctu exierunt, idcirco lucerna legis & Prophetarum, qua illuſtrati ſunt patres eorum, extincta fuit illis, ſicut ſcriptum eſt: *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua.*

Pſal. 68.

Chriſti comprehenſores ad quid tulerint laternas, & faces.

Iſti igitur veniebant armati gladijs, & fuſtibus, ſiue lignis, id eſt, haſtis, ſiue lanceis, vt gladijs prope, haſtis lõgè pugnare poſſent. Geſtabant laternas, & faces: nam etſi eſſet pleniluniũ, erat enim decimaquarta primæ lunæ, vt notat Orig. tamen vt cum ordine incederent, & cauerent foſſas obumbratas à domibus, vel ne impingerent in lapides (qui tamen, heu miſeri, in lapidem offenſionis & petram ſcãdali impegerunt) vel ne Chriſtus conaretur latitare ſub arboribus horti, vt olim Adam, adduxerunt faces apertas, & laternas, id eſt, tecta lumina, ne à vento extinguerentur.

Origen tract. 35. in Matth. tom. 2.
1. Pet. 2.
& alibi.
Gen. 3.

Chriſti ſapientia & potentia, militum ſe comprehendentium ſtultitia, & ignauia.

Pro verbo laternis, Græcè habetur, lucernis. Sed vt magis confunderentur, cum eſſent vno verbo Chriſti proſternendi, voluit Dominus vt faces, & laternas adferrent: quia ſi res in obſcuro geſta eſſet, & in tenebris proſtrati iacuiſſent, non ita confuſi fuiſſent. Fortes præterea, & ſtrenui viri noctu cum non videntur ab alijs pugnare, timidi redduntur, & fugaces: ſecus ſi in luce pugnent, atque ob eam cauſam tulerunt faces.

Quales miſeri & infelices comprehenſores Domini.

Filij ergo noctis, & tenebrarum grauiſſima peccati nocte detenti, & ad exteriores, & ad æternas tenebras damnati, noctu veniunt, vt lucem cõprehendãt, cum tamen lucis præſentia omnes tenebræ diſſipentur.

Iudas cur antecedebat eos.

Pondera verbum Lucæ, quod antecedebat eos Iudas, vt corpore, ta etiam malitia tanquam ductor quidam exercitus, vel potius vt explorator, de quo dixit Petrus in Actis: *Qui fuit dux eorum qui cõprehenderunt Ieſum*, id eſt, docens viam & rationem capiendi Ieſum.

Act. 1.

Et vt Saulus cuſtodiens veſtimenta lapidantium Stephanum

Infra 7.

phanum, dicitur manib. illorum omnium lapidaſſe, ita Iudas in omnibus miniſtris, & militibus comprehendit Chriſtum. Et veri

Veri Iudæ ſectatores hodie quinam ſint

Iudę ſunt hodie permulti ſuper terram, qui ſcilicet alios præcedunt ad malum, & ſuo exemplo ad vitia, & peccata alios ſolicitãt: Antecedebat etiam Iudas, vt Chriſtus, ſi videret eum diſiunctũ ab armatis militibus,

Iudæ hypocriſis & ſimulatio proditoris.
Prouerb.1.

minime fugeret, & idcirco præceſſit, quaſi non eſſet ex illis, volens proditor ac explorator iaculari lapidem, & tegere manum iaculantem. Sed fruſtra profecto iacitur rete ante oculos pennatorum.

Iudas cur oſculatus ſit Dominum.

Sequitur in Matthæo: *Qui autem tradidit eum, dedit illis ſignum, dicens: Quemcunq; oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum.* Marcus addit: *Et ducite cautè.* Tradiderat, vt in bello fieri ſolet, ſignum, & vt omnia eſſent tanto flagitio conſona, vſus eſt proditorio oſculi ſi-

Vſus oſculi.

gno. Nam cum oſculum ſignum amoris & pacis eſſe ſoleat, hic odij, & belli fuit. Atq; hoc ille conſilio fecit, vel ne vnus Apoſtolorum loco eius caperetur, vt Iacobus minor, qui facile ei ſimillimus fuiſſe traditur: vel ne Chriſtus ſeipſum magicis artibus transformando, & varias formas aſſumen-

Origen.
Hieron.

do, vt poſt Origen. docet Hieron. elaberetur è manibus eorum, vel denique propter Romanos, qui ignorare poterant, quem eſſent capturi. Etſi enim eorum animus eſſet capere Ieſum cum omnibus diſcipulis: tamen quia difficile erat omnes comprehendere, ſi ſe in fugam conuertiſſent, volebant tamen Ieſum præcipuum magiſtrum eorum noſſe, quem præcipue caperé, & in

Ad quid Iudas militib. dixerit Ieſum vt ducerent cautè.
Luc. 4.
Ioan. 8.
Iudæ inſignis nequitia.

fuga inſequi deberent: nam Ieſu non capto, irrita, & caſſa reddita fuiſſent eorum conſilia. Et ſubiungit: *Et ducite cautè:* Id eſt, eo capto, exacta cuſtodia vtimini: quia alias ſæpe euaſerat illorum manus, vt quando tranſiens per medium illorum ibat, & quando abſcondit ſe, & exiuit de tẽplo. Et ſignificare voluit proditor, Chriſtum artibus vſum magicis alias euaſiſſe. Iubet ergo vt ſint oculati, & cauti, ne eum amittant, & ipſe promiſſa fraudetur mercede. Quanto

Cautè ducatur quando à nobis Ieſus.

melius nos moneremur tenere Chriſtum manibus charitatis, & ducere cautè, ne elabatur de manibus noſtris propter peccata. Et cautè ducitur à nobis, quando ſinimus nos ab eo duci. Sed cur non dixit proditor: Ille quem videritis dure in me loquẽtem, & me arguentem, in illum manus iniicite? Quia nouerat Chriſtum manſuetum, mitem, & mollibus verbis vtentem, propterea ad oſculi ſignum confugit.

Quare Iudas non dixerit: Quem videritis me durius alloquentem, teneteque ob ſurgantè, illũ cõprehendite.

Et confeſtim accedens ad Ieſum dixit, Aue Rabbi: Et oſculatus eſt eum. Marcus Græcè habet: *Rabbi, Rabbi.* Quando fuerit oſculatus Iudas

Quando Iudas oſculatus fuerit Chriſtum.
Euthym in Matt. c. 64.
Ioan. Ferus.
Oſiander hæreticus.

Chriſtum, dubium eſt. Nam quidam exiſtimant poſt binam Chriſti interrogationem, cum dixit, *Quem quæritis?* vt Euthym. docet in Matt. & Ioan. Ferus, & quidam alij, inter quos eſt Oſiander hęreticus homo: *Et accedens,* inquit, *oſculatus eſt eum, &c. Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum:* quia ad id ſignum dabatur: nam Ioannes ſcribit, Dominũ ſeipſum Iudęis indicaſſe. Alij vero, vt

Altera opinio.
Ammon.
Tacian.
Auguſt. lib 3. de conſenſ. Euang. c. 5 init. tom. 4.

Ammonius Alexandrin. Tacian. & Auguſtinus, & alij poſt eos, prius ſentiunt Iudam Chriſtum oſculo demonſtraſſe, quã Chriſtus feciſſet illas interrogationes. Quod conuenientius eſſe videtur: tum ne videretur Iudas quaſi vnus ex eis eſſe, & oſculari Dominum, & accedere ad illum capiendum, tum quia opus non erat Iudam oſculo monſtrare Ieſum, qui quærebatur, cum ipſe iam Iudæis ſæpe ſeipſum indicaſſet, ſeque eis capiendum tradidiſſet, tum etiam quia de ſolo Iudę aduentu dixit Matthęus. *Ecce appropinquabit qui me tradet,* qui vbi oſculatus fuit eum, redijt ad ſuos, ita vt Chriſto procedente ſtaret iam Iudas cum Iudæis. Sic enim ſcribit Ioan. *Stabat autem Iudas qui tradebat eum cum ipſis,* nimirum poſt ſignum oſculi datum. Denique ad hoc vt Chriſtus caperetur ab hoſtibus, quatuor ſuæ potẽtię edere ſigna voluit, quibus admonerentur & à captura abſtinere, & agnoſcere eius diuinitatem: & ita prçceſſit ſignum datum, & ſalutatio Iudæ, & Chriſti reſponſio: *Amice, ad quid veniſti?* & : *Iuda, oſculo Filium hominis tradis?* Primum igitur dicitur quod acceſſit ad eum, corpore, ſed animo lõge remoto, ad opus longè hoſtile, & inimicũ proditionis ſub ſymbolo pacis, & verbo reuerẽtiæ, ita vt poſſet Chriſtus dicere, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Et vt docet B. Brigitta in ſuis Reuelationibus, cũ Iudas eſſet breuioris ſtaturę, Chriſtus inclinauit ſe ad oſculũ eius ſuſcipiendum. Hoc autẽ oſculum aliud nõ fuit, quã lupi morſus inuadentis agnum, vel cõtactus gladij in iugulum ouis. Coniunxitq; infelix ficto quodã riſu, & lętitia, verbiſque blandis os ſuũ impurum cũ ore Dei puriſſimo, brachia proditoria cũ diuinis brachijs, oſculũ cum morte, pacis ſymbolum cum belli teſſera, emptorẽ mundi cum vẽditore redẽptoris eius. Eius enim oſculũ bellum indicit, eius ſalutatio adfert perditionem, eius amplexus inimicitias imortales gignit: quia amplectitur quem deſerit, oſculatur quem prodit, ſalutat quem morte tacita occidit. Hæc proditoria oſculatio præfigurata eſt in Ioab, qui Abner & Amaſam proditionis oſculo interfecit, vt habes in 2. Reg. volumine: vbi cũ Ioab dixiſſet Amaſę, *Salue mi fra-*

Eſa. 29.
Matt 15.
B. Brigit lib. 4. Reuel. c. 69.
Iudas qua ſtatura fuerit: & eius quale oſculum Ieſu.

Vbi pręfigurata fuerit Domini hæc per oſculum Iudæ fraudulenta proditio.

2. Reg. 2.
Infra 20.

mi frater, tenuit manu dextera mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum, & ſic percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram. Fuit etiam prænuntiata hæc traditio per Dauidem Pſal. 40. cum ait: *Etenim homo pacis meæ* (id eſt, qui verbis & geſtis pacem ſe mecum habere ſimulabat) *in quo ſperaui*, id eſt, in quo merito debui ſperare, ac ſi fuiſſet ſeruus fidelis, ac prudens, *qui edebat panes meos* (id eſt, quem in gradu Apoſtolatus de eleemoſynis, quæ mihi dabantur à populo in alimoniam) *magnificauit ſuper me ſupplantationem*, id eſt, more belluæ blande tractatæ, ac ſaturatæ recalcitrauit in Dominum, & iniquam proditionem eſt machinatus. Per hoc autem oſculum, & amplexum, quem Ieſus ſponte ſuſcepit, obtinuit ab æterno Patre, vt animas noſtras, etſi olim peccatrices, brachijs charitatis amplexaretur, & oſculo vero pacis, & reconciliationis oſcularetur, & ſalutis verba, id eſt, Euangelium illis communicaret. Deſignat deinde Iudas hæreticos, qui primo blandè, & oſculis, deinde armis aggrediuntur Eccleſiam: dum enim Scripturis ſanctis & dulcibus Euangelij decertant verbis, & omnes Chriſtum Rabbi & Dominum vocant, quid aliud agunt, niſi quod blandè nos decipiunt? at vbi creuerint, armati prodeunt cum lignis, & gladijs. Omnis ſiquidem hæreſis, vt eleganter docuit Auguſtinus in libro contra Donatiſtas, vulpes quędam eſt inermis, & pacem ſimulans, vt deuoret: deinde vbi incrementa ſumpſit, fit leo rugiens publicè inuadens. Tertio Iudas ſignificat mundum hunc ſiue mundi dilectores, qui illis, qui ſibi applaudunt, inſtar ſcorpij volunt nocere, de quibus: *Vana locuti ſunt vnuſquiſq; ad proximum ſuum: labia doloſa, in corde, & corde locuti ſunt.* Amores item carnales, & amplexus, & oſcula adulteræ, & meretricis oſculum Iudæ ſunt, & ſumentes perdunt: ſuntq; venenati cibi melle ac ſaccharo contecti, qui dum placent guſtui, exitium adferunt. Adhæc quædam peccata publica ſunt, quæ veniunt ad nos capiendos cum gladijs, & fuſtibus, id eſt, autoritate maiorum, & eorum qui præſunt, exemplo fulta, quæ videntur vim inferre, niſi homo intelligat, quod ſuper cathedra Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſęi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite, ſecundum opera vero eorum nolite facere. Alia vero ſunt, quæ hominem blandè, & ſub illecebris carnis ſeducunt, vt cum amicitiæ ſignum eſſe putamus placere cognatis, bona Eccleſiæ in conſanguineos diſtrahere, vxori, in quibus maxime debent contradicere, annuere, & complacare, diuitias iniuſte congregare, vt quis valeat filias ſuas ſupra gradum ſuum collocare: hęc ſunt illa peccata oſculo carnis contecta, & quæ multos ad perditionem trahunt. Dixit igitur illi: *Aue Rabbi*. Verbis precatur ſalutē, ſed ſignis necem deſignat. Eſtq; proteſtatio, vt dici ſolet, contra factum: vt qui alterum fingit ſe diligere, & impingit illi alapā. Vocat Magiſtrum, cuius doctrinam præcipuè hypocriſim, & ſimulationem damnantem procaciter, & apertè cōtemnit, & quæ præcipuè erigit in ſpem gratiæ Dei, & deſperationem omnem frangit, & quæ maxime deteſtatur auaritiam, & ſimoniam. Iudas autem fur erat, & omnium Sacramentorum, & gratiarum autoris venditor.

Quid illud Prophetæ: Homo pacis meæ, in quo ſperaui, & quæ ſequuntur.

Quid profuerit nobis oſculum & amplexus Iudæ proditoris, apud Deum. Quotum etiā typum & imaginem gerat proditor Iudas.

Auguſt. Hæreſis omnis qualis Auguſtino.

Tertius typus Iudæ proditoris. Pſal. 11.

Adulteræ & meretricis oſcula qualia ſint.

Duplex genus peccatorum in pr̃ætoria cohorte, & in Iuda deſignatum.

Matt. 23.

Qualis Iudæ ſalutatio Chriſti, Aue Rabbi.

Quid maxime vitare, & ſequi iubeat Chriſti doctrina.

Dixitq; illi Ieſus, Amice, ad quid veniſti? Lucas ait, dixiſſe illi Ieſum: *Iuda, oſculo Filium hominis tradis?* Et contēdit Euthymius cum alijs quibuſdam, hoc dictum Domini apud Lucam præcedere debere illud Matthæi. Et vt ab hoc incipiamus, quamdiu Dominus traditus non fuit, curam habuit proditoris: idcirco vt eum (vel ſaltem, ſi non modo, poſtea tamen) lucretur, & facile ad ſe trahat, & non deſperet, reprehendit, oſtendens ſe optime ſcire ad quid venerit. Ait ergo: *Iuda, oſculo Filium hominis tradis?* Exprobrat quod amoris ſignum feciſſet ſymbolū proditionis: qui tamen expertus Ieſu benignitatem & manſuetudinem, omni fera immanior permanſit: neque tamen mollis ſermo potuit illum quicquam emollire. Tradis, inquit, Filium hominis, qui te in Apoſtolum elegit, virtute edendi ſigna, eijciendique ſpiritus immundos, & curandi omnem languorem, & omnem infirmitatem decorauit, & ſuorum diſcipulorum curam commiſit, procuratorem omnium, & theſaurarium inſtituit: iſtoq; oſculo quod à te ſuſcepi, debebas tu perſuadere peccatoribus, vt ſeſe mihi traderent, & tu me illis tradis? Tu debebas eos adhortari, ne quid ficte mecum agerent: & tu ſub imagine amicitiæ illis me crudeliter crucifigendum prodis? ſub oſculo tuo latet Satanas, cuius ſuggeſtione tātum cogitaſti nefas. Ore, & verbis cum principib. Sacerdotum, & ſenioribus ſub vili pecuniæ mercede pepigiſti, & modo illo eodem ore cōtaminato, & à dæmone poſſeſſo oſcularis vt prodas? Non ſine fructu remiſſionis peccatorum peccatrix oſculata eſt pedes meos, hæmorrhoyſſa fide tangens fimbriam veſtimenti, ſalutem accepit: tu tamē ſerue nequam me exoſculando non ſolum nihil proficis, verum etiam tāto dono abuteris in tuam damnationem: nō quidem ob impotentiam meam, ſed quia improbitas tua ſalutē abiecit.

Luc. 22.

Euthym.

Chriſti Domini in Iudam traditorem prouidentia.

Quorſum id: Iuda, Filium hominis oſculo tradis?

Marc. 3. Matt. 10. Chriſti in Iudam proditorem exprobratio. *Ioan. 12. Infr. 13.*

Ibidem. Matt. 26. Quibus longe diſſimilis proditor Iudas. *Luc. 7. Infra 8.*

Dominici vultus atque oris oſculum quib. inutile.

iecit. Et faciē ſudore ſanguineo litam, ſine fide & amore tangere, ſalutem non adfert: & in os tuum ſpiritu dæmonis cōpreſſum, ſpiritus qui in me eſt, & per oſculum in alterum tranſmittitur, intrare non potuit? Dicere ſolent nonnulli, vt teſtatur Chryſo. hom. de prodit. Iudæ: *Cur Chriſtus cogitationem Iudæ aduerſam non mutauit? Sed ſi quis hoc dixerit, audiat & iſtud, Iudas quomodo corrigi potuerit? ſponte, an inuitus? ſi inuitus, nulla correctio eſt: nam mentis malitia neceſſitate non tollitur: ſi ſponte, omnia quæ meliorare animum poterant, audiſſe cognoſcitur: & ſi remedium reſpuit, non medici vitium eſt, ſed languentis.* Hactenus ille. Alterum reſponſum eſt: *Amice, ad quid veniſti?* vbi Græce dicitur: Ἑταῖρε ἐφ' ᾧ πάρει, id eſt, Sodalis, qua gratia huc ades? Eſt enim ἑταῖρος, plus quam amicus, nempe qui eadem ætate & conſuetudine vitæ diu cum altero vixit, vt Chriſtus & Apoſtoli per triennium. Notat Origen. nomine amici neminem bonorū in Scripturis appellatum, niſi ad malum, vt non veſte nuptiali induto dixit: *Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* Malus etiam oculus in parabola denarij audit, *Amice, non facio tibi iniuriam.* Ita & hic amicus dicitur per Antiphraſim. Sed inſtantia perimitur, quia credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt, vt teſtatur frater Domini: amicus etiam dicitur Iudith 8. & Eſaiæ 14. & Dominus loqui ad Moyſen dicitur à facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum; & Ioannes Baptiſta dicitur amicus ſponſi apud Ioannem, & Apoſtoli amici Chriſti, nō ficti, ſed veri apud eundem. Non ergo eſt in vniuerſum verum Orig. dictum. Vocat igitur amicum, quia ex parte ſua eum diligebat, etiamſi ab eo nō diligeretur, nec volebat amicitiam diſſoluere, & quia paratus erat recipere eum in amicum per pœnitentiam, ſi reſipuiſſet, vt ait Euthymius hoc loco. Nam teſte Chryſ. epiſt. ad Theodorum de reparatione lapſi: *Equidem enim, inquit, dico, quod ſupra veri fidem alijs apparet, ne illud quidem peccatum Iudæ eſſe maius, quam auxilium, quod nobis à pœnitentia venit.* Sic ille. Et quia Chriſtus loco amici eum habebat, de quo Propheta: *Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtiq; &c. Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus,* & quæ ſequuntur: acerbum fuit Domino, & indignum tradi à ſodali, & diſcipulo. Et vt Suetonius eſt autor, Cæſar grauiter tulit, cum vidit Brutum in mortem ſuam conſpiraſſe. Vnde conqueſtus eſt, & dixit ei: Καὶ σὺ τέκνον; Et tu, inquit, fili? Ita Dominus cum Iuda expoſtulat de proditione, dicens: Amice, ad quid veniſti? Deinde amicum Iudam appellat, qui paulo ante Petrum vocauerat Satanam, dicens: *Vade poſt me Satana, ſcandalum eſt mihi: quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.* Nam Petrus tentabat Dominum à paſſione abducere, Iudas ſaltē ipſo facto ſeruiebat paſſioni, eum prodendo. Militāt enim pro nobis qui nos affligūt, & cauſa ſunt amplioris apud Dominū coronę cōparandæ. Amicum vocat propter naturam bonam, & quicquid in eo erat præter peccatū, Dei erat. Amicum deniq; propter profeſſionem externam fidei, & ſacramentorum, & quia eum oſculo amicitiæ ſalutauerat. *Ad quid veniſti?* Euthymius contendit non eſſe interrogatiue legēdum, quia ſciebat ad quid veniſſet, ſed enuntiatiuè, id eſt age iuxta animi tui ſentētiam relicto velamento: mēs enim erat proditio, velamentum, oſculum, & blandus ſermo. Vult ergo deflectere animum ei⁹ ſuper flagitiū quod perpetrauit, vt illud deteſtari inciperet: ſicut quando dixit: *Adam, vbi es?* Ita etiam Remigius exponit: Ad quod veniſti, ſcilicet perfice, & imple proditoris officium. Alij vero volunt legi interrogatiuè, vt ſit ſenſus: Ad quid veniſti? id eſt, quo animo, & cuius rei gratia: nam ſi vt amicus & ſodalis ades, quorſū gladij, & fuſtes? ſi vt inimicus, quorſum oſcula & blāda ſalutationis verba? Ad quid ergo veniſti vēdens primogenita tua pro vili mercede cum profano Eſau? Ad quantam miſeriam deiectus es, vt ex Apoſtolo fieres apoſtata, ex amico & commenſali proditor, ex doctore veritatis fieres magiſter erroris? Et ſi Chriſtus non reijcit Iudā prodentē, ſed corrigit, quid ergo faciet his, qui ad cōmunionem accedūt, vt per ipſam ſanentur à peccatis ſuis, & vt per ipsā cuſtodiantur? benigneq; cōplectetur eos qui in peccato communicant vt reſipiſcant. Poteſtque hoc ad praxim deduci, cum ſumus in cogitatione peccandi, vt Chriſtum audiamus, dicentem: Amice, ad quid veniſti? an non ego te video? an non ſatis ſuperque eſt quod ſum à Patre miſſus, vt à peccato abſtineas, nec propterea te ſecurum putes, quod oculos hominum fallas? Iam hic ſequuntur ea, quæ apud Ioannem habentur, nempe? *Ieſus itaq; ſciens omnia quæ ventura erant ſuper ſe, proceſſit, & dixit eis: Quē quæritis?* Omiſit Ioannes geſta Domini in horto, id eſt, triſtitiam vſque ad mortem, orationem trinam, agoniam, & prolixiorem precationem, & ſudorem ſanguineum, atq; excitationem diſcipulorum, quia nouerat hæc diligenter ab alijs præſcripta: ſubdit quædam quæ in eius captura acciderunt, & ab alijs tribus erant omiſſa. Et pulchre in primis

Chryſ. ſer. 7. tom. 3. Cur Chriſtus cogitationem Iudæ aduerſam non mutauit, ſecundū Chryſoſt. Ideo inuitus quis corrigi nequit, ait Chryſ. quia mentis malitia neceſſitate non tollitur. Iudas proditor Chriſti qualis amicus.

Orig. tract. 30. in Matth. tom. 2.

Matt. 22.

Supr. 20. Non ſemper in Scripturis ad malum, vt vult Orig. ſed etiam ad bonum amicus quis appellatur.

Iacob. 2. & Gen. 15. & Rom. 4.

Exod. 33.

Ioan. 3.

Infra 15. Iudam Chriſtus amicum cur vocet.

Euthym. cap. 65. in Matth. *Chryſ. ep. 5. aliquanto ante med to. 5. prope finem.* Iudæ peccatū non fuit maius, ait Chryſ. quam auxiliū quod nobis à pœnitentia venit.

Pſal. 54. Quorum fere hominum iniuriæ moleſtiſſime ferantur.

Sueton. in Iul. Cæſar. c. 82.

Matth. 16. Qui nos affligunt, pro nobis militant.

Verbum illud Amice, ad quid veniſti, vt ſit accipiendum.

Euthym.

Gen. 3.

Remig. epiſc. Rem. Alter ſenſus.

Gen. 25.

Heb. 12.

In quos quadret illud: Amice, ad quid veniſti.

Ioan. 18.

Quæ fere Ioannes prætermittat.

II. Ratio.

Cum Ioanne inquit Ieſum ſcire omnia ſuper ſe ventura.

nis aſſerit Dominum ſciuiſſe omnia quæ ei erant euentura, vt cognoſcant omnes, quod ei non ignaro, aut illa dettactanti, ſed potius præſcio, & volenti hæc omnia contigerunt: ideo occurrit, interrogat & vna voce omnes proſternit. Si enim Chriſtus dolo, vel vi in crucis ſupplicium actus fuiſſet, conſtaret mundum ipſo eſſe aut fortiorem, aut ſapientiorem, ac proinde non eſſe Deum.

II. Ratio.

Deinde ſi inuito, & coacto animo mortẽ pertuliſſet, non eſſet illuſtris & perſpicua eius dilectio. Nihil igitur dolus aut fraus in eum, qui omnia nouerat, potuit: nihil etiam vis, & potẽtia hoſtilis exercitus, niſi quantum ipſe ſponte ſua poſſe voluit.

Quæ miracula ante capturã Domini contigerunt.

Ad quod demonſtrandũ quatuor inſignia miracula ante capturam narrant eueniſſe Euangeliſtæ: ſed Ioannes ſolus tria priora narrat ab alijs omiſſa, quartum vero à quatuor Euangeliſtis deſcriptum. Primũ igitur eſt, quod Iudas, qui antecedebat eos, cum dediſſet ſignum oſculi, non tamen ſigno dato potuerunt ad eum capiendum accedere, imo ne noſſe quidem, etiãſi eſſet plenilunium, & haberent faces, & laternas, & Iudas qui tradidit eum, & anteceſſerat, & oſculatus fuerat, ad Iudæos redierat: quod Ioannes oſtendit, cum dicit: *Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipſis: ideo Chriſtus ad eos acceſſit.* Proceſſit ergo, & dixit eis. *Quem quæritis?*

Quorſum id, Quem quæritis.

Quaſi enim non cognoſcentib. loquitur, nec enim in voce nouerant eum, vt ait Theophylact.

Theophylact.

Quamobrem hæc vox ignorantis nõ eſt, ſed ſe in mortẽ offerentis, eoſq; ſuper eorum iniquitatẽ corripientis, ac ſi diceret: Aduertite miſeri quis is ſit, quẽ vos ad perdendum quęritis: nam is eſt, quẽ nemo veſtrum de peccato poteſt arguere,

Ioan. 8.

qui tot ſigna inter vos operatus eſt, quem mox experiemini quantus ſit, ſi ſe vellet à veſtris manib. defendere. Videte ergo quid agitis: quia magnũ crimen eſt innocentem ad mortem quærere. Deinde hoc verbo irridet eorum apparatum, & cohortem, quaſi diceret, Quid opus erat tot armis, & tot militib. ad inermẽ hominem capiendum?

Chriſti fortitudo mira. 1. Ioan 4.

Perpẽde etiam, verbũ illud, proceſſit, quo oſtendit, quod perfecta charitas foras miſit timorem, de quo ſuperius: Cœpit pauere, & tædere. Et cum alias legatur aut fugiſſe, aut dilituiſſe, quia nondum venerat hora eius, hic cum venit, hoſtib. ſponte occurrit: in vtroq; nobis præbens exemplum. Nam fuga, & deceſſione docuit nos, vt nõ tentemus Deum: hoc autem occurſu docuit, vt & nos ſponte promptos & alacres voluntati Dei offeramus.

Ioan. 8. Ibidem. Cum Chriſtus fugit ſe perſequentes, quid nos doceat, quid rurſus, cum occurrit inimicis.

Ita Paulus, qui aliquando fugit demiſſus per muros Damaſci in ſporta, in fine tamen cap. 21. Act. fratribus

Act. 9.

obnixe rogantibus, ac detinere volentibus dixit: *Quid facitis flentes, & affligentes cor meũ? Ego autem non ſolum alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu.*

Infr. 21.

Obſerua etiam, quod cum ad regnum quæreretur Chriſtus, fugit, vt narrat Ioannes. Et merito: quid enim ſunt regna, & imperia, niſi præcipitia? Cum quæritur ad crucem, obuiam proceſſit, quia ſciebat ſe per crucem ire ad Patrem. O bone Ieſu, quid facis amicis quærentibus te in veritate? celas te ipſum, qui inimicis ad mortẽ te quærentibus ſponte cum tanta charitate occurris?

Ioan. 6.

¶ *Reſponderunt ei, Ieſum Nazarenum.* Non dixerunt te ipſum, ſed in tertia perſona, Ieſum Nazarenum. Quo verbo planũ redditur, quod Ieſum neq; ex facie, nec ex veſtibus, nec ex ſigno oſculi dato eum agnouerint, quamuis iamdudum omnibus hoſtibus notus eſſet: quod non propter tenebras, quia habebant lucernas, & faces, ſed virtute diuina factũ eſt.

Milites cur ſic reſponderint, Quærimus Ieſum Nazarenum.

Primo ad ipſorum confuſionem, vt vel hinc diſcerent ſe fruſtra inſanire.

II. Ratio.

Deinde ad noſtram conſolationem, vt ſciamus hoſtes noſtros, etſi nos de facie nouerint, nihil mali poſſe nobis inferre citra bonam Dei voluntatem, nec enim agnoſcere nos, nedũ interficere poſſunt.

III. Ratio.

Præterea, vt intelligamus, Deum pluribus rationibus poſſe ſuis opem afferre, ſi velit: hinc olim Sodomitas excæcauit, vt per totam noctem nõ poſſent inuenire oſtium domus Loth, & miſſos latrũculos ad comprehendendum Heliſæum excęcauit, vt videntes, & colloquẽtes ſimul cum Heliſęo, & ſimul cum eo ambulantes, non cognouerint, niſi poſtquam eo orante aperti ſunt oculi eorum.

Gen 19. 4. Reg. 6.

Ieſus, nomen eſt propriũ in circumciſione poſitum: Nazarenus dicitur, à patria Nazareth, vbi conceptus eſt, & educatus.

Luc. 2. Infra 4.

Non exprimunt Iudæi nomen Chriſti: quia à ſolis electis, & credentib. agnoſcitur Ieſus eſſe Chriſtus, id eſt, Rex, Meſſias, & mundi Saluator.

A quibus Ieſus eſſe Chriſtus agnoſcatur tantummodo.

Quanquã autẽ quærere Ieſum Nazarenum, non ſit mala reſpõſio, ſi cum malũ non fuiſſet, & eo modo quæſiuiſſet, vt oportet: eſt enim Ieſus Nazarenus, Saluator ſanctus, ſiue floridus: tamen is non armis quærendus eſt, ſed precibus, & fide firma, & vt donet vitam, & ſalutem: ſed hi quærebant eum ad perditionem mortis.

Ieſus Nazarenus quid. Ieſus quomodo quærendus.

¶ *Dicit eis Ieſus, ego ſum.* Hoc verbo oſtendit ſeipſum voluntarie obtuliſſe, quia voluit: quia vt ignot⁹ potuiſſet aufugere, & latere. Deinde libere cõfitetur, nec pudet eum nominis ſui: Ego ſum, ait, ſcilic. Ieſus Nazar. id eſt, Saluator ſanctus, florens ac germinans virtutib. & paratus ad ſanandum eos, qui ſe volũt fidei meæ cõmittere:

Eſa 53. Ieſu magnanimitas atque conſtantia.

nec

Ieſus vt eſſet Saluator iu ſtus,vnde habuerit.

nec impunè illis ceſſurum,ſi Saluatorem & ſanctum ad mortem raperent. Adhæc hoc ipſum nomen, vt eſſet Saluator iuſtus,non habebat ex natura humana, ſed ex diuina, quæ in ipſo in vnam perſonã conuenerant. Rectè, dicentibus ſe quærere Ieſum Nazarenum,conuenientem ſuæ diuinæ eſſentiæ vocem reſpõdit: Ego ſum: ſic enim & olim Moyſi dixit, *Ego ſum qui ſum*. Diſcimus ergo & nos ex hoc verbo,vt nomen noſtrum,& fidem liberè profiteamur, & ſi audiamus à tyranno, Es ne tu Chriſtianus? Et ne tu Catholicus? Profiteris ne fidem Eccleſiæ Romanæ? Liberè reſpondeamus,quod habet, res ipſa, Ego ſum. Hæc enim vox deijcit aduerſarios (negando enim,& diſſimulando, peiores erga nos eos reddimus) vel impetrabit nouas vires ad patiendum, vt ille, de quo ſcribit Euſebius, quòd interrogatus in tormentis quis eſſet, quæ patria, quod genus,quę vitę profeſſio,& inſtitutum? ſemper reſpondebat: Chriſtianus ſum: qua voce ſentiebat ſibi vires ſubinde maiores ad patiendum ſuppeditari.

Exod. 3.

Hęc reſponſio Chriſti. Ego ſum quid nos doceat.

Diaconus quidam,Sanctus nomine

Euſeb. lib. 5. Eccleſ. hiſt. c. 1. ſub fin.

Stabat quo modo infelix Iudas.

Subdit Ioannes: *Stabat autem & Iudas qui tradebat eum,cum ipſis.* Nam dato ſigno oſculi retroceſſerat,& ſe cum hoſtib. coniunxerat. Quòd ſi poſt caſum in terram Iudas oſculatus Dominum fuiſſet,narraſſet vtique Ioannes. Stabat autem non tantùm corpore, ſed etiam voluntate, & malitia: nam ſolo corpore inter malos eſſe nihil obeſt, vt conſtat de Lot, qui viuebat inter ciues Sodomę,qui nefandis operibus eius animum excruciabant, vt ait Petrus. Et putabat ſe ſtare,cùm haberet ſecum vtramq; poteſtatem, verùm baculo arundineo innitebatur. Ægyptus enim, vt Propheta ait, homo, & non Deus; & equi eorum caro, & non ſpiritus, &, *Maledictus homo, qui confidit homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Stabat autem cum eis: malus enim Chriſtianus interdum nihilo melior eſt Iudæis, & Ethnicis, nam eodem animo Chriſtum impugnat. Grauiter autem vrebat Chriſti pect⁹, videre ſe à diſcipulo prodi, & ab his ad mortem quæri, in quos maximè beneficus extiterat.

Gen. 19.

2. Pet. 2.

Qualis baculus Iudæ proditoris quo nitebatur, prætoria cohors.

Eſaia. 31.

Ierem. 17.

Malus Chriſtianus quibus nequitia, & peruerſitate comparandus.

Chriſti potentia.

Vt ergo dixit eis, Ego ſum; abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram. Hoc eſt ſecundum ſignum narratũ à ſolo Ioanne: in quo in primis oſtendit Chriſtus ſuam deitatem, ac fortitudinem; & hoſtium imbecillitatẽ, vt Cyrillus ait. Eſt enim in ſignis Chriſti potentia, qua leni voce repulſi ſunt hoſtes ne progrederentur. Nunquam vel Alexander Magnus,vel Cæſar, aut Pompeius,aut Cyrus tantùm imperij habuerunt, vt vno verbo homines proſternerent,vt Chriſt⁹. Paulus verò vim huius vocis expertus: *Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris*; in terram proſtratus eſt, & manus dedit. Hoc autem ſignũ patrauit, vel virtute verbi ſui, vel virtute luminis è Chriſti vultu prodeuntis, vt Hieronym. docet ad Principiam virginem: ſic enim in reſurrectione fulgor faciei Angelicæ cuſtodes terruit, & velut mortuos reddidit. Secundò, quòd nec cõſiſtere poſſunt, ſed coguntur cedere, iuxta illud Prophetæ: *Conuertantur retrorſum, & reuereantur ſimul qui volunt mihi mala.* Fiant tãquam puluis ante faciem venti. Tertiò, quòd ſupinos eos deiecit, vt vel cælum cogerentur aſpicere,& Deum, qui omnem humanitatẽ,& miſericordiam ex animo abieciſſent. Ita vt ſint inexcuſabiles videntes ex hoc ſigno Ieſum quem quęrebant,homine maiorẽ eſſe. Taciteq; voluit eos à malo ꝓpoſito reuocare,vt pœnitentiam agerent, ni vellent ſuo tempore vindictam eius in ſe experiri. Deinde valet hæc vox ad ſolandos pios, cùm certò ſciãt impios caſuros, etiamſi ad tempus proſperè agere, ac triumphare videantur. Tertiò, efficax eſt hæc vox ad terrorem impiorum omnium, quos, ſi vellet,omnes vno nutu proſternere poſſet, niſi expectaret ad pœnitentiam: & qui vno verbo hoc egit, eadem facilitate poſſet efficere, vt terra dirupta ipſos cum omnib. ſuis armis abſorberet. Quartò oſtẽdit, quòd ſi in forma agni hoc valuit pręſtare,quid in forma leonis efficit? Sic iudicãdus hoc fecit, quid iudicaturus? Si morti propinquus tantum virtutis ſuæ ſpecimen dedit, quia regnaturus in æternum poterit? Rectè proinde dicitur apud Iob: *Cùm vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus; quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Quintò voluit Dominus,vt ſi nunc in tam horrendum flagitium inciderent,poſteà tamen quando intelligerent per Apoſtolos ſuſcitatum à mortuis prædicari,cõpungerentur pœnitentia, & faciliùs crederent, memores potentiæ verbi illius, quo fuerunt in terrã proſtrati. Sextò,voluit Dominus hoc facto ſignificare morſus cõſcientię peccatorũ à Deo excitari,cum proximi ſunt ſceleri patrãdo,ne peccatum perficiant, ſed vt admoniti à malo retrocedãt. Et iſti Iudæi fecerunt vt Cain eorum typus, qui etſi monitus à Domino fuiſſet,& minas ab eo audiſſet ne in fratrem ſuum iraſceretur; non tamen abſtinuit ab homicidio, ita nec iſti à capiendo Domino. Septimò,hoc Iudæorum caſu præfigurata eſt ruina dom⁹ Iſrael, teſte Theophylacto, quæ in hodiernum vſq; diem durat. Qui.n. in Chriſtum inſurgit, cadere cogitur, quantuſcunq; ille ſit. Octauò, in eo quòd ceciderunt retror-

Cyrill. lib. 11 in Ioan c. 33.

Act. 9.

Qua virtute Chriſti & poteſtate milites eius comprehenſiores corruerunt in terram.

Hiero. epiſt. 1. tom. 1.

Pſal. 39.

Pſal 34.

Quid Dominus per Iudæorum proſtrationem ſignificauerit.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Iob. 26.

Quintum.

Sextum.

Iudæi in Cain deſignati ſunt.

Gen. 4.

Septimum.

Theoph. in Ioan.

Octauum.

ſum,indicatur quod impij homines prę reuerentia,&honorificentia Dei non cadentes in faciem ſuam,vt Chriſtus in horto, & 24.ſeniores in Apoc.cadere compellentur retrorſum , non videntes quo cadant, nec vbi iaceant , nec quomodo reſurgant, nec vident quę ſupplicia ipſos maneant, nec vnquam agnoſcunt peccatum , vt conuertantur.

Apoc. 5.

Pij quomodo cadant.

Pſal. 36.

Pij vero ſi quandoque cadunt, non retrorſum,ſed antrorſum videntur cadere: quia Domino ſupponente manum ſuam, & peccatum agnoſcunt, & conuertuntur ad Deum : & licet cadant dextrorſum per proſpera,&ſiniſtrorſum per aduerſa,reſurgunt tamen:& in Scripturis , impijs tribuitur retrorſum cadere, pijs vero, & electis, ante faciem cadere.

Qua ratione cadant impij.

Greg. hom. 9. in Ezech. circa init. tom. 1.

Qua de re egregiè Gregor.ſcribens in Ezech.ſic habet:*Quærendum nobis eſt cur Ezechiel,& Paulus in faciem cadunt: & de aſcenſore equi,id eſt,de eo,qui in huius mundi gloria elatus eſt,dicitur : Vt cadat aſcenſor eius retro ? Rurſumq; de perſecutoribus ſcriptum eſt : Abierũt retrorſum,& ceciderunt in terram.Quid eſt quod electi in faciem, reprobi retrorſum cadunt : niſi quod omnis qui poſt ſe cadit , ibi procul dubio cadit,vbi non videt : qui verò ante ſe ceciderit, ibi cadit,vbi videt ? Iniqui ergo quia in inuiſibilibus cadunt, poſt ſe cadere dicuntur : quia ibi corruunt, vbi quid eos tunc ſequatur , modo videre non poſſunt. Iuſti vero quia in iſtis viſibilibus ſemetipſos ſponte deijciunt,vt in inuiſibilibus erigantur,quaſi in faciem cadunt,quia timore compuncti i videntes humiliantur.*

Gen. 49

Quid ſibi velit quod electi in faciem, reprobi retrorſus cadunt, teſte Greg.

Idem lib 31. Moral ca. 18. prope fin.

In faciem cadere quid ſit: & quid retro. Nouum.

Idem in Moralibus, inquit, *In faciem cadere, eſt in hac vita ſuas vnum quemq; culpas agnoſcere, eaſq; pœnitendo deflere. Retrò verò quò nõ videtur,cadere eſt ex hac vita,repẽtè decedere; & ad quæ ſupplicia ducatur ignorare.* Hactenus ille doctiſſimus Pater. Præterea docemur quòd vnum & idem verbum pijs eſt conſolatio , impijs autem iudicium. Nam apud Mat.& apud Luc.Apoſtolos perterritos hoc verbo ſolatus eſt, dicens : *Ego ſum:* quo tamen verbo impij ſunt proſtrati. Verè enim verbum Dei, potentia Dei eſt,coram quo peccatum,nec mors,nec diabolus poteſt conſiſtere.

Matt. 14. Luc. 24.

Quo maxime verbo Chriſtiani ad bonum animentur.

Hodie quoq; pij nihil dulcius audiunt,qua Chriſtum dicentem : *Ego ſum:* nam illo verbo animantur & ad progreſſus in via Dei faciendos excitantur. Impijs verò horrendum eſt audire : Ego ſum quem pupugiſtis,vel,Ego ſum Ioſeph,quem vendidiſtis in Ægyptum, Ad extremum hoc facto implet prædicta Dominus : *Auertantur,* inquit , *retrorſum , & confundantur cogitantes mihi mala.* Adumbratus quoq; fuit hic caſus in Heli, qui audita captura arcæ cecidit retrorſum,& Ionathę facies fecit cadere multos Philiſthæos, & Samſon mandibula aſini ꝓſtrauit mille,&Sãgor vomere 600.homines interfecit.

Gen 37.

Decimum & vltimum.

Pſal. 34.

Vbi adumbratus fuerit hic caſus.

1. Reg. 14.

Iudic. 15.

Theoph.

Theoph.miraculo tribuit quòd Apoſtoli non inſurrexerint, & diſſecuerint eos dum iacerent:ad ꝙ excitare eos poterat Petrus,niſi Chriſtus impediuiſſet.

Iterum ergo interrogauit eos, Quem quæritis? Illi autem dixerunt , Ieſum Nazar. Reſpondit Ieſus, Dixi vobis quia ego ſum. Si ergo me quæritis,ſinite hos vbire. Vt impleretur ſermo quem dixit : Quia quos dediſti mihi,non perdidi ex eis quẽquam. Interrogauit rurſus eos , quem quærerent, vt illis necdum ad pœnitentiam permotis,ſed in maligno propoſito mentis perſeuerantibus ſeſe proderet, & inemẽdabili eorum malitia ad electorum ſuorum ſalutem veteretur.

Ioan. 17.

Cur ſecundo quæſierit Dominus quem quærerent.

Ad hæc ex his apparet, quòd non ſtatim vt ſurrexerũt , in eum cum impetu manus iniecerunt,ſed ſuſpenſi,&attoniti quid agerent,neſciebant , donec eis facultas daretur ab eo, qui mori, & capi pro ſua libertate volebat. Et quia miniſtri Iudęorum audierant, quã durè increpati illi alij fuiſſent, qui ad eum capiẽdũ deſtinati re infecta reuerſi fuerãt, vt narrat Ioann. ne & ipſis tale quid cõtingat, perſeuerant ꝓpoſito capiẽdi eum,etiãſi experti eſſent ei⁹ manum potentem.

Ioan. 7.

Obſtinatio peccatoris quanta ſit.

Apparet igitur obſtinatio peccatoris quãta ſit, etiam poſt Chriſti miracula,& poſt fortes inſpirationes internas, & externas,de quo queritur per Prophetã: *Percuſſiſti eos,& nõ doluerunt: attriuiſti eos,& renuerunt accipere diſciplinã.* O Ieſu bone,libera me à me ipſo,&meo libero arbitrio,quo abutẽtes& tibi,& meę ſaluti reſiſto,& meę perditionis negotium promoueo:ſiquidẽ ſcriptum eſt: *Perditio tua Iſrael : tantummodò in mẹ auxilium tuum:* Reſpondet ergo Dom. *Dixi vobis quia ego ſum,*ſc. quem quæritis,& quem ſecundũ humanitatem occiſuri eſtis, & qui ſecundũ diuinitatem ſum qui ſum , & nũquam mutor.

Ierem. 5.

A Ieſu quid orandum, & efflagitandũ.

Oſe. 13.

¶ *Si ergo me quæritis,*inquit,*ſinite hos abire.* Hoc eſt,tertiũ ſignũ , ꝙ in defenſionẽ ſuorum diſcipulorũ poſt 2. interrogationẽ coram erectis Iudęis edidit.Quod verbũ non fuit deprecatoriũ,ſed perterrefaciẽs, illãq; virtutẽ,qua eos ꝓſtrauerat,oſtendens. Annas enim,qui Chriſtũ interrogauit de diſcipulis, voluiſſet etiã eos cõprehenſos, vt ait Theoph. Rup. quoq; in Mat. ait Iudã voluiſſe vt Apoſtoli caperẽtur,& ob id pœnitentia ductum quòd nõ fuerint capti,ſe laqueo pręfocaſſe : quemadmodum Achitophel ob diſſipatum conſiliũ,quòd omninò Dauid moreretur , ſuſpendio vitam abrupiſſe.Hoc verbo Imperatiuo,non deprecatorio 11. Apoſtoli ſeruati ſunt , non Iudæ, vel Iudæorum,vel Romanorum indulgentia. Hinc Petrus , & Ioanes ingreſſi ſunt domũ Pontificis, & Ioãnes incolumis cruci adſtitit. Iudas autem, filius erat perditio-

Exod. 3.

Malach 3.

Quomodo accipiendum ſit: Si ergo me quæritis,ſinite hos abire.

Theoph.

Rup. li. 11. in Matth.

2. Reg. 17.

Ioan. 18.

Inf. 19.

Supr. 17.

nis, no-

nis, nolens acceptare remedium. Dixi ergo vobis, quia ego ſum; id eſt, experti eſtis me Principem fortitudinis. Si adhuc me quæritis, & percuſſi, & proſtrati non doluiſtis, nec mutaſtis animum, ſaltem ſinite hos abire. Poterat efficaciter dicere, Sinite me abire; ſed oportebat eum pati, & hi, quos ſibi Pater dederat, ſeruandi erant. Non enim expediebat eos tunc interfici: quia ſi negantes morerentur, damnati fuiſſent. Noluit etiam alios mori ſecum; ne quis valeat, cogitare Chriſti mortem ac redemptionem ſolam minimè ſufficere. Adhæc cùm electi eſſent Apoſtoli, vt fructum ferrent per vniuerſum; impedita fuiſſet eorum vocatio. Verbi ergo virtus in ſeruandis ſuis alligari non poteſt: Charitas non quærit quæ ſua ſunt: bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis, nec ſinit lupum eas deuorare. Si ciuitas obſeſſa nõ poſſet liberari, niſi per mortem vnius ciuis, ſi ciues boni eſſent, certatim deberet quiſque hunc honorem ambire: quia tam pretioſa, & honorifica mors amabilis eſt. Si mali eſſent, quiſq; diceret; Ego nolo mori ſolus, ſed cum omnibus ciuib⁹: quia ſolatium eſt miſeris ſocios habere laborum. Certè Chriſtus talis ciuis erat, qui, etiam cæteris ciuibus pereuntib⁹. ipſe perire non poterat: & tamen ſolus voluit perire, vt omnes ſeruaret.

Ibidem. Quare Dominus voluerit ne diſcipuli caperentur. Apoſtoli alicuius rei gratia electi fuerint à Domino. *Ioan. 15.* *1. Cor. 13.* *Ioan. 10.* Prouerb.

Vt impleretur ſermo quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Producit verbum Chriſti in precatione ſua ad Patrem, contẽtum in ſuperiore capite, quò oſtendat illam orationem efficacem fuiſſe: nam ſi efficax nõ fuiſſet, quomodo potuiſſent Apoſtoli hoc periculum euadere, præſertim Petrus, qui gladio dimicabat? Ac nemo exiſtimet, Euangeliſtã allegaſſe ſermonem Chriſti, in quo de perditione animæ agebat, & ineptè applicuiſſe ad captiuitatẽ corporis: quoniam euentus docuit eos oẽs negaturos fuiſſe Chriſtum, & conſequenter animo perituros, ſi capti fuiſſent. Quod ſatis oſtendit Petri exemplum, dum ad vni⁹ ancillæ vocem, etiam non detentus, Ieſum negauit. Quia ergo cõprehenſio ad interitum animorum fuiſſet; rectè proinde adimpletum ſermonem Domini fuiſſe, ꝓducit Euangeliſta, quòd nullus Apoſtolus eſt comprehenſus. Conſiderent autem hic paſtores, gloriam ſuam eſſe non perdere aliquam ex ouibus, vel ſubditis, ſed omnes, quantum in ſe eſt, ſeruare; ita vt ſi aliquis corpore pereat propter delictum, non pereat tamen anima eius, ꝓpter Sacramenta, & curam ſpiritualem adhibitam, & perditio illa corporis referatur ad ſalutem aliorum, & ad eos in officio cõtinendos. Item ſi quis per excommunicationem ſit abſcindend⁹, referatur ad hoc, vt confuſus redeat, & obediat Eccleſiæ, & alij exemplum capiant nulla ratione pereundi in excommunicatione. Conſidera autem pulcherrimum verbum Cyrilli, qui Commentarijs in Ioannem expendens, quòd Chriſtus ſui oblitus, ſuorum ex charitate curam egerit: *Qui tam paucorum*, inquit, *in tali tempore curam habuit; quomodo innumerabiles fideles non proteget?* Hæc ille.

Ioan. 17. Ad quid Euangeliſta dixerit ſermonem Domini fuiſſe impletum. Gloria paſtorum ſeu prælatorum quæ ſit. *Cyrill. li. 11. in Ioan. c. 34. tom. 1.* Præclara ſententia Cyrilli de Chriſti in ſuos prouidentia.

Vt ergo Chriſtus penè captus dixit: Si ergo me quæritis, ſinite hos abire, quãdo nos ſumus in periculo, vt capiamur dicamus: Si nos quęritis, ſinite ergo Chriſtum in nobis liberum abire, ne Chriſti opus per capturam impediatur, & ſermo promiſſus in baptiſmo ſeruetur permanendi cum Chriſto: & idem dicamus Deo ſinenti nos capi, vt faciat per flagella, & capturam opus Chriſti in nobis cœptum non impediri, vt etſi nos ligemur, verbum tamen Dei non alligetur. Gratias igitur immortales agamus Chriſto pro tanta ſua charitate, ac liberalitate, qui ſuis vinculis noſtram voluit aſſerere libertatem; & ſua morte nobis immortalem cõcedere vitam; Ipſi propterea cum Patre, & Spiritu ſancto gloria, honor, & imperium ab omni creatura reddatur in ſecula ſeculorum, Amen.

Ex hoc myſterio Chriſti cõprehenſi quẽ fructum colligimus. *2. Tim. 2.*

TRACTATVS XVII.

De Petro percutiente Malchum ſeruum Pontificis, deq; eius curatione: Petrique ſe armis tueri volentis reprehenſione. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

VERISSIMA eſt illa ſententia Salomonis: *Meliora ſunt vulnera diligentis: quàm fraudulenta oſcula odientis*: Vnde Deus qui diligit omnia quę fecit: *Ego*, inquit, *quos amo, arguo, & caſtigo, & præcipio alijs inuicem ſe corrigere.* Hæc autem corrigendi virtus mirificè apparuit in Filio Dei in horto: nam ibi correxit quodammodo voluntatem ſuam deprecantem calicem, ſubmittens illam diuinæ volũtati; corripuit Apoſtolos dormiẽtes, & increpuit Iudam oſculo prodentem; tandem Petrum pro ſe gladio decertãtem, & Iudęos ad ſe comprehendendum miſſos non ſolùm facto ipſo proſternendi in terram, ſed etiam blandis verbis reprehendere voluit: de quibus hoc tractatu erit agendum. Tria igitur ſigna præcedentia Domini comprehenſionem explicuit ſolus Ioãnes, hoc autem quartum de Malchi à Petro percuſſi

Vtilitas correctionis. *Prou. 27.* *Sap. 11.* *Apoc. 3.* *Matth. 18.* Fraternæ correctionis legẽ Chriſtus obſeruauit.

percuſſi curatione, quatuor Euangeliſtæ commemorarunt; ita vt ex ſingulis Euangeliſtis liceat aliquid ſingulare producere.

Ordo huius diſputationis.

Primum igitur circa literam, & differentias Euangeliſtarum aliquid ſtatuemus; deinde quomodo geſta ſit hæc percuſſio, & quæ illam præceſſerint, dicemus. Tertiò quot rationibus fuerit à Chriſto impugnata hæc Petri defenſio, aperiemur. Poſtremo loco excutiemus ratione illorum verborum, quæ dicta ſunt ad Petrum, an Chriſtus interdixerit Chriſtianis bellum, & vſum gladij. Deinde ſi ſaltem non interdixit, an clericis liceat armis, & gladio vti, & propria manu ſe defendere.

Quemadmodum in hac narratione Petri ſeruum percutientis quatuor Euangeliſtæ cōſentiāt. I. diſcrimen. Quid eſt quod Petri Malchū Chriſti percuſſorem gladio percutientis. Marcus expreſſe non meminit.

Quod attinet ad primo loco propoſitum, perpende, tres priores Euangeliſtas in genere dixiſſe: *Et ecce vnus ex his, qui erant cum Ieſu, exemit gladium ſuum: & percutiens ſeruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius.* Et ne Marcus quidem Petrum nominat, ne ſuum videatur laudare præceptorem, qui tantum eſſet auſus pro Chriſto tuendo, tacentibus cæteris, & in timore permanentibus. Solus Ioannes expreſſit, dicens: *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum,* &c. Expreſſit etiam nomen ſerui percuſſi, dicens: *Erat autem nomen ſeruo, Malchus.* Deinde aduerte, quòd cum omnes Euāgeliſtæ iſtam percuſſionem ſerui deſcribant; ſolus Lucas, cuius partes erant deſcribere Chriſtum Sacerdotem, commemorat ſeruum à Chriſto fuiſſe ſanatum.

II. diſcrim. Solus cur Lucas ſerui Pontificis abſciſſam auriculā narret ei à Chriſto fuiſſe reſtitutam. Tertium. Quartum.

Tertiò cùm Matthæus, & Marcus aſſerant, Petrum tantùm auriculam percuſſiſſe; Lucas, & Ioannes addunt, auriculam eius fuiſſe dexteram. Quartò, ex Euangeliſtis ſolus Matthæus, & Ioannes meminerunt reprehenſionis Domini Petro exhibitæ; alij verò duo illam ſilentio ſuppreſſerunt.

V. diſcrim.

Quintò expende, Matthæum, & Marcum immediatè poſt Iudæ oſculum enarrare comprehenſionem Domini, quòd videlicet acceſſerunt, & manus iniecerunt in eum, & tenuerunt eum; poſteà verò deſcribunt factum percuſſionis Petri: at verò Lucas, & Ioannes prius tradunt percuſſionem Petri, & ſanationem Malchi, & reprehenſionem Petri, & turbæ venientis ad capiendum, ac deinde narrant Chriſtum comprehenſionem fuiſſe: qui profectò ordinem hiſtoriæ ſecuti fuiſſe videntur: quod his rationib. oſtenditur.

Lucam & Ioānem rectum narrationis ordinem tenuiſſe in hac hiſtoria.

I. ratio.

Prima, quia non eſt veriſimile Chriſto iam ligato, & comprehenſo, Petrum percuſſiſſe, imò Chriſto detento, & ligato, Petrus cum alijs aufugit.

Secunda.

Secunda, Chriſtus ligatus manibus quomodò reſtituiſſet auriculam Malcho?

Tertia.

Tertia, qua ratione ligatus reprehendiſſet comprehenſores, dixiſſetq; illis, *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*? quo verbo ſecundùm omnes Patres eis facultatem tribuit ſe capiendi. Quod ergo Matthæus, & Marcus poſt oſculum Iudæ acceptum dicunt: *Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum; & tenuerunt eum*; procul dubio hoc dictum eſt per figuram anticipationis, ad oſtendēdum oſculum Iudæ fuiſſe in ſignum capturæ datum, & ob id Iudam dignum factum triginta argenteis.

Ad ſecundum: Inter Euangeliſtas Lucas ſolus eſt qui latius hoc factum Petri deſcripſit, & quæ illud præceſſerunt, de quibus ita ait: *Videntes autem hi qui circa ipſum erant quod futurum erat, dixerunt ei, Domine, ſi percutimus in gladio?* (vel vt Græcè habetur, *Non percutiemus in gladio?*) *Et percuſſit vnus ex illis ſeruum Principis Sacerdotum; & amputauit auriculam eius dexteram.*

Qui dixerint, Domine, ſi percutimus in gladio? & cur hic interrogauerint.

Hi qui circa ipſum erant, diſcipuli ſunt, qui conſpecto Iuda, cohorte, & miniſtris, & facibus, & lignis expauerunt, & vt pulli ſub alas gallinæ ſe recipiunt, vbi miluum viderint inſidiantem: ita illi ad Chriſtum confugerunt: & Dominus extenſis brachijs cœpit ipſos protegere, meditañque quod in cruce facturus erat ad protegendos peccatores, & à iuſta Dei vindicta liberandos: *Tota die*, inquit, *expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem mihi.* Eſaiæ. 65. Ipſi ergo videbant futurum, quòd Chriſtus, & ipſi erant capiendi: Et volentes obuiam ire capturæ, dixerunt, Domine, percutiemus ne in gladio? hoc eſt, agemus ne rem gladijs? Sciebant enim, Chriſtum partim docuiſſe: *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et quicunq; te angariauerit mille paſſus, vade cum illo, & alia duo*; Matth. 5. partim vero audierant Chriſtum dicentem: *Qui non habet* (ſcilicet ſacculum & peram) *vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Luc. 22. Hinc dubij erant, & incerti; propterea Chriſtum interrogauerunt, an eſſet opportunitas vtendi gladio. Ieſus autem, qui vti gladijs id temporis non ægrè ferebat, tantiſper ſc. dum appareret tueri ſe humanitus potuiſſe, & quòd diſcipuli ſe liberare poſſent, conticuit. Tacuit & Petrus, partim moræ impatiens, & animatus Iudęorum proſtratione, & Chriſti dilectione; partim taciturnitatem arripiens pro conſenſu, vt docet Auguſt. lib. Quæſt. Veteris & Noui Teſtamenti mixtim, vel quiſquis fuit illarum autor.

Aug. lib. qq. Vet. & Nou. Teſta. mixt. q. 104. to. 4.

Percuſſit ſeruum Pontificis. Petro enim ſatis videbatur vſum gladij eſſe conceſſum ex eo quod Chriſtus dixit, vt geſtarēt, & emerēt gladios. Et certè nemo vti debet gladio vel alia re à Deo conceſſa, incōſulto Deo, &

non

Secu'ares & Eccleſiaſtici Principes gladio vti quatenus debeant. Vnde illum gladium Petrus habuerit.

non cognita eius voluntate. Principes ſeculares, & Epiſcopi ſpirituales iudices, & generaliter omnes Magiſtratus non debent vti gladio niſi conſulto Deo, ne illo abutātur, educentes illum quando, vbi, vel eo modo quo non oportet. Ideò in ſententijs pronuntiandis dicunt Deum prę oculis habendum. Superiùs dixim⁹, iſtum Petri gladium, & alterum; ab hoſpite mutuo acceptos fuiſſe, vel eis vſos fuiſſe Petrum, & alios in cœna ad diuidendum agnum, vt ait Chryſoſtom. vel quia teſte Cyrillo ad hortum diuertebant noctu propter feras & ramos, qui vt plurimum egredientes impedire ſolent, niſi præcidantur. Lyranus reſtatur, quòd quia piſcator erat, ad retia tigillis figenda, vel reſarcienda gladium habebat.

Chryſ. hō. 64. in Mat. to. 2. Cyrill li 11. in Ioā. c. 31. t. 11. Lyranus.

Quare Petrus percuſſerit ſeruum Pontificis. Quomodo abſciderit Petrus auriculam.

Si quæras cur percuſſit Petrus ſeruum Pontificis? Dicendum, quia fortaſſe ille cæteris audacior tentabat, vt gratiam Pontificis iniret, inijcere manus in Ieſum. Deinde rogabis; quomodo præcidit auriculam? Reſpōdeo; Volebat fortaſſe ictum gladij in caput medium findendum vibrare: quid fortè galea armatum, illum eluſit, fecitq; vt deſcenderet ictus in aurem, quam præcidit. Vel dici poteſt, tantum illi nocuiſſe, quantum à Domino fuit permiſſum.

Qui factū ſit vt percuſſo Pontificis ſeruo ſtatim in Petrum armati milites non inſurrexerint. Cur Chriſtus Petrum abuti gladio in ſeruum pōtificis permiſerit.

Tertiò quæres; Quid eſt quod alij armati, quò vlciſcerentur iniuriam, vt moris eſt, non irruerunt in Petrum, & aut vulnerarunt, aut tenuerunt eum? Dicendum, quòd impediebat verbum Chriſti virtute & imperio plenum: Sinite hos abire.

Quartò vrgebis; quare Chriſtus permiſit Petrum abuti gladio in ſeruum Pontificis? Dicēdum, id pro eius ſapientia factum, vt inde eliceret gloriam ſuam in ſanando; & vt oſtenderet non fuiſſe in ſe poteſtatem ſigna edendi extinctam, atque charitatem benefaciendi inimicis ob illatam iniuriam non fuiſſe mortuam; & vt Petro indicaret, quòd nō erat idoneus dominum ſuum patientia, & charitate tueri, ſed gladio tātum corporeo; & vt declararet ſe non egere defenſione diſcipulorum, vel armis; & vt eum reprehendendo daret nobis doctrinā, quatenus videlicet clericis & Eccleſiaſticis armis vti liceret; ſicut permiſit ſuos diſcipulos obliuiſci ceremonię lauandi manus ante cibum, quò haberet anſam reprehendēdi ſuperſtitioſos ritus Scribarum, & Phariſæorum, & nobis porrigendæ, tantum doctrinæ lumen.

Matth. 15.

An Petrus Chriſtū tuendo Malchumque percutiēdo, peccauerit.

Aug. q. 10.

Quintò rogabis, num Petrus defendendo Chriſtum, Malchumq; percutiēdo peccauerit? Nam in primis Aug. lib. Queſt. Veteris ac Noui Teſtamenti mixtim, videtur ſentire quod non deliquerit, dicens: Quātum pertinet ad Petrum, percuſſit eum, quē contra ſe armatum videbat. Reſiſtere enim debuit ingratis ſeruis, & ad Dominum necandum armatis. Chryſ. quoq; ſuper Matt. videtur excuſare quòd ex pio, & & feruenti amore, quem habebat ad magiſturm ſuū, percuſſit Malchum. Gloſſa interlinearis ſuper Lucam, cōparat Petrum Phinees, qui ex zelo ſancto occidit Hebręum coeuntē cum muliere Madianitide: ꝓpter ꝙ meruit ſummum Sacerdotium. Alij probabilius ſentiunt, quòd nōnihil in eo facto peccati commiſerit. Primò, quia à Chriſto verbis & facto ſanandi fuit reprehenſus. Deinde, quia nec iudex erat, nec à iudice poteſtatem habebat, ideò ꝓpria autoritate aſſumpſit gladium. Tertiò, quia etſi petierit à Chriſto facultatē percutiendi: non tamen expectauit reſponſum præ impatientia. Sicut caro impetu quodā ruit in vitia, nō expectans iudicium rationis, nedum volūtatem Domini. Hinc Petrus ipſe prius percutit, cùm nec ipſe, nec Chriſtus Ieſus eſſet. Et carnalis homo à multis peccatis abſtineret, ſi propriam rationem prius vellet cōſulere. Quartò, quia illa Petri audacia, & cōfidentia potius fuit carnalis, & humana, quàm ex fide profecta. Nam illa audax eſt, quam diu adhuc videt in Chriſto diuinam potentiā: at vbi paulò poſt virtutem ſuam abſcōdit, ceſſauit Petri fortitudo: ideò ex fide omninò nō proceſſit hæc Petri audacia, alioqui etiā in aduerſis perdutaſſet. Quintò, defecit hæc Petri defenſio in fide: quia ſi Chriſtū credidiſſet Deum, putare debebat, quòd nō ei opus erat ſui defenſione. Deniq; hæc defenſio cōtra voluntatem Chriſti acceptantis calicem erat, contraq; definitionem Scripturarum, quæ tradunt Chriſtum paſſurum: & iccircò Petrus excuſatur ex parte, ſed nō in totū & hoc ꝓpter zelū quo replebatur, ſicut Moyſes, qui Ægyptium iurgantem cum Hebręo occidit, & in ſabulo abſcondit. Atq; huius ſententiæ eſt B. Augu. qui in Ioan. expreſſè tradit, quòd factum Petri Domin⁹ improbauit, & progredi vltra prohibuit, dicens: *Cōuerte gladiū tuum in locum ſuū*; &: *Sinite, vſq; huc.* Quod verò Chriſtus docet de diſtrahēda tunica, & emendo gladio; nō fuit probè intellectū: quia illo verbo nō conceſſit illis niſi ius naturalis defenſionis, quando erāt infirmi, & incipientes; perfectis autē; & ſibi non permiſit defenſionem exhiberi, ſed altiori modo, id eſt, patientia, & fide, iuxta illud: *Nō vosmetipſos defendētes, chariſſimi, ſed date locum iræ.* Hinc Apoſtoli verba Domini explicātia ius naturæ, ꝙ licitam reddit defenſionem propriā, nō intellexerunt ad ipſos vt imperfectos Chriſtianos ſpectare, nō ad

Chryſ. hom. 85. in Matth tom. 2.

Gloſ. Interlin. in Matth. 26.

Num. 25.

Altera opinio, probabilior.

Quam multa Petrus Chriſtum defendendo peccauerit.

Carnis ingenium.

Exod. 2.

Aug. tract. 113. in Ioan. tom. 9.

Luc. 22.

Quo ſenſu Chriſtus dixerit vendendā tunicam, & emendum gladium.

Rom. 12.

An Petrus Chriſtum vel inuitum defendere debuerit.

Chriſtum, & perfectos. At dices; Nonne Petrus etiam inuitum debebat Dominum defendere? Minimè: nam licèt illi magiſtratus nullam in Chriſtum haberent iuriſdictionem ad capiendũ & iudicandũ eum: vt Thomas docet, & ratio ipſa comprobat, quia Pontifex ſummus iure diuino liber eſt ab omni iudicio humano Regis, multò magis Chriſtus, cuius vices illi gerebant: tamen quia ipſe ſponte ſe illorum iudicio ſubiecit, ideò non debebat Chriſtum tueri, etiamſi alioqui eſſet opus charitatis:

D.Tho. 2. 2. q 66. art.1. ad 2.10.11.

1. ſenſus horũ verborum Domini: Sinite vſque huc.

His poſitis, iam explicanda eſt litera: *Reſpondens autem Ieſus, ait: Sinite, vſq; huc. Et cum tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum.* Verba illa: *Sinite vſq; huc*, poſſunt hunc ſenſum habere: Intermittite prohibere vos inuadentes, ſiue lædentes, quouſq; ego faciam, quoniam ad alios, & ad aliud tempus ſeruatum eſt iudicium vltionis: nunc tempus eſt patiendi. Vel, Nolite amplius gladio agere, ſatisfactum eſt poteſtati, vt queam recordari voluntatis Dei eſſe, quod facio. Auguſtinus prædicto loco ait: *Apoſtolo Petro vſque ad hoc permiſſum eſt, vt dolorem faceret: non quod occideret. Ob hoc enim audiuit, ne iterum percuteret.* Sic ille. Alij verò interpretantur: *Sinite, vſque huc*; Permittite, vt veniat ad me, & ſanem eum, & pro Petro ſatisfaciam huic læſo. Vel, quod in idem recidit, Sinite me, vt eam vſque ad percuſſum, & ſanem eum. Euthym. intelligit hæc verba dicta poſt Petri percuſſionem, aitque eſſe ſenſum; Vlterius deſinite, in hoc ceſſate, nec vltra ad vindictam progrediamini: Et exponit ἕως τούτου maſculinè, id eſt, vſque ad ſeruũ cæſum. Nõ deſunt qui dicant, ſenſum eſſe: Sinite hucuſque id eſt requieſcite: hucuſque ſc. res ipſa progredi debet, vt me apprehendant & impleãtur de me ſcripta, Ita Auguſt. alio loco exponit. Tangendo autẽ auriculã eius, ſanauit eum, vt tactu ipſo ſe proderet ſanitatẽ, & adhuc ſignorum poteſtatem habere, diuinitatemque ſibi ineſſe, & charitatem conformem doctrinæ, qua dixerat: *Benefacite his qui oderunt vos*: dans exemplum benignè faciendi etiã obſtinatis, actuque inimicãtibus, necdum de peccato ſuo pœnitentibus, &, vt oſtendat vim ſuæ paſſionis, ac mortis ad id tantùm tendere, vt ſanet nos à peccatis, ac rebellionibus noſtris, & à plagis lethalibus, quas nos nobis ipſis infligimus. Quòd ſi interroges; quid eſt quòd illi viſo tanto ſigno non ſunt cõuerſi ad Chriſtum? Dicendum, quòd ſignum hoc non omnes viderunt, nec videre poterant, eo quòd nox iam eſſet: & licèt vidiſſe daremus, difficillimum tamen eſt emollire cor induratum, quale erat illud Pharaonis, & vt dicitur in Eccleſia-

Aug. lib 99. Vet. & Noui Teſt q 104. tom. 4. Secundus.

Euthym c. 64. in Matt. Tertius.

Aug. li 3. de conſen. Euang c 5. poſt med. tom. 4.

Quid Dominus per contactum auriculę, & eius curationem præſignauerit.

Matth. 5.

Vis paſſionis, & mortis Chriſti.

Cur Malchus cęterique. milites, auriculæ reſtitutæ viſo tanto miraculo, non reſipuerint.

Exod. 7.

ſte, nemo poteſt corrigere, quem ille deſpexerit. Inſuper ipſi Iudæi viderant maiora miracula à Chriſto fieri, neq; propterea tamen crediderant: tunc autẽ minus apti erãt ad credendũ, quib. dictũ erat: Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Vides igitur Chriſtũ prius hoſtib. ſuam terribiliter oſtẽdiſſe potentiã, proſternendo in terrã; nunc verò eandem oſtendit cũ ſumma benignitate: at illi dati in reprobum ſenſum, neutra ratione vinci, vel emolliri potuerunt. Illud perpende, quòd cũ capitur Chriſtus, educit gladiũ Petrus, & percutit, nõ autem quando ipſe captus eſt Romæ, & ductus quò nõ volebat, id eſt, ad crucem: Docens Dei, & Chriſti iniurias fortiter vindicandas; proprias autem patiẽtia, & manſuetudine eſſe ſuſtinendas. Sciſcitaberis præterea, quid ſignificaret illa præciſio auriculę ſerui Põtificis? Reſpõdeat tibi Euthym. Oſtendit quòd iuxta diſpenſationẽ ablata ſit ſeruo Principis Sacerdotũ auricula, in ſignũ quòd Principes Sacerdotũ præ inuidia auditu priuati eſſent, ne audirent & intelligerent eas quæ de ipſo erant prophetias. Sic ille. Et formidandum eſt, ne hac vna percuſſione, ferè omnium Pontificalium miniſtrorum dexteras aures abſciderit, vt nihil dextri, nihil veri, ſed omne ſiniſtrum, & falſum, hoc eſt, literam legis inſuauẽ, & ad ſaluandũ inefficacẽ audiant, & in eo delectentur. Proinde ſeruus rectè dicitur Malchus, quod ſignificat Regem, in quo deſignatur populus Iudæorum, qui gloriabantur magnificis titulis, quòd eſſent gens ſancta, regnum Sacerdotale; cum reuera ſeruus eſſet, & ſeruili more ſub lege detineretur. Reſtituit tamen Chriſtus: quia merito ſuę mortis impetrata eſt gratia Iudæis & Sacerdotib. vt ad Chriſtum venirent. Vnde in Actis dicitur, quòd multa turba Sacerdotũ obediebat fidei. Petrus ergo nõ caſu, ſed Dei prouidẽtia abſcidit dexteram aurẽ. Primò deſignãs Iudæos verum auditũ legis, & Prophetarũ perdituros, iuxta illud: *Quis credidit auditui noſtro?* Omniaq; tantũ ſiniſtrè, & in ſuũ exitiũ interpretaturos. Deinde ſanatio Chriſti denotat eos ſuo tẽpore illuminãdos: quia cũ cõuerſi fuerint ad Chriſtũ, tunc auferetur ab eis velamen, & reſtituetur aſpidi ſurdæ auditus. Tertiò, quòd ille, cui ablata eſt auris, fuerit ſeruus Põtificis: indiciũ eſt, quòd homines magnatib. hui⁹ mundi adhęrẽtes plerumq; vnam aurẽ tantum habent, & eam ſiniſtrã: quò fit, vt tantum q̃ falſa, mundana, vanaq; ſunt, audiat. Et in vniuerſum omnis q Chriſto cõtrari⁹ eſt, caret aure dextera, qua verbũ Dei & veritatẽ intelligat; habet aurẽ ſiniſtrã, qua libẽter intelligit verba mẽdacij,

Eccleſ. 7.

Iniuriæ quæ ſolę vindicandæ, quæ vero ferendæ æquo animo, atque condonandæ, Apoſtoli exemplo.

Ioan 21.

Quid ſignificarit præciſio auriculæ ſerui Pontificis.

Euthym.

Malchus quid ſonet.

Iudæorum antiqua gloriatio.

Exod. 19.

1. Pet. 2.

Act. 6.

Quid præciſio auriculæ dextræ ſignificet.

Eſa. 53.

Sanatio Malchi auriculæ quid denotet.

Aure dextera qui careant.

Prou. 29.

Quib. rationibus impugnata fuerit Petri defenſio. Prima ratio.

atq; derractionis. Ad tertiũ dicendum eſt, quib. rationib. impugnata fuerit Petri defenſio. Et reſpõdendum, quatuor rationibus Dominum egiſſe contra Petrum. Prima eſt illa, quę habetur apud Matt. *Conuerte gladium tuum in locum ſuum*, vel vt Ioannes ait: *Tunc ait Ieſus Petro, Mitte gladium tuum in vaginam*. Et ſubdit Matthæus: *omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Primo

Cur Petrum ſe tueri volentem Chriſtus reprehendit.

factum Petri reprehendit, quia erat contra legem à Deo inſtitutam. Et non dixit Dominus, proijce, vel dimitte, ſed repone in vaginam, & poſt ſuo tempore vtaris, quando ſcilicet enſe ſpirituali conuinces mundum confiteri, quod etiam gladius corporeus ad imperium tuum pertinet, quando gloria Chriſti, aut ſponſę eius Eccleſię cauſa poſtulauerit. Propterea dixit, gladiũ tuum, per alios tamen euaginandum, vt recte explicuit Bernard. Interim prohibet illo verbo vindictam propriam, vnde gloſſa Interlinearis recte ait: Ceſſet vindicta, exhibeatur pœnitentia, vt patientiam noſtros doceamus, non vindictam. Reprehendit & impatientiam quod nullum durum verbum ſuſtinere poſſumus ſine maioris incommodi retaliatione. Et ſubiunxit: *Omnes enim qui gladium acceperint, gladio peribunt*. Hęc Chriſtus non protulit, vt Propheta, vt ait Euthym. hoc loco: quia ſæpe tales homicidæ euadunt gladium humanę poteſtatis per fugam, aut latebras, aut alio modo, febri, aut fame, aut peſte abſumpti, aut glaudium etiam diuinę poteſtatis & vltionis euadunt per pœnitentiam, ſed tantum explicat ius naturæ, de quo dicitur: *Quicunq; effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*: id eſt, Meretur, vt eius ſanguis fundatur, quicquid facto ipſo poſtea contingat. Similiter dicitur in libro Apocalypſi: *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi*. Dicitur autem accipere gladium, omnis qui propria authoritate, & temeritate ſumit gladium ſuum: ita enim vulgari & Italico ſermone loqui conſueuimus de ſubditis rebellibus in ſuos Principes, vel de Hæreticis in Eccleſiã inſurgentibus. Hanno preſo le arme, cum ſignificare volumus nulla authoritate, ſed propria temeritate arma aſſumpſiſſe. Hinc Magiſtratus, vel Iudex qui illis vtitur, non dicitur accipere gladium à ſe, ſed à Deo, dato gladio per viam ordinariam: *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo*, &, *Non ſine cauſa gladium portat*, vel per viam miraculi, quemadmodum in 2. libro Machabæorum dicitur Ieremias extendiſſe dexteram, & dediſſe Iudæ gladium aureum, dicens: Accipe ſanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduerſarios po-

Expenditur illud: Mitte gladium tuum in vaginam.

B. Bern. li. 4. de conſiderat. ante med.

Gloſ. Interlin.

Hoc Omnes enim qui gladium acceperint gladio peribunt, quẽ ſenſum habet.

Euthym.

Gen. 9.

Apoc. 13.

Gladium quis accipere dicatur.

Rom. 13. ibidem.

2. Mach. 15.

puli mei Iſrael. Qui etiam caſu interficit ſe inuadentem non quærens niſi propriam defenſionem cum moderamine inculpatę tutelæ, vt facit qui furem nocturnum, & perfringentem fores interficit, talis non propria autoritate, ſed à iure naturæ conceſſa gladium accipit, & ab inuaſoris aggreſſione cogitur accipere, cum locus aut fugæ, aut honeſtæ fugæ non pateat. Vnde tales, quia non ſunt veri homicidæ, non pereunt gladio apud integros, & iuſtos iudices, & in lege habebant ciuitates refugij, ad quas confugerent: neq; tales incurrunt pœnam irregularitatis, vel alias cenſuras, quæ homicidis volũtarijs infliguntur. Proſcriptus etiã, qui alium proſcriptum interficit ob impunitatẽ à Principe promiſſam, quia autoritate Principis gladio vtitur, ac veluti magiſtrat⁹ miniſter, minimè eſt homicida, neq; peccat, niſi admiſceatur odium, vel fraus, vel periurium. Quæ etiam in miniſtro publico iuſtitię sũt per ſe ipſa peccata, non tñ ipſa occiſio, proinde talis non accipit gladium temeritate, vel autoritate propria, ſed publica. Inter eos autem, qui priuata autoritate ſumunt gladium, interficiunt iuſtum, qui mortuus ſaluus fit, grauius peccat, quã ſi peccatorem, qui ſtatim damnaretur, interficeret: tum quia plus nocet ei, quem plus debet diligere, & ei infert iniuriam, qui minus eſt dignus, tum quia priuat communitatem maiori bono, & quia magis offendit eum, qui ait: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei*. Quod verò anima ſeruetur, vel pereat, occiſioni accidit. Et in penſanda peccati grauitate, magis cõſideratur id quod eſt per ſe, quam quod per accidens: vt egregiè docet Thomas in 2.2. Idem etiam docet magis peccare occidentẽ corporaliter, quam inducentẽ alium ad peccatum mortiferum. Cuius rei rationẽ reddit: quia homicida eſt per ſe idonea cauſa mortis corporeæ, mortis vero ſpiritualis, quæ per peccatum incurritur, nullus poteſt eſſe alteri cauſa per ſe, & idonea: quia nullus moritur in ſpiritu niſi propria voluntate in peccatum conſenſerit. Sic à B. Thoma rectè definitur. Solum ergo plecti merentur gladio magiſtratus, qui vel inuadunt, & occidunt propria autoritate, vel illatam iniuriam per ſe ipſos vindicare volunt: at Chriſt⁹ ſatis iam expreſſerat ſe nolle defendi, prædicendo ſæpe ſe occidendum, ac crucifigendum, & modo etiã Petrum prohibendo: qui grauius deliquiſſet, ſi poſt Chriſti verba tẽtaſſet adhuc Dominum defendere. Secunda Chriſti reſponſio ad Petrum habetur apud Ioannem. Nam illi dixit: *Calicem quem dedit mihi Pater meus,*

Homicidæ qui minime cenſendi.

Vſus ciuitatũ refugij apud Iudæos.

Num. 35.

Homicidæ alij alijs, quinam grauius peccent.

Zach. 2.

Peccati grauitas vnde ponderanda.

B. Thom. 2. 2. q. 64 art. 4 & q. 63. ar. 2.

Vter grauior peccator, corporaliter occidens, an alium ad flagitium impellens.

Gladio magiſtratus qui plectendi ſunt.

Matth. 16. Infr. 20.

Secunda ratio reprehenſionis Petri tueri Chriſtum volentis.

non vis vt bibam illam? Secunda ratio: Hæc defenſio erat contra ſpecialem Dei ordinationem dantis calicem, & qui prius recuſabat pati, & deprecabatur calicem, modo reprehendit volentes ab eius potione illum impedire. Et pars calicis bibendi erat pati tyrannicè ab inimicis, & nullam in eũ habentibus iuriſdictionem. Quaſi diceret. Poſtquam definitum eſt à Patre meo, vt per paſſionem, & mortẽ genus redimatur humanum, & ego libenter acceptaui, non debes tantum bonum impedire, vel meam erga Patrem obedientiam, vel ſingularem meam erga mundum charitatẽ impugnare: niſi enim ego bibero hunc calicem, nec tu, nec cæteri ſalui fieri poteſtis. Præbet etiam exemplum permittendo ſe capi, illis qui non poſſunt ſe defendere: quia melius eſt exemplo Chriſti pati, & dare ſpatium pœnitentiæ perſecutoribus, vt ſe conuertant, quam ſi iure defenſionis occiderentur perituri in æternum. Tribulatio autem ſicut interdum comparatur aquæ, iuxta illud: *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*, quandoque torrenti, ſecundum id: *De torrente in via bibet*, ita etiam quandoque calici vini meri, Propheta dicente: *Quia calix in manu Domini vini meri plenus miſto.* Vt enim vinum plus iuſto epotum ſtatum mentis euertit, ita & tribulatio hominem deijcit, niſi gratia Dei adſit, quæ illam temperet, & tolerabilem reddat. Et ait, *Quem dedit mihi Pater meus*, Ea loquendi forma, qua dixit Iob: *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, & iterum: *Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid:* pro eo quod eſt permiſit auferre, vel maledicere. Dicendo etiam, *quem dedit mihi Pater*, oſtendit non hominum arbitrio, ſed Dei voluntate pati, & ita non eſſe ſe Deo contrarium, ſed vſque ad mortem Patri in omnibus obedientem. Docet præterea in tribulationibus reſpiciendum non ad hominem, aut dæmonem malo animo nos affligentes, alioqui nunquam patienter ferre valeremus illatas iniurias, ſed in Deum ex charitate permittentem, & in noſtram vtilitatem omnia pro ſua bonitate conuertentem, ſicut patientiſſimus expreſſit Iob in verbis dictis: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt.* Canis eſt, & bellua, qui in lapidem iactatum, & non in iactantem inſurgit. Subditque: *non vis?* Græcè non habetur, nec in multis Latinis exemplaribus, tamen idem eſt ſenſus, ſignificatque: Tu, homo, creatura, & ſeruus, non probas quod Deus, Creator, & omnium Dominus voluit?

Tertium reſponſum à Domino exhibitum Petro, eſt apud Matthæum: quod huiuſmodi defenſione non indigeret, & factum hoc potius ſpeciem haberet vindictę quam defenſionis. Contra namque tantam, & tam inſtructam turbam vana erat Petri defenſio, & potius obfutura, quam profutura, vt quæ hoſtium animos magis irritaret ad ſæuiem, dum in Chriſtum, & in ſuos, qui ſe miniſtris iuſtitiæ armis opponerent. Hinc illa percuſſio magis ad vindictam tendere videbatur: vt faciunt illi, qui cum non poſſint euadere, volunt tamen antequam capiantur, aliquam facere vindictam. Oſtenditque inutilem eſſe eius defenſionem, dicendo ſe habere vtilem & idoneam: *Annon poſſum* (inquit) *rogare modo* (ſic enim Græcè habetur) *Patrem meum, & exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorum?* Ac ſi dicat, non egeo auxilio duodecim Apoſtolorum, qui poſſum habere duodecim legiones Angelorum: quarum quæuis, teſte Hieronymo, ſex millia militum complectitur, non equitum, vt exiſtimauit Theophylactus, ſed peditum cum parte aliqua equitatus. Secundum alios legio continebat *6666.* milites. Et perpende quantum robur ſit exercitus in vna legione Angelorum, ſi vnus Angelus ſatis eſſet ad me defendendum, ſi opus eſſet. Nam vt Scriptura tradit, vnus Angelus interfecit vna nocte centũ octoginta quinque millia virorum, ciuitatem Ieroſolymam obſidentium. Conficiunt autem legiones duodecim numerum 70000. ferè, minus octo, vt millium numerus cuique genti deputetur: ſiquidem in 72. linguas & gentes mundus diuiſus fuit. Id igitur erit ac ſi dicat, non eſſe timendum, etſi contra eum omnes nationes inſurgant, cum fortiores habere poſſit Angelorum exercitus. Et voce Romana vſus eſt Græcè ſcribens Euangeliſta, ſicut alibi obſidens dæmon interrogatus de nomine dixit: *Legio mihi nomen eſt*, Græcè vocatur λέγεων. Angeli vero in Scripturis milites dicuntur, & Dominus dicitur, Deus Sabaoth, id eſt, exercituum: & militant pro nobis in legiones dæmonum. Solet autem Deus per Angelos ſeruis ſuis ſuccurrere, vt Loth in Sodomitas, Iſraeli in Ægyptios, Heliſæo in Syros, Ezechiæ in Aſſyrios. Et licet Dominus non egeat auxilio Angelorum, ſed potius Angeli filij Dei fauore indigeant: loquitur tamẽ Dominus ſecundum iudicium Petri volentis ei opem ferre: quaſi diceret, An me forte Heliſæo inferiorem putas, ad cuius nutum circumſtantes ei montes operti Angelis in eius fauorem miſſis viſi ſunt?

Pars quæ calicis Chriſti bibendi.

Tribulatio quibus rebus comparetur in ſacris literis.

Pſal. 68.
Pſal. 109.
Pſal. 74.

Vinum immodice ſumptum quid efficiat.

Iob. 1.
2. Reg. 16.

In tribulationib. quo ſpectandum ſit.

Qui regerunt iniurias, quales illi.

Tertia ratio Petri à Chriſto reprehenſi quod ipſum defendere pararet.

Legio quot milites contineret.

Hieron. in Matt. 26.
Theophyl. in Matt. 26.
4. Reg. 19.

Angeli in Scripturis milites vocantur.

Gen. 11.

Deus Sabaoth quid.

Gen. 19.
Exod. 12.
4. Reg. 6.
Infra 19.
4. Reg. 6.

Quarta ratio.
Eſa 53.
Luc. vlt.

Quartum reſpōſum Chriſti ad Petrum etiam in Matthæo habetur: *Quomodo ergo* (inquit) *implebūtur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?* cum tamen oporteat impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis, de me, de mea morte ſcilicet, vt Prophetæ Patris mei fideles inueniantur, & iota vnum, aut apex à Lege non debeat præterire. Ergo propter verbum Scripturæ ſeruandum offeramus nos periculo mortis, ſi homo honorificum putat vitam profundere, vt ſtet verbis ſuis.

Eccle 36.
Matth. 5.

An bellū, aut vſum gladij fidelib. Chriſtus interdixerit.

Ad poſtremum illud de duabus quæſtionibus propoſitis propter quorundam Doctorum ſententias, quæ veritati repugnare videntur, aliquid preſſius, ac diligentius pertractandum eſt. Statuendum igitur inprimis, Euthymium in verba hæc Matthæi ſic ſcribere: *Vbi eum increpaſſe docuit, neq; etiam pro Deo defendendo vtendum eſſe gladio. Per gladium verò omnia arma prohibuit.* Ioannes Ferus in Matthæum non ſolum clericis, ſed etiam laicis omnem bellandi facultatem interdicit, dicens: *Tria hoc verbo docet: Primo, Euangelium non armis ſecularibus, non humana ope defendendum eſſe, ſed illius defenſionem Deo permittendam. Sic Paulus, Arma militiæ noſtræ nō carnalia ſunt, &c. Sic Chriſtus nullo gladio vſus eſt. Apoſtoli poſt reſurrectionem nullo gladio accincti ſunt, &c. Secundo docet hoc verbo impietatem pietate vincēdam, quemadmodum in Matthæum dicit: Audiſtis, quia dictum eſt: Oculum pro oculo, &c. Ego autem dico: Diligite inimicos veſtros, &c. Tertiò ſpecialiter hic interdicit Apoſtolis gladium externum, habent enim, & habere debent gladium ſpiritus qui eſt verbum Dei. Hinc Eſaias prædicit pugnam Apoſtolorum futuram eſſe ſicut in die Madian: hoc eſt, ſicut Gedeon Madianitas vicit non armis, ſed tubis, & complōſione lagenarum*, id eſt, oblatione corporis ad martyrium perferendum, *ſic Apoſtoli facturi erant ſpiritualiter.* Sic ille. Eraſmus in illud Lucæ: *Quomodo miſi vos ſine ſacculo & pera,* negat permiſſum Chriſtianis vſum gladij: & debacchatur in Hugonem Carenſem, quod impudenter aſſeuerat, Chriſtum monuiſſe illis verbis Apoſtolos, quod ingruente perſecutionum procella munirēt ſe commeatus, & armorum præſidio, & quod huiuſmodi nouæ expoſitionis Chryſoſtomum fecerit autorem, cum tamen reuera id vellet Chriſtus ſignificare licitum eſſe imperfectis Chriſtianis, & apertiſſimis verbis huic ſenſui faueat Chryſoſtomus in homilia ſuper verba epiſtolę ad Romanos: *Salutate Priſcam, & Aquilam.* Inuehitur deinde Eraſmus in Doctores Scholaſticos, qui, vt ait, inſulſis ſuis commentis, & frigidis

Euthym.
Ioan. Ferus in Matt. c. 26.
2. Cor. 10.
Matth 5.
Exod. 21.
Epheſ. 6.
Eſa 9.
Iudic. 7.
Eraſmus in Luc. 22.
HugoCarenſis.
Chryſ. to. 4.
Rom 16.
Quid de Scholaſticis Doctores Eraſm. ſenſerit, homo ſcilicet acutus & pius.

diſtinctiunculis Euangelicam doctrinam ſubuerterint, quæ interdicit bellum Chriſtianis. Dixit enim Dominus: *Ego autem dico vobis, non reſiſteré malo, ſed, ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Et, *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribūt,* & Paulus, *Non voſmetipſos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam.* Et ſubdit: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Producit pro hac ſententia tuenda Origenem, Tertullianum, Hieronymum, & Seuer. Sulpitium. Oecolampadius fatetur olim tempore Pauli licitum fuiſſe belligerare, non tamen Chriſtiano, motus autoritate Chriſti dicentis: Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo. Lutherus omnino aſſerit non licere in Turcas pugnare: quia eſſet reſiſtere Spiritui viſitanti peccata noſtra per illos.

Matth. 5.
Rom 12.
Deut. 32.
Oecolampadius.
Lutherus.

Secunda ſententia vera & ſolida.

Sed dicendum reuera eſt, vbi adeſt legitima cauſa, & accedit Principis autoritas, & modus congruus adhibetur, licitum eſſe bellum in nouo Teſtamento, non tantum ad repellendam iniuriam alterius ſine cauſa inuadentis, verum etiam ad vindicandam iniuriam Chriſto, aut Eccleſiæ illatam, quando alia ratione reſarcire non poteſt.

Quod Chriſtianis bellum licitum ſit, multis oſtenditur Scripturis. Primus locus.

Et ad hoc oſtendendum producemus locos Scripturæ, & Patrum, deinde ad obiecta in contrarium facile, ac promptum erit reſpondere. Primum igitur Ioannes Baptiſta, iuſtitiæ, & pœnitentiæ præco, vt narrat Lucas, militibus petentibus quid facere eos oporteret ad ſalutem conſequendam, reſpondit: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti, eſtote ſtipendijs veſtris.* Quæ verba exponens Auguſtinus epiſtola ad Marcellanum: *Si Chriſtiana*, inquit, *diſciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus conſilium ſalutis petentibus in Euangelio diceretur, vt abijcerent arma, ſeque militibus omnino ſubtraherent. Dictum eſt autem eis: neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum. Quibus proprium ſtipendium ſufficere debere præcipit, militare vtique non prohibuit.* Idem libro contra Fauſtum probans licitum eſſe bellum gerere ait: *Alioquin Ioannes, cum ad eum baptizandum milites venirent, dicentes: Et nos quid faciemus? reſponderet eis, Arma abijcite, militiam iſtam deſerite, neminem percutite, vulnerate, proſternite neminem. Sed quia ſciebat eos, cum hæc militando facerent, non eſſe homicidas, ſed miniſtros legis, & non vltores iniuriarum ſuarum, ſed ſalutis publicæ defenſores, reſpondit eis: Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium*

Luc. 3.
Aug. ep 5. poſt med. to. 2.
Idem libr 22. contr. Fauſt. c. 74. to. 6.
23. q. 1. cap. Paratus, in fine.

veſtrum

Secundus locus.
Matth. 8.
Ibid.
Infra 27.
Act. 10.

veſtrum. Hæc ille. Deinde producitur ex Matthæi Centurio militans ſub Romanis, cuius fides omnibus Iſraelitis præfertur: & alter ex eodem, qui admiratus Chriſti mortem, dixit: *Verè Filius Dei erat iſte.* Et alter Cornelius Centurio, religioſus, ac timens Deum cum omni domo ſua: cuius orationes, & eleemoſynæ, teſte Angelo, aſcenderunt in conſpectu Dei: Ergo licita eſt militia, quam illi propter fidem in Chriſtum non leguntur deſeruiſſe.

Tertius locus.
Matt. 22.
Aug. ibid.

Tertius eſt locus apud eundem Matth. *Reddite ergo*, inquit, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* In quæ Auguſtinus eodem loco contra Fauſtum rectè ſcribens, ait: *Sed quia Manichæi Ioannem apertè blaſphemare conſueuerint, ipſum Dominum Ieſum Chriſtum audiant, hoc ſtipendium iubentem reddi Cæſari, quod Ioannes dicit debere ſufficere militi. Reddite, inquit, Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ Dei ſunt.*

Tributa quare pendantur.
Matth. 8.

Ad hoc enim tributa præſtantur, vt propter bella neceſſario militi ſtipendium præbeatur. Meritò & illius Centurionis, dicentis: Et ego ſum homo ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites: Et dico huic: Vade, & vadit; & alij: Veni, & venit; & ſeruo meo, fac hoc, & facit, fidem laudauit; non illius militiæ deſertionem imperauit. Sic magnus ille Pater, egregiè ſanè, & peracutè alludens ad illud Pauli ad Romanos ſcribentis capite decimotertio: *Ideo enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes.*

Rom. 13.
Quartus locus ab exẽplis Sanctorum, qui militarem artem coluerunt.

Quartò innumera exiſtunt Sanctorum exempla, qui ſtrenuè, & ſanctè militarunt, non ſolum in veteri Teſtamento, vt Moyſes, Ioſue, Dauid, Iudas Machabæus, & fratres eius, ſed & in nouo, vt Sanctus Sebaſtianus, Georgius, Beatus Martinus, Ioannes, & Paulus, legio Thebæorum, Conſtantinus Imperator, Theodoſius, & Pontifices Romani pleriq́ue Principes Chriſtianos excitarunt ad bellum contra Turcas, Hæreticos, & Schiſmaticos inferendum.

Quintus locus ab ordinibus Eccleſiæ militaribus.

Quintò, confirmatur belli iuſtitia ex tot Religionibus diuerſo tempore inſtitutis, & ab Eccleſia probatis ad militandum: vt equitum Sancti Ioannis Rhodienſis, Sancti Iacobi de Spata, Alcantaræ, Calatrauæ, Sancti Stephani, & Velleris Aurei, Sancti Lazari, atque aliarum Religionum militantium, quas referre longum eſſet.

Sextus ab autoritate ſanctorum Patrũ.
Ambr. ſer. 7. init. tom. 3. in fine.
Matt. 22.
Militare quatenus peccatum ſit ſecundum Ambr.

Sextò accedunt quam plurimæ Patrum antiquorum ſententiæ, quæ bello iuſto gerendo fauent. In primis Ambroſius ſermone ſeptimo de eo quod ſcriptum eſt: *Reddite quæ Dei ſunt Deo, &c. Non enim militare delictum eſt,* inquit, *ſed propter prædam militare, delictum eſt. Nec Rempublicam gerere criminoſum eſt, ſed ideo gerere Rempublicam, vt rem familiarem potius augeas, videtur eſſe damnabile.*

Cur ſint ſtipendia militantibus inſtituta eodem authore.
Luc. 3.
Matt. 22.

Propterea enim prouidentia quadam militantibus ſunt ſtipendia conſtituta, ne dum ſumptus quæritur, præda graſſetur. Hæc ille, producens poſtea teſtimonium Ioannis Baptiſtæ apud Lucam, & Domini apud Matthæum: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.*

Aug lib. 6. Quæſt. ſup. Ioſue. 9. 10. to. 4.
Ioſue. 8.

Denique totus illi ſermo hoc ipſum docet. Accedit deinde Auguſtinus, qui præter ſententias ſuperius dictas, etiam in libro Quæſtionum ſuper Ioſue ſic habet: *Quod Deus*, inquit, *iubet, loquens ad Ieſum* (id eſt, Ioſue) *vt conſtituat ſibi retrorſus inſidias, id eſt, inſidiantes bellatores ad inſidiandum hoſtibus: hinc admonemur non iniuſtè fieri ab his, qui iuſtum bellum gerunt, & nihil homo iuſtus præcipuè cogitare debeat in his rebus, niſi vt iuſtum bellum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt, non enim omnibus fas eſt. Cum autem iuſtum bellum ſuſceperit, vtrum apertè pugna, vtrum inſidijs vincat, nihil ad iuſtitiam intereſt.*

Quæ ſint bella iuſta.

Iuſta autem bella definiri ſolent, quæ vlciſcuntur iniurias, ſi qua gens, vel ciuitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quod per iniurias ablatum eſt. Sed etiam hoc genus belli ſine dubitatione iuſtum eſt quod Deus imperat, apud quem non eſt iniquitas, & nouit quid cuique fieri debeat. In quo bello ductor exercitus vel ipſe populus, non ipſe tam autor belli, quam miniſter iudicandus eſt.

Idem lib. 22. cont. Fauſt. c. 75. in tt. to. 6. 23 q. 1. quid culpatur.

Idem Auguſtinus libro contra Fauſtum Manichæum: *Intereſt enim,* inquit, *quibus cauſis, quibuſque autoribus homines gerenda bella ſuſcipiant: ordo tamen ille naturalis, mortalium paci accommodatus, hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli autoritas atque conſilium penes Principem ſit, exequendi autem iuſſa bellica miniſterium milites debeant paci, ſaluti q́ communi.*

Finis belli quis.

Bellum autem quod gerendum Deo autore ſuſcipitur, rectè ſuſcipi, dubitare fas non eſt: vel ad terendam, vel ad obterendam, vel ad ſubiugandam mortalium ſuperbiam, quando ne illud quidem quod humana cupiditate geritur, non ſolum incorruptibili Deo, ſed nec Sanctis eius obeſſe aliquid poteſt: quibus potius ad exercendam patientiam, & ad humiliandam animam, ferendamq́ paternam diſciplinam etiam prodeſſe inuenitur. Hæc ille, qui eo libro per multa ſequentia capita vſq; ad ſeptuageſimum nonum de eadem re diſſerit.

Idem epiſt. 5. prope init. tomo 2.

Idem Auguſtinus epiſtola ad Bonifacium Comitem: *Noli exiſtimare neminem Deo placere poſſe, qui in armis bellicis militat. In his erat Sanctus Dauid, cui Dominus tam magnum perhibuit teſtimonium. In his etiam plurimi illius temporis iuſti. In his erat & ille Centurio, qui Domino dixit: Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus, &c. In his erat & ille Cornelius, ad quem miſſus Angelus, dixit: Corneli, acceptæ ſunt*

eleemo-

Armanti ſe ad pugnam, quid cogitandum atque meditandum.

eleemoſynæ tuæ, & exauditæ ſunt orationes tuæ. Et reliqua. Hoc ergo primum cogita, quando armaris ad pugnam, quia virtus tua etiam ipſa corporalis donum Dei eſt. Sic enim cogitabis de dono Dei non facere contra Deum: fides enim quando promittitur, etiam hoſti ſeruanda eſt, contra quem bellum geritur, quanto magis amico pro quo pugnatur? Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas, vt liberet Deus à neceſſitate, & conſeruet in pace. Non enim pax quæritur, vt bellum excitetur: ſed bellum geritur, & pax acquiratur.

B. Greg. lib. 1. epiſt. 72. init. tom. 2.

Præterea Gregorius in epiſtola 72. ad Gennadium Exarchum Africæ: *Sicut excellentiam veſtram hoſtilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce lucere, ita oportet eam inimicis Eccleſiæ eius omni viuacitate mentis, & corporis obuiare, quatenus eius ex vtroq; triumpho magis ac magis eniteſcat opinio, cum & Forenſibus bellis vehementer obſiſtitis, & Eccleſiaſtica prælia ſicut bellatores Domini fortiter dimicatis.* Rurſus ad eundem ſcribit: *ſi non ex fidei merito, & Chriſtianæ religionis gratia, tanta excellentiæ veſtræ bellicorum actuum proſperitas eueniret, non ſummoperè miranda fuerat, cum ſciamus etiam hæc antiquis bellorum Ducibus fuiſſe conceſſa.*

Idem ibid. ep. 72. init.

B. Bern. ſerm. ad mil. Tem. cap. 4. ante med.

Ad hæc Bern. ſermone exhortatorio ad milites Templi inter alia ſubiungit: *Scacos, & aleas deteſtantur, abhorrent venationem, nec ludrica illa auium rapina (vt aſſolet) delectantur. Mimos, & magos, & fabulatores, ſcurrileſq; cantilenas, aut ludorum ſpectacula, tanquam vanitates, & inſanias falſas reſpuunt, & abominantur.* Lege reliqua quæ ſequuntur per totum caput.

Septimus locus.

Proponuntur argumenta, ac diluuntur eorũ, qui negant Chriſtianis licitũ bellum.

I. Argum. ex Scripturis.

Matth. 5.

Aug. lib. cont. Fauſt. ca. 76. init. to. 6.

Cum Dominus inquit: Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, &c. quo ſenſu id dixerit.

Septimò diſſoluenda ſunt argumenta, quæ in oppoſitum fiunt, & inprimis illa, quæ ex Scripturis proferunt. Ad illud enim: *Ego dico vobis non reſiſtere malo*, ita reſpondet Auguſtinus: *Si autem propterea putant non potuiſſe Deum bellum gerendum iubere, quia Dominus poſtea Ieſus Chriſtus: Ego, inquit, dico vobis, non reſiſtere aduerſus malum, ſed ſi quis te percuſſerit in maxillam tuam dexteram, præbe illi & aliam: intelligant hanc præparationem non eſſe in corpore, ſed in corde: ibi eſt enim ſanctum cubile virtutis, quæ in illis quoque antiquis iuſtis noſtris Patribus habitauit: ſed eam rerum diſpenſationem, ac diſtributionem temporum ordo poſcebat, vt prius appareret etiam ipſa bona terrena, quibus & humana regna, & ex hoſtibus victoriæ deputantur, propter quæ maxime ciuitas impiorum diffuſa per mundum, ſupplicare idolis & dæmonibus ſolet, nonniſi ad vnius Dei veri poteſtatem, atque arbitrium pertinere.* Et clarius in epiſtol. ad Marcellinum aſſerit hanc

Idem epiſt. 5. circ. med. to. 2.

eſſe illius verbi Euangelici intelligentiam: *Si quis*, inquit, *in te meliora fuerit perſecutus, & inferiora ei præbe, ne vindictæ potius, quam patientiæ ſtudens, contemnas æterna pro temporalibus, cum potius temporalia pro æternis contemnenda ſint, tanquam ſiniſtra pro dexteris.* Et libro de ſermone Domini in monte fatetur, Chriſtianum debere eſſe paratum animo, vt dexteram ferienti maxillam, præbere velit & ſiniſtram. Nec dixit Chriſtus: Si quis te percuſſerit, noli tu percutere, ſed, para te adhuc percutienti: vnde nec Paulus percuſſus ſubito obtulit alteram malam percutiendam.

Idem lib. 1. de ſer. Domini in mont. c. 33. & 34. to. 10.

Act. 23.

II. Argum.

Matt. 26.

Hieron to. 1.

Pſal 44.

Deinde arguunt ex illo verbo Domini: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et Hieronymus epiſtola ad Geronriam, *Illo tempore bellatoribus dicebatur: Accingere gladio ſuper femur tuum potentiſſime: modo audiat Petrus: Conde gladium tuum in vaginam, qui enim gladio percutit, gladio morietur.* Hæc ille. Reſpondemus, mutuò hæc minime pugnare, licitum eſſe bellum, & non licere gladium accipere, ſaltem ad mentem Chriſti: quia ille dicitur gladium accipere, teſte Auguſtino, qui nulla ſuperiori, ac legitima poteſtate, vel iubente, vel concedente in ſanguinem alicuius armatur. Sic ille exponit, atque beatus Thomas: & Origenes in Matthæum illa verba exponens, ait: *Si cum odientibus pacem debemus eſſe pacifici, aduerſus neminem gladio vti debemus.*

Gladium quis dicitur accipere ſecundum Auguſtin.

Aug. contr. Fauſt. li. 22. c. 70. tom. 6.

B. Thom. Secund. Sec. q. 40. art. 1.

Orig. tract. 35 in Matt. ante med. tom. 2.

III. Argum.

Rom. 12.

Tertio producitur Apoſtoli verbum: *Non voſmetipſos defendentes, chariſſimi, ſed date locum iræ.* Sed iuxta Græcam literam apertius dicitur vindicantes ἐκδικοῦντες: potius ergo propriam vindictam, quam defenſionem, prohibet. Et licet legamus defendentes, non vult tamen Paulus, vt noſtra membra tueri non poſſimus, quod iuri naturæ aduerſatur, ſed quod animi præparatione prompti ſimus ad non propulſandam iniuriam, ſi cauſa gloriæ Dei ita exigat, nec optemus ſtudio in proximum, & maleuolo animo vindictam, licet tamen amore iuſtitiæ, & zelo gloriæ Dei vlciſci iniuriam vt improbi reprimantur, aut puniantur.

Quo ſenſu prohibet Apoſtolus nos metipſos defendamus.

Iniuriæ ſint quatenus vindicandę.

IV. Argum.

Quartò obijcit Eraſmus orationibus, & precibus tantum pugnandum eſſe. Fatemur iuſto bellatori illas eſt neceſſarias: ſed poſthæc ſi neceſſitas vrgeat, capienda ſunt arma, & ineunda pugna. Quia non tantum Moyſe in monte orante, & manus eleuante, ſed etiam Ioſue pugnante, & manus conſerente, diſſipatus eſt Amalechitarum exercitus. Ex Patribus vero prōducũt

Exod. 17.

Qui patres Chriſtiani negant eſſe belligerandum, quo ſenſu id negent.

primò

Tertull. lib. 3. in Marcion. paulo poſt med.

Idem.

2. Tim. 2.

primo Tertullianum, qui libro aduerſus Marcionem de vitandis à Chriſtiano bellorum tumultibus, quibus multi inſaniunt philoſophatur, & in ſpiritus malignos nos vult armari. Et libro de corona militis poſt medium ſcribit: *Licebit in gladio conuerſari, Domino prænuntiante gladio periturum qui gladio fuerit vſus? Et prælio operabitur filius pacis, cui nec litigare conueniet?* Sed hæc ille dixit ob abuſus, & peccata militantium, non quod bellum in ſe ſentiat illicitum, vel non eſſe bellandum, intelligit affectu dominandi. Nos igitur ita bellum tuemur, vt vitia militum non probemus, vt prædas, ſtupra, ſacrilegia, calumnias, concuſſiones, aleas, & turpes ludos, linguam periurij, & turpiloquij auidam, & ſimilia: nam hęc hominum ſunt, & militantium vitia, non ipſius artis bellicæ, quæ ſine iſtis geri debet, & à pleriſque præſtita eſt. Quamobrem magnopere debet princeps, & autor belli inferendi curare, vt ſtipendium militibus præfixum ſuo tempore reddatur, & vt vigeat diſciplina militaris eorum vindicans vitia: nam alioqui ſi negligentior ſit, multa illorum peccata illi imputabuntur. Profertur deinde Origenes in Matthæum, qui ſermonem Chriſti de gladio emendo peſtiferum eſſe pronuntiat, ſi ad literam accipiatur. Sed intellige, his, qui arbitrantur Chriſtum eo dicto præcepiſſe Apoſtolis ſuis, vt ſe ipſos in prælium armarent, cum id viros arcem totius perfectionis tenentes minime deceret, ſed tantum id imperfectis ſit permiſſum. Tertio profertur Ambroſius, qui in Lucam ait: *O Domine, cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi? niſi forte vt ſit parata defenſio, non vltio neceſſaria, & videar potuiſſe vindicare, ſed noluiſſe? Lex tamen referire non vetat, & ideo fortaſſe Petro duos gladios offerenti, ſat eſt, dicit, quaſi licuerit vſque ad Euangelium, vt ſit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur, ſed non iniquus Dominus, qui cum ſe poſſet vlciſci, maluit immolari.* Hæc Ambroſius, qui non ſentit omnibus qui profitentur Euangelium, illicitum eſſe bellum, ſed viris illis, qui ſecundum communem legem diuino ſeſe cultui totos addixerunt, & eminentiorem virtutis perfectionem profitentur in conſiliorum obſeruatione poſitam. Et locus ille Lucæ de gladio emendo, teſte Theophylacto, Baſilio, & Origene, intelligi valet de fortiter tolerandis quibuslibet aduerſitatibus, ſiue cum Ambroſio vtriuſque Teſtamenti doctrinam per duos gladios intelligas, ſiue cum Bernardo, & Ioanne XXII. in extrauaganti quadam de materiali & ſpirituali gladio. Multi tamen alij Patres ſunt, qui ad literam interpretantur de gladio tantum corporeo. Hinc Auguſtinus contra Fauſtum oſtendit, Deum quædam olim in veteri lege præcepiſſe, quæ in nouo Teſtamento mutauit, ſicut in nouo quædam in principio inſtituit, quæ in fine vitæ ſuſtulit, vt præceptum de ſacculo, & pera, & gladio non geſtandis. Et ſubiungit: Hinc & Petrus armatus inuentus eſt, cum autem perſecutoris abſcidit, vbi ſpontanea eius coercetur audacia: quia non vt iuſſus fuerat ferrum tollere, ita iuſſus fuerat & ferire. Latebat certe Domini voluntas, cur arma portare præcepiſſet, quibus eos vti noluiſſet. Verum tamen ad illum cum ratione præcipere, ad illos autem ſine retractatione præcepta facere pertinebat. Quarto affertur Chryſoſtomus, qui in verba illa Lucæ: *Vendat tunicam ſuam, & emat gladium*, in homilia illa poſtrema Epiſtolæ ad Romanos ſcribens, ait: *Armat ne Diſcipulos, qui dicit: Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, obuerte ei & alteram? Qui præcepit vt benedicamus his qui nos conuitijs laceſſunt, feramus inuadentes, oremus pro perſequentibus, nunc armat? armatque vno tantum gladio? Et quomodo hæc rationi conſona ſunt? Nam ſi omnino armis opus erat, non ſolo gladio, ſed & ſcuto; & galea, & cruralibus armare oportebat. Et profectò ſi humano more hæc diſpenſare, & agere voluiſſet, ridiculum erat hoc præceptum. Quandoquidem licet ſexcenta id genus arma poſſediſſent, aduerſus inſidias, & impetus populorum, tyrannorum, ciuitatum, gentium; quomodo potentiores habiti fuiſſent vndecim? Non potuiſſent præ timore ſpectare faciem exercituum, & audire vocem hinnientium equorum, viri nonniſi in ſtagnis, & fluminibus, & lembis verſati. Quare ergo hoc dicit? Iudæorum inſidias indicare volebat, idque manifeſtè, & non per ænigmata, ne iterum ſecum confunderentur.* Hæc ille. Sed vt ipſe poſtea in eadem homilia exponit, his verbis tantùm docet non decuiſſe Apoſtolos in Euangelicæ perfectionis vertice conſiſtentes arma induere, & alieno ſanguine conſpergi. Vltimò producitur Seuerus Sulpitius, qui qui in vita Beati Martini inducit eum recuſantem Cæſaris donatiuum, quod militibus erogari ſolebat, dicens: *O Cæſar, militaui tibi, nunc patere vt militem Deo: donatiuum tuum pugnaturus accipiat. Chriſti ego miles ſum, pugnare mihi non licet.* Sed pius, & ſanctus Martinus pugnare ſe ſub Imperatore impio, & Apoſtata, impium putabat: quia Iulianus deſerta Chriſti religione, ad Paganiſmum defecerat. Et hactenus de priori quæſtione ſit dictum.

Bellum quatenus probemus.

Belli autor princeps quid curare habeat.

Orig. tract. 7. in Matt. multo poſt med. tom. 2.

Luc. 22.

Ambr lib. 10. in Luc. c. 9. 10. 5.

Luc. 22.

Quibus minime bellum licitum eſſe velit Ambr.

Theophyl. in Luc. 22.

Baſil. in Reg. Breu. Reſp. 251.

Orig. tract. in Matt. poſt med. tom. 2.

Gladij duo apud Lucam teſte Ambr. quid ſignificent, & & quid ſecundum Bern.

B. Bern. lib. 4. de Conſ. ante med.

Ioan. 22.

Aug. libr. 22. contr. Fauſt. c. 77. 80 6.

Multa Deus olim in veteri lege præcepit quæ in nouo Teſt. mutauit, teſte Aug.

Chryſ. to. 4.

Luc. 22.

Matt. 5.

Ibid.

Seu. Sulpit. in vita B. Martin c. 4. ante med.

Strenuus ac fortis Chriſti miles Martinus cur ſub impio Iuliano militiam recuſauerit.

Ad

An Clericis liceat armis, & gladio vti, & propria manu ſe defendere.

Ad poſteriorem quæſtionem breuiùs eſt dicendum, Clericos, ſiue Eccleſiaſticos non decere vſum gladij, aut armorum, etiam pro ſua ipſorum, vel Eccleſiarum ſuarum defenſione, quamuis liceat gladijs aliorum manibus geſtatis, & ſeipſos, & Eccleſias ſuas defendere: vt egregiè docet Beatus Thomas in Secunda Secundæ. Intelligo autem non poſſe vti armis offenſiuis, vt gladio, haſta, & ſimilibus: ſecus de armis defenſiuis, quod ſemper omnibus licuit Sacerdotibus. Hoc autem non malè, & improbabiliter colligitur ex his verbis Domini: *Mitte gladium tuum in vaginam:* quod, vt exponit Bernardus ad Eugenium, inſinuat gladium corporeum Petri eſſe, ſed aliorum tamen manu exerendum. Hoc etiam exemplis Sanctorum, & rationi conſonum eſſe demonſtratur. Et in primis Ambroſius Oratione de baſilicis tradendis, & habetur in epiſtola eius trigeſima ſecunda in initio: *Dolere potero*, inquit, *potero flere, potero gemere: aduerſus arma, milites, Gotthos quoque lachrymæ meæ arma ſunt. Talia enim munimenta ſunt Sacerdotis: aliter nec debeo: nec poſſum reſiſtere.* Hæc ille. Ex cuius verbis natum eſt commune prouerbium: Arma Sacerdotum, lachrymæ, & orationes; ſine quibus Sacerdos verè eſt inermis. Deinde Gregorius, epiſtola ad Sabinianum: *Peruenit verò ad me, quia tranſmiſit neſcio quem Clericum, qui diceret quia Malchus Epiſcopus in cuſtodia pro ſolidis occiſus ſit. De qua re vnum eſt quòd breuiter ſuggeras ſereniſſimis dominis noſtris, quia ſi ego ſeruus eorum in morte Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in ſumma confuſione eſſet diuiſa. Sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miſcere formido.* Prætereà Procopius Gazæus in caput XXXIV. Geneſis. *Si venerit alicui fideli, vt ſeduceretur peruerſa religione, vbi deſeruiſſet domum Dei, non decet nos occidere illos qui deceperunt, etiamſi fuerimus Sacerdotes, vt Leui, vel ſubditi; vt Simeon. Hoc enim nomen ſi exponas, ſignificat obedientiam. Meminiſſe etiam nos oportet eius qui dixit ad Petrum: Conuerte gladium tuum, &c.* Adhæc habetur in Titulo de Clericis pugnantibus in duello; *Clerici non debent pugnare contra inimicos fidei. Si ſecus fecerint, & quempiam interfecerint, & habeant remorſum conſcientiæ, abſtineant ab altaris miniſterio.* Prætereà Beatus Thomas in illa Matthæi verba: *Ego dico vobis, non reſiſtere malo*, docet, Clericos, & Sacerdotes poſſe, ac debere fuga ſe defendere, non autem armis offenſiuis: quia fugere, clerico non eſt dedecus, & vſus armorum non eſt illi honorificus, ſicut & laico aut militi, qui proptereà, ſi vt ignominiam euadat fugæ, ſe armis tueatur, nihil facit vitioſum: quanquam conſultius eſſet, & perfectius etiam laicos ſe per fugam ſubtrahere. Verba Thomæ in prædicto loco ſunt: *Quæritur autem vtrum, non reſiſtere malo, ſit præceptum, vel conſilium? Reſponſio. Iniuria, quam appellat hic malum, aut eſt particularis, & priuata, aut publica. Si publica, tunc repelli debet iuſſu Principis. Roman. decimo tertio. Dei miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malè agit. Item Auguſtinus: Fortitudo quæ à barbaris defendit patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena iuſtitia eſt. Et ſic præceptum eſt ſubditis, non ſolùm Principibus. Vel poteſt eſſe iniuria particularis, & tunc iniuria repelli poteſt tripliciter: vel impediendo, ſicut Paulus, qui per milites impediuit iniurias Iudæorum; vel arguendo, ſicut Dominus fecit danti ei alapam, Ioannis decimo octauo. Et ſic licet omnibus, tam perfectis, quam imperfectis. Vel repellitur cogente neceſſitate, ſicut quando non poteſt vitari læſio, nec per fugam, nec per aliud impedimentum: Et tunc aut repellitur ſine armis, & hoc modo permittitur clericis, & laicis; aut cum armis, & ſic non licet clericis, etſi laicis fortè liceat flagrante maleficio cum moderamine inculpatæ tutelæ: vt dicit lex. Et ſic eſt in præcepto clericis, laicis autem in conſilio. Aut repellitur animo vlciſcendi, ſiue vindictæ libidine, & ſic omnibus eſt prohibitum, & præceptum.* Hæc ille. Prætereà cùm nemo, vt ait Apoſtolus, militans Deo implicare ſe debeat, negotijs ſecularibus; vt ei placeat, cui ſe probauit: cùm Sacerdos deputatus ſit altaris miniſterio, & precationi, non decent illum bellica negotia & armorum vſus. Deinde vt docet Thomas, omnes clerici & Eccleſiaſtici ordinantur ad altaris miniſterium, in quo effuſio ſanguinis Chriſti pro nobis ſponte facta celebratur: ideò miniſtri eius debent potius eſſe parati ad effundendum ſanguinem proprium, quàm alienum. Vnde vel Dauid ob nimiam ſanguinis effuſionem reiectus eſt per Prophetam à templo ædificando: *Multum*, inquit, *ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine coram me. Filius qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus, &c.* Adhæc rectè inſtitutum eſt, vt effundentes ſanguinem voluntariè etiam ſine peccato, ſint irregulares, & arceantur ab altaris miniſterio. Rectè ergo interdictus eſt vſus armorum clericis. Prætereà bellum reddit homines alienos à miſericordia, & pietate, vt rectè dictum ſit à quodam Poeta.

Nulla fides, pietasq́; viris, qui caſtra ſequuntur.

B. Thomas Secund. Sec. q. 40. art. 4. to. 11. p. 2.

Bern. lib. 4. Conſider. ante med.

Ambr. to. 3. circa finem.

Arma Sacerdotum lachrymæ & orationes ſecundùm Ambroſium.

Greg. li. 7. Regiſt. epiſt. 1. tom. 2.

Procopius Gazæus.

Simeon quid.

Cap. 1. & 2.

B. Thom. in Matth. cap. 5. tom. 14.

Vtrum non reſiſtere malo, ſit præceptū, vel conſilium.

Auguſt.

Iniuria priuata ſecundùm Thomam poteſt repelli tripliciter.

Act. 23. & ſæpè infra.

2. Tim. 2.

B. Thomas vbi ſupra.

1. Paral. 22.

Sanguinarij ab altaris miniſterio repelluntur lege canonica.

Bellum quales homines reddat.

Lucan. li. 9.

Sacerdotes quales debeāt eſſe.

At Sacerdotes debent eſſe miſericordes, & proni ad manſuetudinem, & leuitatem; ac propterea multum macularetur dignitas Sacerdotalis, & bellicis vitijs deformaretur. Denique Eccleſia Catholica

Hæreticos obſtinatos Eccleſia per quos punire conſueuerit.

eos, quos in hæreſi obſtinatos, aut relapſos deprehendit, tradere ſolet brachio ſeculari puniendos, hoc ipſo oſtendens ſe armorum vſum non habere ad infligendam alicui mortem. Quòd ſi obijcias exemplum Sacerdotum veteris Teſtamenti, in quo Sacerdotes pugnabant, & non tantùm claſſicum canebant: vnde laudatur Phinees vſus gladio contra coëuntem Hebræum cum Madianitide, & Samuel, qui Agag Regem Amalec proprijs manibus diſſecuit, & Principes Macchabæi, qui Sacerdotes erant, & per ſeipſos bellabant; Dicendum eſt illud ſacerdotium magis fuiſſe temporale, quàm ſpirituale, & ad victimas, & incenſum, & ſimilia offerenda inſtitutum: ideò carnis generatione propagabatur. Secus in nouo Teſtamento, vbi ſacerdotium purè ſpirituale eſt, ſacrificio, & precibus, & verbi, & Sacramentorum miniſterio deputatum; cui propterea repugnat ars bellica, & vſus armorum. Poſſunt tamen Prælati, & Sacerdotes ex obedientia ſuorum ſuperiorum bellis intereſſe, non vt propria manu pugnent, ſed vt iuſtè pugnantibus ſpiritualiter adſint, illiſque ſuis precibus, & ſacrificijs, atque exhortationibus ſubueniant, infirmorumq́; atque vulneratorum curam habeant, ac de medicinis, tùm corporalibus, tum ſpiritualibus proſpiciant; morientibus verò aſſiſtant, quò Sacramentis muniti, Chriſtiano more decedant. Nec obſtat dictum commune: *Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur*; at Pontifices, & Sacerdotes poſſunt præcipere, aut ſuadere bellum in Infideles, vel Hereticos, vel alios hoſtes Eccleſiæ. Reſpondemus enim, bellum, ſiue defendendi ſeipſum, ſiue vindicandi animo illatam iniuriam ſuſceptum, non eſſe rem per ſe malam, ac proinde Sacerdotes poſſunt ad illam exhortari; ſiue autem redditur illicita ratione ſtatus; & propterea etſi poſſint ad bellum hortari, & ipſi non poſſint bellare, non tamen ob id vllo modo peccant. Hanc tamen ſententiam, quæ omnino Eccleſiaſticos arcet à re bellica, & ꝓpria per ſeipſos armis pugnandi defenſione priuat, moderationem quandam accipit à Caietano, qui ita in prædictum locum Diui Thomæ philoſophatur: *Ad hoc dicitur, quòd articulus neceſſitatis dupliciter contingere poteſt in bello. Primò ſcilicet defenſiuè: vt ſcilicet niſi clerici aliqui pugnent, ciuitas, vel exercitus euertitur ab hoſte. Secundò ratione victoriæ: quia ſcilicet niſi clerici aliqui pugnent, non habetur victoria tunc parata. In primo caſu clerici non peccant pugnando manu propria: quia lex poſitiua, qua clerici arcentur ne pugnent manu propria, venit ad caſum, in quo ſi legiſlator adeſſet, diſpenſaret. Cum enim finis legis ſit commune bonum, & legis ſpiritualis bonum ſpirituale & bonum, commune temporale, & ſpirituale, quod iuſto bello defenſiuo ſeruatur, præſtet bono particulari alicuius, quo habilis eſt ad altaris miniſterium: conſequens eſt vt licitè clericus ſciens bene dirigere bombardas, alijs ad hoc non exiſtentibus, vel alio ſimili caſu manu propria ſaluet patriam, vel exercitum ſine tali auxilio pereuntem. Nec ſolùm videtur quod hoc poſſit Clericus, ſed etiam quòd ad hoc teneatur in tali articulo propter eandem rationem, præſertim ſi cum infidelibus agatur. Nec obſtat quòd fiant, & remaneant irregulares, quia irregularitas ſine peccato, & cum merito æternæ vitæ incurri poteſt. Propter quod ſicut laicus ad hoc tenetur, ſic & clericus in caſu quo lex quoad peccatum locum non habet: licet ſemper habeat locum quoad irregularitatem, quia irregularitas ſequitur factum. Nec obſtat dictis ratio literæ, ſcilicet nulli deputato ad aliquod officium, licet id per quod ſuo officio incongruus redditur: quoniam hoc eſt verum regulariter, ſecus autem eſt in ſingulari caſu. In ſecundo autem caſu non videtur communiter licitum. Et ratio diuerſitatis eſt: quia victoria eſt neceſſaria propter recuperationem rerum, vel punitionem, aut expulſionem hoſtium: quæ non ſunt neceſſaria, ſicut ſalus, quæ in primo caſu defenditur. Dixi autem communiter, quia ſi parta tunc victoria, eſſet pax vniuerſalis Eccleſiæ, aut fidei Chriſtianæ magna protectio, crederem Clericum licitè manu propria pugnando illam facere poſſe: Et hæc intelligo ſaluis alijs conditionibus iuſti belli: ſcilicet quòd Clerici publica autoritate hoc faciant, & conſtet de iuſtitia belli: quoniam in eis non habet locum obedientia excuſans.* Hactenus Caietanus, probabiliter ſanè loquens. Quamuis autem hæc probabiliter dicta ſint à Beato Thoma, ſolidius tamen mihi videtur cum alijs ſentire, non eſſe ſcilicet clerico interdictam ſui ipſius etiam armis defenſionem, modò agat cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec eo euentu vllam incurreret irregularitatem, vt tradit Pontifex in Clementina vnic. de Homicidio.

Ioſue 6.

Num. 25.

Veteris legis Sacerdotium & nouæ diſcrimen.

Clerici & Religioſi bello interſint licitè quando.

Illud in contrariam ſententiam: Qui per aliū facit, per ſeipſum facere videtur, quomodo verum ſit.

Caiet. in 2. 2. q. 40. a. 2.

Duplex articulus neceſſitatis, quo licita.

Finis legis bonum cōmune

Nō omnis irregularitas cum peccato coniuncta eſt.

Tempus igitur eſt, vt præſenti Tractatui finem imponam, ad has enim diſputationes, tùm ex verbis Chriſti malè intellectis, tùm ex quorundam Doctorum ſententijs impulſi fuimus. Precemur igitur Deum, vt pro ſua voluntate oculos cordiū noſtrorū aperiat, quò noſtros veros hoſtes, dæmones

nes, vitia, & peccata noſtra agnoſcamus, & vt vires ſuppeditet, quò egregij reddamur bellatores in illa dimicantes, vt victoriæ palmam aſſequamur meritis, & gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu ſancto ſemper viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

TRACTATVS XVIII.

De reprehenſione ad turbas ad ſe comprehendendum venientes, & captura Chriſti, fuga Apoſtolorũ, & adoleſcentis cuiuſdam ſequela. Matthæi. 26. Marc. 14. Lucæ. 22. & Ioan. 18.

Inter generales, & priuatas reprehenſiones quid interſit.

INTER generales & particulares reprehenſiones hoc intereſt, quòd particularis minus ſolet acceptari, quòd ſuperba hominis natura propenſior ſit ad inferẽdam, quàm ad ſuſcipiendam reprehenſionem; ac proindè minus ſolet eſſe fructuoſa, vt fuit illa Iudæ, & Apoſtolorum dormientiũ: quia Iudas proſecutus eſt malam ſuam deſignatam voluntatem, & Apoſtoli de ſomno reprehenſi non potuerunt illi reſiſtere, nec eius cauſæ, id eſt, mœrori. At generalis reprehenſio magis ſolet tolerari, & in nonnullis interdum fructum edit: quemadmodum frumenti granum ſeminatum, etſi in aliqua terræ parte perierit, in parte tamen alia bonum fructum protulit.

Simile. *Matth. 13.*

Ita Chriſtus poſtquam facto duro illos proſternendi in terram correxit, modò blandis; & ſalubribus verbis adhibet correptionem, dicens: *Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehendere me?* &c.

Cur Dominus eos monuerit, quibus nouerat admonitionem nihil pro futuram.

Meritò poſſet hic aliquis percontari: Cùm Filius Dei, vtpote omnium præſcius futurorum, eos voluerit corrigere, qui correptionem non erant ſuſcepturi, ſed irruituri in illum veluti lupi in agnum capiendum ac deuorandum, & qui nouerat correctionẽ ſuam non profuturam, debebat ab ea impendẽda ſalubriter abſtinere. Reſpondemus, Dominum Chriſtum prænouiſſe non ſolùm quæ tunc agerentur, ſed etiam quæ poſt ei' à mortuis reſurrectionem euẽntura erant. Et idcircò quia tunc nonnulli Apoſtolorum prædicatione erant emolliendi, & ad fidem Ieſu trahendi, voluit benignam hanc correctionem adhibere, ne Iudæi, vel Gentiles ad comprehendendum miſſi ob tam immane flagitium admiſſum de venia deſperarent: cęterùm vbi memores eſſent horum verborum, concipere poſſent ſpem miſericordiæ Dei, & remiſſionis peccatorum.

Concionatoribus cur nũquam eſt intermittenda correctio.

Et ita docentur prædicatores; & omnes illi, quibus ex officio incumbit corrigere, vt non propterea correctionis fraternæ officium intermittant, etiam ſi agnoſcant minus eo tempore profuturam: nam inſidebit cordi illorum correctio, vt fructum proferat ſuum in tempore.

Simile.

Nam ſicut ille qui ſeminat, tempus meſſis expectat, vt fructum colligat; ita & nos ſiue corrigentes, ſiue correcti, correctionem adhibere, & ſuſcipere docemur, ſpem concipientes quòd & in nobis, & in alijs fructum ſit editura ſuo tempore. Quantum ad illos verò qui non ſuſceperunt correctionem, nec tunc, nec poſteà, deſeruit hæc correctio, vt Deus ipſe iuſtificetur, qui omnes peccantes reprehendit.

Iam verba expendamus. *In illa hora dixit Ieſus turbis.* In illa, inquit, hora, cùm reſtituit auriculam Malcho, & Petrum reprehendit, & poſteà oſtendit ſe promptum, & voluntarium ad mortem, & beneficiũ contulit hoſti Malcho, reponendo auriculam, vt audiret correptionem.

Quibus turbis hæc dixerit Ieſus.

Dixit ad turbas: non ad eas, quæ ſolebant eum prædicantem audire, ſed ad turbas militum, & Iudæorum venientium ad ſe capiendum, vt Lucas exponit: *Dixit Ieſus ad eos, qui venerant ad ſe, principes Sacerdotum, & magiſtratus templi, & Seniores.*

Caietan. in Luc. 22. c.

Quibus verbis Caietanus intelligit miniſtros Pontificum, & magiſtratus templi, & Seniorum; quia eos repræſentabant. Sed veriſimilius eſt partem illorum veniſſe, & reuera captioni Chriſti interfuiſſe: tùm vt intelligamus quantum ex parte ſua ſitirent Chriſti ſanguinem, & quòd non ſatis fiderent mittendo cohortem, & miniſtros ſuos, niſi ipſi in perſona venirent; & ne Iudas eorum fidem falleret,

Ioan. 7.

imò audacior fieret ipſorum autoritate ſuffultus, pactamque pecuniam ei ſtatim redderent; & denique vt diligentiores, ac promptiores eſſent ad capturam præſentibus dominis, quàm olim miſſi miniſtri; & vt ſi quis ex plebe vellet pro Domino ſtare, vilis poteſtatibus vel timeret, vel erubeſceret.

Euthym. in Matt. c. 64.

Atque hæc ſententia placet Euthymio dicenti: *Apparet ergo quòd Iudas quidem ſumpta coborte, & à Pontificibus & Phariſæis miniſtris praceſſerit. Secuti ſunt autem eum quidam etiam ſummi Sacerdotes, ac Magiſtratus templi, & Seniores, quos nunc Lucas ſignificauit: ſimul quidem vt eos, ne muneribus allicerentur.* Hæc ille. Nec tantum ex parte Iudæorum, ſed etiam ex parte Chriſti conſultum fuit, vt illi doctiores, & oculatiores teſtes fierent potentiæ, & diuinitatis Chriſti, antequam ca-

Sacerdotum munus apud Iudæos.

Ioan. 1.
Magiſtratus templi quid curarent, quid verò Seniores

Iudæorum ad Chriſtum comprehendendũ cum gladijs, & fuſtibus exeuntium, inſignis ſtultia & impietas.

Hieron. in Mat. 26. to. 9.

Ioan. 7.

Latronis officium.

Ioan. 18.

Lyranus.

Iudæi quales latrones.
Matth. 21.

Cur nunquã antea Ieſum capere voluerint impij Iudæi.

Ierem. 11.
Chriſti mentis animiq; conſtantia.

Tempus noſtrum, dies & hora, quænam ſint.

Ioan. 7.
Luc. 19.

Ioan. 21.

peteretur. Sacerdotum planè munus erat curare Biblia & ſacrificia; non opprimere iuſtum promiſſum in ſacris Biblijs, & Agnum Dei tollentem peccata mundi. Magiſtratus templi erat, quæ ad conſtructionem templi pertinebant proſpicere; non templi Dominum perdere. Seniorum erat ius dicere, & in fauorem innocentium ſtare; non ius ipſum inuertere, & iuſtitiam ipſam pecunia redimere.

Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis, & fuſtibus comprehēdere me. Quidam hoc legunt per interrogationem; alij verò melius per affirmationem. Quid rectè explicans Hieronymus ait: *Stultum eſt eum cum gladiis & fuſtibus quærere, qui vltro ſe tradit veſtris manibus, & in nocte quaſi latitantem, & à veſtris oculis declinantem, per proditorem inueſtigare, qui quotidie in templo doceat. Sed ideò aduerſum me in tenebris congregamini, quia poteſtas veſtra in tenebris eſt.* Hactenus ille. Oſtendit ergo eis quòd non ſua virtute apprehēderint eum, ſed ſicut olim non potuerunt apprehendere in templo, ita neque tunc, niſi ipſe voluiſſet. Latronis, inquit, officium eſt nocere & latitare; ego verò ſemper docui, doctrináque, ac miraculorum beneficentia vtilis fui, & in apertò Dei templo verſatus ſum; & in occulto locutus ſum nihil. Quotidiè, inquit, apud vos fui, id eſt, frequenter, vt ait Lyra, qui nunquam latui, nec nocui, ſed apertè benefeci ſemper: vt latro à latronibus capior miſſis ab illis latronibus, de quibus: *Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum:* & inter duos latrones pro latronibus, id eſt, filijs Adæ latronis crucifigendus comprehendor.

Quotidie apud vos ſedebam docens in templo & non me tenuiſtis. Id eſt, Nec quiſquam in me manum miſit, cum eadem, quæ nunc eſt vobis, ineſſet mala voluntas capiendi & occidendi me: ſed obſtitit mea voluntas, cui nemo vnquam poteſt obſiſtere. Propterea ne nunc quidem me intempeſta nocte orantem in ſeceſſu hoc tenere poſſetis, niſi & ego teneri vellem, & me vt agnum manſuetum offerrem ad victimam; vt vobis conſtare poſſit, me hæc omnia libenter perpeti velle. Et aſſerit quòd ſedebat docens in templo, vt appareat eius ſedata, & quieta mens. Verba ſequentia ſolus addit Lucas: *Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Eſt hora veſtra, & dies noſter, & tempus noſtrũ in Scripturis. Nam de tempore dicitur: *Tempus autem veſtrum ſemper eſt paratũ.* Et de die: *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi.* Et rurſus: *Ducunt in bonis dies ſuos:* ita etiam hora noſtra, in qua poſſumus libero noſtro arbitrio abuti, & opera noſtra implere, ac patere noſtras cogitationes, quas ante concepimus. Precandus eſt Dominus ne nos dimittat in horam noſtram, id eſt, in qua tutò peccare poſſimus: quia nihil infelicius felicitate peccantium. Et monet hæc hora, piorum afflictiones ad horam tantùm durare, ſecundum illud: *Id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, &c.* Et innuit, pijs nihil poſſe contingere, niſi quantum, & quando, & quomodo Deus voluerit. Deindè occultè deſignat futurorum iudicium, & horam ſuam, diem, ac tempus, de quo ait per Prophetam: *Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo,* & rurſus, *Dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.* Quaſi diceret; Hæc eſt hora veſtra peccandi: veniet & hora mea, qua requiretur omnis veſtra malitia: *Et poteſtas tenebrarum.* Hoc eſt, dæmonum, qui ſunt principes tenebrarum harum, vt ait Apoſtolus, & in perpetuis tenebris cęcitatis, & inferni degunt, & hominum mentibus offundunt tenebras, quòd vitiorum, peccatorúmque tenebras diligant, & ita homines ducant in tenebras exteriores, ignorato Sole iuſtitiæ, & intelligentiæ Chriſto. Nam permiſit Dominus vt dæmones incitarent Iudæos etiam Sacerdotes, & Seniores, quos ſub prætextu religionis & gloriæ Dei: atque adeò totius Reipublicę boni mitiſſimum agnum Filium Dei morte crucis interemerunt: ideò vt filij noctis, & tenebrarum media nocte venerunt ad capiendum Chriſtum. Quidam etiam exiſtimant corporibus indutos dæmones adfuiſſe: ſed ſatis eſt illos in corporibus capientium ac diligentium magis tenebras, quàm lucem, operatos fuiſſe, quò vrgerent ſupplicium crucis.

Subdit Matthæus: *Hoc autem totum factum eſt, vt adimplerētur Scripturæ Prophetarum.* Ter Matthæus admonuit de implendis Scripturis; vt intelligerent Sacerdotes, & Seniores qui aderant, & ſe zelatores Scripturarum iactabant, miniſtros eſſe mortis Chriſti, quam & Meſſiæ irrogandam Scripturæ apertiſſimè tradunt. Hæc autem, ſcil. de deliberatione infligendæ mortis, de venditione proditoria, & captura Domini, figurata ſunt in conſilio fratrum Ioſeph, quando dicebant: *Ecce ſomniator,* & vendiderunt eum Iſmaelitis; & in conſilio habito ab optimatibus de occidendo Naboth ex iuſſu Iezabel, quò illi vineam eriperent, paternam ſcil. hæreditatem; & in conſilio habito in domo Aman, quò Mardochæus ad ſuſpendium raperetur, denique in conſilio presbyterorũ contra Suſannam inito, quò illam neci lapidum darent. Prophetarum

Nihil infelicius felicitate peccantium.

2. Cor. 4.

Piorum afflictionis quam momentaneæ ſint.

Pſal. 74.
1. Theſ. 5.
Quænam poteſtas tenebrarum, & cur ita nominetur.

Ephеſ. 6.

Ioan. 3.

Cur Matthæus de implendis Scripturis ter meminerit.

Conſilium Iudæorum de necando Domino vbi præfiguratum om... ac delineatũ.

Gen. 37.

3. Reg. 21.

Eſther 9.

Dan. 15.

Gen. 49.

etiam fuit à Iacob: *Simeon, & Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea*; & Dauid: *Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.*

Pſal. 2.
Vbi etiam delineata fuerit Chriſti venditio.

Venditio verò delineata fuit in venditione Ioſeph facta Iſmaelitis à fratribus, & in Deuteronomio, vbi dicitur: *Si deprehenſus fuerit homo ſolicitans fratrem ſuum de filiis Iſrael, & vendito eo acceperit pretium; interficietur.*

Gen. 37.
Deut. 24.
Iudas proditor cuius præuaricator legis diuinæ.
Zach. 11.
Matt. 27.
Amos. 2.

Videtur deſcribere Iudam, qui non modo fratrem, ſed Dominum, ac magiſtrum vendidit, & apud Zachariam: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis*, de quo loco fuſius infrà, cùm ab Euangeliſta citabitur. Deinde Amos propheta ſic habet: *Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non conuertam eum, pro eo quòd vendiderit pro argento iuſtum*, ita enim in emendatis codicibus legitur Zadius; id eſt, iuſtus, non Zedius, id eſt, iuſtitiam, vt recentes, ac nouelli Iudæi corruperunt; nec pro venditione iuſtitiæ; etiamſi graue alioqui ſit ſupplicium, tam ſeuerè eſſent puniti, & abſque vlla remiſſione Iudæi.

Zadius Hebræis vel Zedeus quid.
Locus Scripturæ à Iudæis corruptus.

Targum Hieroſolymitanũ.
Cæſar Adrianus decẽ ex Iudæis viros eruditos, eò quòd Ieſum ipſorum fratrẽ vendiderint, grauibus ſupplicijs affeciſſe fertur.

Et in Targum Ieroſolymitano ſcribitur, quòd in principio huius captiuitatis, Adrianus Cæſar decem ex Iudæis viros egregios, & eruditos (quorum nomina erant, Rabbi Iſmael, Rabbi Simeon, Rabbi Kiba, Rabbi Hanina, Rabbi Suſpit, Rabbi Eleazar, Rabbi Iudas, Rabbi Iſtebab, Rabbi Iudas alter, & alter tertius Iudas) horribilibus cruciatibus interemerit, quia fratrem ſuum Ieſum vendiderunt: condemnans eos iuxta legem Deuteronomij paulò ante citatam. Et horum memoriam ſolennem Iudæi agunt Luna decima menſis Septembris; etſi fingant, iuſtum iſtum fratrem fuiſſe Ioſephi, & non Ieſum Mariæ filium, cùm certò ſciri poſſet, nullam non modò cogitationem, ſed neque curam fuiſſe Hadriano de Ioſeph, nec potuiſſe fratres ipſius Ioſeph, nec poſteros eorum per legem ipſorum conuincere, aut damnare pro venditione Ioſeph, cùm eo tempore necdum lex lata fuiſſet.

Rabbi Acadoſch.
Capturę Chriſti, vinculorũque eiuſdem vmbræ ac figuræ plures memorantur

Quam veritatem confitetur Rabbi Acadoſch in libro Galezazeia, petitione VIII. De captura verò Domini, & vinculis, habes in primis figuram Samſonis, qui ſponte ſe à Phyliſthæis & ligari, & capi permiſit; qui ſtatim vincula eorum dirupit. Et qui ſoluit quadriduanum Lazarum à vinculis mortis, & Petrum à ferreis carceris catenis, potuiſſet ſeipſum ſoluere, ſi voluiſſet.

Ioan. 11.
Act. 12.
1. *Reg.* 4.
4 *Reg.* 25.

Habes etiam arcæ captæ à Philiſtæis figuram, & Regem Sedechiam captum à Rege Nabuchodonoſor, & ligatum funibus cum populo Iſraelitico ductum in Babylonem. Habes Danielem captum, & coniectum in lacum Leonum: habes etiam prædictum fuiſſe: *Inimici mei animam meam circumdederunt: adipem ſuum concluſerunt*, (quia nullis monitis, vel miraculis viſis tetracti ſunt) *os eorum locutum eſt ſuperbiam. Projicientes me, nunc circumdederunt me: oculos ſuorum ſtatuerunt declinare in terram*; id eſt, ad terrenum, & temporale lucrum.

Dan. 14.
Pſal. 16.
Iudæi (iuxta Prophetam) quando declinauerunt oculos ſuos in terram.

Id enim ſpectabat Iudas, & quærebant Iudæi, cùm dicerent: *Venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem.* Ieremias quoque: *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris: cui diximus, In vmbra tua viuemus in Gentibus.* Denique ſicut ad recipiendum Verbum incarnatum, præceſſit ignorantia in lege naturæ, & impotentia in lege Moyſi; ita antequam Chriſtus comprehenderetur, præceſſit cæcitas, vt Chriſtum non agnoſcerent, & proſtratio in terram, ſignum apertum imbecillitatis eorum.

Ioan. 11.
Thren. 4.

Sequitur apud Ioannem: *Cohors autem, & tribunus, & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum: & adduxerunt eum ad Annam primum.* Quia Matthæus poſt oſculum à Iuda datum dixerat. *Tunc acceſſerunt & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum*: propterea hoc loco, poſtquam dixit: *Hoc autem totum factum eſt vt adimplerentur Scripturæ Prophetarum*, Subiungit: *Tunc diſcipuli omnes, relicto eo fugerunt.* Idem facit & Marcus, adiungens: *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo: & tenuerunt eum.* At ille relicta ſindone, nudus profugit ab eis. Poſt hæc verba ſubiungunt tres priores Euangeliſtæ: *At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caipham principem Sacerdotum, vbi Scribæ, & Seniores conuenerunt.* Iam vt hæc explicemus, & exordiamur à primis illis verbis Ioannis, hactenus Euangeliſta ſcripſit interiorem Chriſti paſſionem, quam ſponte in horto precando ſuſcepit: iam deſcribit exteriorem: & à Iudæis violenter inflictam, & à ſeipſo ſuſceptam non minus ſpontè quàm priorem.

Qualis furor Iudæorum iniicientium in Ieſum manus.

Sicut igitur ignis diu compreſſus, nec valens erumpere, & aqua diu retenta, nec valens elabi, ſi fortè detur exitus, vehementius erumpit: ita deſiderium capiendi Ieſum, quod habebant Iudæi, tot ſignis quaſi impediti compreſſi, vbi data fuit à Domino facultas, cum magno impetu foras prodijt. Irruunt ergo certatim vt lupi immanes in agnum manſuetum, irrumpunt ſcelerati latrones in paſtorem, in patrem degeneres ac ſpurij filij, in magiſtrum ingrati diſcipuli, inſurgunt in Deum peccatores, in medicum ægroti phreneſi debac-

chantes, in ducem milites, in patronum clientes, in lucem veram filij tenebrarum inſanientes. Ac perpende verbum, Iniecerunt: non enim vnus, aut duo, ſed cohors cum tribuno, & miniſtris, doctrina Chriſti reprehendentis eos prouocati, irritati proſtratione, qua ceciderant retrorſum, atque cæcitate, præſentia principum Sacerdotum excitati; nam in eorum gratiam, & eorum oculos ſatiare cupientes, primi quique eum aggredi, & ligare contendebant. Fuitque grauiſſima hæc iniuria Chriſto illata, tantaque percuſſio, vt Apoſtoli viſo Chriſto capto, ac ſic tractato; aufugerint: quia ſcriptum eſt: *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues.* Comprehenderunt ergo interitum, quem comprehendere ad ſalutem non potuerunt, cum Sponſa dicente; *Tenui eum, nec dimittam:* comprehendunt ad ignominiam eum, qui nuſquam Angelos*, ſed ad gloriam hominum ſemen Abrahæ apprehendit, & inſolubili vinculo vnionis hypoſtaticæ ſe illi alligauerat. Cogita verba iniurioſa cum factis contumelioſis coniuncta, quibus in eum egerunt. Et quia Iudas monuerat: Tenete eum, & ducite cautè; meditantur quidam quòd eum in terram proſtratum pedibus conculcauerint & pugnis crebris percuſſerint, & catena ferrea collum eius alligauerint. Neque hoc mirum eſſe debet, ſi Petrum, in quem non tantopere ſæuiendi occiſionem habebant Iudæi, vinxerint catenis duabus, vt habetur in Actis. ibidem de Paulo etiam dicitur: *Tunc accedens tribunus, apprehendit eum, & iuſſit eum alligari catenis duabus.* Meditantur etiam quidam manus Domini à tergo fuiſſe reuinctas, funeque craſſiori medium eius corpus fuiſſe circum ligatum, timebant enim ne elaberetur: & rabies in eum, atque odium non improbabiles reddit has cautelas. Dicuntur autem cohors, & tribunus, & miniſtri Iudæorum eum ligaſſe; vt nullus eſſet, qui tanti facinoris reus eſſe nollet. Et veluti cum oppidum aliquod munitum & longa obſidione oppugnatum, aditum tandem aliquem exhibet, furibundè ab omnibus irrumpitur, & nullo ceſſante diripitur: ita Chriſtus ab omnibus inuaditur, magnaque hoſtium ouantium exultatione captiuus fit. Captiuauerant nos peccatum, Satanas, atque mors: at verò cùm iſta nullum ius in Chriſtum innocentem Dei Filium haberent, illum tangere auſa eſſent tamen, illa deuicit noſque ab eorum tyrannide liberauit. Porrò illorum tyrannis in nos, in hac Chriſti tyrannica captura pulchrè depicta eſt, & adumbrata. Sequitur: *Et ligauerunt eum.* Multis illis modis, quos ſuprà diximus; vinciunt eum, qui ad nos à peccati vinculo, & Pharaonis iugo liberandos venerat. Et maius erat ignominiæ genus ligari, quàm capi, & non poterat de Domino cani, quod in honorem, & commendationem mortis Abner cecinit Dauid Rex: *Nequaquam vt mori ſolent ignaui, mortuus eſt Abner. Manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggrauati:* ſed cum pleriſque alijs ignominiæ modis ad maiorem ſuę paſſionis cumulum, & maius ſuæ charitatis argumentum ligari ſe permiſit. Cogita, immania peccata noſtra Domini vinculorum cauſam extitiſſe: & curā habe, ne illa repetas. Funibus quibus alligatur Dominus, ſoluitur ſeruus; qui manus olim in vetitum fructum extenderat. Soluuntur colligationes, impietatis noſtræ, ſoluitur manus miſericordiæ Dei, quam peccata noſtra ligauerant, ne eſſet nobis benefica, & alligatur illa manus iuſtitiæ olim extenta, ne noceat. Quis ergo noſtrum in futurum habebit manus ſolutiores, ac promptiores ad malum? Aut quis non libenter captiuari ſe permittet in obſequium Chriſti pro nobis ligati? Præſta bone Ieſu, vt per meritum iſtius captionis tuæ, & vinculorum, ego poſt te trahar alligatus ſpiritu tuo, vt Paulus qui ibat in Ieruſalem vinctus ſpiritu tuo: captiuum fac me vinculis præceptorum tuorum, quæ ſunt alligatura ſalutaris, ita vt me facias ſemper tuis adhærere mandatis; vt neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poſſit me ſeparare à charitate tua. Gloriatur Paulus ſenex, & vinctus in vinculis propter te, glorier & ego in vinculis pro te toleratis, aut ſi tantùm non datur, in vinculis certè charitatis, quibus tecum ſum conſtrictus. Quàm aliter bone Ieſu, te infantem alligabat mater tua, & ſponſa te ſponſum ſuum, quæ chordis aureis charitatis tenet in corde ſuo. Permiſit ergo Dominus ſe capi, & ligari, vt nos liberos redderet, & vt intelligamus quando peccamus, nihil facere aliud, quàm capere, & alligare Chriſtum, id eſt, eius inſpirationes. Dominus autem permittit ſe capi, vt expectet nos ad pœnitentiam: nam ſi ſolutus eſſet, quomodo non faceret vindictam.

Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt. Hæc fuga plus percuſſit Dominum, illumq́; afflixit, quàm pœna ipſa propria. Audierant Apoſtoli Dominum dicentē ſe capiendum, & ad crucem damnandum, & nullo modo ſe velle ab eis defendi aſſerentem, denuntiantem horam iam veniſſe, & poteſtatem tenebrarum: videbāt ſe inermes, & abſq; po-

teſtate

Zach. 13. Matth. 26. — Cant. 3. — Heb. 2. — Pię quorundā med tationes de Ieſu à militibus compre henſo, ac funibus alligato. — Act. 12. Inf. 21. — Qualis Chriſti illa comprehenſio, capturaque fuerit. — Quemadmodum Iudęi li- — gauerunt Ieſum. — 2. Reg. 7. Mors Chriſti, vt olim Abner amici Dauidis, mors generoſa. — Vinculorum in nos Chriſti beneficia. — Gen 3. — Act. 21. Quænam alligatura ſalutaris. — Rom. 8. — Philip. 1. In quibus debeamus pro Chriſto ſaltem vinculis gloriari. — Luc. 2. Quare ligari ſe, & capi Chriſtus permiſerit. Quàm moleſta, & acerba Chriſto extiterit fuga diſcipulorum. — Matt. 16. Infr. 20. Inf. 26.

teſtate vtendi armis: viſum eſt eis nihil aliud ſupereſſe, quam ſe è manibus inimicorum ſubtrahere, maxime quod Dominus dixiſſet, *Sinite hos abire*, & implenda erat prophetia: *Percute paſtorem, & diſpergentur oues.* Oſtēdunt autem hac ſua fuga, quam fallaces extiterint ipſorum promiſſiones, cum dicerent: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, Et, *Tecum paratus ſum & in carcerem & in mortem ire.* Deinde iudicant, quod adhuc apti non erant, & maturi, vt pro Chriſto fide & patientia decertarent, ſed quod tantū apti eſſent ad defendendū Chriſtum gladio, & armis, quod Iudæorū eſt, & Ethnicorum. Tertio hæc fuga mirificè ſubſeruijt Euangelico negotio, vt poſthac non cōtenderent quis eorum eſſet maior, cum omnes pares eſſent in fuga, & vt paulò pòſt cum viderim⁹ eos alios factos, & Spiritum Dei indutos, per mille ſupplicia, & mortis genera perrumpere ad confitendam Chriſti gloriam, ſpes nobis fiat nullo delicto perire eos poſſe, qui ad eum humiles reuertuntur, & ita illorum caſus noſtra fiat fortitudo. Quarto videtur, quod Apoſtoli illa fuga peccauerint: quod ex eo colligitur, quia prædixerat Dominus ea nocte illos ſcandalum paſſuros intus, & extra per fugam, cum tamen pro fide Chriſti tuenda eſſet illa nocte mors ſubeunda, quia tunc neceſſaria ad ſalutē erat oris cōfeſſio, tum quia periclitabatur fides Chriſti, tum ad inſtructionem, & cōfirmationem aliorum fidelium hoc ſpectabat, tum ad reprimendam infidelium exultationem. Fuit ergo metus mundanus, vt timor Petri negantis Chriſtum in aula. Quintò perpende, quò ſe per fugam receperint. Quam pulchrum, Deus bone, quod nulla eis ſpes erat in alijs hominibus, quod à nullo recepti ſunt, vt ſeruarentur integri ad Chriſti reſurrectionem. Hoc enim prouidet Dominus ſuis, vt cum ſcandalum patiuntur, non inueniant quod alibi probent, aut qui eos honorificè excipiant, vt caſus ipſorum ſit ad humiliationem, non ad perditionem. Quare ante hoc ſic eos admonuit, ſe reſurrecturum, & præceſſurum eos in Galilæam, ac ſi diceret apertè: Etſi permittam vos ſcandalum pati, recuperabo tamen vos à ſcandalo. Et quia Apoſtoli à Chriſto fugerunt, per triduum, ideo per triduum Hebdomadæ ſanctæ in matutinis celebrandis ſpoliantur altaria: quia Chriſtus altare noſtrum nudatus Apoſtolis fuit. Sexto quomodo fugerunt omnes, cum paulo poſt dicatur: Petrus autem ſequebatur eum à longe, & alius diſcipulus notus Pontifici? Dicendum, omnes Apoſtolos à principio fugiſſe, deinde hos duos fugiſſe pœnituit, & Dominum ſunt ſecuti, etſi à longinquo. Septimò adhuc perpende, bone lector, quod ſi in ipſam virtutem quam profitemur, inſurgant potentes, aut ſapientes, omnes ſtatim territi illam deſerimus, & vitia amplectimur, etiamſi viderimus Chriſtum verbo hoſtes proſternentem, & auriculam Malcho reſtituentem. Octauò, Dominus voluit deſeri, vt torcular ſolus calcaret, quo illi ſoli acceptam feramus noſtram ſalutem. Vere dixit Dominus: *Quo ego vado, vos non poteſtis venire*, & Apoſtolis contigit quod debitoribus, qui cum incidunt in fideiuſſorem, qui pro eis, qui non erant ſoluendo, numerauit, declinauit eius conſpectum, & fugiunt. Vide quid poſſit homo, ſi Deus auertat ab eo manum ſuam: quam verum ſit, *Sine me nihil poteſtis facere*: Et, *Niſi Dominus ædificauerit domū, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Cum ergo imminent pericula, clamemus ex corde ad Dominum, & dicamus: *Domine, ſalue nos, perimus*: nos enim nihilo ſumus meliores Apoſtolis: nos enim multa promittimus Chriſto in baptiſmo, & in pœnitentiæ Sacramento circa Chriſti ſequelam, & imitationem, atque vigilantiam, verum vbi opus eſt facto, in vtramq; aurem dormim⁹, & deſerimus Chriſtum.

Zach. 13.

Quid hæc fuga Apoſtolorum ſignificauerit.

An Apoſtoli Chriſtum in paſſione deſerendo peccauerint.

Rom. 10.

Quo ſe Apoſtoli per fugã receperint.

Chriſti in ſuos prouidentia, & cura.

Vt verum ſit omnes Apoſtolos fugiſſe, cũ tamen Petrus & Ioannes Chriſtum à longinquo ſequerentur.

Diſcipuli præceptorem derelinquentes Chriſtum quid arguant.

Cur Chriſtus ſe deſeri à diſcipulis paſſus eſt.

Eſa. 63.

Ioan. 13.

Diſcipuli Chriſtum deſerentes in tribulatione quid feciſſe videantur.

Infra 15.

Pſal. 126.

Matt. 8.

In periculis quid nobis agendum ſit, Apoſtolorum exemplo.

Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum, amictus ſindone ſuper nudo, & tenuerunt eum. Hanc hiſtoriam ſolus Marcus commemorat. Et vbi dicitur, adoleſcens, Græcè eſt νεανίσκος, quod eſt, adoleſcentulus. Et cum dicitur: Tenuerunt eum, Græcè habetur, adoleſcentuli. Apoſtoli, qui articulum comprehenſionis fugiendo præuenerunt, docent fugiendi cautelam eos, qui minus ſe idoneos ad toleranda ſupplicia ſentiunt, quibus tutius eſt latere, quam ſe diſcrimini certaminum obijcere. Et Petrus, qui culpam negati Domini, ac fugæ, lacrymis pœnitentiæ abluit, recuperationem eorum oſtendit, qui labuntur in martyrio.

Diſcipuli antequam Chriſtus comprehenderetur, fugientes, quale nobis documentum præbeant.

Circa hunc autem adoleſcentem, vel adoleſcentulum, dubium eſt an fuerit ex diſcipulis Domini, deinde quis eorum fuerit, poſtremo quid nos adoleſcentuli facto docere Dominus voluerit. Circa primum probabile valde eſt fuiſſe aliquem ex diſcipulis Domini, nō quidem ex numero Apoſtolorum, quia omnes dicuntur fugiſſe, ſed vnum aliquem ex fidelibus, ac Chriſtum diligentibus: tum quia alias non opus erat vt Euangeliſta hoc narraret, ſi non erat ex eius diſcipulis: nam quis negare valeat multos ex alijs domibus ob ſtrepitum, & rumorem foras prodijſſe, & ſecutos fuiſſe,

An adoleſcens amictus ſindone ſuper nudo, de quo Marcus, fuerit aliquis ex diſcipulis Domini.

vt viderent hoc ſpectaculum, vt mos eſt in ſimilibus? Tum quia ſi ſpectaſſet ad aliquē ex comprehendentib. minime tenuiſſent eum: neq; dicitur Chriſtum fugiſſe, ſed fugiſſe ab eis Chriſti hoſtibus, vt notat Beda. Ergo nō erat de numero comprehendentium. Tum quia Textus apertè ait: *At ille relicta ſindone, nudus profugit ab eis*: Vt & in eo quoque impleatur verbum Domini: *Quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam*. Tum denique quia dicitur in Textu, *Sequebatur eum*: ꝙ videtur in eius laudem dici, quemadmodum in laudem Petri dicitur: *Sequebatur Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus*. Non autem videretur eum ſequi, qui ob curioſitatem, aut ob aliam vanam cauſam ſequeretur: nec magis diceretur ſequi Chriſtum, quam cohortem, vel miniſtros Iudæorum: maxime quòd cum dictum ſit: *Tunc diſcipuli eius, relinquentes eum omnes fugerunt*, immediatè ſubiungit in laudem eius, dicens, *Adoleſcens autem quidam ſequebatur eum*. Quemadmodum apud Ioannem habetur: *Sequebatur autem Ieſum Simon Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici*. Vnde ſermo prorſus videtur eſſe de ſequela diſcipuli alicuius. Et hęc de primo.

II. Ratio approbandum quod fuerit.
Beda in cap. Marc. 14. to. 5.
III Ratio. *Ioan. 17.*
IV. Ratio. *Infra 18.*

Ad ſecundum, nō ſatis conſtat quiſnam fuerit hic adoleſcentulus: vnde datur locus coniecturis. Quemadmodum apud Lucā ille alius diſcipulus præter Cleophām non expreſſus quiſnam fuerit, & quis ille puer quem ſtatuit in medio diſcipulorum. De hoc igitur adoleſcentulo in primis Græci, vt Theoph. & Euthym. & ante eos Epipha. in Antidocomarianitas ſcribunt fuiſſe Iacobum fratrem Domini, qui veſte attrita linea ſola vtebatur, quemadmodum & in Euangelio habetur: *Fugiebat adoleſcens, & dimiſit linteum, quo erat amictus*. Hæc enim ſunt verba Epiphanij. Hoc etiam tribuit hiſtoria Scholaſtica B. Hieronym. in Pſal. 37. in verba illa: *Vim faciebant qui quærebant animam meam*, ait: *Iudæi vim faciebant, vel Petro, cum dicerent: Et tu ex illis es, vel Iacobo, qui cum traheretur, relicta ſindone, nudatus aufugit ab eis*. Hæc ille. Sed vt tradit ibidem hiſtoria dicta Scholaſtica, videtur potius opinando, quam affirmando dixiſſe. Sed quomodocunq; ſit hæc opinio ab aliquo aſſerta, aliquid contra illam obijci poteſt, & inprimis quod ille Apoſtolus erat, & addit textus, quod relicto illo fugerunt omnes. Apoſtoli ſcilicet: *Adoleſcentulus autem quidam ſequebatur eum*. Deinde B. Iacobus, vt cōmunis habet traditio, Domino erat vultu, & forma ſimillimus, adeo vt oſculum proditoris in ſignum Iudæis fuerit exhibitum, ad diſtinguendum Ieſum à Iacobo ſecundum multos interpretes, at Ieſus erat virilis ætatis, & procedebat in anno trigeſimoquarto, non ergo erat adoleſcentulus Iacobus frater Domini. Tertiò, Iacobus Iuſtus fuerat in cœna cum Chriſto, & ab illo tempore non habuit opportunitatem ſe denudandi ad dormiendum in lecto ſuper ſindone, inſtāte autem hora captionis Dominus admonuerat vt vigilarent, & orarent: non ergo erat Iacobus ille adoleſcentulus. Latini vero autores, cum Ioannem extitiſſe aſſerunt, & maxime Auguſt. in Ioannem, quem ſequuntur Gregor. & Beda, & Gloſſa ordinaria in Marcum. Sed argumentatur in hanc ſententiam Iacobus Faber, Caiet. & Ioan. Arboreus. Primo ex hiſtor. Ioan. qui probatur vixiſſe 99. annis vſque ad 3. annum Traiani, ad quem à Domini natiuitate fluxerunt anni centum, & Melyto Sardenſis Epiſc. libro de Tranſitu Virginis ſcripſit quod Ioannes vixit 99. annis. Sed hoc ſoluunt nōnulli, dicēdo hunc fuiſſe errorem in computatione annorum vitæ Ioannis. Nam alij Scriptores, vt B. Antonius, & B. Thom. in Scholia Ptolemæi in principio ſuper verbo Epheſus, cōſentienter tradunt, Ioannem mortuum anno 90. vitæ ſuæ. Et hic error cōtigit, quia cum ſcriptum eſſet per abbreuiatam rationem numerandi 90. illud o poſtremum, extenſa linea factum eſt 99. alias ſequeretur, Gregorium, & communem opinionem, atque omnes Eccleſiaſticas picturas, ac ſcripturas errare in deſcribenda iuuentute Ioannis. Sed vrgent verbum Græcum νεανίσκος, id eſt, adoleſcentulus. Sed Iſychius ſcribit νεανίσκος dici in quarta hebdomada à 21. anno ad 28. Secundo arguunt, Marcum dicere, relinquētes eum Apoſtolos omnes fugiſſe, & quod adoleſcentulus ſequebatur eum. Reſpondemus, quod etiam de Petro dicitur, quia ſequebatur eum à longe, cum tamen aufugiſſet à principio. Imo adhuc manifeſtius Ioannes inquit, quod ſequebatur eum Simon Petrus, & alius diſcipulus, vt intelligas illos duos quaſi feruentiores Chriſti dilectores, licet primo impetu fugiſſent, reuerſus tamen ad cor, & ad Chriſtum. Et primo quidem Ioannes quaſi adoleſcens, & per adoleſcentiam excuſabilis, reuerſus eſt: & quia erat notus Pontifici, ideo prior Petro reuerſus eſt, vt poſt reſurrectionem cucurrerunt ambo in ſepulchrum, licet Ioannes illuc prior Petro peruenerit. Et nota, quod non dicitur ſimpliciter fugiſſe, ſed fugiſſe ab eis, quaſi euaderet illorum manus, vt monet Beda, & Gregorius in libro Regum, vt poſt eos aliqua veſte contectus

Quiſnam adoleſcens hic fuerit.
Luc. 24.
Matt. 18.
I. Opinio Græcorum.
Theoph. in Marc. 14.
Euthym in Matt. c. 64.
Epiph in Hæreſ. 78. circa med. hiſt.
Scholaſt. in hiſt. Euang. c. 156.
B. Hiero. to 8.
Ea opinio refellitur triplici argumento.
B. Iacobus minor, Chriſto perſimilis fuiſſe perhibetur.
II. Opinio Latinorum cuius argumenta ſoluuntur.
Aug. tract. 113. in Ioan. init. to. 9.
B. Greg. li. 14. Mor. cap. 23. tom. 1.
Beda ibid.
Gloſ. ord.
Iacob Fab.
Caiet.
Ioan. Arb.
Melit. Sard. Epiſc.
Quot annis vixerit Ioannes Euangeliſta, ſecundum aliquos.
B. Anton 1. p. hiſt. tit. 6. c. 6. §. 2.
B. Thom. in c. 21. Ioan.
Schol. Ptol.
Vnde aberrauerint in eius annorum ſupputatione.
Iſychius.
II. Argum.
Ioan. 20.
Beda ibid.
Greg in 1. lib. Reg. c. 25. to. 2 prope fin.

tectus

Ioan. 19. *Ibidem.*

tectus rediret. Neque poſſunt omnia narrari,& durum videtur,& indignum, quod alius non Apoſtolus ſequeretur eum. Sed ad hoc dici poſſet, quod varia ſunt dona Dei: & quare Apoſtoli non interfuerunt cruci,vt mulieres?& ſepulturæ, vt Ioſeph, & Nicodemus? Quid ergo mirum,adoleſcentulum hunc Chriſtum ſecutum, & nō Apoſtolos? Tertio alij argumentantur: quia non eſt veriſimile,quod diſcipulus ille eſſet ſola ſindone ſuper nudo corpore contectus,& quod ſic cœnaſſet. Reſpondent quidam, quod imò hoc priſcam illam redolet paupertatem,imo præceptum Ioannis Baptiſtæ, & Chriſti, qui ſolam vnam veſtem ſuadebant, Chriſtus vero habuit interiorem tunicam,inconſutile opus Mariæ ad myſterium. Quod etiam Ioannes fuerit,adoleſcentulus, tradunt Patres. Nam Hieron.aſſerit,quod tēpore,quo Petrus Pontifex erat à Chriſto creatus, Ioannes erat adoleſcēs, & penè puer. Ambr.ait: *Nam adoleſcētem legimus in Euangelio Ioannem, & ſua voce,licet meritis, & ſapientia nulli fuerit ſeniorum ſecundus.*

III. Argum.

Ioan. 18. Ioannem Euangelij ſcriptorem adoleſcentulum fuiſſe, Hieron. Ambroſiusque teſtantur.

Hieron. li. 2. in Iouin. to. 2. Ambr. lib. 2. de offic. c. 20. tom. 1.

II. Opinio, probabilior.

Theophyl.

Tertio alij ſentiunt fuiſſe puerum cuſtodis horti,vel adoleſcentem patrisfamilias, vt teſtis eſt Theophylactus, in cuius domo Chriſtus illa nocte cœnam fecerat, qui ad rumorem,& tumultum excitatus ſurrexit, & apprehenſa ſindone, vt in repentinis caſibus fieri ſolet, foras prodijt, & cognita Chriſti comprehenſione, quem diligebat, ſecutus eum fuit, donec comprehenſus à quibuſdam adoleſcētulis, vt Græcè in quibuſdam codicibus dicitur,nudus profugit ab eis. Atque hoc poſtremum probabilius mihi videtur.

Prædicti adoleſcentis egregia documenta duo.

Ad tertium, docuit nos hic adoleſcens primo de ſequela, & confeſſione Chriſti intrepida,cum cauſa fidei poſtulat, deinde de fuga in perſecutione. Vbi enim plus eſt compendij gloriæ Dei,& Euangelij ex parte tua,fugito,& latita,vt fecit Elias fugiens impiam Reginam Iezabel, & Paulus, qui permiſit ſe demitti per muros in ſporta. Vbi vero eſt fructus copioſius,ſi moriaris,occurre carnifici,& prode teipſum. Vbi vero nulla apparet ſpes, tutius eſt perdere ſindonem,quam corpus,& facultates omnes, quam vitam, vt fecit ſanctus ille martyr nomine Rutilius, de quo teſtatur Tertullianus,quod ſemel & ſecundo captus profuderit omnes ſuas opes vt euaderet,tertio vero captus intrepide expoſuit iugulum gladio,agnoſcens Dei eſſe voluntatem ſanguinem vt funderet. Laudat Paulus Hebræos, quod rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſceperint. Sicut ergo tutius

3. Reg. 19.

Act. 9.

Rutilij Martyris fortitudo. *Tertull. li. de fuga in perſecut. ante med.*

Heb. 10.

eſt ſindonem perdere, quam corpus, ita corpus,quam animam: quod enim ſindon eſt corpori,hoc corpus eſt animæ. Diſce etiam,tunc fuiſſe tempus, quo homines ità à Chriſto fugiebant,etiam ſi illis in nuditate eſſet manendum: veniet tempus, quando fideles omnes, ne ab eo ſeparentur, optabunt nudi remanere,& omnibus ſponte renuntiabunt,etiamſi in vinculis, & in catena alligati remanere debeant cum eo. Nos igitur hoc exemplo ducti diſcamus pro Domino omnia contemnere, vt ita nudi nudum Chriſtum ſequamur, & vincti vinctum, & pro nobis alligatum intrepida voce confiteamur,quo nos indumentis gloriæ exornare, & libertate illa ineffabili,quæ amitti poteſt nunquam, honeſtare velit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cum Patre, & Spiritu ſancto, æterna potitur felicitate in ſeculis ſeculorum, Amen.

Documētum alterum.

Chriſtum quomodo ſequi debeamus.

TRACTATVS XIX.

De adductione Domini ad Annam, & ſequela duorum diſcipulorum, in illa verba: *Et adduxerunt eū ad Annam primum,erat enim ſocer Caiphæ,qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas,qui conſilium dederat Iudæis,&c.* Ioan. 18.

QVædam merito ad literam ſunt præmittenda, propter adductionem Chriſti ad varios iudices, tam Eccleſiaſticos, quam ſeculares. Nam Annas, & Caiphas,qui Principes erant Sacerdotum, & conſilium Seniorum,ad Eccleſiaſticum tribunal ſpectabant:at Pilatus Procurator Iudææ nomine Tyberij Imperatoris, & Herodes Rex, ad forum ſpectant ſeculare. Porro adductio Chriſti ad Annam,qui tūc non erat, ſed extiterat ſummus Sacerdos, extraordinaria fuit,ac proinde à ſolo Ioanne narratur:adductio vero Ieſu ad Herodē Regē,prorſus extra iuris ordinem fuit,quia illa cauſa ad eum non erat delata niſi ex Pilati conſenſu, & idcirco à ſolo Luca deſcribitur.Omnes tamen Euangeliſtæ, cauſam delationis corā Caipha ac Pilato propoſuerunt, ꝙ iudicium illud erat ordinarium: nam Caiphę Pontificis tantum erat examinare ac diſcutere causā, vt apud nos Epiſcopi faciunt,&inquiſitionis S.officium,Pilati vero erat ferre ſententiā mortis in cauſa criminali. Et adductio quidē Ieſu ad Annam,

De iudicibus tam ſacris,quā profanis,ad quos fuit Chriſtus adductus, quędam obſeruatione,ſcituque digniſſima.

Quare Chriſtus ad Annam adductus fuerit,& cur ad Herodem.

fuit in gratiam generi ſui Caiphę, cuius miniſtri voluerunt Annæ ſocero gratificari: ad Herodẽ deductus fuit propter Pilatum volentem Herodem honorare, quo cum gerebat ſimultates, vt ea ratione ſibi illum reconciliaret. Annas primus (ſi tñ is fuit, de quo paulo poſt agemus) egit contra Chriſtum via ſimplicis interrogationis de doctrina, & diſcipulis, vbi Domino alapa fuit inflicta, Caiphas vero triplici via egiſſe videtur. Primo quidem falſorum teſtium, & ſubornatorum inquiſitione, & examine, Deinde via iuramenti, cum dicit, Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei. Tertio per quæſtiones & tormenta: quia, vt ait Ioannes Gerſon, tota illa nocte, qua captus eſt Dominus, cuſtoditus fuit à miniſtris, ac contumelijs varijs affectus, vt legitimam cauſam tormentis expreſſam proponerent Pilato, iuxta illud Sapientiæ: *Contumelia & tormento interrogemus eum.* Quanquam reuera non videtur Chriſtus tortus ad veritatem exprimendam: quia ille apertè, & clara voce confeſſus eſt ſe eſſe Filium Dei, & Chriſtum à Deo promiſſum, tormenta vero adhiberi ſolent, vt veritas celata exculpatur, vel ſi illa eſt expreſſa, ad ſocios, & fautores detegendos: & vbi quis crimen occultum apertè confitetur, non ſolet vltra procedi ad quæſtiones, & tormenta. Niſi forte dicamus illum tortum, vt quam expreſſerat veritatem, denegaret: quemadmodum Tertullian. in Apologetico ſuo ſcribit ſolita fuiſſe Chriſtianis adhiberi tormenta à Paganis, vt Chriſtum abiurarent, & religionẽ eius. Nam quamprimum quis à Chriſto & eius fide negando reſiliebat, mox à torquendo deſiſtebant. Sed non eſt probabile, Iudæos ob eam cauſam Chriſto adhibuiſſe tormenta, qui confeſſione illa, quod eſſet Filius Dei, & Chriſtus, contenti fuerunt ad tradendum illum neci. Et quod dicitur in libr. Sap. *Contumelia, & tormento interrogemus eum*, non eſt ſenſus de tormentis præcedentibus ad exculpendam veritatẽ an eſſet Filius Dei, & propterea ad mortem damnandus, nec ne (cum illam veritatem iam ipſi ex ore eius habuiſſent, ac de illa minime dubitarent, & præcedat illa ſententia Sapientiæ, *Filium Dei ſe nominat, & Gloriatur Patrem ſe habere Deum*) quia eſt ſermo de Chriſto iam ad mortem damnato, & extremo crucis ſupplicio affecto: quia putabant Deum minimè laturum Filium ſuum crucis tormento pernecatum abſumi. Prætereà veriſimile non fit, Iudæos vſos fuiſſe tormentis in Chriſtum, ac nullum ex quatuor Euangeliſtis illud expreſſiſſe, cum

Aliter Annas Pontifex, aliter Caiphas Chriſtum interrogauit.
Matt. 26.
Ioan. Gerſon. tract. de Paſ.
Sap. 2.
Tormenta à iudicib. quare adhibeantur de more.
Tertull.
Cur Martyres torquerentur olim.
Illud Sapientiæ de Meſſia: Contumelia, & tormento interrogemus eum, quem ſenſum habeat.
Sap. 2.

tamen minutiſſimas alias deſcripſerint circumſtantias, imo nec vllus veterum interpretum, quod legerim.

PoſtAnnam & Caipham, antequam ad Pilatum ducatur Chriſtus, conueniunt iterum, vt teſtatur Lucas, ſummo mane Seniores plebis, Principes Sacerdotum, & Scribæ, & ducunt illum in conſilium ſuum. Et quia, vt ait Spiritus S. in circuitu impij ambulant, redeunt ad ſimplicem interrogationem, & dicunt illi: *Si tu es Chriſtus, dic nobis,* vt videlicet quæ nocte præcedenti dixerat, faceret rata, animo maligno tamen, quo cõfeſſum ore proprium damnarent. Nam vt notat Epiſcopus Abulenſis, non eſt hæc interrogatio facta in domo Caiphę, vel Pilati, ſed in conſiſtorio Sacerdotum, & Scribarum, quod penes Hebræos dicitur Sanedrim, vel domus iudicum, nec à paucioribus, quam vno & Septuaginta poterat celebrari tempore Moyſi, & ab his omnibus morte Chriſtus fuit dignus iudicatus. Vnde Rabbinus quidam dictus Moyſes Benmaimon in librum Iudicum ſcribit: *Ieſus Nazaren. viſus eſt eſſe Meſſias, & interfectus eſt per domum iudicij, id eſt, in iudicio vnius & ſeptuaginta iudicum: Et ipſe cauſa fuit vt deſtrueretur Ieruſalem in gladio.* Hæc ille Rabbinus vi veritatis compulſus confitetur. At Pilatus, qui poſtremus cauſam Chriſti egit, primo quidem interrogatione, deinde remiſſione cauſæ ad ipſos Iudæos, poſtea ad Herodem regem proceſſit. Et cum his rationibus nihil proficeret, tentauit per viam conſuetudinis liberãdi maleficum vnum in Paſcha, eum de manibus eorum eripere. Deinde cum nec via hæc ſuffeciſſet, quo illorum animos placaret, & à concepta feritate reuocaret, iuſſit illum flagellis cædi, purpuraq́; in deriſionem & corona ſpinea deformatum, atque dehoneſtatum eum illis oſtendi. Sed illi nihilo mitiores facti, nec cõtenti illis opprobrijs, tandem crucis necem poſtularunt, ille vero metu ne Cęſaris gratiam amitteret, quem innocentem nouerat, & ſuo, & vxoris teſtimonio iuſtum pronuntiauerat, neque conuictum legitimis teſtimonijs, neque confeſſum quicquam quod morte dignum eſſet, mortis ſupplicio afficiendum tradidit.

Sed iam ad textum redeamus. *Et adduxerunt* (inquit) *eum ad Annam primum.* Solus Ioannes refert Chriſtum miſſum ad Annam, quod fuerat ab alijs pretermiſſum, & omittit narrare ea, quæ ab alijs in domo Caiphæ geſta fuiſſe plenè deſcribuntur. Verbum illud, *Adduxerunt*, Grecè eſt, abduxerunt ἀπήγαγον αὐτὸν. Eſt autem vis propria verbi ἀπάγειν, ad ſupplicium rapere, ſeu violenter ducere-

Cur Iudæi denuo Chriſtum interrogent, ſi tu es Chriſtus, dic nobis.
Luc. 22.
Pſal. 11.
Vbi fuerit hæc de re Chriſtus interrogatus a Iudæis.
Epiſc. Abulenſ. in Matt. 15 par. 2.
Conſilium Sanedrim apud Iudæos quid.
Num. 11.
Rabbi Benmaimon quid ſenſerit de Chriſto.
Pilati interrogatio Ieſu facta.
Proprium Ioannis Euangeliſtæ.
Ἀπάγειν Græce quid.

Act.12.

cere: quemadmodum in Actis dicitur: *Herodes autem cum requiſiſſet eum, & non inueniſſet, inquiſitione facta de cuſtodibus, iuſsit eos duci*, vel abduci, ſcil. ad ſupplicium. Iam vero cogita, prudens lector, quanta cum crudelitate, & furore, verborumq́; iniurioſorum iactatione, clamore, atq; exultatione pergerent, quod Chriſtum haberẽt in cauea. Meditare Dominum manib. poſt terga reuinctis, curuo capite modo tractũ, modo impulſum, ſcelerum noſtrorum pœnas luentẽ. Non deſunt qui meditantur in torrentẽ Cedron fuiſſe præcipitem datum, indeque aquis, & luto ſordidatum extractum fuiſſe, & in illo impletum ad literam: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Sed hæc cõſideratio, & Scripturæ interpretatio plus habet pietatis, quam ſoliditatis, & neruorum. Meditantur alij, quãprimum Dominus cõprehenſus fuit, & vinculis alligatus, vnum aut alterum feſtinanter cucurriſſe ad annuntiandam eius capturam ſummo Pontifici: qui fortaſſis honeſto aliquo munere pro tam læti nuntij mercede eum eſt proſecutus. Meditare etiam Iudam pactã iniquitatis mercedem accepiſſe, & milites Pilati, qui mercede conducti à Iudæis venerant, vt teſtatur Chryſ. iuſtum præmium tuliſſe. Adduxerunt autem eum per portã Auream templo proximam, quæ alias dicitur Probatica, vel ouium porta, per quã paucis ante dieb. fuerat ingreſſus cum tanto triumpho, & honore palmarum, & regia illa acclamatione: *Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael:* quod augere tormẽta, ac mœrorem Domini poterat. In his meditationibus nihil eſſe exiſtimo aut à ratione, aut à pietate alienum.

Piæ quorundã meditationes de Ieſu capto, & cõprehenſo

Pſal 109.

Chryſ. ho. 85. ad Matt. to. 2

Ioan. 12.

Duxerunt autem illum ad Annam primum. Vbi inprimis Euthy. ait: *Præ voluptate de hac re gloriabantur, tanquam de trophæo conſtituto: & abduxerunt eum primum ad Annam, vt qui à Caipha eius anni Pontifice quaſi pater honorabatur propter affinitatem.* Hæc ille. Paſcebant ergo Iudæi oculos Annæ optato illo ſpectaculo, tanquam prẹda diu deſiderata, & magno labore, & induſtria capta. Vnde Chriſtus dixit Apoſtolis: *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Mirifice autem exultabant Chriſti hoſtes eo comprehenſo, & vincto. Deinde hoc factum eſt conſilio Caiphæ, ne ſolus inuidiam apud homines ſuſtineret, ſi primum ipſe, qui conſilium dederat, vt vnus homo moreretur pro populo, primus etiam condemnaret. Ad hæc factum hoc videtur, vt quo condẽnatio Chriſti à pluribus fieret, eo Chriſto eſſet ignominioſior, & iuſtior videretur apud populum. Præterea domus Annæ, vt teſtis

Euthym in Ioan. 18. c.

Quare Chriſtus adductus fuerit ad Annam primum.

Ioan. 16.

II. Ratio.

III. & IV. Ratio.

eſt B. Auguſtin. prior eis in via occurrebat; hinc nonnullus contemptus videbatur eſſe Annæ, qui primarius forte erat artifex inſidiarum, ſi domum eius miniſtri præterijſſent ipſo inſalutato. Auguſtini verba in Ioannem, hæc ſunt: *Secundum Matthæum cum comprehenſus eſſet, ad eum ductus eſt, ſed prius ad Annam ſecundũ Ioannem venerunt cum illo, non quia collega, ſed quia ſocer eius erat. Et credendum eſt ſecundum voluntatem Caiphæ id eſſe factum, vel etiam domus eorum ita fuiſſe poſitas, vt non deberet Annas à tranſeuntibus præteriri.* Et Cyrillus in Ioan. addit, quod Annas erat autor inſidiarum; & Iudæ pecuniam pactam perſoluit. Et ita duxerunt eum ad Annam primum: nam miniſtri illi Iudæorum, nocturniq; bellatores nihil plus poterant, quã capere, ligare, & adducere: ipſorum non erat interficere. Sic enim principes Sacerdotum decreuerant, vt prius ad ipſos adduceretur, ne quiſquã poſſet cauſari iniuſte fuiſſe occiſum. Ideo primum in ſpeciem iuſti iudicij eum audire volebant, deinde quicquid ipſe ad obiecta crimina reſpondiſſet, decreuerant poteſtati Romanæ tradere ad necem: nam mortui non mordent, viuum eum timebant, quia ipſorum malitiam arguebat. Primo ergo Annã, deinde ad Caipham ductus eſt, quia hi duo Sacerdotum erant capita, & principatum rẽpl., & rerum ſpiritualium habebant. Prẹterea cauſa Domini ſpiritualis erat, quia concernebat fidẽ & doctrinam, & ad ſuã cognitionem pertinere iuxta legem arbitrabantur: ſic etiam poſtea actum eſt cum Paulo coram Principe Sacerdotum Anania, & cauſa Stephani, vt Lucas narrat. Nam dixit Princeps Sacerdotum, ſi hæc ita ſe haberent, ſcilicet quod Ieſus eſſet templum demoliturus, & mutaturus traditiones Moyſi? Et rurſus in Apoſtolos inſurgunt Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali. Tales igitur cauſẹ ad Sacerdotes ſpectabãt, & non ad laicos: ob quam cauſam Proconſul Achaiæ Gallio cauſam Pauli iudicare noluit, quod videbat eam eſſe ſpiritualem, & non ciuilem, vt in Actis dicitur. Et cum dicitur quod Annas erat gener Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius, quædam infamiæ nota illis duobus inuritur, quod honorem, & dignitarem ſacerdotalem pecunia à Romanis annuatim redemiſſent, tanquam veri Simoniaci, & Giezitæ, & omnium Simoniæ lepra infectorum veri parentes. Ideo nihil veræ pietatis habebant, ſed lucro, & gloriæ vacabant tantum, & expilandis prætextu religionis populis incumbebant, & vt dici ſolet: *Vendere iure poteſt: emerat ille prius.*

Aug. trac. 113 in Ioan. to. 9.

Matt. 26.

Cyril. li. 11. in Ioan. c. 38. to. 1

V. Ratio.

Act. 23.

Supr. 7.

Act. 4.

Infr. 18.

Quorſum Euangeliſta dixerit quod Annas eſſet gener Caiphę.

Act. 8.

4. Reg.

Prouerbium.

Ieſu in atrium Põtificis: nullus autem alius erat Pontifex, niſi Caiphas, qui à tribus Euangeliſtis dicitur Princeps Sacerdotum, ſiue Pontifex, & Græcè tam apud Ioannem, quàm apud alios ſemper dicitur ἀρχιερεύς.

Confirmatur exemplo.

Nam cùm dico, Papa hoc fecit, vel dixit, non intelligitur de Papa defuncto, aut de eo qui futurus eſt, ſed de eo qui præſens eſt. Nam ſi alius quiſpiam à ſummo Principe Sacerdotum dictus fuiſſet Princeps Sacerdotum, vel Græcè ἀρχιερεύς, Marcus, vel Lucas tollendę ambiguitatis gratia debuiſſent addidiſſe proprium nomen ſuo Principi Sacerdotum: cùm verò abſolutè dicant Chriſtum adductum ad Principem Sacerdotum, vel Petrum ingreſſum in atrium Principis Sacerdotum, ſatis intelligi datur vnum tãtùm hunc fuiſſe ſingulariter Principem Sacerdotum, quẽ Matthæus & Ioannes vocant Caipham. Vnde Annas in hac narratione non poteſt eſſe ſummus Pontifex, vel Princeps Sacerdotum: quia ab Anna dicitur miſſus ad Caipham Principem Sacerdotum. Et Annas non dicitur Pontifex, ſed ſocer Caiphæ Pontificis illo anno exiſtẽtis. Cùm ergo ſubijcit quædam apud Pontificem geſta; ſanè hæc geſta eſſe apud Caipham, ſatis intelligendum reliquit: ad quem ſermone delapſus cum eius meminiſſet, narrat quæ apud illum acciderunt, priuſquam dixiſſet, Dominum ad ipſum ab Anna perductum.

III. argum.

Tertiò quia infra poſt illatam alapam Domino, ſubiungit Ioannes: *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.* Quod non ſic eſt accipiendum, quaſi proſequatur Ioannes ordinem rerum geſtarum: ſed quoniam nondum dixerat ab Anna ad Caipham Dominum perductum, vt intelligeremus qui factum ſit, vt apud Põtificem gererentur, quæ memorauit, recapitulando illud, ſubiecit. Quod Græca magis indicant, quæ carent illa coniunctione Et, & tantùm habent: Miſit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem, ſiue miſerat, Græcè enim habetur ἀπέστειλεν: quod magis inſinuat narrationem rei prætermiſſæ, quàm ordinis perſecutionem: reuocat enim narrationem, vt id quod cœperat de negatione Petri, perficeret. Ex quibus habemus, interrogationem factam de doctrina, & diſcipulis coram Caipha, & negationẽs omnes Petri in domo Caiphæ Pontificis factas fuiſſe.

IV. argum.

Quartò, quia infrà dicitur: *Adducunt ergo Ieſum à Caipha ad prætorium*; ergo à domo Caiphæ, ſiue à Caipha, nõ à domo Annæ ducitur. Nec videntur eſſe eædẽ ædes Annæ & Caiphę, vt quidam pro concordia Euangeliſtarum meditãtur, ſed vſq; in hodiernum diem diuerſæ, atq; diſtinctæ peregrinis illorum ædes Hieroſolymis oſtenduntur. Gaudeo autẽ hanc conciliandi rationem Cornelio Ianſenio placuiſſe, & Ioanni Boui viro erudito in libro in vitam Ieſu Chriſti, quam ex quatuor Euangeliſtis concinnauit, qui verba illa: *Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham*, immediatè attexit poſt illa verba; *Et adduxerunt eum ad Annam primùm.* Et aſſerit vſum Euangeliſtam præterito perfecto, nempe ἀπέστειλεν, pro præterito pluſquam perfecto. Vt ſit ſenſus: Miſerat enim eum Annas ligatum ad Caipham: quod verbum repetiuit Euangeliſta, ne putaremus Ieſum ad Pontificem iniuſſu Annæ ductum fuiſſe, ſed ſciremus Annam rationem honoris Põtificis Caiphæ habuiſſe. Et mittendo illum ligatum, vt erat, declarauit hac ratione ſatis ſe illũ non abſoluere, ſed tanquam nocentem & reum tranſmittere; quò intelligamus hunc fuiſſe primum Chriſti iudicem: qui tamen ab alijs eſt prætermiſſus, ꝙ nil ſingulare circa Dominum geſſerit.

Cor. Ianſen. Ioan. Bouet.

V. argumen. & vltimum. Quam cõmoda ſit hæc conciliandi ratio.

Quanquam & hæc verba poſſint alium excellentem ſenſum habere. Nam cũ Chriſtus alapam accepiſſet; non modò alteram malam percutienti Dominus obuertit, ſed totum ſe illi præbuit percutiendum, videlicet cum Chriſtus alligat⁹ illuc miſſus eſſet: itaq; poteſt illa clauſula vtrique ſenſui fauere mirificè. Deniq; hęc opinio cum vehementer deſeruiat ad conciliandos Euangeliſtas, & in vna domo enarret omnes Petri negationes accidiſſe, nempè in domo Caiphæ Põtificis, magnoperè ſe reddit cõmendabilẽ, atq; amplectendam. Obſerua, Clementem Romanum lib. Conſtitutionũ Apoſtolicarum tradere, tres primos Euangeliſtas docere, Dominũ, vt captus eſt, adductum eſſe ad Caipham Põtificem, quòd in nocte contigit, & omiſsũ à Ioanne, quòd eſſet ab alijs deſcriptum: ſuppleuiſſe autem Ioannẽ, quòd poſtero die deduxerunt eum ad Annam primùm, deinde ad conciliũ, atque inde ad Caiphã, & à Caipha in prætorium.

Clem. Rom. lib. 5. Conſtit. apoſt. c. 16.

Clementis Romani minus commoda refellitur conciliatio rationibus quinque.

Sed profectò, ſi verum amamus, non videtur Ioannes loqui de adductione Ieſu ad Annã manè facta, ſed de illa quæ noctu accidit, quia textus apertè ait: Cohors autẽ & tribun⁹, & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum: & adduxerunt eum ad Annam primùm, ſignificans illam nocturnam Ieſu ligati adductionem fuiſſe priorem in domum Annæ, quã Caiphæ, vel alterius: quia fortè, vt ait Auguſtinus, domus Annæ prior erat, quam Caiphæ, vel alterius. Deinde nullus textus aſſerit, Ieſum manè ductum ad Annã, nec Ioannes ipſe, ſed omnes referunt manè adductum ad cõcilium, vel ſenatũ Sanedrim,

Aug. tract. 113. in Ioan. tom. 9.

cuius capita erant Annas, & Caiphas, & Seniores,& alij: & inde ductus eſt in prætorium. Adhæc falſum videtur, quod dicitur à Clemente ibidem, Annam fuiſſe generum Caiphæ, cùm Euangelium dicat fuiſſe ſocerum, niſi hic error tribuendus ſit ſcribæ, aut interpreti, & non ipſi Clementi. Adhæc Ioannes poſtquam narrauit Chriſtum ductum ad Annam, deſcribit tres Petri negationes, quæ noctu ante ſecundum galli cantum contigerunt: fuiſſet autem præpoſterum prius narrare adductionem Ieſu ad Annam primo mane factam, & poſtea negationes Petri nocte præcedenti factas recenſere. Denique Marcus manifeſtè repugnare videtur Clementi, dicens: *Et confeſtim, manè conſilium facientes ſummi Sacerdotes cum Senioribus, &c.* Vbi verbum, Confeſtim manè, negare videtur alteri priuſquã concilio, Ieſum fuiſſe præſentatum: quòd ſi prius eſt præſentatus concilio; ergo non prius Annæ, vel ſoli Annæ, ſed ipſi ſimul cum omnibus alijs.

Marc. 15.

Domini Ieſu decem adductiones ad iudices memorantur.

Porrò illud dignum eſt obſeruatione, Dominum decies hinc inde ductum cum violẽtia, & manu armata vt malefactorem morte dignum. Nam primò in horto ligatus abductus eſt ad Annam; ab eo rurſus ad Caiphã; à Caipha, cùm manè eſſet factum, ad concilium Seniorum, & ab illo concilio ad Pilatum, & à Pilato ad Herodem, & ab Herode rurſus ad Pilatum; ſeptimo loco milites duxerunt eum in atriũ prętorij, vbi illuſerunt ei; octauo Pilatus duxit eum foras extra prætorium geſtantem coronam ſpineam, & purpuream veſtem; nono duxit eum extra prætorium, ad locum qui dicitur Lithoſtrotos. Poſtremò adduxerunt eum in montem Caluarię, vt crucifigerent.

Quid hæc tam varia & frequens Domini ad iudices deductio ſibi velit.

Idcircò fideles in die Paraſceues in huius rei memoriam ſolent nouem, aut decem Eccleſias viſitare, & quid qualibet illarum Chriſtus fuerit perpeſſus, recogitare; vt ſi quando contingat ob CHRISTI cauſam, ac fidem, ad pœnam & ſupplicium violenter rapi, cum patientia & charitate toleremus, exemplo eius, qui pro nobis paſſus eſt, & tanquam ouis innocens ad occiſionem eſt ductus. Item, vt diſcamus, quòd etſi aliquando ducamur ad tentationem, ſiue ad malum pœnæ, non tamen ſinamus nos duci ad culpam, ſeu peccati conſenſum, vt Chriſtus fecit. Denique vt facilè nos ſinamus duci in viam iuſtitiæ, & virtutis; & vt dicamus cum Propheta: *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* Nam vt iumentum ducitur fræno, & vrgetur calcaribus; ita nos, ſi iumenta Dei ſumus, frænum legis Dei libẽter ſuſcipiamus, & timore, & amore quaſi calcarib. quibuſdam aureis & à malo declinem', & ad bonũ impellamur.

1. Pet. 2.
Eſai 53.
Actor. 8.
II. Docum.

Tertium.
Pſal. 72.
Quales nos eſſe qui Domini eſſe debeamus.
Pſalm. 33.
1. Pet. 3.

Erat autem Caiphas qui conſilium dederat Iudæis, quia expedit vnum hominem mori pro populo. Ne auditor vincula audiens, vt ait Euthymius, turbetur, eius memoriam ad Caiphæ vaticinium reuocat, ſignificans quòd moriebatur pro eo quod populo expediebat, ſiue pro ſalute hominum, veluti Caiphas prophetauerat. Ideò videtur quòd præſentatio hæc Domini coram Anna, ex mandato, & cõſilio Caiphæ fuerit; vt propterea, ſi quid ibi geſtum eſt, ad Caipham potius eſſe referendum, quàm ad Annam, Euangeliſtæ inſinuauerint, cùm dicunt Ieſum abductum ad Pontificem Caipham, ſuppreſſo aduentu eius in domum Annæ.

Ioann. 11.
Euthy. ca. 17 in Ioann.

Præſentationis Domini coram Anna quis autor.

Sequebatur autem eum Simon Petrus, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Ieſu in atrium Pontificis. Iſti duo diſcipuli feruentiores erant cæteris; ideò poſt fugam redeunt, & Dominum ſequuntur: ſed Simon Petrus, vt alij Euangeliſtæ teſtantur, à longè, & vt longè corpore ſequebatur, ita etiam longè animo & fide erat à Chriſto. Vbi enim homo viribus proprijs nititur, nõniſi à longinquo Ieſum ſequitur: & nunquam ad eum perueniet. Et impletur Domini dictum: *Quo ego vado, non me potes ſequi modò, ſequeris autem poſtea.* Timor etiam facit, vt remotius ſequamur: ſicut amor (cuius vis eſt vnire) proximè facit conſectari Chriſtum. Quanquã hæc ſequela poſteà non fuerit ſine aliquo amoris indicio. Ait enim Theodoritus ſerm. de Charitate, quæ habetur in hiſtoria eius. *Hoc magnus Petrus ſauciatus deſiderio, nec cùm prius didiciſſet futuram negationem, latere voluit: ſed ſatius duxit ſequens negare, quàm fugiens confiteri. Quod enim ab amore, & non à temeritate proficiſceretur hæc conſectatio, res ipſa teſtatur. Neque enim poſt negationem in animum induxit vt Magiſtrum relinqueret, ſed fleuit quidem amarè, vt docet hiſtoria, & quòd victus eſſet, ſuam defleuit imbecillitatem, aſſedit autem vinculis amoris irretitus.* Hactenus ille. Quis autem ille alius fuerit diſcipulus, Euangelium non exprimit. Communiter tamen receptum eſt fuiſſe Ioannem Euangeliſtam, vt teſtatur Anſelmus lib. de Paſſione Domini, & Euthymius hoc loco, annotans quòd non ſe proprio nomine vocaſſet, ne ſe laudare videretur. Quem ſenſum ſecutus eſt Chryſoſt. in Ioannem, dicens: *Quis alius?* (ſcilicet Diſcipulus.) *Ipſe qui hæc ſcripſit. Et cur ſe non nominat? Cùm enim ſupra pectus Ieſu recumberet, meritò ſe ſilentio præteryt. Sed qua gratia in hoc loco? Eadem ipſa, nam & hic quoque ſe laudat, quòd alys diffugientibus, ipſe ſequeretur; ideò & ſuum nomen*

Ex diſcipulis cur Petrus & Ioannes ſolùm captum Dominum ſequebantur.
Viribus proprijs qui nititur, Ieſum quomodo ſequatur.

Ioann. 13.
Timoris & amoris effectus longè diuerſi.

Theod. Orat. vlt. par. 2 à med.
Petrus Chriſti ſauciatus deſiderio, ſatius duxit Chriſtum ſequens negare, quàm fugiens confiteri, ait Theod.

Matth. 26.
Quis fuerit ille alius diſcipulus, qui cũ Petro Dominum ſequebatur.

I. Opinio.
Anſelmus.
Euthy. loco citato.
Chryſoſt. ho. 82. in Ioan. tom 3.
Ioan. 18.

men ſilet, & Petrum ſibi præponit, & ſui meminiſſe tamen coactus eſt, vt intelligas eum diligentius, quæ in aula Principis facta ſunt, enarrare.

Cyril li. 11 in Ioa. c. 39 to. 1. Aug tracta. 103 in Ioann. tom. 9.

Idem docent Cyrillus in Ioannem: & Auguſtinus. Alij verò putant non fuiſſe vllum ex diſcipulis duodecim, ſed ciuem aliquem Hieroſolymitanum familiarem Pontifici, & occultum Chriſti diſcipulum, vt Ioſeph ab Arimathęa, in cuius domum Petrus primò dilapſus eſt ex fuga, & hinc cum ipſo poſtea ſecutus fuit Dominum. Nam Ioannes vilis piſcator, & Galilæus, quam familiaritatem habere potuiſſet cum Hieroſolymitano Pontifice ſuperbo, & ſummæ autoritatis apud Iudæos? ſed reuera prior opinio altas egit radices inter Catholicos, & plura habet teſtimonia ex Patribus. Accedit huic ſententiæ, quòd Ioannes de ſe loquitur in tertia perſona, & nunquam ſe nomine proprio exprimit. Nec valet quod objicit Auguſtinus, non dixiſſe: Diſcipulus ille, quem diligebat Ieſus: quia in tali ſequela, maximè ſi remota erat, & longinqua, poſt fugam illam, non erat diſcipulus Ieſu dilectus vocandus.

Altera opinio. Ioan 19. Vtra opinio ſit probabilior.

Aug. tract. 113 in Ioan. tom. 9.

Vnde notus fuerit Ioannes Caiphæ Pontifici, triplex opinio.

Subdit Euangeliſta, diſcipulum illum fuiſſe notum Pontifici: vnde autem notus eſſet Ioãnes Caiphæ, non ſatis eſt compertum. Quidam tradunt illum fuiſſe Ioannẽ, Pontifici notum propter piſces, quos vendere ſolebat; alij verò propter aliquem ex ſuis conſanguineis, qui Pontifici ſeruiebat. Aliam producit rationem Nicephorus, qui libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ in hũc modum ſcribit: *Sub hac cœna paratur in domo, vt aiunt, Ioannis Euangeliſtæ: quam ille poſſeßione ſua (non exigua autem ea fuit) in Galilæa Caiphæ, eius temporis Iudææ Pontifici, vendita (cuius gratia etiam illi notus extitit, ſicuti ipſe alicubi ſuo teſtimonio aſtruit) in locis circum montem Sion ſitis comparauerat. Ibi igitur diſcipuli apud hominem certum priuſquam Azymorum inſtaret dies, ita vt illis mandatum præſcriptumq́; fuerat, legis paſcha inſtruunt.* Hæc ille. Sed durum videtur hoc dictum Nicephori quibuſdam; tùm quia Ioannes pauper erat, & victum arte piſcandi quæritabat; tùm quia dicitur omnibus relictis ſecutus Chriſtum fuiſſe: niſi fortè aliqua peculiari Chriſti reuelatione fuiſſet factum, vt haberẽt Apoſtoli illud cœnaculum montis Sion liberum ad myſteria illa, quæ Chriſtus geſſit in cœna, dum viueret, & vt poſt mortem Chriſti illuc ſe reciperẽt Apoſtoli, quò ſuſciperent ſpiritum S. Et ſatis relinquit omnia ſua, qui illa Monaſterio in quod ingreditur, donat. Et ita intellige textum, quòd accepit eam diſcipulꝰ in ſua, vbi Gręcè legitur εἰς τὰ ἴδια, id eſt, in proprias ædes, Georgius quoque Cedrenus Græcus autor in compẽdio hiſtoriarum ſcribit: *Cùm Zebedæus mortuus eſſet, Ioannes & Iacobus adduxerunt matrẽ ſuam, eaq́; cum Maria habitauit:* & infrà, *Vendentes autem ſuam hæreditatem Caiphæ, emerunt Sion.* Hęc ille de ædibus emptis in monte Sion: de quibus etiam mẽtionem facit Gregor. Nazian. in Tragœdia de Chriſto patiente, vbi ſic inducitur B. Virgo alloqui mulieres comites ſuas, ea nocte, quæ Dominicã noctem reſurrectionis præceſſit. Cùm enim dixiſſet in domum ſe Mariæ parentis Marci abire velle, ſubiungit:

Niceph. lib. 1. Eccleſ. hiſt. c. 28. init.

Ioannis Euangeliſtæ domus erat iuxta mõtem Sion ſita, ſecundùm Nicephorum. Mat. 26.

Nicephori ſententiam duo infirmare videntur. Supr. 4.

Actor. 1. Ioann. 19.

Geor. Cedr. Græc. autor.

Greg. Naz.

Aut potius hinc nos conferamus in domum
Eius, quem adoptatum mihi meus vnicus
In filium iuuenem eſſe voluit Filius.

Videtur ergo, quòd Ioann. Euangeliſta habuerit ædes in Ieruſalem, in quas B. Virginem receperit. Nec non ante Gregorium B. Euodius in epiſtola, quam inſcripſit, Lumen (vt producitur à Niceph.) de B. Virginis ætate loquens, ita habet: *Poſt crucis autem ſupplicium illud, in domo Ioannis annos impleuit 11. vt ætatis eius anni ſimul collecti, ſint 59. In ea ipſa Ioannis domo primum Paſcha myſticum conuiuium Dominus cum diſcipulis inſtituit. Inde hymno dicto in monte Oliuarum exiuerunt ad villam Gethſemani. Ibidem propter metum Iudæorum claudebantur. Ibidem etiam foribus clauſis, cùm reſurrexiſſet, ab ipſis eſt viſus: cùm in faciem quoque eorum inſpirauit, & Spiritum eis ſanctum dedit. Ibi octauo pòſt die Thomæ fides eſt confirmata: eò Spiritus Sanct. ſpecie linguarum ipſa Pentecoſte aduenit. Ibidem Iacobum Iuſtum primum Hieroſolymorum Epiſcopum Apoſtoli ſuffragijs ſuis deſignarunt: & Stephanum cum reliquis ſex Diaconis legerunt. Hanc porrò domum Ioannes fertur comparaſſe poſt mortem patris ſui Zebedæi, qui quidem propriæ nauis rector fuiſſe perhibetur:* & reliqua, quæ ille ex libro illo Euodij adducit. Videtur quoq; notitia Ioãnis cum Caipha inde contracta propter ędes illas ab eo emptas, ſiue cum poſſeſſione ſua, quam habebat in Galilæa permutatas. Et cum dicitur introiſſe in atrium Pontificis cum Ieſu, hoc ad confirmationem ſui Euangelij adiunxit, vt ſciamus eum ſcripſiſſe nõ quę audiuit, ſed quæ præſens, & coram vidit de Annæ interrogatiõe, & alapa Ieſu impacta: vnde ipſe infra ait: *Et qui vidit, teſtimoniũ perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius.* Et ne quis fortitudini adſcribat, quòd introiuit in atrium cum Ieſu vincto; addit ſe notum fuiſſe Pontifici, quaſi diceret: Non tam animi conſtãtia intraui, vt defenderem magiſtrũ, aut vt excuſarem eum coram Pontifice, quàm quia notus eram in domo eius. Et ita ſeipſum extenuat, vt iactantiam, & ignorantiam deuitet, & tamẽ Petro non ſe præferat, de quo dicitur quòd ſtabat ad oſtium

B. Euodius. Niceph. li. 2. c. 3. Eccl. hiſt.

Virginis Matris ætas ſecundum B. Euodium.

Matt. 26. Ioann. 20. Ibid.

Ibid. Actor. 2.

Infr. 6.

Matth. 4.

Autoritatem quid conciliet Euangelio Ioannis non vulgarem.

Ioann. 19.

Ioannis Euangeliſtæ modeſtia.

Ioan. 1.

Petrus in aulā pontificiam opera Ioannis inductus, vbi & Chriſtum negauit, quos denotet.

Infr. 20.

foris: ſed Ioannes dixit ancillæ oſtiariæ, & permiſit intrare Petrum. Et præſtiterat ſanè eò nunquam intraſſe, & feliciùs longè olim fuit introductus per Andream fratrē ſuum ad Ieſum, quàm modò fuerit introductus à Ioāne in atrium: & ipſe Petrus debebat felicius Ioānem introducere in ſepulchrum. Et quia in aulam Eccleſiaſticam opera Ioannis introductus eſt, notatur illi qui fauore hominum in Eccleſiaſticas dignitates admittuntur, non inde exire niſi prius Chriſto abiurato, quemadmodum neque Petr⁹ non inde exiuit, niſi ad ancillæ vocem Domino negato. Sed oportebat impleri verbū Chriſti: *Ter me negabis.* Impletum eſt illud, quod Chriſtus in typo olim Petro demonſtrauit: cùm enim diſcipuli in mari periclitarētur, venit Chriſtus ad eos ambulans ſupra mare: & cùm Petrus ſua voce ſe ingeſſiſſet, ambulaſſetque ſupra mare, vt veniret ad Ieſum, vidit ventum validum, & timuit, & penè ſubmerſus eſſet, niſi manu Domini fuiſſet retentus. Hoc ipſum & hic contigit: nā verè Dominus ambulabat ſuper aquas Diſcipulis in mari laborantibus, quia Apoſtolis propter ſe ſcandalum patiētibus, ipſe arbitrio ſuo tribulationē patiebatur, mox victor mortis futurus. Ambulabat & Petrus ſuper aquas vt veniret ad Ieſum: quia priſtinæ dilectionis memor nonnulla ſumpta audacia, modica tamen fide ſequebatur longè poſt Ieſum: ſed vbi vidit vētum validum venientem, timuit, & timendo negauit: & negando ſubmergebatur, niſi Dominus illi porrexiſſet manum. Quòd verò ſummus Pontifex haberet oſtiariā ancillam, mirum eſſe non debet, quia etiam Rex Isboſeth aliam ancillam oſtiariam præfecerat domui ſuæ, vt dicitur in libris Regum, & propter debilem & negligentem cuſtodiam fuit interfectus. Rhode etiam mulier, vt in Actis refert Lucas, oſtiū Petro aperuit. Illa enim fortè conſuetudo tunc in illa regione inualuerat. Verùm infelix eſt Sacerdos, cuius ædes claudit, & aperit caro in ancilla oſtiaria ſignificata: & in horum domibus facilè cōtemnitur, & patitur Ieſus. Sed nobis maximè curandum eſt, vt fortem, & firmam cuſtodiam domui cōſcientię noſtrę adhibeamus, quę & ingredientes & egredientes diligenter inſpiciat, & ſciat qui ſint admittēdi & qui repellendi. Rectè cōſulit Sapiens: *Si non in timore Domini tenueris te conſtanter, citò ſubuertetur domus tua*; indicans timorem Domini optimum eſſe, & fortē cuſtodem. Nam qui belli tempore hoſtem fortem, & exercitatum non timet, in manifeſtum ſe diſcrimen obijcit: qui verò ſemper metuit, tutior eſt, ac ſecurior. Vnde Propheta fortitudinem vocat timorem: *Poſuiſti*, inquit, *fundamentum eius formidinem*; & filius eius, *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus*. Debet autem maximè timeri imbecilla caro, & tanquam inepta à munere oſtiarij abijcienda; & loco eius ſanctus hic timor de ſuis virib. diffidens, & in Domino ſpem ſuam totam collocans ſubſtituendus: quia niſi Dominus cuſtodierit ciuitatē, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam, quò per diligentē domus ſuę conſcientiæ cuſtodiam ad æternitatis domum peruenire mereatur, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto ſemper viuit, & regnat in ſeculis ſeculorum, Amen.

Matth. 26.

Supr. 14.

Petri olim in aquis ambulātis, propeque ſubmerſi dextra niſi Domini Ieſu tenente ſteti ſſet, qd prænotauerit.

2. Reg. 4.

Ibid.

Actor. 12.

Domibus olim cuſtodiendis ancillæ deſtinabantur apud Iudæos.

Oſtiaria ancilla quid denotet.

In quibus maxime locis contemnitur Ieſus.

Quales cuſtodes habere debeamus.

Eccleſi 27.

Optimus & fortis cuſtos quis.

Pſal. 88.

Prouer 28.

Carnis imbecillitas quare metuenda, & quid pro ea nobis ſtatuendum.

Pſalm. 126.

TRACTATVS XX.

De Interrogatione Ieſu per Pontificem facta, & alapa Ieſu impacta per miniſtrum, in illa verba: *Pōtifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius. Reſpondit ei Ieſus, Ego palàm locutus ſum mūdo, Ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo quò omnes Iudæi conueniūt, & in occulto locutus ſum nihil: Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt, quid locutus ſim ipſis: Ecce, hi ſciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixiſſet, vnus aſſiſtens miniſtrorū dedit alapam Ieſu, dicēs, Sic reſpondes Pontifici? &c.* Ioan. 18.

PRoximo Tractatu præſentationem Domini coram Anna in gratiam Pontificis Caiphæ factam explicauimus: iam ſequitur interrogatio facta à Pōtifice. Et quia, vt ſuperiùs oſtēdimus, hic Pontifex nō erat Annas, ſed Caiphas; intelligendū eſt Annā viſo Ieſu ligato, ſtatim honoris gratia ad Caiphā eum miſiſſe, vt textus Cyrilli & eius Commentarius expreſsè habent, ſicut ſuperiùs indicauimus. Quod ex eo etiā cōfirmatur, quia quater dicitur hic Pōtifex in ſingulari, ſiue ἀρχιερεύς Græcè: ꝙ nomen non quadrat niſi actu ſummum Pontificatum adminiſtranti. Nullibi autē Annas hoc in loco dicitur Pontifex, ſed ſocer eius qui erat Pōtifex. Idem oſtendit vis interrogandi: ꝙ non cōpetebat alteri, niſi Pōtificatum illo anno gerēti: & Chriſtus potuiſſet reſpōdere, Nō eſt tuum me interrogare, cùm à cōpetente iudice non interrogaretur. Tertiò, quia tres alij Euangeliſtæ referunt, Petrum ingreſſum in domum Caiphæ Pontificis; ergo Ioannes, cùm loquitur hic de Pontifice interrogante, exponendus eſt per alios tres, qui

Quis ille Pontifex Ieſum interrogauerit de diſcipulis ſuis, & de doctrina eius.

Cyrill. lib. 12. in Ioan. cap. 1. ini. tom. 1.

apertè exprimunt fuiſſe Caipham: quemadmodum quòd alij tres dicũt Petrum ingreſſum in domum Caiphæ, exponendum eſt, vt Ioannes declarat, non ſimpliciter, ſed per alium diſcipulum (qui creditur fuiſſe Ioannes) rogantem ancillam oſtiariam, vt eum admitteret.

His poſitis tanquam probabilioribus, & quibus dicta in ſpeciem contraria Euangeliſtarum faciliori negotio conciliantur, & negationes Petri vniuerſę in domo Caiphæ factæ colliguntur: ſequitur in textu, quòd interrogauit eum de diſcipulis, & de doctrina: De diſcipulis quidem, vbi nam eſſent, cur ipſos elegiſſet; & quid per eos facere cogitaret, & quod duodecim piſcatores contra duodecim Patriarchas, & 72. diſcipulos contra 72. ſeniores tanquam autor nouæ alicuius legis deſignaret, quodque ſi verus Meſſias fuiſſet, non deſeruiſſent eum. Hæc autem interrogatio eò tendebat, vt ipſum ſeditionis ſuſcitandæ alicuius, nouarumq; rerum moliendarum autoré, & affectati regni contra Romanos Principem conuinceret. Secundò interrogauit eum de doctrina, qualis eſſet, & vnde eam haberet, quodq; ab illa Moyſi, & Prophetarum diſſentiens eſſe videretur: item quod occulta eſſet, & angulos quæreret. Hæreticus ergo tu es, dicebat, atque ſeductor, qui noua quædam citra noſtram autoritatem inſtituta tradidiſti: vt de baptiſmo, & de infirmis oleo vngendis: cumque non ſis ex tribu Leuitica, autoritatem tibi docendi vſurpaſti. Non ergo obijcitur Ieſu quod ſit aut raptor, aut adulter, aut homicida; ſed tantùm quod docuerit, aut diſcipulos aſſumpſerit, & quòd ſilentio non fuerit contentus, ſed arguerit mũdum, & opera eius. Tales debent eſſe Chriſti cultorum mores, vt de nullo vitio reprehendi, aut conuinci valeant. Vnde Plinius Iunior ad Traianum ſcribit de Chriſtianis, quòd non ſe Sacramento in ſcelus aliquod obſtringerét, furta, latrocinia, aut adulteria non committerent, nec fidem fallerent, nec depoſitum appellati abnegarent; ſed tantùm quòd ſoliti eſſent ſtato die ante lucem conuenire, carmenq; Chriſto quaſi Deo dicere. Perpéde præterea, non fuiſſe malum quòd Chriſtum interrogaret de diſcipulis, & de doctrina: quia poteſtatis ſpiritualis munus eſt curare, ne aliena doceantur, vel ab alienis legitima poteſtate carentibus. Boni ergo ſpeciem obtendebat Pontifex, ſed mala ſuberat mens: quia ſciebat, vel ſcire poterat, ac debebat Ieſum à Deo eſſe miſſum, ac vera tantùm docuiſſe.

Pontifex ille quid Ieſum interrogauerit de diſcipulis eius. — *Luc. 6.* — *Interrogatio hæc Caiphæ quorſum ſpectaret.* — *De Chriſti doctrina quid Caiphas interrogauerit.* — *Iacob. 5.* — *Quales debeant eſſe Chriſti cultorum mores.* — *Plinij Iunioris honorificum de Chriſtianis teſtimonium.* — *Poteſtatis ſpiritualis munus quod ſit.*

Reſpondit ei Ieſus, Ego palam locutus ſum mundo, &c. De duobus fuerat Chriſtus interrogatus, ad alterum tantùm reſpondet, id eſt, ad doctrinã: ſilet de diſcipulis: vel quia illa interrogatio pẽdebat ex articulo de doctrina; quia qualis doctrina, tales & diſcipuli, vt diſcipuli eſſe prçſumũtur, vel quia de diſcipulis parum boni nouerat, quia vnus tradiderat, alter erat negaturus, oẽs verò eum deſeruerant: docens non ſtatim reuelandas aliorũ infirmitates, ac defectus. De doctrina autem reſpondet vbi, & corã quibus docuerit, non aũt quid docuerit, quia ſciebat Pontificem maligno animo interrogauiſſe. Et quia multitudini teſtium certior fides haberi ſolet, quàm ſingulari perſonæ, maximè cum de re eius agitur, propterea inquit: *Ego palam locutus ſum mundo, Ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo quò omnes Iudæi conueniunt. Et in occulto locutus ſum nihil.* Ex duobus namq; aſſignat facilitatem, qua poſſit certior fieri de eius doctrina, ſcilicet ex vniuerſitate auditorum, quia palam totius mundi hominibus locutum ſe aſſeruit: & de ſingularitate locorum, vbi docebat, ſcilicet templo, & ſynagoga, vbi nõniſi grauia, & probata docere fas erat: nam eò oẽs Iudæi conueniebant. Per Iudæos, intellige Principes, & inſigniores Iudæorum: ita enim illa voce per antonomaſiam Euangeliſta vocat Iudæorum primores: quemadmodum alibi ait: *Miſerunt Iudæi ab Ieroſolymis Sacerdotes, & Leuitas:* & rurſus: *Iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, &c.* Et poſt reſurrectionem Apoſtoli manebant in cęnaculo clauſis foribus propter metum Iudæorum. Illi dicto: *Et in occulto locutus ſum nihil*, obſtare videtur exemplum Samaritanæ: niſi ipſa permiſſione eius publicè prædicaſſet: *Venite*, inquit, *& videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunq; feci.* Dominus verò loquitur communiter, ac vt plurimum. Quod ergo attinet ad doctrinã, Chriſtus non tacuit, ne ipſum eius pœnitere videretur, ſed eã confirmat, conſtanterq; veritatem nos aſſeuerare docet, propterea ait: *Ego palam locutus ſum mundo.* Quia omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur operá eius; Et, *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine.* Quicquid ergo Chriſtus docuit, voluit eſſe publicum, & omnibus notum, ne qs excuſationẽ aliquã poſſet obtendere.

In ſynagoga, & in templo. Imò & in nauibus, & montibus, & campis prædicabat: hinc Salomon: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua.* Expreſſit ergo vbi, & corã quibus ſit locutus, non autem qualem doctrinam: ſed in eo prouocat

Quare Chriſtus interrogatus de diſcipulis, & de doctrina, de hac tantùm reſponderit. — *Chriſti documentum.* — *Per Iudæos Chriſti auditores quos intelligat Euangeliſta.* — *Ioann. 1.* — *Infr. 9.* — *Infr. 20.* — *Vt ſit verum illud: In occulto locutus ſum nihil.* — *Ioann. 4.* — *Malefici ingenium.* — *Ioan. 3.* — *Matth. 10.* — *Quam publica Chriſti doctrina ſemper fuerit, eiuſque prædicatio.* — *Prou. 1.*

ad auditores ſuos, quod eſt ſignum fidentis in veritate dictorum: quod falſi Doctores non facerent propria eos abſterrente conſcientia, q̃ eis dictat doctrinam eorum lucem ferre non poſſe. Hæretici interrogati non ſolent ad ſuos vel libros, vel auditores confugere, ſed propria verſutia volunt errata ſua defendere: nec libris, nec auditoribus ſimplicioribus (qui ſtatim rem, vt ſe habet, euomunt) ſatisfit. Diſcipuli ergo mei ſunt, quotquot eſſe voluerunt, Ego neminem excepi, omnes docui, quantum in me fuit, omnes doctos volui.

Signum bonæ doctrinæ.

Hæretici doctrinam quomodo tueātur ſuam.

Et in occulto locutus ſum nihil. Quò ſcilicet occultos mihi aliquos diſcipulos facerem, quibus ſeditionem in populo ſererem, aut ſecreta ſpargerem venena, vt Hæretici. Vnde per Eſaiam ait: *Non in abſcondito locutus ſum, in loco terræ tenebroſo.*

Quare Chriſtus in occulto locutus ſit nihil.

Eſa. 45.

Quid me interrogas? interroga eos qui audierunt. Taxat malam interrogationem, & minime iuridicè factam. Cùm enim æquitas legum, etiam profanarum poſtulet, nemini manum inijciendam, niſi prius vehemens criminis ſuſpicio aliquem grauet: adhæc cùm de re publica ageretur, præteritis quos ad manum habere poterat teſtibus multis; interrogabat eum, qui tanquā reus aſtabat, cùm in iudicio reo de ſe loquenti fides non habeatur. Taxat & ignauię, quòd publicam doctrinam non audiſſet is, cuius erat proſpicere quid doceretur. Magnates enim ſæpè, ſiue per ſuperbiam, ſiue per alias occupationes auocati rarò verbo Dei audiendo vacant: ſic & Herodes etſi Chriſti audiendi deſiderio teneretur, tamen ad illum videndū exire dedignabatur. Significat ergo Dominus: Quid me interrogas quaſi ſeductorem hominem? tanquam ſi diceret; Ille de cauſa neceſſariò interrogatur, cuius cùm de facto conſtet, facti tamen modus neſcitur. Sic neceſſariò Ioſue requirebat ab Achan quid feciſſet: deprehenſus enim erat per ſortem quòd peccaſſet, quid verò peccaſſet, ignorabatur. Ego autem, cuius cauſa à te nunc tota in doctrina conſtituitur, palàm locutus ſum, hæreſim non docui, ſed veritatem: nec enim hæc res in angulo geſta eſt, nec lucem odit: cur auditores nō interrogas? aut quid damnas verbum non auditum? Solent enim magni Prælati, & Principes huius ſeculi rarò accedere ad conciones Sanctorum virorum, ne aliquo verbo à concionatore notentur, aut ne oriatur vlla contentio de præſidentia, & loco digniori. Adhæc quid me reum interrogas; quem indignum iudicas cui credatur? Si malum eſt docuiſſe; malè agunt omnes legis interpretes. Si verò malè docui,

Chriſtus cur ſic Caiphæ reſpōdit: Quid me interrogas? interroga eos qui me audierunt. Mos iudiciorum. Caiphæ ignauia ſuperbia.

Luc. 23.

Ioſu. 7.

Vnde Principū ſeu Eccleſiaſticorum, ſeu laicorum adeò rarus verbi Dei auditus.

hoc oportebat te non ex propria ſuſpicione, & inuidia, nec ex calumniatoribus, ſed ex auditoribus diſcere. Et quia non permittitur in legitimo iudicio, vt quiſquam ſibi teſtis ſit; ideò more, & lege iudicij ad auditores meos appello. Quid ergo me interrogas? Quaſi dicat; Iudex non debet quærere quæ neſcit, ſed ea, de quibus præcedit accuſatio, vel infamia, vel ſaltem ea, de quibus iudicia probabilia extiterunt.

Bonus, & prudens iudex, quæ nō debeat interrogare.

Ecce hi ſciunt quæ dixerim ego. Cunctos meos auditores teſtes facio, illorum me teſtimonio committo: dicant ſi quid eis non benę à me dictum videatur, mihi enim id nunc dicenti non crederes, ſed potius putares me fingere, vt liberarer: quare incorruptos hos tuos teſtes interroga. Et adeò auditores non timeo, vt etiam tuta eſſe ſciam ab aduerſarijs, quæ docui. Ideò non dixit, interroga diſcipulos meos, amicos meos, vel cōſanguineos meos, ſed generaliter omnes auditores: tanta eſt veritatis confidentia, vt ſola poſſit dicere: Neminem timeo: nulla alia doctrina, vel Platonis, vel Ariſtotelis adeò perfecta eſt, vt hoc dicere valeat. Et dicendo: *Ecce hi ſciunt quæ dixerim ego,* duas aſſignat rationes, propter quas eis, ad quorum relationem tranſmittebat ſe, fides eſſet habenda: alteram, quòd ipſi ab eo immediatè talem doctrinam audiſſent, & ita non erat auditus ex auditu; alteram verò, quoniam ſciunt quæ dixi. Nam plures audiunt, qui tamen neſciunt ea quę audierūt: hi verò & audierunt à me, & omnia planè ſciunt quæ locutus ſum. Quia verò ipſe interrogabat, vt aliquid expiſcaretur ad calumniam ſtruendam; quod opus eſt iniqui iudicis: Chriſtus ad publicum teſtimonium etiam inimicorum, quo nullum poteſt eſſe certius, & innocenti ſalubrius, confugit. Quare Chryſoſtom. in Ioannem hoc ponderans, ait, quòd non reſpondit arroganter Pontifici, ſed fretus veritate: *Id enim,* inquit *veritatis maximum eſt argumentum, cùm quis inimicos in teſtimonium adducit.* Sic ille. Quia ergo Pontifex malè interrogabat, dignus fuit hac ſenteriuſcula Chriſti reſponſione: qui in reprehendendo errare non poterat. Sic etiam percutientē ſe reprehendit miniſtrum. Quoniā ergo decreuerat mori, liberè & cū maieſtate reſpondit, ne quis metu, & fracto animo reſpōdiſſe poſſet exiſtimare, cū liber, & nondum captus liberè, & intrepidè Principes ſæpè reprehendiſſet. Nā hypocritæ digni erant reprehēſione, & non erāt palpandi; vix enim ſic intelligunt. Caietanus in Tētaculo quodam exponit: Quid me interrogas? Dominum petere cauſā talis interrogationis, vt poſſet reſpōdere. Id eſt,

Quanta veritatis confidentia.

Quorſum id. Ecce hi ſciunt quæ dixerim ego.

Opus iniqui iudicis.

Chryſ. ho. 82. in Ioann. ante med. tom. 2.

Maximum veritatis argumentum.

Chriſti libertas in reſpondendo.

Caietani ſenſus refellitur eorum verborum Domini, Quid me interrogas.

Si mihi conſtaret cur me interrogas, ego tibi reſpõderem. Sed certè huic ſenſui aduerſantur verba, quę ſequuntur: Interroga eos qui audierũt. Arguit enim Pontificem per priora verba de mala, & captioſa inquiſitione, & contra morem iudicum: quia cùm res eſt publica, non rogatur primò criminis reus, ſed illi, qui ſcire publicè potuerunt. Vnde dixit: Interroga eos qui audierũt: ecce hi ſciunt quæ dixerim ego. Non ergo quærit cauſam, vt poſſit reſpondere; ſed arguit ſuperfluam, & malignam inquiſitionem. Deinde impium eſt aſſerere Chriſtum dubitaſſe: quia Dominus ſciebat illã Põtificis interrogationem illegitimam eſſe, & malitioſam. Vnde fruſtra expectaret ſcire cauſam aliquam iuſtam ſuæ interrogationis, cùm ſciret eos inuidia vti, & calumnijs agere.

Alter Caietani ſenſus eiuſdẽ ſententiæ reijcitur.

Secundò exponit Caietanus: Quid me interrogas? id eſt, Quid eſt illud quod me interrogas? ſicut Paulus dicens, Quid me vis facere? rem præceptam rogabat, id eſt, Aperi articulum, quænam me ſcire vis? Sed huic ſenſui occurrit ratio literæ diuerſa, magna enim eſt differẽtia inter verba Pauli in quibus Quid, non eſt aduerbium, ſed manifeſtè rem pręcipiendam petit, & inter Domini ſermonem, in quo Quid, tantùm valet, quãtum, ad quid, vel quare, vel cur, vt omnes interpretantur. Deinde iam perſpicua erat res, de qua quęrebatur per multos ſermones, id eſt, de eius doctrina, & diſcipulis. Tertiò, quia Dominus interrogari amplius nolebat, neque reſpondere ad ea, quæ Pontifex interrogauerat, tùm ex ſuperioribus, dicendo: *Ego palã locutus ſum mũdo, &c.* tùm ex ſequentibus, cum inquit: *Interroga eos, qui audierunt*, admonẽs, vt more legitimi iudicis ageret. Quartò, non eſt verũ, quòd ſi de aliquo interrogaſſet, Chriſtum reſponſurum fuiſſe: hoc enim dum abſoluit Chriſtum ab arrogantis calumnia, facit eum ignorantem, quaſi neſciret illud, ſuper quo legitimè interrogari poſſet; cùm iniqui eſſent oẽs illi cœtus, & per inuidiam eos agere Pilatus ipſe cognouiſſet, & Ioſephus in lib. Antiq. hoc ſit teſtatus. Quintò objicitur, quòd ſeruus percuſſit Dominum ob illud dictum, dicens: *Sic reſpondes Pontifici?* quòd nõ fuiſſet ad ſenſus duos primos. Eſt ergo ſenſus, ꝙ calumniator Pontifex volebat capere Dominum in ſermone: hinc de doctrina, & diſcipulis interrogat; Vt ſi quid laudis propriæ doctrinæ afferret, eũ continuò ſuperbię accuſaret. Si nouum quid ꝙ cõtra Moſem, & Dei inſtituta videretur docere, ea ratione eũ reum læſæ maieſtatis, & ſoluentem Sabbatum accuſaret. Dominus autem cum videret eum dolo interrogare, & quod formam iudicij nõ ſeruaret, reiecit tanquam illegitimè interrogantem: quod enim patens, & publicum erat, & aliunde ſciri poterat, non ſine iniuſtæ calumniæ ſuſpicione cœpit ab ipſo reo extorquere.

Illud Pauli ad Chriſtum: Quid me vis facere, quomodo accipiendum.

II. Ratio. Contra ſenſum Caietani. Tertia.

Quarta.

Ioſeph. lib. 18. Antiq. cap. 6.
Quinta.
Vera ſententia eorum verborum Domini traditur.

Caietani obiectiones nonnullæ ſoluuntur, pro ſuo ſenſu.

Obijcit Caietanus, ſuperfluũ videri hoc quod dixit Ieſus, *Quid me interrogas*; cùm iam dixiſſet, doctrinam ſuam eſſe publicã. ſed certè non fuit ſuperfluũ, quia his verbis interior Pontificis calumnia magis exprimitur, & detegitur: quaſi dicat; Cum ſit publica doctrina mea, ita vt non ſit iuſta cauſa me interrogandi, quid eſt quòd me interrogas, niſi quòd mala mens, & malus animus te agitat? Deinde obijcit Caietan⁹, quòd non videtur Dominus ſeruaſſe manſuetudinẽ arguendo ſuperiorem, cùm Dominus ipſe ſe gereret pro ſubdito. Reſpondemus negando, modeſtiã non ſeruaſſe: id enim facit Dominus, qui errare non poterat. Deinde Annas eius non erat legitimus iudex anni illius: imò ſi fuiſſet Caiphas ſecundum ſententiam Cyrilli, cùm in ea re contra Dominum non ſe, vt Pontificem, & iudicem gereret, ſed vt vulpem ſubdolã, & canem mordacem, & venenatum ſerpentẽ, debuit à Domino libero reſpõſo officij ſui admoneri. Ideò modeſtiſſimis verbis confutatus eſt à Domino pro veritate, ſicut olim Paulus alapa percuſſus dixit ad Ananiam Pontificem: *Percutiet te Deus paries dealbate. Et tu ſedens iudicas me ſecundùm Legem; & contra Legem iubes me percuti?* Quòd dixit cõtra iudicem non ſe vt iudicẽ gerentem; qui tamen cognouit Pontificem, tùm ex loco, in quo ſedebat pro tribunali, tũ à ſigno veſtium, quibus erat diſtinctus. Ad hęc verba Domini exactè penſata nullã iniuriã pręſe ferunt, ſed puram annuntiant veritatem, propter quæ potius confundi & reſipiſcere debuit iniquus Pontifex, & illud inprimis ſcire, ꝙ omnis poteſtas à Deo eſt in ædificationem data, & non in deſtructionem; & quòd nõ ſint domini ouium, ſed paſtores. Poſtremo ex Domini alapa percuſſi, ſingularis in reſponſo eius apparet manſuetudo: *Si malè, inquit, locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, &c.* Vbi ritum, & formam boni iudicij exegit. Sicut enim non erat examinandus in re præſertim publica, ante accuſationem, ita nec ante teſtimonium malæ locutionis redditum, à ſeruo vel ad nutum iudicis percutiendus.

II. Obiectio.

Dominum Ieſum, ita vt dictum eſt, Caiphę reſpondẽdo, nequaquã vt Caietanus contendit, immodeſtius reſpondiſſe.
Cyrill. lib. 11. in Ioan. c. 46. tom. 1.

Actor. 23.
II. Ratio.
Quò id reſpõſum Domini ſpectaret tantummodo.

Sapient. 6.
Rom. 13.
2. Cor. 10.
III. & poſtrema.

Hæc autem cùm dixiſſet, vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: Sic reſpondes Pontifici? Hic miniſter Iudęorum ægrè tulit ſe allegatum fuiſſe in teſtem, & ſibi tantum

Caiphæ miniſter impius ille cur dedit alapã Ieſu, quin quę ob cauſas.

honoris habitum eſſe, vt eſſet aut diſcipulus, aut doctrinæ eius teſtis. Nam dixerat Dominus; *Ecce hi ſciunt quæ dixerim ego*: dicẽdo enim, *Hi*, videtur eum cum alijs præſentibus demonſtraſſe. Hinc infelix dum gratificari vult Pontifici, ſeipſum falſi, ac maligni teſtis vitio condemnauit. Dedit igitur alapam. Inprimis, vt oſtenderet ſe doctrinæ eius non velle eſſe teſtem. Deinde, vt docent Cyril. & Theophyl. vt ſe oſtenderet non fuiſſe ex illis miniſtris, qui olim miſſi ad capiendum Dominum, & reuerſi dixerunt; Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic loquitur. Tertiò, hoc fecit, ne quis alius auderet teſtimonium pro eo ferre. Quartò, vt gratiam Pontificis venaretur, & rem gratã præſtaret Domino ſuo: qui vel pręcepit, vel nutu indicauit, vt percuteret, vt olim Ananias iuſſit percuti Paulum; vel ſi non præcepit, nec innuit, fuit cauſa miniſtro, vt percuteret: nec minus gratum officium præſtitit, quàm ſi ex præcepto percuſſiſſet, & vt hinc addiſcas quã procliuis eſſet Pontifex ad irrogandam iniuriam, & quale fuerit eius indicium. Iniquum enim eſt iudicium, vbi quilibet ante ſententiam poteſtatem habet in reum. Deinde iniquus eſt iudex, qui videns reum ante datam ſententiam affligi, tacet, & nõ prohibet, vel ſaltem non reprehendit, vt partes ſuę erant: at multò magis, ſi videat innocentem, & iuſtum ligatum affligi. In iudicio enim permittitur reo liberè, pro ſe loqui, habetque etiam apud Gentes, iudiciorum æquitas, vt facinoroſus iam comprehenſus, & vinctus nulla iniuria, aut pœna afficiatur, niſi ſententia ſecundùm Leges à iudicibus iuris lata. Ad hæc apparet iniquitas miniſtri, qui apertè teſtatur iniquitatem Domini ſui. Secundum enim iudicem populi, ſic & miniſtri eius, & in alio loco; *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios.* Sed væ talibus miniſtris, de quibus ita ait Propheta: *Quoniam Deus diſſipabit oſſa eorum, qui hominibus placent:* & Paulus: *Si hominibus placerem: Chriſti ſeruus non eſſem.* Placere ergo in malo hominibus, graue peccatum eſt; at in bono placere, ſanctum & laudabile. Vnde Paul⁹ dicebat; *Ego per omnia omnibus placeo:* Et iterum; *Vnuſquiſq; veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem.* Fuit autem hæc alapæ impactio, grauiſſima, ac atrociſſima cõtumelia, quia illata fuit homini iuſto, & innocenti, imò Filio Dei, & vt Ioannes põderat, alligato, & ante cauſæ cognitionem. Hinc Chryſoſt. ſuper hæc verba: *Quid hoc impudentius? Exhorreſcat cælum, contremiſcat terra de Chriſti patientia, & ſeruorum impudentia.* Et B. Ephrem. ſerm. De paſ. Domini: *Creator qui de puluere terra hominem finxerat per gratiam, à manibus, quas ipſe formauerat, alapam accepit. Serui quidem omnes cùm liberi efficiuntur, accipiunt alapam, vt mortali libertate potiantur: at ipſe (ô infelix) cum ſit omnium liberator, iniuſtè colaphizatur. Quin putas ita piè mercedem accipere à Caipha? alapam quidem dediſti omnium Domino; ſed ſeruus ſeruorũm factus es in æternum.* Sic ille. Et profectò dignus erat hic ſeruus in nihilum redigi, niſi ab illo quem percuſſit, ſeruaretur; imò, niſi ipſe percuſſus prohiberet, omnis creatura in impium illum ſui factoris iniuriam vindicatura inſurgeret. Sic enim creaturæ ſæpè vindictam in eos, qui cõtra ſeruos Dei deliquerunt, exercere ſolitæ ſunt. Nam terra Core, Dathan, & Abiron contra Moyſem tumultuantes deglutiuit, aqua maris ſubmerſit Pharaonem cum exercitu ſuo populum Dei inſequentem; ignis ciues Sodomę infames, & inhoſpitales, & quinquagenarium cum ſuis quinquaginta bis miſſis cõtra Heliam diuinitus puniuit; vrſi pueros quadraginta duos irridentes Heliſæum, & contemptim iactantes, *Aſcende calue, Aſcende calue,* dilaniarunt; Ananias & Sapphira repentina morte vno Petri verbo extincti ſunt. Vt videas quam ſit parata omnis creatura ad vlciſcendas iniurias Creatoris ſui. Deinde fuit grauis hæc iniuria, quia prima fuit, & ita alijs audaciam idem faciendi præſtitit. Vt enim qui primo virtutem amplectitur ſingularem, alijſque eius conſectandæ exemplum præſtat, peculiari ratione dignus eſt gloria, & Stephanus Protomartyr, qui primus pro Chriſto mortem ſuſtinuit: ita qui enorme aliquod flagitium operatur, eiuſque perpetrandi præbet documentum, peculiari dignus cenſetur ſupplicio. Tertiò habuit & aliam circumſtantiam: quia inſonuit per totam aulam, cùm fortiter fuiſſet impreſſa; & ob riſum, & gaudium, quod tùm Pontifici, tùm Iudæis aſſiſtentibus concitauit, qui omnes tali contumeliæ irrogatione oblectati ſunt. Quartò, meditantur quidam manu ferrea chirotheca armata impactam fuiſſe? & ob eam cauſam ſignum talis alapæ in facie remanſiſſe: quod ex veſtigio cicatricis in Veronicæ imagine, quæ Romæ magna religione aſſeruatur, & colitur, relicto comprobari ferunt. Tantaque fuit, vt faciem Chriſti ad iudicem conuerſam, in alteram inflexerit partem, & vt ait B. Vincentius, in terram Dominum proſtrauerit. Quintò, ſi ſeruus iſte, vt quidam tradunt, fuit Malchus à Chriſto in horto ſanatus, vel cognatus eius, iniuria fuit ingratiſſimi hominis,

Marginalia (left): *Cyril. Alexã.* *Theophylact.* *Ioan. 7.* — *Actor. 23.* — Iniquum iudicium quando iudex iniquus. — *Eccleſ. 10.* *Prou. 29.* *Pſal. 52.* *Galat. 1.* — *1. Cor. 10.* *Rom. 15.* *Chryſ hom. 81. in Ioan. ante med. tom. 3.*

Marginalia (right): *B. Effrem* — *Gen. 2.* — Serui omnes libertatem acceptu[r]i cur accipiant alapã autore Chryſoſtomo. — Quod creaturæ in ſeruos Dei vlciſcãtur iniurias. — *Num. 16.* — *Exod. 14.* *Gen. 19.* *4 Reg. 1.* — *Infra 2.* — *Actor. 5.* — II. Ratio. — Simile. — *Actor. 7.* — Tertia. — Quarta. — *B. Vincentius* — Quinta. Quis fuerit ille miniſter, qui a-

lapam Domino inflixit, ſecundum quoſdam.
Luc. 22.

hominis,& tantum beneficium,quantum accepit,minimè agnoſcentis: fuitq́ue à viliſſimo ſeruo illata in perſonam digniſſimam, & in partem eius honorabiliorem, hoc eſt,faciem, ſiue vultum formatum ab Spiritu ſancto, & à beata Dei genetrice ſanctis, & pudiciſſimis oſculis frequenter cōtactum, demum beantem cœlos, videnteſque eum conſolantem,iuxta illud: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*, atque omnes non malè affectos ad amorem ſui allicientem,ac prouocantem.

Luc. 10.

VI. Ratio.

Sextò fuit coniūcta hæc iniuria cum altera linguæ alapa, cum dixit: *Sic reſpondes Pontifici?* id eſt, tanta vteris confidentia; quæ tamen licita eſt, cum coniuncta eſt veritati: quaſi diceret; Non attendis quàm vilis tu ſis, & quā glorioſus dominus meus Pontifex ſit? Si Malchus fuit,nō dixit; Quare abſcidit auriculā mihi vnus ex tuis diſcipulis? quia ſuperbus erubeſcebat ſe percuſſum, & poſteà à Chriſto ſanatum profiteri.

Quorum typū gerat hic impius miniſter.

Geritq́ue typum hic ſeruus omnium illorum miniſtrorum, qui in aulis Principum, vt dominis ſuis adulentur, Chriſtum in pauperibus percutiūt, dum contra fas omne,& ius pauperes ſpoliant,& opprimunt, quò loculos dominorum ſuorum impleant. Tacuit Pontifex,ac diſſimulauit, apud quem qui eius fortè canem percuſſiſſet,non abijſſet impunis:hęc quippè eſt tyrannorum natura, vt canes pauperibus, ac probis viris chariores habeant,vt diuitis Epulonis illius docet exēplum.

Tyrannorum ingenium.
Luc 16.
VII. Ratio.

Poſtrema circumſtātia huius iniurię fuit,quòd de illa Dominus conqueſtus eſt, dicens: *Si malè locutus ſum,&c.* Siue quia fuit prima, & ante cauſę cognitionē, & condēnationem,ſiue quia Chriſtus erat alligatus, & afflicto non erat ſine cauſa danda afflictio; ſiue ob ingratum, & immemorē animum Malchi, ſi Malchus fuit.

Seruum iſtum Chriſti in faciem percuſſorem qui videantur imitari.

Quòd ſi tu, bone Lector, indignationem concipis iuſtam contra hunc ſeruum ſemel Chriſtum ignotum cædentem ſine cauſa; oculos in teipſum conuerte, & agnoſces te Dominū ligare, dum eius inſpirationibus reſiſtis, & manibus malorum operum cædis: non ſemel,ſed pluries; nō iam Chriſtum ignotū, vt ille, ſed notum Meſſiam. Deiq́ue filium noſtriq; amantiſſimum redemptorem: cędiſq; plerūque non in gratiā Pontificis alicuius, ſed viliſſimæ meretricis, vel ſordidi hominis,vel leuiſſimi lucri cauſa.

Chriſti documentum inflictam ſibi alapā ſuſtinentis.

Docet te hæc alapa,bone Lector,patientiam,& māſuetudinem, qui ne vnum quidē aſperius verbum propter hunc ipſum Chriſtum ferre vales: mox enim ira excruciatis, exprobras,comminaris,murmuras,nec expectas Dei pro te vltionem, de quo dicitur: *Mihi vindictam,& ego retribuam*, ſed mox meditaris repenſionem iniuriæ,non ſimplicis, ſed duplicatæ,q̄ in verbis, ac factis cōtumelioſis conſiſtat.

Rom. 12.

Quòd ſi iniuria nō ſuccedat tā ampla,quā deſiderabas, animo angeris, & grauiter ferre te prodis: ꝙ ſi pro voto repēderis iniuriā,de illa apud alios gloriaris, tibi vt verè illud dici poſſit: *Quid gloriaris in malitia,qui potens es in iniquitate?*

Qui glorietur in malitia, qui potens eſt in iniquitate iuxta Prophetam.
Pſalm. 51.

Cùm tamen videas Regem illū gloriæ publico in loco, à viliſſimo ſeruo tam grandē cōtumeliam ſuſtinuiſſe, & vt Petrus monuit, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exēplum, vt ſequamini veſtigia eius: memento tibi inimicis parcēdi regulā præfigi.

1. Petr. 2.

Acceptas iniurias vindicaturus, quos adhibeat conſiliarios, infelix ille.

Perpende neminē Chriſto,aut ditiorē aut nobiliorem,aut ſanctiorē,aut prudentiorem. Quādo iniuria ſimili aliqua fueris affect⁹, noli in conſiliū adhibere quatuor conſanguineos,vel amicos tuos, quorū cōſilia nihil niſi carnem & ſanguinē ſapere poſſunt. Conſule quatuor Euangeliſtas,Chriſtū tuum,& Apoſtolos:hos tāquā fidos,& veros amicos in conſiliū aduoca, & te docebunt quid facto opus eſt, & quid ſit Deo magis glorioſum, & tibi magis ſalutare.

Occurritur excuſationi dicentiū: Mihi quidem non infligitur alapa propter Chriſtum.
Matth 5.

Dices fortaſſe; Mihi nō infligitur alapa ꝓpter Chriſtum,& fidem. Sed nec Chriſtus dixit: Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam propter Chriſtū, vel fidem: ſed ſimpliciter dixit: Si quis te percuſſerit; vt quacunq; de cauſa percutiaris, patienter feras, manſueteq; te geras, ac modeſtè:& ſciebat Chriſtus Chriſtianum,alterum Chriſtianū percuſſurum,etiam extra cauſam fidei. Tuum eſt magno animo propter Chriſtū parcere,etiamſi mundus non credat, ꝙ Chriſti amore ignoſcas: ſatis eſt ſi Chriſtus nouerit, qui ſuo tempore id vniuerſo Orbi magna cū tua laude, & gloria patefaciet.

Alapa Domino inflictæ figuræ, atque vaticinia.
3. Reg. 22.

Hæc alapa fuit figurata in Michęa Propheta percuſſo,quem Sedechias in maxilla verberauit,dicens: *Me ne ergo dimiſit Spiritus Domini, & locutus eſt tibi?* & in Iobe, qui non tam in ſua, quàm in Chriſti perſona ait: *Percuſſerūt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis.*

Iob. 16.

Prophetata autē fuit primùm ab Eſaia Propheta,dicente: *Faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me*; & à Ieremia, *Dabit percutienti ſe maxillam,ſaturabitur opprobrijs:* & à Michæa, *In virga percutient maxillā iudicis Iſrael.*

Eſa. 50.
Thren 3.
Mich. 5.

Quare Chriſtus reſponderit miniſtro ſe percutienti.

Reſpondit ei Ieſus, Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: Si autem bene, quid me cædis, Ceſſante ſummo Pōtifice à munere ſuo: corripiēdi,Domin⁹ nō ceſſat ab officio ſuo corrigit enim ſeruū apertè, & Pontificē tacitè in eius crimē conſentientē.

II. Ratio.

Deinde nō tacuit,ne tacendo videretur probare dictū mini-

miniſtri, quòd malè eſſet locutus non ex impatientia, ſed ad confirmationem ſuæ doctrinæ: putabat enim ſeruus totam doctrinam ſuam, quam Chriſtus defenderat, alapa reprobaſſe: ideò reſpondit ſtulto, vt doceret doctrinam ſuam talē eſſe, vt propter verba, vel propter verbera, & mortem minimè deſerenda ſit, vel à ſe, vel à nobis.

Tertia.

Tertiò reſpondit, vt lucraretur ſeruum peccātem plus in Deum, & in animam ſuam propriā, quàm in Chriſtum: non enim propter patientiam erat officio ſuo errantem corripiendi ſolutus. Quod ſi obijcias, illi minimè tunc profuiſſe. Sit ita: quid ſcis an poſteà profuerit? Nobis certè quàm maximè profuit: & ſaltē Chriſtus muneri ſuo non defuit, quò gloriam Dei illuſtraret.

Quarta. *Matth. 5* Pręceptum de pra benda altera maxilla ſe percutienti, vt intelligēdum ſit. *B. Aug. lib. 1. de ſerm Domini in monte c. 33 34. 35. 36 tom. 4. Actor. 23.* Paulus cur inique increpuit Ananiam Pontificem. *Idem tract. 113. in Ioan. poſt med. tom 9. Ioan. 1.*

Quartò, vt doceret nos ſuo exemplo de obuertenda altera maxilla in percutientem. Magnum enim illud patientiæ exemplum non tam in corporis oſtentatione, quam in cordis præparatione, iuxta doctrinam B. Auguſtini, ſitum eſſe declarauit. Nec Chriſtus ergo, nec Paulus illud præceptum ad literam ſeruarunt, quia cauſa gloriæ Dei aliud poſtulabat: ſed Paulus corripuit iniquitatem iudicis, qui iuſſerat ſeruo, vt eum percuteret, Chriſtus verò nō ſe vindicauit, nec maledicta regeſſit, ſed blandè, & manſuetè monuit ſeruum, vt reſipiſceret. Hinc Auguſtinus in Ioannem, ita inquit: *Quid iſta reſponſione verius, manſuetius, iuſtius? Si cogitemus quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui percuſſit, aut cæleſti igne conſumi, aut terra debiſcente ſorberi, aut correptum dæmonio volutari, aut aliqua huiuſmodi qualibet pœna, vel etiam grauiore puniri? Quid enim horum per potentiam iubere non potuiſſet, per quem factus eſt mundus; niſi patientiam nos docere maluiſſet, qua vincitur mundus?*

Patientia vincitur mundus, teſte Auguſtino.

Hæc egregiè ſanctus ille Pater, qui etiam egregiè notauit, cum eſſet Dominus alligatus, non opus erat, vt alteram malam percutienti obuerteret, cùm iam totum corpus, & ſe ipſum integrum tradidiſſet, & in manu iudicum eſſet. Supererat ergo, vt tantum corriperet hominem, ne in errore verſari eum ſineret.

V. ratio reprehenſi à Domino ſerui percutientis maxillam.

Præterea non ſe ipſum, ſed ſuam reſponſionem defendit, ne fateri videretur ſe malè Pontifici reſpondiſſe, ſi tacuiſſet, & alteram malam obuertiſſet. Quod Cyprianus Martyr conſiderauit: ob id enim ait Dominum Ieſum reſpondiſſe; ne ſi taceret, aut aliam genam obuerteret, videretur confiteri ſe non ea qua decebat reuerentia ad Pontificem reſpondiſſe.

Cyprian. lib. 1. epiſt. 3.

VI. & poſtrema.

Poſtremò hac ſancta obiurgatiuncula, blandaque ſerui reprehenſione, quam intus facit in conſcientia peccatorum obiurgans eos, & cum eis expoſtulans: Cur me cædis ſuperbe, auare, laſciue, inuide, percuſſor, detractor, niſi vt Satanę voluntatem expleas, tuumque exitium ſempiternum accerſas? aut, Cur me cædis, qui tanta pro te, ne me cæderes, ſed à peccatis abſtineres, ſuſtinui, tantaque in te beneficia contuli? Præterea quid me cædis fœnerator, fornicator, vindictæ appetens, quaſi malè docuerim prohibendo hæc peccata? Impone finem percuſſionibus tuis, ne in æternum percutiaris. Has enim, & ſimiles obiurgationes veritas facit, etiamſi à nobis aliquando minimè accepterentur.

Chriſtum qui percutiant in maxillam, atque adeo in totum corpus ſuum.

Quid eſt: Si malè locutus ſum, &c.

Iam expendamus verba: *Si malè locutus ſum*, Non ait, ſi mala, ſed ſi malè, id eſt, malo animo, prauaque ratione, teſtimonium perhibe de hoc prauo modo, pro quo in me iniurius extitiſti, meque turpiter dehoneſtaſti. Non eſt enim malum, vel ſuperbū conſtanter loqui pro veritate, & in illa gloriari, & illam obijcere iudici ad patrocinium. *Teſtimonium perhibe de malo*, Id eſt, Tuum non eſt mox vindicare, ſed teſtari, & oſtendere quòd mala ſim locutus; maximè cùm tu non ſis iudex, ſed ante iudicē conſiſtas. Si verò benè locutus ſum, non ſolùm non ſum dignus vituperatione, ſed laude, & commendatione.

Quid etiam: Teſtimonium perhibe de malo.

Sensus alter.

Poteſt & hic eſſe ſenſus; ſi malè locutus ſum: Id eſt, ſi dum prædicabam, falſa docui, & contraria diuinæ Legi, teſtimonium perhibe de malo: nam in hoc quoque te teſtem produxi, cùm omnes, qui me audierunt, adduxi: & ne me cædas, ne alioqui teſtimonium tuum ſit ſuſpectum, vt qui à tāta iniuria cœperis, Id eſt, Adhuc tibi parco, & do alapam inflictam pro non inflicta, vt teſtimonium tuum valere poſſit contra me, ſi teſteris me in aliquo malè docuiſſe: quod ſi ita eſt, puniri volo. Si verò bene docui, pro bono opere docendi non mereor percuti, ſed laudari. Si ergo doctrina mea bona fuit, & legi conſona, quid me cædis, niſi vt prodas tuam inſignem malitiam, & ſtudium hominibus placendi; quia non potes teſtimonio tuo mihi nocere?

Expenduntur ea verba: Si autem bene, quid me cædis?

Neque dicit Dominus, Quid me cæcidiſti, ſed, quid me cædis? quia videbat paratum cędere iterum. Nec Dominus dixit, Iterum ne me cædas; ſed admonuit, vt videret quam cauſam percutiendi haberet, ne percutiendo peccaret, & putando quòd noceret Chriſto, noceret ſibi ipſi.

Documentum.

In quo Dominus voluit pati, & ſimul docere illos, à quibus patimur, & corripere nos offendentes, & ad ſanitatem reducere eos quibus poſſumus modis, vt alij eorum exemplo erudiantur. Perpēde Do-

minum

Chriſti in corrigendo ſapientia.

minum nondum damnatum reſpondiſſe, & corripuiſſe percutientem: quod & fecit, cùm ad ipſum capiendum venerunt: nam illos conſtanter reprehendit, vt ſeruaret cum illis charitatem. Vbi verò damnatus à Principibus fuit, & tota familia Iudæorũ in illum inſurgere, ac eum percutere voluit, nihil reſpondit: nec enim erat locus correptioni, omnes enim damnauerant. Itaq; & in domo Pontificis, & in domo Pilati abſque voce, & mutus ad flagella, & opprobria fuit: alienis enim loqueretur, nõ fratribus. Fratres enim Iudæi damnauerãt; Gẽtiles verò omnino pro alieno habebãt: ideo taciturna quadam patientia, aut potiùs patiẽtiſſima quadam taciturnitate pro ſeipſo reſpondit.

Chriſti ad patiendum ãñi mus paratus.

Et miſit eum Annas ligatum ad Caipham Põtificem. Hoc addit non quòd poſtquam alapa fuit percuſſus Ieſus, ſit miſſus ad Pontificem, ſed quòd alligatus ad Pontificẽ miſſus eſſet. Itaq; etſi Ieſus percutiẽti ſe reſpõderit, non tamẽ ſe illi ſubduxit, quin ſi addere alias alapas vellet, non poſſet. Et vt ſuperiùs admonuimus, aliqui ex Græco legunt: *Miſerat enim eum Annas, &c.* Penſanda eſt etiam Annæ, & Caiphæ imprudentia, qui reum ante ſe allatum ſolui non fecerant, & qui neſcientes quid mali feciſſet, legatum eũ habebant tanquã ſceleſtum. Et nunc primũ interrogat de doctrina, quando prius illam ex alijs cognoſcere debuit: quo cognito poterat poſteà interrogare, an talia docuiſſet, vt tueretur ſeipſum, & quomodo intelligeret dicta ſua. Præterea hoc nec in ſacris literis, nec in Euangelio nouũ eſt, vt poſteà enarretur, quod antea factum fuerat: quemadmodum cernere licet in cœna illa, qua Maria Ieſum vnxit ante ſex dies Paſchę, quam tamen vnctionem Matthæus, & Marcus tanquam ante duos dies Paſchæ factam recenſere videntur. Eſt etiam hoc & hiſtoricis Gentilium, & Poëtis propriũ. Cùm igitur hic Pontificẽ appellet Caiphã, Annam autem nõ Pontificem, ſed ſocerum eius, cumque alij Euangeliſtæ inuicem conſentiant: non eſt dubitãdum, ſermonem eſſe de Pontifice Caipha. Præterea quod ſubdit Ioannes: Erat autem Simon Petrus ſtans, & calefaciens ſe, quæ verba poſuit ſupra Euangeliſta, priuſquam de alapa mentionem faceret, quaſi hãc ſecundam Petri negationem deſcripturus, ſed ſermonem interrupit, & alapæ percuſſionem interiecit: nunc repetit eadem verbà, vt intelligamus loco mutatum non fuiſſe, & hunc locum, vbi Petrus calefaciebat ſe, eũdem illum eſſe, de quo ſupra dixerat: & ſic intelligamus non apud Annam, ſed apud Caipham illam negationem accidiſſe: quemadmodum etiam alij Euangeliſtæ commemorarunt eum ad ignem ſedẽtem fuiſſe, in domo tantùm Caiphæ: quidam tamen opinantur, vnam & eandem domũ fuiſſe Annæ & Caiphæ, & commune atriũ vtriuſque. Vnde Euthymius ſcribit: *Tres quidem Euangeliſtæ tres Petri negationes in Caiphæ domo factas eſſe dicunt; Ioannes autem in domo Annæ ſoceri ipſius, nec tamen ob hoc inter eos eſt diſſonantia. Siquidem amborum vna domus erat, idemq; atrium, habens in ſe duo habitacula à ſe inuicem ſeparata.* Hæc ille. Addit Caietanus ideò dictum fuiſſe quòd miſit eum ligatũ ad Caipham, & non ait, ad domũ Caiphę. Sed certè hæc firma non ſunt, nec quod volunt, euincunt. Nam in primis diuinant illorum duorum ædes, vnam, & eandem domum extitiſſe; cum apertè conſtet fuiſſe diuerſas: nam in hodiernum diem vſque peregrinis Ieroſolymam viſitantibus diuerſo ſitu conſtitutas illas domos oſtendunt. Ad hæc probabile valde eſt ædes pontificias fuiſſe ſingulares prope templum, & diſtinctas à cęteris domibus priuatorum. Ad hęc Clemens in Conſtitut. Apoſtolicis eas vti diſtinctas fuiſſe recenſet. Et infirmum eſt argumentum: Duxerũt eum ad Caipham, eo quòd non dixerit ad domum Caiphæ, putare quòd vna & eadem vtriuſque eſſet domus. Nam quod Lucas ait: *Surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum, & Pilatus remiſit eum ad Herodem, & rurſus Herodes remiſit ad Pilatum*; non ſignificatur earũdem ædium vno in loco, eodemque conſtitutio, ſed diuerſarum: nec enim Pilatus Gentilis, ac Præſes habitaret ſimul cum Iudæis, aut cum Rege Herode, vt per ſe planum eſt. Quare ſtandum eſt his, quæ ſuperius tanquam probabiliora ſtatuimus: & Domini Ieſu patientia, & manſuetudo nobis ante oculos habenda, quò aduerſa, & iniurias quaſcunque conſtanti, & libenti animo perferamus. Nam in patientia noſtra poſſidebimus animas noſtras, & poſſidebimus cum mitibus & manſuetis terram viuentium, auxilium nobis præbente Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui omnis eſt gloria, honor, & imperium deferendum in perpetuis ſeculis, Amen.

Annæ, & Caiphæ imprudẽtia, ſtultitia & malignitas in Chriſtum.

Mos Euangeliſtarum.

Ioan. 12. Matth. 26. Marc. 14.

Vbi Petrus Chriſtum negauerit, apud Annam, an verò apud Caipham.

Altera opinio, Caietani ſcilicet, & quorundam aliorum.

Euthym. in Matth. 65.

Annę & Caiphæ non vnã eandemq; domum fuiſſe, ſed diuerſas.

I. Ratio.

Secunda.

Tertia. Clem. lib. 5. Conſt. apoſt. c. 16.

Futile argumentum diluitur. Luc. 23.

Vtilis omnes pro Chriſto iniurias perpetiendi ratio.

Luc. 21. Matth. 5.

TRACTATVS XXI.

De diſcuſſione cauſæ Domini Ieſu, & adiuratione, qua adiuratus eſt à Caipha, atque condemnationis eiuſdem ſententia, in illa verba: *At illi tenentes Ieſum, duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, vt eum morti traderent: & non inuenerũt, cũ multi falſi teſtes acceſſiſſent. Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, &c.* Matth. 26. Marc. 14. Lucæ 22.

Vbi acciderint hæc quæ propoſita ſunt, Apud Annam, an apud Caipham.

Quid hic Clemens Romanus, quid item Anſelmus Euangelicæ contraria narrationi tradiderit. *Clem. Rom. lib. 5. Conſtit. apoſt. c. 10.*

QVÆ Præcedenti Tractatu diximus, in eadem domo Põtificis Caiphæ, vt probauimus, geſta ſunt: Ioãnes enim Euãgeliſta cùm legiſſet quæ apud alios tres habebantur, acta fuiſſe in domo Caiphæ, illud tantùm ſuppleuit ꝙ omiſerant, nempè adductionem Domini ad Annam, & Caiphæ interrogationem de doctrina, & diſcipulis, & reſponſo Chriſti, & alapam illi impactam, correptionemq́ue miniſtro Pontificis à Domino exhibitam, hæc enim omnia ſingularis Ioannes enarrat: iam differenda ſunt quæ habentur apud tres alios Euangeliſtas in diſcuſſione cauſę Domini geſta. Superius ex Clemente Romano produximus, Chriſtum illa nocte vinctum ductum fuiſſe ad Pontificem Caipham: vbi cùm ad primum vſque diluculum ei inſultaſſent, tunc dixerunt ad Annam, qui Caiphæ gener erat. Quibus in verbis tradit, Ieſum nocte adductum ad Caipham, mane autem primo ad Annam. Anſelmus verò libro de Paſſione, oppoſitum refert, nempè quòd illa nocte, qua captus eſt Ieſus, ductus eſt ad Annam: vbi alapa percuſſus, ſputis, atque aliis iniurijs laceſſitus tota nocte fuit; mane autem facto duxerunt eum ad Caipham. Sed vtrumq; perinde infirmum eſſe videtur, vt ex parte ſuperius oſtendimus contra ſententiam Clementis. Quòd autem noctu fuerit ductus ad Caipham, apertè teſtãtur tres priores Euangeliſtæ contra Anſelmum. Præterea tres illas Petri negationes ante ſecundum galli cantum in domo Caiphæ accidiſſe, illis ipſis narrantibus compertum eſt. Veritas ergo Euãgelica plana atque perſpicua eſſe videtur, Ieſum duci primo illa nocte adductum ad Annam: & deinde ad Caipham; vbi & interrogatum fuiſſe de doctrina, & diſcipulis eius, & alapam accepiſſe à miniſtro, tanquam probabilius, & veritati Euangelicæ magis conſonum indicauimus: vbi & adiuratus eſt Dominus à Caipha, & ab eo cum ſuis ſimul condemnatur, & hic manſit tota illa nocte. Mane autem facto, iterum adduxerunt eum in ſuum conſilium, quem rurſus examinatum, atque damnatum, adduxerunt ad Pontium Pilatum: hunc enim eſſe putamus verum ordinem hiſtoriæ paſſionis, quod ad hęc attinet. Ait igitur textus Matthæi, quòd tenentes Ieſum, duxerunt eum ad Caipham Principem Sacerdotum, vbi Scribæ, & Seniores conuenerant. Marcus addit, Vbi omnes Sacerdotes conuenerãt; non autem Annas, cùm eſſet ſenior, & nox intempeſta. Et ſequitur in Matthæo: *Petrus autem ſequebatur eum à longe, vſque in atrium Principis Sacerdotum. Et ingreſſus intrò* (veluti per tenebras ignotus, nec niſi opera Ioannis ancillam allocuti, vt eum admitteret) *ſedebat cum miniſtris.* (Marcus addit, *ad ignẽ, & calefaciebat ſe*) *vt videret finem.* Non vt cõfiteretur, aut imitaretur Chriſtum: finis autem hic, quem videre deſiderabat, teſte Hieronymo, erat, quòd amore diſcipuli, vel ſtudio curioſitatis humanę ſcire cupiebat, quid indicaret de Domino Pontifex, an eum neci traderet, an eum flagellis cæſum dimitteret. Dominus etiam voluit ſuos diſcipulos aſſiſtere; vt teſtes eſſent oculati crudelitatis miniſtrorum, & iniquitatis Pontificis: diſcerentq́; ex Chriſto quanta cum patientia, & charitate eſſet crux ab eis portanda. Quod autem Petrus calefieret ad ignem cum miniſtris: id accidit, quia nox, & frigus erat: & licet eſſet Æquinoctium Vernale, vbi tamen dies ſunt calidiſſimi, noctes ſolent eſſe frigidiores. Et intus in fide magiſtri Petrus frigebat; ideò humana adminicula quærebat, diſſimulabatq́ue ſe eſſe Chriſti diſcipulum. Satis autem friget, qui Spiritu Dei deſtitutus paratus eſt negare. Et quid poterat Petrus tali miniſtrorum ſocietate comitatus addiſcere, niſi vt abiuraret Chriſtum? Atque hæc de ſequela Petri, & alterius diſcipuli, quæ ordine hiſtoriæ præcedunt adductionem Ieſu ad Caipham, hoc loco à nobis ſunt ediſſerta, ne verba Matthæi in plura capita ſecaremus.

B. Anſelm.

Vbi Petrus ter Chriſtum abnegauerit.

Verior interpretatio.

& textui magis conſentiẽs.

Quid illud de Petro ſedente cum miniſtris vt videret finem.

Hieronym in 26. Matth. tom. 9.

Petrus & Ioannes cur eſſent in domo Pontificis.

Quare Petrus ſedebat ad ignem.

Quid ſocietas impiorum tantum doceat nos.

Sequitur in Matthæo: *Principes autem Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, vt eum morti traderent. Et non inuenerunt, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent.* Perpende obſecro, quod genus iudicij, aut quæ forma concilij ſapientum, & religioſorum, in quo omnium cõſenſu

Caiphæ miniſtrorumque eius quaiis ſuerit in iudicij contra Chriſtum.

ſenſu falſi teſtes, qui contra animam innocentis deponant, perquiruntur. Rectè in pſalmo dictum eſt: *In eo dum conuenirent ſimul aduerſum me, accipere animam meam conſiliati ſunt.* Iam Chriſtus captus erat, ligatus, & alapa percuſſus, & adhuc ignoratur quare ſit accuſandus. Sic ſolent impij damnare quæ non nouerunt: ſic Saul interemit Achimelech, & Ioacim Rex Prophetam Vriam: tales ſunt & illi iudices, qui reum morte plectunt prius, ac deinde cauſam inquirunt, & cognoſcunt. Quoniam igitur verum teſtimonium in Ieſum proferre non poterant, falſum quærunt, vt eum neci traderent per Pilatum Præſidem. Eſt autem falſus teſtis, & Deo, & veritati ipſi, iudici, atque adeò innocenti, in quem teſtificatur, & ſibi ipſi iniurius: debetque omnia alia damna, & famam reſtituere, quod eſt valde difficile, & acerbum nimis. Quam multi hodie quærunt falſos teſtes aduerſus Ieſum. Nam dum quærimus qui teſtentur Ieſum hoc, aut illud dixiſſe, quod non dixit, vel non dixiſſe quod dixit, vt Hæretici omnes faciunt, & carnales, qui Scripturas ad ſua ſomnia & vota pro libidine detorquent, ſua, quid niſi falſos teſtes quærunt contra Ieſum? Ac ſubdit, quòd non inueniebant, cùm multi falſi teſtes acceſſiſſent. Conuenerant quidem multi, qui fallere vellent, ſed, vt ait Marcus, conuenientia teſtimonia non erant, quia videlicet ſibi ipſis contradicebant, & diſſidebant: perinde atque illi ſeniores, qui falſum cõtra Suſannam dixerunt teſtimonium? Vel, non erant conuenientia, ſiue vt Græcè dicitur, ſufficientia, quæ necem Chriſto infligendã euincerent, vt quærebant. Obſerua ergo plures falſos teſtes inueniri, ſed non falſum teſtimoniũ: teſtis enim perſonam teſtificantem ſignificat; teſtimonium verò, depoſitionem, ſeu teſtificationem. Complures ergo falſos teſtes ſubornabant contra Dominum: ſed cùm ad deponendum teſtimonia accedebant, contingebat eis quod Prophetæ Balaam, qui cùm maledicere populo Dei nitebatur, ei egregiè benedicebat. Ita iſtis euenit, qui animo, & verbis compoſitis, & fictis accedebant, quibus eum tanquã blaſphemum, legis tranſgreſſorẽ, Sabbati violatorem, maleficum, dæmonum cõſortem, & Cæſaris aduerſarium proderent, atque comprobarent: at verò cùm os aperirẽt ad deponendum, nihil aliud, quàm eius mirabilem doctrinam, vitæ ſanctimoniam, & ſigna ſtupenda pronuntiabant. Hinc itaq; fiebat, vt etſi multi falſi teſtes comparerent nullum tamen eorum teſtimonium eſſet conueniens: quod myſterio, ſiue virtuti Chriſti tribuendum eſt. Voluit enim Chriſtus oſtendere, ſuam innocentiam vllo teſtimonio, vel falſo lędi nõ poſſe: voluit nulli videri iure occiſus. Si enim Caiphas Chriſtũ innocentẽ, probatum tamen nocẽtem iudicare potuiſſet, iure apparere damnatus potuiſſet. Iſti falſi teſtes figurati ſunt in illis duobus falſis teſtibus cõtra Naboth virum iuſtum ſubornatis, vt illi vineam eriperent, fingentibus Naboth blaſphemaſſe; & in illis ſenioribus, qui Suſannam pudicam fœminam de adulterio criminati ſunt. Prædictum quoq; fuerat per Prophetas de illis: *Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me*: & iterum, *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi*: &, *Scrutati ſunt iniquitates: defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.* Hinc apparet ſumma Chriſti innocentia, in quẽ nec falſi teſtes deponere potuerunt. Quoniã verò nec peccator, nec iuſtus, nec Chriſtus ipſe via falſorum teſtimoniorum volunt puniri: ideò Chriſtus Dominus voluit neci tradi propter vera teſtimonia aſſerentia ipſum ſe facere Regem, & Filiũ Dei, vt ſententia poſteà omninò appareret iniuſta, non ob falſos teſtes, ſed ob veros, ob quos non morte, ſed laude, & honore dignus erat. Quia Chriſtus ſicut erat verus Rex, & Fili⁹ Dei, ita talẽ ſe eſſe prædicabat: quod an eſſet verũ, nec ne, nõ erat teſtium examinare, ſed iudicis habẽtis Dei Spiritũ. Et ita per teſtes in facto veraces, ſed falſos, atq; corruptos mente, animoq;, & per iniuſta iudicia in Chriſtum pronuntiatũ eſt.

Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, & dixerunt, Hic dixit, Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud. Quod ita à Marco explicatur: *Et quidam ſurgentes falſum teſtimonium ferebant aduerſus eum, dicentes: Quoniam nos audiuimus eum dicentem, Ego diſſoluam templum hoc manu factum, & poſt triduum aliud non manu factum ædificabo. Et non erat conueniens teſtimonium illorum.* Horum duorum falſum teſtimonium Euangeliſtæ operæpretium eſſe enarrare duxerunt: ſiue quòd vanam, & ridiculam contineret falſitatem, & ex hoc vno reliqua qualia eſſent, colligeremus; ſiue quod illud myſterium mortis Chriſti, de quo nunc agitur, complectitur. Cautum erat in Lege, ne vnius teſtimonium contra quempiam reciperetur: *Non ſtabit*, inquit, *vnus teſtis contra aliquem, quicquid illud peccati, & facinoris fuerit, ſed in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum*: contra regulam tamen Legis innocentem per falſos teſtes condemnare nituntur, Legi repugnantes, quæ iubet: *Non ſuſcipies voce mendacij, nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas falſum*

Marginalia (left): *Pſalm. 30.* — *1. Reg. 22. Ierem. 26.* — Iniqui iudices quibus ſimiles ſunt. — Falſus teſtis quam ſit perniciosus. — Mores Hæreticorum, ingeniumque. — Falſum teſtimonium hodie qui quærant aduerſus Ieſum. — *Daniel. 13.* — [T]eſtis, & teſtimonium differunt. — [Q]uales falſi [te]ſtes Caiphæ [a]duerſus Dominum. — *[N]um. 24.* — [C]hriſti vis & [p]otentia.

Marginalia (right): Teſtes illi in quibus olim præfigurati. — *3. Reg. 21. Daniel. 13.* — *Pſalm. 34. Pſalm. 26. Pſalm. 63.* — Summa Chriſti innocentiã. — Iudicis officiũ. — *Ioan. 2.* — Horum duorum falſum teſtimonium cur expreſſerint Euangeliſtæ. — *Deut. 19.* — *Matth. 18.* — *Exod. 23.*

Quomodo conſtat falſos eſſe teſtes huiuſmodi, cùm tamen vera dicerent.

ſum teſtimonium. Et infrà: *Inſontem, & iuſtum non occides.* Erant igitur falſi teſtes, quia verba Chriſti, & ſenſum deprauare conabantur. Idcircò meritò ſubiũgit Marcus, quòd nõ eſſet illorum conueniens teſtimonium. Primò, quia immutabant eius verba, Dominus enim dixerat: *Soluite templũ hoc, & in tribus diebus excitabo illud:* Iſti verò dicebant, *Nos audiuimus eum dicentem, Poſſum deſtruere templum hoc manu factum, & poſt triduum reædificare illud.* Vides quanta ſit in verbis diſſonantia? Cæterùm maior eſt ſecundò in ſignificatione: Chriſtus enim intellexit de templo corporis ſui, vt teſtatur Euangeliſta, & ipſi illud non ignorarunt, cùm ad Pilatum dicerent poſt Chriſti mortem: *Domine, recordati ſumus quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: Poſt tres dies reſurgam.* At hi de templo Dei manu facto mendaciſſimi, & falſi teſtes intellexiſſe ſe indicant: cùm enim verba alicuius rei accuſati duplicem facere poſſunt apud vulgus ſenſum, tunc vt verè accuſetur, & damnetur debent in vtroque ſenſu eſſe malè prolata. Si enim in vno ſenſu vera ſunt, in quo reus viſus eſt ea dixiſſe, falsò accuſatur in alio ſenſu. Hinc C. de leg. l. Non dubium, eleganter dicitur: *Non dubium eſt in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.* Et ff. de legib. l. Contra: *In fraudem legis facit, qui ſaluis verbis legis, ſententiam eius circumuenit.* Tertiò, eo etiam dato quòd Chriſtus loqueretur de corporeo Salomonis templo: non tamen ad mortem condemnari debebat: ſolius enim Dei eſt actum interiorem malum punire; homines verò, qui ſolum vident ea quæ patent, externam quidem actionem prauam poſſunt punire. At iſta templi deſtructio, & reędificatio oſtendebat tantùm hominem ſuperbum eſſe, iactantẽ, at morte minimè dignum: ideò ipſi nullius ponderis futurum putabant ad Pilatum tale teſtimonium. Iſtis falſis teſtibus ſimiles ſunt Hæretici, qui etſi multi ſunt, ſi ſeorſum de fide ſua interrogentur, ab ſe inuicem diſcrepant. Et quid ni, cum à ſemetipſis diuellantur, & à regulis ſuis varient, vt teſtis eſt Tertull. lib. de præſcript. Hæretic. Adde, quòd vt verba Chriſti peruertebant in ſenſum alienum, nempe quæ dixerat de corporis ſui templo, ad materiale detorquebant, ita Scripturæ verba, aut ſenſum peruertunt. Dixit enim Chriſtus de corpore ſuo: Hoc eſt corpus meum: illi per metonymiam, vel alias importunas figuras dicunt; Hoc ſignificat corpus meum, vel: Hoc eſt ſymbolum corporis mei. ¶ *Et ſurgens Princeps Sacerdotum, ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur?* Videns Sacerdos, quòd nec propter hoc teſtimonium contra Dominum quicquam agere poterat, quod videlicet iuſtitiæ vmbrã nullam pręſe ferret; propterea impatientia actus, vt exponit Gloſſa, cum vehementi clamore interrogare cœpit, vt ſaltem ex ore eius quicquam extorquere poſſet, quo iniuſtitiam ſuam operiret, & cauſam Domini læderet. Et agnoſce malitiam: Teſtimonia, quæ apud ipſos erant inualida, & parum conuenientia, quaſi eſſent ſolida, & vrgentia, in Chriſtum obijciunt. Hinc Beda ait: *Quanto plus Ieſus tacebat ad indignos reſponſione ſua falſos teſtes, & Sacerdotes impios, tãto magis Pontifex furore ſuperatus eum ad reſpondendum prouocat, vt ex qualibet occaſione ſermonis locum inueniat accuſandi.*

Ioan. 2.

Notatio.

Matth. 27.

In legem committit, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.

III. ratio.

1. Reg 16.

Falſi contra Dominum teſtes quoſnam aptè repræſentant.

IV. ratio.

Ioan. 2.

Matt. 26.

Cur Caiphas Ieſum ad reſpondendum adegerit.

Caiphæ inſignis nequitia.

Beda in Marc. ca. 14. tom. 5.

Ieſus autem tacebat. Et meritò: nam talis erat teſtium depoſitio, & tam debilis, vt nihil euinceret, neque aliud à Chriſto promereretur reſponſum, ſed à iudice tantum inquiſitionem, qua falſos teſtes deprehenſos condigna plecteret pœna. Atq; ita Daniel contra falſos teſtes Suſannæ egit, & innocentem Suſannam tutatus eſt, & ſeniores falſos teſtes condigna talionis pœna condemnauit. Ipſi autem non Danielis ſerui Dei, ſed ſeniorum diaboli ſeruorum imitatores eſſe maluerunt. Ieſus ergo tacebat, quia per tales teſtes qui in ſpecie veraces & mente deprauati eſſent, mori volebat. Et meritò: quia iſte iudex perſimilis ſuis teſtibus videbatur: & indignus erat Chriſti reſponſo, cum mentitus eſſet in eo quod dixit, *Aduerſum te*, cum nihil aduerſum Ieſum dixiſſent. In illo etiam verbo, *Teſtificantur*, mendacium protulit: non enim teſtificati, ſed calumniati fuerant. Eſt enim teſtificari, autoritate teſtificantis perſonæ veritatem aliàs non probabilem comprobare: at illi falſi teſtes nulla prorſus autoritate fulti erant. Tacet, vt impleat prophetiam illam: *Poſui ori meo cuſtodiam, cùm conſiſteret peccator aduerſum me: Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis,* dum videlicet innocẽtiæ gloriam non quæſiuit: & illam Eſaiæ: *Quaſi agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuũ,* & Dauid: *Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabãtur. Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* Tacuit enim, quòd ſciret illa teſtimonia apud eos non haberi vt conuenientia, & firma, Pulchrè Auguſtin. *Aperta*, inquit, *mendacia non ſunt reſponſione digna.* Nouerat Ieſus, quicquid dixiſſet, fore ad calumniam rapiendum: & quanquam ibi eſſet ſpecies quædam iudicij, reipſa tamen impiorum latro-

Cur falsò accuſatum Ieſus apud Pontificem Caiphã tacuerit.

Daniel 13. & ſeq.

Caiphæ mendacia contra Chriſtum.

Quid ſit teſtificari.

Pſal. 38.

Siluerit à bonis quomodo Chriſtus.

Eſai. 53.

Actor 8.

Pſal 37.

Auguſt.

Aperta mendacia nõ ſunt reſponſione digna, ait Auguſtinus.

Vbi nulla iuſtitia, ibi nullus defenſioni locus.

Qui negligit famam, crudelis eſt.

latronum erat conciliabulum. Et vbi nulla iuſtitia, ibi nullus defenſioni locus. Obſerua etiam, quòd cùm quis coram alijs infamia traducitur (maximè ſi perſona publica exiſtat) qui neſciunt crimen obiectum falſum eſſe, obligatur quis famam ſuā tueri, quam qui negligit, crudelis eſt: ſi autem omnes aſtantes intelligerent per calumniā illud obijci, ſuperuacaneum eſſet repugnare, & ſe innocētem oſtendere. At hîc Princeps Sacerdotum, & omne concilium quærebat falſum teſtimonium in Ieſum, & omnia hæc obiecta cognouerāt eſſe falſa, ideò conſultum fuit tacere. Per hæc igitur falſa teſtimonia, ô bone Ieſu, quibus oppreſſus fuiſti, dignare me liberare à veris teſtimonijs, quæ iuſtitia Dei habet contra me, & à falſis hominum teſtimonijs, ſicut eripuiſti Suſannam de falſo crimine, & B. Athanaſiū ab Arrianis accuſatum de brachio Arſenij præciſo, & de vi mulieri illata, quæ ab Hæreticis ſubornata ingreſſa erat in Synodum: vnde & cum riſu exploſa eſt. Caueant etiā magiſtratus, ne falſos teſtes in eorum fauorē teſtificantes impunitos relinquant; quia eſt inæqualitas diuerſis lancibus ponderare; cum tamen iuſtitia vno tantum cū pondere depingatur in dextera, & cum gladio in ſiniſtra. Sed nos gladiū eius dexteræ apponimus ad feriendum, & pondus collocamus in ſiniſtra: quia magis volumus punire, quàm merita cauſæ ponderare. Eſtq; præbere anſam multis falſis teſtificandi, cū ſciant ſe nocere poſſe, ac non ob id puniri. Aduertāt etiam iudices, ſiue ſcribæ, aut notarij qui depoſitionem teſtium accipiunt, vt integrè ſcribant quæ dicuntur, neq; tam quæ nocere, quā quæ etiam iuuare reū poſſint: alioquin ſi conſultò omittant ea, quæ quauis ratione reū iuuare poſſent, ipſi falſi teſtes fiunt, & illis eſt imputandū quicquid reo acciderit. Neq; valet, ſi quis dicat dari reis defenſiones, in quibus poſſunt pro ſe teſtes producere. Sed primò eſſet idē teſtis bis producendus in eadē cauſa, modò quidem contra reum, deinde in fauorem eius: vnde fidem ſibi ipſi derogaret, vel fortaſſe nollet teſtari pro eo, cōtra quem dixit. Adhęc maiorē vim habet dictum in actis contra eum factis, ſi quid dicat reum releuans, quàm ſi illud producat, dū ſe tuetur. Quòd ſi notarij in hoc grauiter peccant; ſciant tamen iudices, qui ex actis notariorū ſententiā ferunt, ſi hæc ſciunt, & non magnis pœnis inhibent, grauiſſimè peccare, & omniū damnorum atq; omnium pœnarum, quæ iniuſtè reo irrogantur, debitores conſtitui.

Daniel. 13.

Magiſtratibus quid cauendum.

Diuerſis lancibus ponderare inæqualitas eſt.

Iudicibus ſiue notarijs quid aduertendum atque obſeruandum diligenter.

Obiectio refellitur.

Iudices qui peccent grauiſſimè.

Et Princeps Sacerdotum ait illi, Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus Filius Dei? Dicit illi Ieſus: Tu dixiſti. Marcus addit clarius, *Filius Dei benedicti? Ieſus autem dixit illi: Ego ſum.* Cùm Caiphas falſis teſtimonijs nihil proficeret, neque verbum aliquod à Chriſto extorquere poſſet; nam Ieſus perſpecta cordis eius malignitate tacebat, cōuertit ſe ad eum adiurandum, vt veritus autoritatem pontificiam, & nomen Dei, verbum aliquod habere poſſet, & vtramuis quæſtionis partē eligeret, accuſationis præberet anſam. Si enim ſe Chriſtum & Filium Dei cōfiteretur, accuſaretur & contra Romanos, regni affectator, & contra Deum, diuinæ dignitatis vſurpator: ſi verò negaret ſe eſſe, accuſaretur, vt qui illos titulos prius ſibi falsò aſſumpſiſſet, & ſeditiosè ante aliquot dies acclamari feciſſet: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Iſrael*: nolens (etiam cùm admonitus eſſet) turbam ab ea compeſcere acclamatione. Et duo priores Euāgeliſtæ quia huius adiurationis meminerunt, Ioannes ſolus (cùm vidiſſet hāc hiſtoriam plenè ab alijs tractatam) eius non meminit, ſicut nec Lucas. Eſt. a. adiurare Latinum, ſiue exorcizare Græcum, poteſtate ſuperioris aliquid ad quippiam dicendum vel agendum compellere; & ita adiuratio ſemper à maiori, qui amatur, ac timetur, ad minorē depromitur. Hinc Caiphas dubitans ne Filius Dei eſſet, per Deum viuū, hoc eſt, per Patrē Filium adiurabat, vt ſaltē intuitu paterni honoris, ſiue amoris, ſeipſum quis eſſet explicaret. Et quomodocunque Caiphas adiuraret illum, conſtat admittere, Deum verum & viuum poſſe habere filium naturalem. Nec abſoluitur Caiphas per illam ſententiam: *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes*: quia ex hoc loco eadem eſſet aduerſus omnes exactio. Quemadmodum autem in concilio collecto cum dixit: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo*, non à ſemetipſo hoc dixit; ſed cum eſſet Pōtifex anni illius, prophetauit: ita & nunc fortaſſis à ſemetipſo non loquitur, ſed cùm ſit Pontifex, verum fatetur, quia Deus Filiū habet, quē adiurando non intelligit, & aſſerit eſſe Chriſtum. Obſerua igitur inſidioſum Caiphæ problema. Adiurat enim vt dicat ſi ipſe eſt Chriſtus, & Filius Dei viui: & hoc in virtute Dei viui, vt quocunq; ſe Ieſus vertat, capiatur. Nam ſi taceret, Dei autoritatem, atque ſummi Sacerdotis contemnere videretur: ſi negaret ſe Meſſiam ac Filium Dei, veritatem negaret, ſibiq; contradiceret, qui toties Filium Dei ſe eſſe confeſſus eſſet, ſi autem confiteretur, tanquam reum blaſphemiæ condemnare poſſet. Atque ita captioſa eſſet interrogatio, & adiuratio, & prætextu pietatis fiebat tantùm: & nomi-

Caiphas cur Chriſtum adiurauerit per Deum viuū, vt ſe Chriſtum eſſe reſponderet.

Ioan. 12.

Adiurare ſeu exorcizare quid ſit.

Ioan. 11.

Caiphæ interrogatio captioſa & hypocritica.

Impiorum qualis conſilia teſte Salomone.

Prou. 12.

Ierem 5.

Quare Caiphas Dominum adiurauerit, non ab eo exegerit iuramentum, vt iudices.

ne Dei viuentis benedicti. Rectè ergo Salomon ait: *Conſilia impiorum fraudulenta. Verba impiorum inſidiantur ſanguini*: & Ieremias; *Inuenti ſunt in populo meo impij, inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros.* Et conſultò malignus Pontifex noluit agere per viam exigendi iuramentum, qua vti ſolent iudices, cùm aliæ ſufficientes probationes in iure deficiunt: tunc enim ſtari ſolet iuramento rei: quia videbat ſe illa ratione nihil poſſe promouere negotium ſuum, & magis per adiurationẽ promouere.

Iudæi cur Deum viuum appellarent.

Iudæi Deum vocabant viuum, ad differẽtiam idolorum, quæ Deos mortuos appellabant, nec vitam alijs dare poterant: *Oculos*, inquit, *habent, & nõ videbunt: aures habent, & non audient*: neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum.

Pſalm. 134.

Qualem Deum adorent Chriſtiani ſecundùm Iudæos nugatores.

Et vſque in hodiernum diem inſultant nobis Iudæi, quòd Deũ mortuum adoramus. Sed ignorant cæci Chriſtum Deum eſſe, & à mortuis glorioſum poſt triduum ſurrexiſſe.

Generationis diuinæ & humanæ ſeu naturalis diſcrimen.

Eſt autem omni viuenti naturale gignere ſibi ſimile in ſpecie, ac Deo in natura eadem indiuidua & impartibili:

Quemadmodum iurare Iudæis mos eſſet.

& ita moris erat Iudæis iurare, Chai Iehoua, id eſt, Viuit Deus. Dominus igitur non permiſit falſos teſtes inueniri, quales Iudæi volebant, & per quos fieret iudicium; ſed ipſe Caiphas petit à Chriſto teſtimonium verum & idoneum ad mortem infligendam. Et Ieſus verè teſtatur de ſe quòd ſit Filius Dei, & Meſſias. Et vt Deus illis non defuit, ita nec illi ſuo muneri deeſſe debebant, ſed malitia obcæcati voluẽr occidere hæredem, vt accipiant hæreditatem.

Matth. 21.

Quare Chriſtus Caiphæ ſe adiuranti reſponderit, cùm tacere potuiſſet.

Etſi autem Chriſtus non cogeretur reſpondere adiurationi Caiphæ, quia eius legitimus iudex non erat, ſed potius Chriſtus Caiphæ eſſet iudex, imò viuorum omnium, & mortuorum: nihilominus ob reuerentiam diuini nominis reſpondere voluit, & ſic veritatem confitetur, vt & ipſe iactãntiæ notam non incurrat, & eos de obſtinata mentis ſuæ cæcitate confutet: quoniam cùm legem ſcire deberent, facilè poterant Meſſiam filium Dei in lege promiſſum agnoſcere, ſi voluiſſent, atque eum agnitum venerari, & populum omnem ad ſalutis viam inducere. Deniq; reſpondit non obligatus adiurationi reſpondere, ne ſi non reſpondiſſet, obligati ad reſpondendum, reſpondere neg'igerent: amputauit ergo occaſionem his qui illam quærunt. Ita fecit, cum interrogatus an tributum ſolueret, aſſeruit ſe nihil debere, vt qui filius Regis eſſet: ſed ne ſcandalum gigneret, vel alij eius exemplo ſoluere nollent, Petro mandat, vt pro vtroque ſoluat didrachmum. Si ergo reſpondet, nõ obligatus reſpondere, id fecit, vt ſe pro nobis ſponte tradere oſtenderet. Nam niſi confiteretur, morti minimè adiudicaretur:

Iudæorum hypocriſis.

ſiquidem Iudæi hypocritæ nihil ſine prætextu & colore iuſtitiæ faciebant, ac ob id ſine teſtibus, aut propria cõfeſſione, nunquam damnaſſent. Fuit ergo hæc confeſſio charitatem Domini immenſam explicans.

Cur Chriſtus Caiphæ reſpondit, eſſe ſe Filium Dei.

Euthym. c. 61. in Matth.

Dicit illi Ieſus, Tu dixiſti, ſiue vt Marcus ait: *Ego ſum.* Vtrumq; enim dixiſſe eſt veriſimile, vt tradit Euthymius, etſi primum reuera ſecundũ cõtineat; omnino vt fierent inexcuſabiles. Noluit negare quod expediebat omnes ſcire. Sciens autẽ illos nõ modò nõ credituros, imò cõtempturos ob corporis imbecillitatẽ, & inde mortis occaſionẽ capturos, apertè cõfeſſus eſt veritatẽ, illã propriç vitæ præhabendã oſtendens, ſi ita cauſa poſtulet.

Vnde Iudæi agnoſcere potuerint Ieſum eſſe Meſſiam, & Filium Dei.

Matth. 3.

Infra 27.

Ait igitur, Ego ſum, & me eſſe, niſi excæcati eſſetis, poſſetis cognoſcere ex teſtimonio Scripturarũ, quæ de me loquuntur, ex prædicatione Ioannis Baptiſtæ, ex voce Patris mei de cœlo lapſa, deniq; ex operib. meis vſq; in præſentẽ horã factis, quæ omnẽ creatæ virtutis facultatem excedũt. Sed quoniã fidei luce reduci ad veritatẽ hanc rã apertã recuſatis, ſeueritate extremi iudicij (velitis, nolitis) ad eam trahendi eſtis, cùm cum totius mundi iudicẽ videre, & agnoſcere cõpellemini. Propterea ſubiunxit. *Veruntamen dico vobis, Amodò videbitis Filiũ hominis, ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.*

Ea Chriſti de ſe teſtificatio quòd eſſet Filius Dei, quam tam vim ad perſuadendum illis tantam veritatem meritò vendicaret.

Hæc Chriſti reſponſio apta erat ſui fidẽ facere, ſi circunſtãtiæ penſentur: quomodò enim poſſet imbecillis homo, & quaſi reus ligatus, præſente toto cõcilio, & nõ ignorata morte quæ illi imminebat, tãta cum autoritate & maieſtate loqui; qui mitiſſim9 alioquin erat ad omnes iniurias, niſi in eo lateret diuina maieſtas? Solent enim qui falsò & inaniter iactare ſe ſolent, cum ante iudices ſiſtuntur, palleſcere, turbari, animoq; deijci, & metus ſigna indicare: at Chriſtus tanta cùm maieſtate & grauite loquitur, quanta ex throno loquitur iudex. Cũ ergo ait: *Ego ſum*, diuinitatem ſuã confitetur: cum dicit; *Filium hominis*, humanitatẽ.

Daniel 7.

Apocal. 1.

Vnde apud Danielẽ, & in Apoc. dicitur: *Ecce cum nubibus cœli quaſi Filius hominis veniebat.* Expende verbum: *Veruntamen dico vobis*: quaſi diceret: Quia ob id me vt Meſſiam recuſatis, quòd in me maieſtatem, quã ſperabatis non conſpiciatis; volo tamen veſtræ vos deceptionis admonere.

Quid ſignificet: Amodo videbitis Filium hominis venientem in nubibus cœli &c.

Non eſt hic aduentus ille, quem putatis, ſed amodo, hoc eſt, in ſecundo aduentu; vel amodo, id eſt, ex his, quæ modò patior, & veſtris ſententijs iudicandum me ſubijcio, promereor venire iudex vniuerſi orbis;

& tunc me videbitis venientem iudicem, & loquentem. Et cum non ſolùm ſe Chriſtum, & Dei Filium, ſed etiam vniuerſi orbis iudicem confiteatur; illa particula, Veruntamen, non eſt accipienda aduerſatiuè, ſed pro, Imò, vel, Et ſanè, ſicut ſæpe accipitur in Pſalmis particula Gręca πλὴν, Et quia, vt patet ex Marco, & Luca, hoc loco hoc reſpondit ſic Chriſtus; *Ego ſum, & videbitis Filium hominis*, & quæ ſequuntur, explicando magis quòd eſſet Dei Filius, & Chriſtus. Poſſet tamē eſſe ratio aduerſatiuæ particulæ, ſi ſuppleamus aliquid hoc modo: Ego ſum Chriſtus Filius Dei, vt tu dixiſti, qui etſi homo humilis & imbecillus appareā vobis, aperio tamen vobis me breui appariturum forma glorioſi, & vniuerſalis iudicis.

Alter ſenſus.

Cumq; eſſet adiuratus de duobus, an ſcilicet eſſet Meſſias, & Filius Dei: ad illa duo reſpōdit affirmatiuè, *Ego ſum*: tertium verò addidit quòd eſſet venturus cum gloria iudicare, vt ſaltem eos terrore iudicij ad reſipiſcentiā excitaret.

B. Hilarius.

B. Hilar. in expoſ. 2. Pſal. illud verbum: *Amodo videbitis Filium hominis venientem*, non de ſecundo aduentu, vt alij, interpretatur, ſed de reſurrectionis gloria. Scribit enim: *Cùm ait: Amodo videbitis Filium hominis ſedētem à dextris virtutis Dei: tempus quo Filius hominis, qui & Chriſtus, & Dei Filius, & conſeſſu Dei dignandus eſſet, oſtendit: vt qui antè Dei Filius, tùm quoque & hominis Filius eſſet, vt id, quod tum Filius hominis eſt, ad perfectum Dei Filium, id eſt, ad reſumendam indulgendamque corpori æternitatis ſuæ gloriam per reſurrectionis potentiam gigneretur, quam gloriam à Patre corporeus repoſcebat. Qui enim in forma Dei erat, formam ſerui acceperat: & acceptæ huic formæ ſerui, gloriam Dei, in qua manſit, poſtulat, dicens: Pater glorifica me apud teipſum, ea claritate quam habui priuſquam mundus eſſet apud te, &c.*

Philip. 2.

Ioan. 17.

Sic ille, quæ etſi vera ſint, & aduerbio illo amodò confirmentur, & Auguſt. ad Eſychium exponat de nubibus myſticis; de quibus; *Nubibus mādabo ne pluant ſuper eam imbrem*: quomodo Chriſtus venire in nubibus quotidie non ceſſabit vſq; in finem ſeculi? in ſuis enim adueniens credentibus agnoſcitur Chriſtus: maius tamen pondus, & vim ad incutiendum terrorem habent, ſi de aduentu ad iudicium intelligātur.

Aug epi 80. paulò antè med. tom 2.
Eſai. 5.

Vter ſenſus præſtare videatur.

Nam propriè tunc dicitur venire in nubibus cœli: ſicut enim in ligno pendens, & exiſtens in aëre pro omnibus mortuus eſt, ita in aëre à terra exaltatus, mundum ſibi ſubditum iudicabit. Et per illud, Amodo, tantùm ſignificare voluit Dominus, quòd poſt iſtud humilitatis ſuæ tempus viſuri eſſent aliquādo in alio maieſtatis, & gloriæ ſtatu.

De ſecundo Chriſti aduentu Scripturæ quomodo loquantur.

Eſt enim familiare in Scripturis, aduentum Chriſti prædici tanquam iamiam immineret: eò quòd nouiſſima ſit hora, & quoniam mille anni apud Deum, tanquam dies heſterna quæ pręterijt.

Pſalm 89.

Quare in nubibus ad iudicandum Dominus venturus ſit.

Nubes autem non ad opem, vel ſuſtentationem iudicantis deſeruiunt, ſed ad quandam tolerabilem viſionem iudicādi populi. Nec enim nubes, quæ ipſum aſcendentem ſuſcepit, ſui corporis fuit opportunum vehiculum, ſed quoddam moderamen glorificati corporis, quo Apoſtoli poſſent Chriſti aſcenſum propenſius intueri.

Act. 1.

Nubes quod officium præbuit in cœlum aſcendenti.

Percōtaberis: Quid eſt quòd Chriſtus dum viueret & prædicaret, Apoſtolis interdiceret ne ipſum dicerent eſſe Ieſum Chriſtum; nunc autem tam aperta voce ſe Chriſtum & Filium Dei profitetur? Dicendum eſt, illud magnis ex cauſis factum eſſe: non ignorans enim, quòd nequaquā eſſent credituri, deponit tamen veritatem, ne poſtea dicere valerent: Si poſtquam adiuratus es, reſpondiſſes, vtiq; credidiſſemus: vt docet Euthymius.

Matth. 16.

Cum Dominus aliàs Apoſtolis interdixerit ne ſe dicerent Chriſtum, cur id modò ipſe tam liberè & apertè profiteatur.

Euthym. c. 65. in Matth.

Quando enim iā erat moriendum, apertè de ſe locutus eſt, qui aliàs cùm prædicare vellet, & miracula edere, ne ſcandalum daret, tacere iuſſerat, quo auditores accommodatiores, & Euāgelio audiendo minus ineptos redderet. Cùm autē extremus actus peragendus eſſet, tacere non debuit, pręſertim interrogatus à Pōtifice quis eſſet, ne non dictum aliquando dici poſſet ab eo ipſo, quis eſſet, & ne aliquis dicat nos plus illi tribuere, quàm ipſe ſibi. Nunc autē eorum ſcandalum non euitat: quia iam ſatis probatum reddiderat hunc articulum quòd eſſet ver⁹ Meſſias, & verus Filius Dei.

Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemauit; quid adhuc egemus teſtibus? Ecce, nunc audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? At illi reſpōdentes, dixerunt: Reus eſt mortis. Eadem omnino habet Marcus.

Concilij apud Caipham contra Ieſum congregati conditiones iniquiſſimæ.

Perpende in primis: ijdem homines ſunt iudices, teſtes, pars aduerſa, & carnifices; vt vndiq; appareat huius iudicij intolerabilis iniquitas, & peruerſitas, & nocturno tēpori conueniens; quòd tamen tempus iudicij integritati aduerſatur quàm maximè.

Cur Caiphas ſibi veſtimenta conſcidit, Chriſto ſe Dei Filium reſpondente.

Princeps ergo Sacerdotum, cui inimica erat veritas, & ingrata, eius animum vertit in furiam: fictâ igitur religione, quo Chriſti crimen atrocius redderet, veſtes conſcidit, id eſt, effodit, quibus induebatur, vt ait Beda, Et licèt Euangeliſta de ſolo Pontifice hoc referat; veriſimile tamen eſt miniſtros idem feciſſe, qui ſuos dominos in huiuſmodi imitari ſolēt, de quo Poëta quidam dixit: *Si dixeris æſtuo; ſudat.*

Beda in Matth. 26. tom. 5.
Iuuen. Sat. 3. ante med.

Sciſſio veſtium apud Iudæos quid ſignificet.

Volebant autem hac cæremonia veſtes dirumpēdi, dolorē cordis, & contritionē, qua zelo diuinę maieſtatis cor eorū rūpebatur, indicare, vt fecit Ezechias

4 Reg 19 & Esai.37. Act 14.

Rex auditis Rapſaces blaſphemijs,& Apoſtoli Paulus & Barnabas in Lycaonia. Eſt enim blaſphemiæ crimen horrendum ac deplorandum,ſicut gloria Dei ab omnibus maximè eſt optanda,& procuranda.Significabat etiam illa ſciſſio veſtium, vt docent Origenes & Leo Pontifex,ac Beda,& quodammodo prophetabat, ſcindendum eſſe Sacerdotium Iudęorum,cum tunica Chriſti inconſutilis integra permanſerit in ſignū ſtabilitatis æterni Chriſti Sacerdotij.Scidit ergo veſtem,in ſignum quòd Pontificatus à Iudæis ſcindebatur,teſte Samuele,qui cū oram chlamydis per Saulem videret diſciſſam,dixit: *Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie*:ita hic.Vnde Leo Papa ſerm. de Paſſ.ieſtè ait: *Caiphas autem ad exaggerandam auditi ſermonis inuidiam,ſcidit veſtimenta ſua;& neſciens quid hac ſignificaret inſania,ſacerdotali honore ſe priuauit. Vbi eſt Caipha, Rationale pectoris tui? vbi eſt continentia cingulum? vbi Superhumerale virtutum? myſtico illo, ſacratoq; amictu ipſe te ſpolias,& proprijs manibus Pontificialia indumenta diſcerpis,oblitus praecepti illius,quod legeras de Principe Sacerdotum: De capite ſuo cidarim nō deponet,& veſtimenta ſua non diſrumpet. Tu verò,à quo iam alienabatur hac dignitas, ipſe tibi es executor opprobrij, & ad manifeſtandum finem veteris inſtituti,pertinet eadem diruptio Sacerdotij*.Sic ille.Et Hieronymus hoc loco: *Quem de ſolio Sacerdotali furor excuſſerat, eadem rabies ad ſcindendas veſtes prouocat.Scindit autem veſtimenta ſua, vt oſtendat Iudæos ſacerdotij gloriam perdidiſſe,& vacuam ſedem habere Pontifices*.Sic ille. Et ſubiungit: *Blaſphemauit,quid adhuc egemus teſtibus?* Quaſi diceret,nulla eſt indigentia teſtium, vbi rei eſt aperta confeſſio, & vt dici ſolet,nulla maior probatio,quam propria oris confeſſio, præſertim ſine tormentis adhibitis.Et cùm ſciſſionis veſtium ſigno Pontifex declaraſſet indignationem ſuam; tamen è contrario verbis ſatis ſignificauit ſuum ob extortam confeſſionem, propter quam illum accuſare poſſent,gaudium,cùm dixit: Quid adhuc egemus teſtibus? Ecce, nunc audiſtis blaſphemiam. Hæc enim vox eſt gaudentis, ſe poſt longā expectationem compotem voti ſui effectum. Dixit igitur *Blaſphemauit*,imò tu potius miſer blaſphemas, qui Domino Ieſu auferre contendis dignitatem Meſſiæ, ac Diuinitatē: omnis enim ſpiritus qui ſoluit Ieſum,ex Deo non eſt. Et cum piorū Principum ſit proprium reorum extenuare, nō aggrauare delicta, ne vitā illorū petere,& appetere videantur: hic tamen impius in blaſphemiā, quod eſt atrociſſimū delictū, verbū Chriſti ſanctiſſimū,& veritate plenū cōuertit.*Quid vobis videtur?* Ab eis petit conſiliū,qui Ieſu ſanguinē non minus quā ipſe ſitiebāt,quos certò nouerat mortis ſententiā in eū prolaturos eſſe.Notat Chryſoſtomus inſignē Caiphę malitiā,qui primò blaſphemiæ ſententiā in Dominum intorſit vt iudex;deinde conſiliū aliorum quærit.O excæcatam,& peruerſam malitiā; non pudet eū & iudicem eſſe,& accuſatorem,& teſtē. Et primò quemadmodùm peccauit adiurādo Dominum, deinde etiam ſcindendo veſtes,quia ficto pro gloria Dei zelo, & nō vero dolore,ſed magno cū gaudio id fecit: ita etiā ſermone ſuo ad præſentes deliquit. Quia cùm iudicis mun⁹ ſit audito & probato crimine de ſupplicij merito pronuntiare; hic cōtra accuſatoris partes agens dixit; Blaſphemauit:quid egemus teſtibus? Et iudicis partes adſtātibus detulit,dicens: *Quid vobis videtur?* Pondera verò illud,qua ratione Ieſum tractent Pōtifices:dum enim Veteris Teſtamenti ſummus Sacerdos Ieſum damnat, deſignat⁹ in ſupremum noui Teſtamenti Pontificem eundem adiurabat.

Orig tract. 30 in Matth. ante med. tom 1. Leo Papa ſerm 6 de paſſ initio ferè. Beda vbi ſupra. Ioan 19. 1.Reg 15. Leo Papa ibidem.

In Caipham inuectiua magni Leonis.

Leuit.21.

Hieronym. to.9.

Caiphæ in Chriſtum odium.

1 Ioan 4.

Piorum Principum officiū quid.

Blaſphemia ſ. eius grauiſſimum.

Chryſ hom. 85 in Matth. tom 2.

Caiphæ inſignis malitia.

Hebr 7 & ſæpè infra.

At illi reſpondentes,dixerunt; Reus eſt mortis. Videntur iuxta legem tuliſſe ſententiā,quę ait: *Qui blaſphemauerit nomē domini, morte moriatur*: at verò quia nō ſuper rei veritate nitebantur,ſed ſuper Pōtificis impio mendacio,quo ſummā Dei glorificationem blaſphemiam appellauit,iniquiſſimè & contra propriā conſcientiā pronuntiarunt. Debebant.n.prius probare nō eſſe Filium Dei,ac Meſſiā, cùm oppoſitum Ieſus probaſſet & ſignis & ſcripturis.Et fortè tunc libenter eū lapidaſſent,vt blaſphemum,niſi q optabāt eum morte turpiſſima crucis extingui. Debebant etiam, audita diſtinctione duplicis aduentus Meſſiæ Ieſum interrogare(quem ſciebant ſigna feciſſe, & in diſputando ora eorum ſæpe obturaſſe) vnde diſtinctio illa duplicis aduentus in Scriptura authentica haberetur,& Dñs facile oſtendiſſet,& Scripturis demōſtraſſet; ſed irrumpunt ad damnandū doctorem veritatis. Elegitq; Dñs dānari à Pontificibus,& doctorib Legis,& Senioribus,non velut quid cōfeſſus,aut de crimine cōuictus;ſed velut corā ipſis crimē læſę maieſtatis cōmittens,vt ea ratione grauiorem & magis ignominioſā mortē ſuſtineret.Nullum quippe mortis gen⁹ tetrius, turpiuſve inueniri poteſt,quàm quod quis vt blaſphem⁹, & Dei capitaliſſimus hoſtis interficiatur:& hoc,q ſummum erat,Chriſtus quo nos ad ſe alliceret,& charitate inuitaret,pro nobis ferre cogitauit. Et iſtis aſſeſſorib.& cōſiliatijs Pontificis huius ſimiles ſunt plerunq; Principū miniſtri,qui facilimè voluntatem eorū vel nutu tantùm cognitā,ſiue in fauorē, ſiue in perniciē rei ſtatim

Leuit 24.

Cur Chriſtum tanquam blaſphemum Iudæi nequaquā lapidauerint *Sap 2*

Cur Chriſtus à Principibus Sacerdotum, & Senioribus, quàm alijs, maluerit condemnationis ſubire ſententiam.

Iſti Caiphæ miniſtri & conſultores, impij nimirum quos referant.

ſententijs ferendis quis ordo ſeruetur iudicio.

tijs ſectantur. Ideò meritò in ferendis ſententijs ille ordo ſeruatur; vt primo loco dicant iuniores, ne autoritate, & pondere antiquorum, ſapientiorumque in eorum partem inflectantur; quemadmodum habetur in cap.1.lib. Eſther, vbi numeratis 7. ſapientibus, qui ex more Regi aſſiſtebant, poſtremus prior locutus eſt. Si Caiphas dixiſſet: Declara nobis quomodo ſeſſurus es ad dexteram Patris, quomodo venturus iudex in nubibus cœli; id Dominus libenter explicaſſet: at ſcidit veſtes, & dixit: *Blaſphemauit*, & ſtatim vox auditorum ſequitur, *Reus eſt mortis*. Dices; Quare Christus non reprehendit hanc ſententiam vt iniuſtam, ſicut venientes ad ſe capiendum reprehenderat? Sed illi ex ignorantia peccauerant, iſti ex mera malitia. Deinde fruſtra obiurgaret malitioſos de peccato occulto, de quo ipſi ſatis à conſcientia redarguebãtur: & non erat opus eos tunc reprehendere, quia imparati valde erant ad ſuſcipiendam correctionem. Secundò ſciſcitaberis; quare non appellauerit ab hac iniqua ſententia ad Deum, vel ſaltem ad alios iudices magis inſtructos, & minus perturbationũ affectibus occupatos, quẽadmodum Paulus appellauit ad Cęſarem? Reſpondemus: executionem ſententiæ tunc fuiſſe cœptã, & iam venerat hora eius, & non erat omnino contra omnem voluntatem ſuam pati pro nobis. Tertiò percontabere; Quare ſaltem non ſe defendit, aut delituit, aut ſe inuiſum reddidit, vt fecit aliàs? Reſpondeo; ne videretur hoc facere amore vitæ, vel timore mortis, ſed ſeruat defenſionem iuſtitiæ ſuæ poſt executionem ſententiæ, quando pro eo in cruce poſito creaturæ vniuerſæ eius innocentiam ſunt conteſtatæ, & quãdo poſt reſurrectionem per vniuerſum orbem tanquam Filius Dei ſit prædicandus, quando iudices lumine Spiritus S. illuſtrati poterunt melius videre, quem pupugerunt. Quid autem miramur iudicem vnum in magnis, aut paruis criminib. poſſe delinquere, & ſententiam iniquam pronuntiare; cùm omne iudæorum concilium ex inuidia diaboli grauiſſimè, & turpiſſimè deliquiſſe nouerimus? Tu verò, pie lector, patientiam, & manſuetudinem Domini meditare, qui ſolus erat innocens inter tot impios, & improbos conſtitutus, tanquam agnus inter lupos voraciſſimos. Deinde meditare Ieſum deuorantem omnia opprobria, & quęcunq; contumeliarum genera, quò nos Patri ſuo conciliatos redderet, & placatos, atq; à morte æterna iuſtaq; ad illam ſententia ſua, & condemnatione nos liberaret: cui propterea cum Patre, &

Ioan 7.
Cur Christus eos, qui ſe reũ mortis condemnarunt, minimè reprehenderit.

Quare ab iniqua mortis ſententia, à Caipha in eum lata non appellauerit Christus.
Actor.15.
Ioan.13.
Quare Christus reus mortis pronuntiatus non ſe quauis ratione defenderit.
Ioan.10.
Suprà 8.
Luc 4.
Matth.27.

Apocal 1.
Vnde concilij Iudæorum vniuerſi contra Dominum tam iniqua ſententia.
Quæ virtutes Domini Ieſu hoc loco ad imitandum nobis propoſitæ.

Spiritu S. immortales gratiæ, laudes, honos & imperium ab omni creatura ratione prędita reddatur in ſeculis ſempiternis, Amen.

TRACTATVS XXII.

De illuſionibus, & contumelijs, quibus Ieſus tota illa nocte in domo Caiphę affectus fuit, in illa verba: *Tunc expuerunt in faciẽ eius, & colaphis eum ceciderũt, alij autem palmas in faciẽ eius dederunt: dicẽtes, Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?* Matth.20. Marc.14. & Luc.22.

ANtequam hæc contumeliarũ genera Christo Domino illata explicemus, nonnihil eſt de adiuratione dicendum; & quaten⁹ illa modò vti liceat, & quos liceat adiurare. Adiurare igitur eſt, iurando quẽpiã ad opus aliquod inducere; ſicut abiurare eſt aliquẽ iuramẽto abigere, & repellere, vt in baptiſmo abiuramus dęmones, renuntiantes illorum pompis, & operibus; & Hęreticus dum conuertitur, hæreſim abiurat, dum eam deſerit, & deteſtatur. Differt etiã iuratio ab adiuratione: quia iuramẽto nos ipſos conſtringimus ad aliquid neceſſariò faciẽdum; adiuratione verò alios nobis inferiores adigimus. Et in omni adiuratione propria, quæ fit erga inferiorẽ, eſt veluti captio iuramenti: vnde Abraham dixit ſeruo Heliezer: *Pone manum tuã ſubter femur meum; vt adiurẽ te per Deum cœli, & terræ*; qui poſteà dicitur Abrahæ iuramẽtum poſtulanti obtuliſſe, ita etiã capitur Gen.5. & Ioſ.2. ſi quis diligenter expendat. Tamen reuera diſtinguuntur: adiuratus enim, & non reſpõdens non eſt periurus, ſed inobediens: contra iurans alteri, & promiſſum non ſeruans, periurus eſt, non inobediens. Adiuratio igitur legitima ſicut & iuratio, ad virtutem religionis pertinet; ideò quãdo vtraq; eſt illicita, vitiũ eſt religioni contrariũ. Etſi autem frequenter adiuratio capiatur pro illa quæ fit dæmonibus, q in Energumenis exiſtentes, exorciſmis expelluntur: latius tamen extenditur illa vox. Nã & adiurare poſſum⁹ Deũ & Chriſtũ, & homines, & dęmones, & belluas ipſas, atq; tempeſtates nobis nocentes. Adiuramus enim Deũ, dum per merita filij ſui eũ obſecramus, vt Eccleſia in omnib. Orationibus facere ſolet, cùm dicit, *Per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ*; vel cũ per eius gloriã, & bonitatis ſuæ ac miſericordiæ viſcera deprecamur. Adiuramus Chriſtum, dum per natiuitatem ſuam, aut crucem, & paſſionem

Adiurare quid ſit, & quid Abiurare.

Iuratio, & adiuratio differunt.

Geneſ.24.

Adiuratio quam latè pateat.

Deum quomodo adiuremus, vt & Chriſtum Dominum.

ſionem exaudiri petimus. Egeſtate etiam compulſi obſecrant per viſcera Chriſti, per merita Deiparæ Virginis ab hominibus poſtulant. Et quod attinet ad homines, ſi illi

Licite qui adiurentur homines, qui illicite.

ſint aut pares nobis, aut ſuperiores, deprecando tantùm poſſumus adiurare; inferiores verò nobis etiam compellendo: quos etiam poſſemus compellere ad iuramentum. Sed illicitè adiurantur, qui non ſunt ſubditi compellendo, quemadmodũ Caiphas Chriſtum adiurauit, qui eius non erat ſuperior, & quia ſupervacanea eſt adiuratio, cùm iam Chriſtus dixiſſet, & vita, & ſignis comprobaſſet ſe Deum eſſe, & quia adiurabat nõ vt crederet, ſed vt calumniaretur.

Dæmones vt ſint adiurandi.

Dæmones non licet adiurare deprecando: quia cùm ſint hoſtes Dei, & noſtri capitales inimici, non ſunt deprecandi, ſed compellendi, iuxta illud Apoſtoli: *Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum.* Nec etiam licet compellere vt nobis præſtent auxilium, vel aliquid reuelent; quia hoc eſſet tacitè eos deprecari: ſed bene licet compellere, vt, ad gloriam Dei, recedant, & exeant, nec amplius noceant.

1. Cor. 10.

Agris nocentes beſtiolas quatenus liceat adiurare.

Beſtiolas autem, vt locuſtas, mures, qui fruges, aut alia ſata depopulantur, non licet per ſe eas adiurare, ita vt adiuratio ad eas dirigatur, cùm eius intelligendæ capaces minimè ſint: nec enim licet adiurare niſi illas creaturas, quę poſſunt iurare.

Quæ ſolæ creaturæ adiurari queant.

Et quia imperare rebus anima, & ſenſu carentibus, proprium eſt Dei, non hominis: nam ſolus Deus vocat ea quę non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, & ſtellæ vocatæ dixerunt, Adſumus, & illi dicebant, *Qualis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei?* Vnde & ficus maledicta ſtatim exaruit; Homo verò tantùm imperat ratione præditis, ſiue ſeruis, ſiue amicis, ſiuè filijs. Licet tamen exorcizare dirigendo adiurationem ad dæmonem, non deprecando, ſed compellendo, vt tollat illud quod nobis nocet; quia poſſet tempeſtatem, quam alius excitauit, tollere: ſi eo ſit potentior: quia motus animalium, vel nubium, eſt motus dæmonis, vt principalis agẽtis, quemadmodum motus ſagittæ, & ſagittæ eſt, & ſagittantis.

Rom 4.
Baruch. 3.
Matth 8.

Melior earum beſtiarum adiuratio.

Melius tamen eſt has beſtias adiurare confugiendo ad Deum permittentem illa dęmonum, & creaturarum opera, vt ipſe pro ſua virtute deprimat dæmones, & beſtias nocentes repellat.

Adiurationes quæ intolerabiles fidelium.

Abuſus igitur eſt minimè ferendus, ad eos, qui non intelligunt, adiurationem dirigere; litem facere; & conteſtari procuratores; & aduocatos vtriq; parti aſſignare, denique ad excommunicationem procedere; nam hæc omnia impoſtorum ſunt officia, & incantatorum: qui eſſent meritò à poteſtate tam Eccleſiaſtica, quàm ſeculari coërcendi, atque puniendi.

Orig. tract. 35 in Matt. ante med. tom 2.

Quod Origenes dixit in hęc verba Caiphæ Dominum adiurantis: *Quæret aliquis, ſi conuenit vel dæmones adiurare: & qui reſpicit ad multos qui talia facere auſi ſunt, dicet non ſine ratione fieri hoc. Qui autem aſpicit Ieſum imperantem dæmonibus, ſed etiam poteſtatem dantem diſcipulis ſuis ſuper omnia dæmonia, & vt infirmitates ſanarent, dicet quoniam non eſt ſecundum poteſtatem datam à Saluatore adiurare dæmonia; Iudaicum eſt enim.* Et paulò antè: *Exiſtimo autem quoniam nõ oportet vt vir, qui vult ſecundùm Euangelium viuere, adiuret alterum. Simile eſt enim quod dicit in Euangelio Dominus ipſe: Ego autem dico non iurare omnino; & non adiurare omnino. Si enim adiurare non licet, quantum ad Euangelicum Chriſti mandatum; verum eſt quia nec adiurare alterum licet. Propterea manifeſtum eſt quoniam Princeps Sacerdotum illicite Ieſum adiurauit, quamuis videatur per Deum viuum adiuraſſe.*

Matth. 10.

Suprà 5.

B. Thom. 2. 2. q. 90. art. 1. 2. & alibi.

Duplex genus adiurationis.

Reſpondet B. Thomas ad primum de adiurandis dæmonibus, duplex eſſe genus adiurationis: alterum quo malefici, & incantatores vtuntur, dum precibus & cæremonijs dæmones ad ſua vota alliciunt: & hos meritò damnat Origenes, quòd beneuolentiam, & arctam cum dæmonibus conſuetudinem exigat. Alterum genus cõpulſorium eſt, quo per virtutem diuini nominis, Chriſtiani Exorciſtæ, poſthabita omni ſuperſtitione dęmones adiurant, & ex obſeſſis corporibus nolentes expellunt: & his exorciſmis Eccleſia vtitur cum Catechumenis ante baptiſmum.

Quo ſenſu Origenes dixerit dæmones non eſſe adiurandos.

Origenis negantis hominem ab alio adiurari poſſe, quæ ſententia fuerit, ſecundum B. Tho. Iudæi ſubditos adiurare potius, quàm ab eis iuramentum exigere ſolebant.

Ad ſecundum verò de hominum adiuratione, reſpondemus, Origenem loqui de ea, qua quis non ſibi ſubditum cogendo adiurat. Adiuratio autem Principis Sacerdotum iniqua fuit; tùm ex defectu poteſtatis, quia non erat eius legitimus Princeps, vt eum poſſet adiurando cogere. Erat enim frequens conſuetudo apud Iudæos ſubditos adiurandi potius, quàm vt ab eis iuramẽtum exigerent. Quòd ſi vrgeas, licere per adiurationẽ neceſſitatem imponere alicui non ſubdito: quia dum quis ab aliquo iuramentum petit, & recipit, ſeruandi videlicet fidem contractus, videtur illum adiurando neceſſaria obligatione deuincire. Sic Abraham ſeruũ adiurauit, ne filio ſuo vxorem extra cognationem ſuam caperet; vt nullum videatur diſcrimen in hoc inter ſeruum & liberum.

Geneſ. 24.

Non ſubditi etiam qua ratione poſſint adiurari.

Reſpondeo, non negari poſſe, quemlibet ab alio iuramento cõſtringi poſſe, cùm vel à Rege ipſo obligatorium iuramentum accipitur. Cæterùm cùm iuramentum ab aliquo capitur, ipſe idem, à quo capitur, actione propria ſe obligat, ſiue ſeruus ſit, ſiue liber, ſiue Princeps, ac Domin⁹. At adiuratio non

tio non eſt actio eius qui adiuratur, ſed adiurantis. Vnde Pontifex dixit Chriſto: *Adiuro te per Deum viuum*: & Num. 5. dum de lege Zelotypię eſt ſermo, adiurabat Sacerdos mulierem, vt diceret, ſi dormiuit vir alienus cum ea: adiurauit quoque Saul populum: *Maledictus vir qui comederit panem, &c.* Abraham verò ſeruum adiurando per Dominum cœli, & terræ, compulit vt iuraret: quia dicitur inferius: *Poſuit ergo ſeruus manũ ſub femore Abraham domini ſui, & iurauit illi ſuper ſermone hoc.* Fuit ergo ſimul, & adiuratio & captio iuramenti. Et hæc breuiter dicta ſint de adiuratione, vt intelligamus quatenus liceat, & in quos poſſit exerceri.

Num. 5. — *1. Reg. 14.* — *Geneſ. 24.*

Redeamus ad Textum: *Tunc expuerunt in faciem eius.* Iſtis cõtumelijs Marcus alteram addit de velata facie Domini: *Et cœperunt*, inquit, *quidam conſpuere eum, & velare faciem eius.* Lucas verò hæc ita deſcribit: *Et viri qui tenebant Ieſum* (non ſolùm ergo Ieſus aſtabat vinctus in concilio, ſed etiam multorũ miniſtrorum manibus detinebatur) *illudebant ei, cædentes. Et velauerunt eum, & percutiebant faciem eius. Et interrogabant eum, dicentes, Prophetiza quis eſt qui te percuſſit? Et alia multa blaſphemantes dicebant in eum.* Ex his igitur colligimus, Chriſtum paſſum fuiſſe illa nocte illuſiones, ſputa, velationem faciei, colaphos, alapas, interrogationem, *Prophetiza quis eſt qui te percuſſit?* Et multas blaſphemias: impletaque eſt Scriptura, quę habet: *Applicabis & vitulum coram tabernaculo teſtimonij.* Imponentque Aaron, & filij eius manus ſuper caput illius. Et mactabit eum in conſpectu Domini, iuxta oſtium tabernaculi teſtimonij. Nam profectò Chriſtus vitulus erat pro gloria Domini mactandus. Imponunt igitur capiti ſacro manus ſacrilegas, percutientes caput illud, in quo habitabat diuinitas corporaliter. Et primò quidem ipſi Sacerdotes Scribæ, & Phariſæi proiecerunt ſputa quaſi in viliſſimum, & abominabilem hominem; ac ſi dictorum Chriſti vilitas ſputorum vilitate penſanda eſſet, ac damnanda. Fuitq; ſummum dedecus conſpuere in faciem eius, qui dicitur ſpecioſus forma præ filijs hominum, &, *Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus*, & quã beantem ſpectantes in cœlo deſiderant Angeli proſpicere. Erat autem conſpuitio pro maxima ignominia habita, vt patet ex Numerorum volumine, vbi dicitur: Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem ſeptẽ diebus rubore ſuffundi? Fuitq; hæc conſpuitio ab Eſaia prædicta, cùm ait: *Non eſt ſpecies ei, neq; decor*, & iterum: *Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.* Præfigurata etiam in Vr viro Mariæ ſororis Moyſi, de quo legitur in Gloſſa Exod. 34. quod cùm nollet conſentire populo Hebræorum vitulum aureum colere volenti, ipſum ſputorum multitudine ſuffocauerint. Fuerunt igitur hæ contumeliæ, vt ex Matthæo, & Luca colligimus, multę; deinde viro ingenuo, & nobili ipſa morte grauiores: ideò Dominus dicebat: *Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.* Tertiò vide animi malignitatẽ, & odium, quo ſæuiebant in Ieſum: Quò enim ſaturarent animos ſuos, decreuerant inter ſe, vt quicquid pœnarum ei citra mortem infligere poſſent; non omitterent: eo conſilio, vt ſi Pilatus eum abſolueret, ac dimitteret, ſuperuiuere omnino non valeret: Et licèt in totum Chriſti corpus ſæuirent, caput tamen, ac faciem præcipuè offendebant. Cumq; dęmones per totam vitã eum viderent tam inſigni ſanctitate pollentem; nunc totam inferorum rabiem, & ferociã armarunt, vt quibus artib. & machinis poſſent ſanctitatis quam videbant in Chriſto arcem expugnarẽt, & vel ad tantillam iracundiã illum prouocarent, tanta enim hominum crudelitas in innocentem ſæuiens, totius inferni erat ſæuitia. Sed Chriſtus diuina potius quàm humana patiẽtia munitus, omnia illa diuicit, pacatus, quietus, ác placidus perſeuerãs. Meditare ergo animũ Redemptoris magno ſpiritu iniurias perferentẽ, animo infracto illas amplectentẽ, in magno pretio eas habentẽ: & quod hactenus deſiderauerat, iã poſſidere incipiebat, & quia opus noſtræ redẽptionis iã peragebat. Quartò perpende, quòd poſtquã ipſi ſaturati ſunt Sacerdotes, tradiderunt illum miniſtris cuſtodiendũ tota nocte: qui eum innumeris, & grauiſſimis affecerũt iniurijs, vt Luc. dicat: *Et alia multa blaſphemantes dicebant in eũ.* Vbi nota, iniurias in Chriſtum vtpote Deũ eſſe veras blaſphemias. Neq; expreſſit quæ eſſent illæ aliæ cõtumeliæ: quia veriſimile eſt & numero fuiſſe multas, & grauitate fuiſſe atroces, & valde enormes. Vt vel hinc colligas, vt notauit Euthy. Euangeliſtas omni fide, & acceptione dignos exiſtere, qui vt veritatẽ ſeruẽt hiſtoriæ, tam tetra, & vilia tormẽta de ſuo magiſtro conſcribere nõ erubuerũt. Nihil ergo prædicti Sacerdotes, aut eorũ miniſtri omiſerũt, aut cõſcientia, vel pietate ducti, aut animi nobilitate, aut humanitate ſuaſi, aut pudore, vt timore Dei reuocati. Hinc impletum eſt illud Iob: *Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam, ſatiati ſunt pœnis meis*; & illud in lib. Thren. *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs*; nec nõ illud Eſaiæ: *Corpus meum dedi percutientibus,*

& genas

Quæ quantaq; Chriſtus illa nocte paſſus ſit in domo Caiphæ Pontificis.

Exod. 29. — *Leuit. 1.*

Vitulus in lege mactandus quid præfiguraret.

Coloſſ. 2.

Scribarum, ac Phariſæorum in Chriſtum impudentia conſpuentium.

Pſal. 44. — *Pſal. 76.* — *1. Pet. 1.*

Quanta hæc eius ignominia: eiuſdem figuræ, prædicta, ac figura.

Num. 12. — *Eſai. 53.* — *Supra 50.*

Pſalm 68.

Iudæorum in Chriſtum furor ac ſæuitia.

Ieſu patientia incredibilis animique fortitudo.

Ieſu apud miniſtros contumeliæ, probra.

Ea cur blaſphemiæ nominentur.

Euthym. in Matt. c. 6.

Euangeliſtarum fidem quid augeat, & autoritatẽ.

Iob 16. — *Thren 3.* — *Eſai. 50.*

& genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus; & conſpuentibus in me, vel vt habent Hebræi codices, *Ab ignominijs & ſputo.* Prædixerat Erithræa Sibylla has Chriſti cótumelias lib.8. oraculorum ſuorum, & Lactantius lib.4.cap.18.

Sibyllina de contumelijs Chriſti vaticinia *Lactantius.*

In iniquorum manus infidelium poſteà veniet.
Dabunt & alapas manibus inceſtu.
Ad viroſa genas præbebit ſputa pudentes:
Verberibuſq́; ſacrum tradet proſcindere tergum.

Et lib. oraculorum:

Impinget colaphos, vitioſaq́; ſputa ſceleſtis
Iſrael labijs.

Iudic 16. Act. 12. Morti olim adiudicati à 16 viris de more cuſtodiebantur apud Iudæos.

Sic illuditur non ab alienigenis Philiſthęis, ſed à ſuo, Deiq́ue populo verus ille noſter Samſon. Quòd ſi Petrum morti adiudicatum ſeruabant quatuor quaterniones militum, vt in Actis dicitur, & ita à ſexdecim viris cuſtodiebantur rei mortis; multo magis hoc ſeruatum fuiſſe in Ieſu probabile eſt, quem plus timebant, quàm Herodes Petrum. Quare interminantes pœnã mortis Sacerdotes cuſtodibus, ne eum relinquerent; abierunt cubitum. Dominuſque remanſit tota nocte in carcere quaſi in cauea in loco tenebroſo & fœtido, alligatus catenis cum cuſtodibus intus cum eo vigilantibus, ne euaderet: qui Iuſtum matutinum omni cótumeliarum, & blaſphemiarum genere refertum illi accinere per totam noctem non ceſſarunt. Adhibuerunt etiam cuſtodes ad portas externas, quò omnia tuta remanerent. Prima igitur iniuria fuit, conſpuitio; de qua ſuperius diximus: Secunda, quòd faciem eius velarunt, deſideratam tamen à cunctis patribus, & Angelis: ac teſte Chryſoſtomo, tam gratioſa & benigna Domini facies erat, vt hoſtes, quamuis crudeles eſſent, & eum odio proſequerentur, non poſſent tamen eam cernentes in eum ſæuire, ſed emolliti commiſerabantur: ideò conſilium eorum fuit faciem eius velare, quò atrocius eum cæderent, colaphos, & alapas impingerent; barbam vellerent, puluerem in faciem eius iactarent, & excrearent in eum. Dicebant; *Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit;* vt notarent eum tanquam pſeudoprophetam, & populi ſeductorem, & qui ignoraret eos, qui eum percutiebant. Sed certè hæc velatio ſignabat quòd non erant digni videre illam ſine confuſione vel ſalutari ad pœnitentiam, vt illi, qui videntes in quem pupugerunt, conuerſi ſunt; vel erubeſcenda ad exitium, vt illi, de quibus Propheta: Videant, & confundantur zelantes populi, & ignis hoſtes tuos deuoret. Deinde ſignificat doctrinam patientiæ, & charitatis, quã

Militum prætoris aduerſus Chriſtum cuſtodia, vigilia.

Quibus contumelijs Dominus fuerit affectus in domo Caiphæ.

Chryſ hom. 86 in Matth. initio. Cur milites Chriſti faciem velauerint.

Hæc velatio faciei denotauit quatuor. *Luc 23. Eſai.26.*

Chriſtus prædicauit, non omnibus eſſe patefactam, ſed adhuc obſcuram eſſe quibuſdam: nam ita quoque Moyſes velato vultu docuerat. Tertiò denotat Chriſtum nolle videre noſtra peccata, nec ſe percutientes. Nam quamuis oculo diuinitatis omnium corda penetraret percutientium, & videret quæ ipſi non videbant: tamen ex quo diuinitas humanitatis integumento velari voluit, oſtendit ſe ad reatum peccata hominum videre noluiſſe, & ob hoc ipſum tegi oculos ſuos permiſiſſe. Quarè Chriſtus vt Deus verus, ſynceri, & ſpiritualis amoris (qui dicitur charitas) autor oculis vitta tectis, vt depingi ſolet amor, docet, & amorem Dei patientem omnia, & patientiam ex amore non videntem aliorum peccata. Quòd ſi amor humanus tantam vim habet, vt amati vitia non videat; quanto magis ille diuinus, & immenſus amor? Quòd ſi Cupido, ſiue Amor ſenſus cutum vnum habet, vt proptereà cæcus à Poëtis depingatur; at diuinus quàm longiſſimè videt, & proptereà fit, vt peccata noſtra non videat: nam viſa ſua infinita bonitate & miſericordia, cæcatur, ne nos pro meritis plectat. Tertia iniuria erat, quòd colaphis eum cæderent, & alapas in faciem darent. Hæ duæ actiones duobus verbis Græcè exprimuntur: dicitur enim ἐκολάφισαν, καὶ ἐῤῥάπισαν, id eſt, ad literam, colaphizarunt, & alapizarunt, quas voces periphraſticè interpres expoſuit. Differt autem colaphus ab alapa; quæ vox eſt Latina, ſicut colaphus Græca, quòd colaphus manu clauſa, ſeu pugno infligatur; alapa verò manu extenſa, & aperta. Secundùm Euthymium verò, Colaphus colli eſt percuſſio, ſiue capitis, vt vult Origenes; alapa verò faciei, vt habet textus. Ad quod Origen. allegat Eſaiam iuxta 70. dicentem: *Dorſum meum præbui ad flagella, & maxillas meas ad palmas.* Solent autem huiuſcemodi iniuriæ grauiſſimę cenſeri apud viros ingenuos, nec niſi morte vindicari ſolent. Illudunt igitur Dei ſapientiã, & quem dudum admirabantur in verbis gratię, quę procedebant de ore ipſius, & ſtupebant in magnitudine Dei: qui in iudicio futuro, imò poſt tres dies illuſurus eſt eos cũ omni creatura: nam vt Salomon ait; *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum:* Et, *Pugnabit cũ illo orbis terrarum contra inſenſatos.* Conſpuitur creator à verme, nec mãdat ignem, aut vrſos: cæditur palmis, qui dedit cędentibus manum, & qui eorum plagas curauerat, & cuius ingreſſum nuper ramis palmarum, & oliuarum exornauerant. Et veriſimile eſt faciem eius tot ictibus intumuiſſe, & liuidam effectam fuiſſe. Velabant faciem, qui

Exod 34. 2.Cor 3.

Proprium diuinitatis.

Effectus amoris diuini.

Cupido à Poetis, cur pingatur cæcus.

De colaphis & alapis Domini Ieſu.

Colaphus & alapa differunt.

Euthym.

Orig. ibid. Eſai 50.

Alapæ iniuria quanta ſit, & qua pœna mulctetur.

Luc 4. Chriſti manſuetudo ac patientia.

Sap 5. Ibidem.

Matth 21. Velamen cordis Iudæorũ. *2.Cor. 3.*

vſque

vſque in hodiernum diem velum habent ſuper cor eorum ad ignorationem Meſſiæ, & ſalutis æternæ. Irriſione vocant Prophetam omnia videntem,& ſpiritum longè videndi omnibus Prophetis dantem: conuitioſe Chriſtum vocant,tanquam qui inaniter nomen illud ſibi vendicaſſet. Quartò, his iniurijs magna ex charitate ſuſceptis,docuit Chriſtus quid noſtrum promereretur peccatum,qui nos ipſos filios Dei facimus, & exaltamus ſuper id omne , quod à Deo habemus: & Chriſtus pro nobis illas pati voluit contumelias, vt pro noſtro mendacio,& ambitione apud Deum ſatisfaceret. Hinc Origenes in Matthæum ait: *Opus erat in eo,quod factis iſta docebat, dorſum ſuum exhibens ad flagella,& maxillas ad palmas,& faciem non auertens à confuſione ſputamentorum; vt nos, ſicut arbitror, qui digni fueramus omnes has infamias pati,erueret ipſe pro nobis faciens eas.Non enim mortuus eſt pro nobis, vt non moriamur,ſed vt pro nobis non moriamur: & alapis cæſus eſt pro nobis, & exputus eſt, vt ne nos qui digni fueramus omnibus his, propter noſtra peccata patiamur ea, ſed vt pro iuſtitia patientes ea gratanter excipiamus.* Hactenus ille. Poſtremò docet nos Chriſtus, ne Chriſto amplius aut in ſe, aut in membris illudamus, & ne conſpuamus eius faciem blaſphemijs,aut indignè percipiendo Euchariſtiam:& conſcientiam noſtram, quæ eſt facies, & imago ſanctiſſimæ Trinitatis, fœdis cogitationib. polluimus, colaphis cædimus, qui ore quidem Chriſtum confitemur; factis autem negamus. Colaphus à poſteriori parte datur,alapa ab anteriori. Velatur facies eius ab his,qui nõ credunt eum cognoſcere, & videre eorum mala opera,aut cogitationes peruerſas; cũ tamen de eo dictum ſit: *Ipſe ſciebat quid eſſet in homine*; Et, *Dominus ſcit cogitationes hominũ, quoniam vanæ ſunt*. Habetur pſeudopropheta ab his,qui non firmiter credunt ſancto Euangelio, nec his quæ prædixit de conſummatione ſeculi,aut de die iudicij,aut de reſurrectione vniuerſali, de futuris gehennæ ſupplicijs,& ſempiternis iuſtorũ præmijs.

Quid hæc tanta iniuriarum, tolerantia nobis Chriſtus ſignificauerit.

Origenes.

Chriſtum qui illudant,& conſpuant.

Species, & imago ſanctiſſimæ Trinitatis quænam illa.

Tit 1.

Faciem Chriſti quinam velent.

Ioan. 2.

Pſalm 93.

Falſus Propheta à quibus Chriſtus habeatur.

Matth. 13.

Infra 24. & ſeq.

Ioan. 5.

Matth 13.

Quaſcunque ille paſſus eſt, iniuriæ,& contumeliæ Chriſto à nobis quando renouentur.

Caueamus etiam has eaſdem iniurias Chriſto in proximos replicare. Nam illudimus, cùm eorum defectus cernimus, & pate facimus,conſpuimus,cùm noſtris verbis eorum famam denigramus : alapis,& colaphis cædimus,dum apertè, & fraudulenter in eos inſurgimus : velamus faciem, quando nonniſi velo inuidiæ tecti eorum opera iudicamus.Magnum igitur,& latum campum cognoſcendi malitiam noſtram, & diuinam patientiam, ex hoc loco colligimus,præclarum item perferendarũ contumeliarum exemplum; ad quod ſi noſtra omnia quæ patimur,cõferamus,ſtatim nobis noſtra ſordeſcent, & prorſus nulla apparebunt. Precamur igitur te,ô bone Ieſu, vt merito tuæ inuictæ,& ſingularis patientiæ, quam illa nocte erga Principes Sacerdotum,& miniſtros Iudæorum te grauiſſimè offendentes offendiſti, nobis vt Spiritum,& vires porrigas,quò iniurias omnes, & cõtumelias pro tuo nomine illuſtrando, & virtute amplectenda,atq; colenda æquo animo, ac forti ſuſtineamus; vt ita in patientia noſtra animas noſtras poſſidentes, te quoq; cum Patre, & Spiritu S.in æternum poſſidere; immortaleſque laudes tuas,& gratiarum actiones in ſempiternis ſeculis celebrare valeamus, Amen.

Luc. 21.

TRACTATVS XXIII.

De triplici Petri negatione , in illa verba: *Petrus verò ſedebat foris,in atrio: Et acceſſit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cũ Ieſu Galilæo eras? At ille negauit corã omnibus, dicẽs,&c.* Mat.26. Marc.14. Luc.22. Ioan.18.

DVm nocte illa hæc in Concilio Principum Sacerdotum, & ſeniorum gererentur,dum Caiphas Dominum adiuraret,& alij dignum morte iudicarent,& miniſtri illuderent, Petrus intereà ter Dominum abiurauit. Has autẽ negationes Matthæus, & Marcus per recapitulationẽ poſt cõtumelias Domino illatas collocauerunt; Lucas verò ante omnes contumelias Chriſto irrogatas per anticipationis figuram deſcripſit. At Ioannes primam negationem ante interrogationẽ Põtificis de doctrina, ac diſcipulis ſuis, quam ſolus ipſe retulit,enarrat: reliquas duas poſteà ſubiũxit,omittens illas contumelias, & iniurias,quas alij diligenter perſcripſerant: Secundam verò negationem paulò poſt primam factam,& tertiam poſt vnius horæ morulam,vt Lucas teſtatur,conſtituit: Vniuerſæ itaque negationes,intereà dum Dominus in Concilio illo nocturno examinaretur, trãſactæ ſunt. Initio tamen eius temporis videtur Petrus cœpiſſe Dominum negaſſe : nam ante ſecundum galli cantum iam omnes completæ erant : negationes autem illæ diutius protractæ ſunt , atque per totam ferè noctem ad matutinum vſque tempus productæ. Hæc admonuimus,ne quiſquam miretur , ſi quæ in domo Pontificis tota illa nocte geſta ſunt,priori loco expoſuerimus; & ea, quæ ad Petrũ ſpectant,etſi anteriora fuerint,poſteriori loco ediſſeram⁹: nam id

Quemadmodum Euangeliſtæ in trina Petri negatione deſcribenda conſentiunt.

conſul-

Septem dubitationes proponuntur diluendæ.

conſulto fecimus, vt tres illas negationes ſimul explanaremus, atque tractaremus. Et quoniam multa noua, & à communi Patrum ſenſu aliena à quibuſdam noſtro ſeculo circa Petri negationes inuecta ſunt: propterea cogimur fuſius hæc differere, & non ſine aliquo ordine quæ ſequūtur, quęſtiones tractare. Primò enim quæritur, an neceſſariò Petrus negauerit propter verbū Chriſti, an liberè: & an Ioannes, qui introduxit Petrum in atrium Pontificis, negationum Petri fuerit particeps. Secundo loco proponēdæ ſunt difficultates hinc inde ex ratione locorum, & ſituum, temporum, interrogantium, & reſpondentis Petri. Tertiò, examinandus eſt numerus negationū, an tres tātum extiterint, an nouem, vt quidam ſtatuūt, aut ſeptem, vel ſaltem quinq; vt Caiet. ſenſit. Quartò ponderanda ſunt ſingula negationum verba. Quintò tractādum, qua de cauſa tam turpiter labi, & cadere permiſſus ſit Petrus. Sextò differendū quomodo, quando, & quare Petrus ſurrexerit. cùm ſcriptum ſit: *Qui negauerit me coram hominibus; negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Poſtremo loco, quare Petrus reſipiſcens non redijt ad atrium Pontificis, vt publicè Ieſum confiteretur, quemadmodum Marcellinus Papa feciſſe legitur, & rediſſe ad Imp. Diocletianum. Ad primum reſpōdemus breuiter, quia pluries à nobis diſcuſſum eſt, Petrum quidem ſimpliciter potuiſſe poſt Chriſti dictū non negare, quia nōniſi libero arbitrio peccatum perpetrari, & omitti poteſt, & eatenus eſt voluntarium: quod ſi non ſit voluntarium, aut non integrè voluntarium; in tantū non ſit peccatum. Ideò metus, vis, ignorantia, & carnis fragilitas, quæ tollunt de voluntario, tollunt etiam de ratione peccati, & illud imminuunt. At poſita Chriſti prædictione, & præſcientia, proculdubio peccaret: quia aliàs Filius Dei eſſet mendax: vt argumentantur Hiero. & Origenes: Hieron. quidem in Matth. his verbis reprehendens illos, qui dicunt Petrum non negaſſe Deū, ſed hominem: *Si enim iſte, inquit, nō negauit; ergo mentitus Dominus, qui dixerat: Amen dico tibi, quia hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* Origenes verò in eundem Euangeliſtam ſic ſcribit: *Poſtquam cū affirmatione iuramenti pronuntiauit, non erat poſſibile vt non denegaret. Si enim iuramentum erat Chriſti amen, mentitus fuiſſet, dicens, Amen dico tibi, ſi verum dixiſſet Petrus quia non te negabo.* Hæc illi doctiſſimi Patres. Sed iſta neceſſitas, quæ conſequentiæ dicitur, nec cogit, nec compellit ad peccandum: quia ſi eſt præuiſum peccatum futurum, atq; prædictum; præuiſum & prædictum eſt quòd liberè, ac voluntariè ſit euenturum, ac ob id non neceſſariò. Deinde, cùm Deus omnia Angelorū, & hominum peccata, antequam etiā crearentur, præuiderit; ſi talis præuiſio neceſſitatem inferret, iam peccata non eſſent peccata, quia neceſſariò euenirent, & non liberè, & ita ab omni peccato ratio adimeretur peccati. Adhæc, ſicut peccata præterita ſunt verè peccata & liberè facta, etſi modò non ſit poſſibile illa peccata facta non eſſe: ita de futuris nobis, quæ oculo Dei iā ſunt præterita, & quia ex oculo Dei pręſenti, ſeu præſentia deſumitur iſta neceſſitas: ſicut oculus noſter non imponit neceſſitatē peccato quoad video ab altero fieri, ita nec viſio Dei. Præteritum namque, præſens noſtrum, & futurum longè abſunt ab illo intellectu diuino infinito, cui nihil præterijt, etſi videat rem vnam reſpectu alterius eſſe præteritā: nihil etiam ſibi futurum eſt, etſi agnoſcat vnum alterius reſpectu eſſe futurum. Præſens verò noſtrum, quod in fluxu quodam, & curſu conſiſtit, Deo non competit, cui tantum momentum æternitatis immobiliter ſtans congruit, & in quod incidunt omnes temporis noſtri differentiæ. Præterea cùm Deus præuiderit non minus omnia opera ſua; vt mundi creationē, Angelorum glorificationem, incarnationem, paſſionem, & ſimilia; ſi præuiſio eius vllam neceſſitatem inferret, omnes Dei actiones, quas extra ſe exercet, neceſſariò euenirent, & non liberè, atque ita ſeipſum pretioſiſſima libertate priuaret: atque ita hoc poſito quòd Dominus prædixerit ter Petrum negaturum; non poterat non negare; & tamē non poterat niſi liberè negare.

Caie. in Ioan.

Matth. 10.

An ideò Petrus negauerit, quia Chriſtus prædixit eum negaturum.

Quæ ſit ratio peccandi.

Peccati grauitatem quę imminuant.

Hieronym. in Mat. 26. to. 9.

Orig. tract. 35 in Matth. multo ante med. tom. 2.

Neceſſitatem quæ dicitur conſequentię, nequaquam cedere ad peccandum.

II. ratio.

III. ratio.

Simile. Omnis ratio temporis ab infinito Dei intellectu abeſt quam longiſſime.

IV. ratio.

Ridiculum porrò eſt, quod quidam argumentantur, Ioannē fuiſſe occaſionem primæ negationis Petri: quia ſi nō introduxiſſet illum in atrium Pōtificis, Petrus nō negaſſet Chriſtum. Quia actus ſumunt bonitatem, vel malitiam à fine; Ioan. autem non verſabat in animo imbecillitatem, & incōſtantiam Petri, quodq; ſubito ad vocē vnius ancillę oſtiarię negaturus eſſet Dominum. Erat etiam Chriſti vaticinium implēdum, ſed culpa Petri, nō Ioannis, aut ancillę cauſa: nam forſitan ſi ancilla illa admiſiſſet Petrum ſine opera Ioannis in atrium, adhuc negando ſine culpa Ioannis peccaſſet. Præterea, ſi ancilla illa foras prodijſſet, vbi ſtabat Petrus, & ſimili interrogatione pullaſſet eum, nō minus negaſſet dominū ſuum. Niſi dixeris ingreſſum Petri in domum nequiſſimi Pōtificis, Petro fuiſſe fatalē: quod nemo ſanus dixerit. Nam & Ioānes ingreſſus eſt, nec illi fatalis fuit. Et hæc de primo.

Quam inepte colligant quidam Ioannem aſſeruntt primæ Petri negationis occaſionem extitiſſe. Actus bonitatem ſuam, vel malitiam vnde deſumat.

Ad ſe-

Proponuntur difficultates hinc inde ex ratione locorum, & ſituũ, temporum, interrogantium, & reſpondentis Petri.

I. dubium circa locum.

Ad ſecundum, proponendæ ſunt difficultates, quæ perplexas atq; intricatas reddunt has Petri de Chriſto negationes, propter diuerſitatem loci, & temporis, & varium ſitum Petri: propter interrogantes etiam, & reſponſa eius. Nã in primis tres Euangeliſtæ Dominum docẽt ductum in domum Caiphæ ſummi Sacerdotis, negationeſque Petri in eius domo factas enarrant; Ioannes verò qui negationibus videtur interfuiſſe, ac ob id maiori dignus fide videri poſſet, in domo Annæ negationes omnes accidiſſe conſtituere videtur. Et confirmatur autoritate Auguſtini in Ioannẽ dicẽtis: *Cùm dixiſſet Euangeliſta, quòd eum ligatum miſerit Annas ad Caipham, reuerſus eſt ad locũ narrationis, vbi reliquerat Petrum, vt explicaret quod in domo Annæ de trina eius negatione contigerat. Erat autem, inquit, Simon Petrus ſtans & calefaciens ſe. Hic recapitulat quod ante iam dixerat, deinde quæ ſecuta ſunt, iungit. Dixerunt ergo ei, Nũquid & tu ex diſcipulis eius es? Negauit ille, & dixit, Non ſum. Iam ſemel negauerat ad ancillæ vocem, & ecce iterum eodem timore perterritus negauit. Deinde vt tertia negatio perficeretur, & verbum Domini prædicentis impleretur: Dicit ei vnus ex ſeruis Pontificis, cognatus eius cuius abſcidit Petrus auriculam, Nonne ego te vidi in horto cũ illo? Iterum ergo negauit Petrus, & ſtatim gallus cantauit. Ecce medici completa eſt prædictio, ægroti cõuicta præſumptio; nõ enim factum eſt quod iſte dixerat: Animam meam pro te ponam; ſed factum eſt quod ille prædixerat: Ter me negabis.* Sic ille.

I. Opinio. *Aug. tract. 113. in Ioan. in fin. tom 9.*

Ioan 13. II opinio. *Hieron. Beda in Mat tom 5.*

Hieronymus verò atque Beda, quos alij multi ſequũtur, ſcribunt, eas in domo Annæ cœpiſſe, in domo verò Caiphę conſummatas fuiſſe. Vnde cæteros Euangeliſtas, aiunt, negationum finem attendiſſe; Ioannẽ verò earum principium.

II dubium circa tempus.

III. dubium circa interrogantes.

Secunda conſurgit difficultas circa tempus: Quia Ioannes cum Matthæo, & Luca ſcribit, gallum poſt trinam negationẽ cantaſſe, Marcus verò ſtatim poſt primã. Tertia difficultas eſt circa interrogantes: quia etſi in prima negatione tres priores Euangeliſtæ ponant ancillam interrogantem, & ſolus Ioannes addit oſtiariam: tamen in ſecunda ponunt Matthæus, & Marcus ancillam aliam rogantem; at Lucas hominem alium, Ioannes verò ait: *Dixerunt ergo ei.* In tertia etiam ponit Matthæus multitudinem intorrogantium, in quo non videtur differre Marcus à Matthæo, dicens aſtantes rogaſſe; at Lucas ait, Alius quidam; Ioannes verò, Seruus Pontificis cognatus Malchi.

IV. dubium circa reſpondentes.

Quarta difficultas eſt in reſpõſionibus Petri: quia in prima refert Matthęus reſpondiſſe Petrum, *Neſcio quid dicis:* Marc. *Neq; ſcio, neque noui quid dicis*: Lucas, *Mulier, non noui illum:* Ioannes, *Non ſum*, ſcilicet ex diſcipulis hominis iſtius. In ſecunda, cum iuramento negauit, ait Matth. *Quia non noui hominem*; Marcus verò ſimpliciter dicit, *iterum negauit*; Lucas, *O homo, non ſum*, ex diſcipulis, ſcilicet eius. In tertia verò refert Matthæus, ſic reſpondiſſe Petrum: *Cœpit deteſtari, & iurare, quia non nouiſſet hominem:* Marc. *Cœpit anathematizare, & iurare, Quia neſcio hominem iſtum quem dicitis*: Lucas, *Homo neſcio quid dicis*; Ioannes, *Iterum ergo negauit Petrus*, ſcilicet ſe fuiſſe in horto cum illo.

V. dubium circa ſitum Petri.

Quinta difficultas eſt circa ſitũ Petri: Quia prima apud Matthæum fit Petro ſedente foris in atrio; apud Marc. *Cùm eſſet Petrus in atrio deorſum*; penes Lucam, *Accenſo igne in medio atrij, & circumſedentibus illis: erat Petrus in medio eorum*; at Ioannes habet, *Stabant ſerui & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe, erat autem cum eis & Petrus, ſtans, & calefaciens ſe.* In ſecunda negatione ait Matth. *Exeunte illo ianuam*; Marc. *Rurſus cùm vidiſſet illum ancilla*; Lucas, *Et poſt puſillum alius videns eum*; Ioannes, *Stabant autem ſerui, & miniſtri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe. Erat autem cum eis & Petrus ſtans, & calefaciens ſe.* In tertia ait Matthæus, *Poſt puſillum*; Marcus, *Poſt puſillum rurſus*; Lucas, *Et interuallo facto quaſi horæ vnius*; Ioannes verò, *Dicit ei vnus ex ſeruis Pontificis*, &c. Ecce minutiſſimæ omnes difficultates Textus propoſitę, vt opus ſit non Delio aliquo natatore, ſed ſpiritu Dei ad tot in ſpeciem diſſentiẽtes ſententias rectè conciliandas.

Petrus quoties Dominũ negauerit ſecũdum Caiet. eiuſque ſectatores.

Ad tertium, Caietanus has difficultates, aut partem illarum conſiderans, & putans aliter non poſſe ſolui, atq; explicari melius hunc nodum, tandem aſſeruit in facto Petrum iuxta ſuauem literę contextũ ſepties, aut ad minus quinquies negaſſe, ter ad vocem ancillarum, & bis ad vocem virorum: & friuolum eſſe, & puerile; quod in cõtrarium obijcitur dictum Domini: *Ter me negabis: Quia qui ſepties,* inquit, *vel quinquies negat, ter negat.* Et probat: quia tres illæ, quas narrat Ioannes, geſtæ ſunt in domo Annæ, alię verò ſubſecutæ ſunt in domo Caiphæ. Deinde inſinuatur ex diuerſo ignis modo: quia apud Ioannem congeſtæ prunæ, apud Lucam accenſus ignis, aut flamma. Adhæc ter videtur Petrus negaſſe ad vocem ancillarum: nam apud Matthæum deſcribitur Petrus exiens ſemel negans. Ait enim: *Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla:* Hęc autẽ non eſt illa, quam deſcribit Ioan. dicens quòd ancilla oſtiaria, &c. Nam illa non dixit Petro exeunti, ſed ingredienti, vel ingreſſo, & ad congeſtas prunas ſtanti, vel eunti. Ecce duæ negationes ad vocem

mulierũ factæ, altera à Ioãne, altera à Matthæo deſcripta. Præter has eſt tertia apud Lucam aientem, Petrum non ingredientem, nec egredientem, ſed pariter cum alijs ſedentem ad mulieris vocem negaſſe. Scripſit enim: *Quem cum vidiſſet ancilla quædam ſedentem ad lumen, & eum fuiſſet intuita, dixit, &c. Ergo ad minus,* inquit, *quinquies Petrus negauit, ter ad vocem mulierum, & bis ad vocem virorum,* & ſubdit: *Dico autem ad minus propter contentioſos. Secundùm planum enim Euangeliorum ſenſum, negauit bis ad vocem virilem in domo Annæ apud Ioannem, & bis in domo Caiphæ apud Lucam. Itaq; ſepties ſecundum hiſtoriam Petrus negauit Ieſum.* Sic ille ſenſit: cuius nouitatem ſecuti ſunt nonnulli non magni nominis ſcriptores.

Ioan. Arboreus. Ioan. Gagneus. Tho. Beauxamis.

Hoc tamen quoſdam magnos viros grauiter offendit, & tanquã nouum, & ab Euangelio alienum, & iniurium beato Petro inſectati ſunt, & meo quidem iudicio magnis rationum momentis.

Petrum non niſi ter Dominum negaſſe. Numerus prophetici dicti vt ſit intelligendus. *Matth. 16. Infra 20.*

Et inprimis illa ratio valida eſt: quia Dominus ſpiritu Prophetico dixit, quòd illa nocte ter illum eſſet negaturus. Numerus autem Prophetici dicti ita eſt intelligendus, vt nec illi aliquid ſit addendum, neque detrahendum. Quemadmodum quod dixit Dominus, *Tertia die reſurgam,* non eſt intelligendum aut ſecunda die, aut quarta, vel quinta, ſed præciſe in tertia. Alioqui liceret Iudæis in 70 hebdomadibus addere alias mille, ac dicere, quòd in illis continentur ſeptuaginta, & quòd in 3. diebus continentur tres reſurrectionis dies.

II. argum.

Deinde illud quoq; validum eſt, & vix ſolubile argumentum, quòd quiuis Euangeliſta cõtinet prędictionem Domini de trina negatione, & tantum enumerat, & concludit tres negationes, & impletionem verbi Domini, *Ter me negabis.* Non enim opus erat illud repetere, niſi ter præciſe negaſſet, & male intuliſſet Marcus, quòd in trina negatione impletũ eſſet illud, ſi ſepties negaſſet.

III. argum.

Tertiò conſtat ex omnibus Euangeliſtis, quòd cum Petrus tertiò negauerit Chriſtum, à Chriſto fuerit reſpectus, & peccatũ ſuum amoris lacrymis abſterſerit: poſt tertiã igitur negationem Petrus amplius illum non negauit. Niſi dicas poſt pœnitentiam Petrum ad vomitum rediјſſe, & iterũ adhuc negaſſe, quo nihil abſurdius.

IV. argum. *Ioan. 13. Aug lib. 3. de conſ. Euang. ca. 2. tom 4.* Quare Petrus tertio negare Dominum ſit permiſſus.

Quartò, quia periret ratio illa B. Auguſt. quòd quia Petrus ter ſe iactauerat, & promiſerat: *Animã meam pro te ponam: Etſi oportuerit me mori tecũ, non te negabo: Tecum paratus ſum & in carcerẽ, & in mortem ire;* pro hac triplici iactantia ter tam turpiter permiſſum eſſe cadere: vt teſtatur B. Auguſtin. libr. de conſenſu Euangeliſtarum.

V. argum.

Periret etiam alia ratio, quòd propterea Domin⁹ à mortuis ſuſcitatus ter interrogauerit Petrũ: *Diligis me plus his?* Ter exegerit confeſſionem à Petro, qua trinam negationẽ compenſaret: vt teſtantur nonnulli Patres.

Ioan. 21. Cur Dominus ſuſcitatus ter Petrum interrogauerit, an ſe plus cæteris diligeret. *Aug. tract. 123. in Ioan. circa med. tom 9. Ambr lib. 10. in Luc c 13. prope fin to. 5.*

Nam Auguſt. in Ioan. *Redditur,* inquit, *negationi trinæ trina confeſſio ne minus amori lingua ſeruiat, quàm timori: & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens. Sit amoris officium, paſcere Dominicum gregem; ſi fuit timoris indicium, negare paſtorẽ.* Ambroſ. ante eum tractans Petri negationes, in Luc. ait: *Imitare Petrum, dicẽtem alibi tertiò: Domine, tũ ſcis quia diligo te. Etenim quia tertiò negauerat, tertiò confitetur. Sed negauit in nocte, confitetur in die.* Hęc illi boni Patres, quos ſequuntur Bernard. atque alij multi. Et inter Gręcos B. Cyril. in Ioan. ait: *Quoniam cũ alijs Apoſtolatus nomine Petrus ab ipſo Chriſto decoratus, ter in tempore paſsionis negatio æquali cõfeſsionis numero compenſetur. Ita quod verbis commiſſum fuit, verbis curatur.*

Bernard. B. Cyril li 12. in Ioan. c 54. circa med. tom. 1.

VI. argum. *B. Iren. lib. 4 aduerſ. Hær. c 50.* B. Iren reg in Script interpretandis diligenter obſeruanda. *Infra c 51. Gen. 19.*

Sextò, regula B. Irenęi eſt in Scripturis interpretandis diligenter obſeruanda: tradit enim, facta ſanctorum, quæ Scriptura Sacra non reprehendit, à nobis minimè eſſe reprehendẽda, etiamſi nobis reprehenſibilia videantur. Et addit exemplũ de filiabus Loth; quę putantes mũdum extinctum, ad patrem pro ſemine habendo acceſſerunt. Si ergo facta ſanctorũ, quæ Spiritus S. nõ damnat, à nobis dãnanda nõ ſunt; profectò neq; grauius exaggeranda, aut multiplicanda, quã ipſa Scriptura dicat, vel ipſe Chriſt⁹ prędixerit. At profectò nimiũ exaggeratur crimen trinæ negationis, aſſerẽdo ꝙ ſepties negauerit; multoq; magis ad modeſtiã Chriſtianã ſpectabat, ſimpliciter fateri ignorationẽ ſuam in cõciliandis locis quę diſſidere videtur, quã tantã contumeliã irrogare B. Petro, pręſertim cũ oẽs Patres nihil tale auſi fuerint illi affingere.

Vtile interpretis Scripturarum documentum neglectũ à Caietano. VII. argum. ab abſurdis ſententiæ Caiet.

Septimò, quia ſi ſic ſe res haberet, vt Caiet. cogitauit, multa deducerẽtur abſurda. Nã in primis pro tribus negationib⁹ haberemus 7. eſſent 3. galli cantus pro duobus, vnus in domo Annę apud Ioan. & duo in domo Caiphę, vt ait Mar. eſſent tres ancillæ pro duabus, vna apud Ioan. & 2. apud alios. Et ita omnia eſſent fęcũda in hac ſententia; at hoc quid eſt aliud, quã addere verbo Dei?

VIII. argum. ab autoritate Patrum.

Poſtremò idẽ à Doctoribus, & Patribus ſanctis, qui diligentiſſime has negationes pertractarũt, & Euangeliſtarũ dicta conciliarunt, accipitur. Nam venerabilis Beda cum S. Hieron. ſentit, totã negationẽ in trina completã eſſe. Et Auguſt. ait, quòd ſi pluries interrogatus fuiſſet quam ter, pluries etiam negaſſet: vbi manifeſtè ponitur, quod ter tantùm negauerit, quia ter tantũ fuit interrogatus.

Beda in Mat. tom. 5. Hier. vbi ſupra. Aug lib 3. de conſ Euang. c. 6. tom 4.

His

Soluũtur propoſitæ difficultates.
Negationes Petri vbi contigerint.
1. ſolutio.
Cyril. lib 12. in Ioan. c 1. init. to.1 Nicol Cuſ lib.6. excit.ex ſer. Ait Ieſus: Sicut Moyſ. exaltauit, &c.
Cyrill.

His igitur confutatis, ſtatuẽdum eſt ter tantum Petrum negaſſe: quia veritate poſita, nõ eſt difficile difficultates propoſitas ſoluere. Et vt à prima exordiamur, dupliciter ille nodus ſolui poteſt. Primũ cum Cyrillo, & Nicolao Cuſſano aſſerentibus omnes tres illas negationes factas fuiſſe non in domo Annæ, ſed in domo Caiphæ, vt tres primi tradunt Euangeliſtæ. Et Ioannes tantum refert illum ductum primò ad Annam; erat enim ſocer Caiphę, qui erat Põtifex anni illius: & ſtatim ſubditur in Textu Græco Cyrilli: *Miſerunt eum ad Caipham Pontificem*: quæ verba ponderat Cyrillus ipſe in Commentarijs. Et quod infra ſubdit Ioannes: *Miſerat enim eum Annas ligatũ ad Caipham: dictum eſt per recapitulationem.* Et quãquam illa verba, quæ addit Cyrillus, de textu non eſſent: ex eo tamẽ quod habetur: *Et adduxerunt eum ad Annam primum*, volunt quidam per figurã reticentiæ ſupplendum eſſe, deinde vero ad Caipham. Atque ita omnes negationes in domo Caiphæ acciderunt, vt Cyrillus teſtatur. Et confirmatur, quia dicitur à Ioanne, quòd diſcipulus ille erat notus Pontifici; & quod introiuit cum Ieſu in atrium Pontificis; & rurſus, *Pontifex ergo interrogauit Ieſum*; Et miniſter. *Sic*, inquit *reſpondes Pontifici?* In quibus omnibus locis Caiphæ fit mentio, quia ille propriè erat Pontifex anni illius: nam Annas, qui tantũ dicitur ſocer Pontificis, & nullibi in ſingulari Pontifex, aut Princeps Sacerdotum, licèt apud Lucam dicatur: *Sub principibus Sacerdotum Anna, & Caipha:* non tamen illi immediatè proximi fuerunt Pontifices vnus poſt alterum, ſed intermedij fuerũt tres alij, aut quatuor, vt teſtatur Ioſephus. Vt vel ex eo intelligas, quàm non conueniret illi nomẽ Pontificis, quod ante tot annos adminiſtraſſet Pontificatum: verum tamẽ eſt poſt Chriſti mortem iterum Annam Pontificem extitiſſe. Ait enim Lucas in Actis: *Factum eſt autem in craſtinum, vt congregarẽtur Principes Sacerdotum, & ſeniores, & Scribæ in Ieruſalem, & Annas Princeps Sacerdotũ, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander*, &c. Et cõfirmatur, quia dicitur apud Ioãnem, intraſſe diſcipulum illum notum Pontifici cum Ieſu, εἰς τὴν αὐλὴν τοῦ ἀρχιερέως. id eſt, intraſſe in aulam Pontificis. At aula, propriè eſt palatiũ, ſiue domus publica Principis: quomodo ait Poëta.

Luc. 3.
Ioſeph lib. 18 Antiq. c. 4.
Actor. 4.
Aula proprie quid.
Virg. 4. Aen. paulo ante med.

—Si quis mihi paruulus aula
Luderet Aeneas,

At Annę non congruebat aula, qui Princeps Sacerdotum eo anno non erat. Atque hæc eſt optima, & clara ſolutio. Altera ſolutio eſt: quòd ædes illæ Pontificiæ ambos Pontifices, vtpote ſocerum, & generũ, diuerſis tamen cõclauibus habitantes, continerent cum communi atrio vtriq; : vt ex apertis Euthymij verbis in præſentem Matthæi locũ ſcriptis ſuperius allegaui. Et confirmatur ex eo, quòd nõ dixit Ioannes: Ductus eſt ad domum Annæ, vel ad domum Caiphæ, ſed, ad Annam, & ad Caipham. Hanc ſolutionẽ ſuperius diſcuſſimus, quãtum veritatis contineret: & vtcunque ſit, prior mihi magis arridet. Hanc tamen poſteriorem libentius acceptarem, quàm aſſererem Petrum ſepties negaſſe.

Altera ſolutio
Euthym. c. 65 in Matth.

Secunda difficultas de galli cantu poſt primam negationẽ apud Marcum, & poſt trinam negationem apud alios, auferri poteſt per verba Auguſtini libr. de conſenſu Euangeliſtarum, vbi ait: *Sed quia ante primũ galli cantum cœpta eſt hæc trina negatio, attenderunt illi tres* (ſcilicet Matth. Luc. & Ioan.) *nõ quando eam completurus eſſet Petrus, ſed quanta futura eſſet, & quando cœptura, id eſt, quia trina, & quia ante galli cantum: quamquam in animo eius, & ante primũ galli cantum tota poßit intelligi.* Et clarius infrà: *Multo minus igitur mouere debet, quia trina negatio etiam trinis negantis vocibus ante galli cantum cœpta, etſi non ante primũ galli cantum peracta eſt: Tanquam ſi alicui diceretur, Hac nocte antequam gallus cantet, ad me ſcribes epiſtolam?* & quæ ſequũtur. Sed de hac re quoniam fuſius in alijs tractatibus locuti ſumus, hæc hoc loco ſint ſatis.

An gallus poſt primam, an verò ſtatim poſt trinam negationem cantauerit.
Aug. ib. c. 2. poſt med. to. 4
Exemplum Auguſt.

Tertia difficultas circa interrogationes, atque reſponſiones factas facilè reſoluitur. Nam in prima nulla eſt difficultas, quæ ab omnib. ponitur ab ancilla facta, etſi Ioannes aſſerat illam fuiſſe oſtiariam; poſt cuius interrogationem primũ gallus cantauit, & Petrus negauit. Sed in ſecunda negatione recenſet Ioãnes quoſdam interrogãdo Petrum; at hi quidam, erat ancilla alia, de qua dixit Marc. & ꝑrior ancilla; ait enim Græcè Καὶ ἡ παιδίσκη ἰδοῦσα αὐτὸν πάλιν ἤρξατο λέγειν: Et ancilla videns ipſum, iterum cœpit dicere. Ex quibus verbis apparet quod fuerit illa eadem quæ prius. Adhæc cum illis erat alter ille, de quo ſcripſit Lucas, & pluribus interrogãtibus vel ſimul, vel diuiſum, dum vna omnibus reſponſio datur, non eſt niſi vna negatio: atq; ita Euthym. hanc ſecũdæ negationis diſſonantiam conciliat. Tertia interrogatio facta eſt ab aſtantib. ſeu multitudine ſecundùm Matthęum, & Marcũ; in quibus erat & ille alius apud Lucam, & hic eſt qui à Ioanne dicitur ſeruus Pontificis cognatus Malchi. Atq; ita hæc ſibi inuicem conſentire facilè oſtenduntur.

Quemadmodum interrogationes ad Petrum factæ inter ſe conſentiant.
Euthym.

Quarta difficultas de Petri reſponſis illa regula non ægrè componitur, quòd nihil contra-

Qua ratione Petri re-

Sponſiones inuicem conciliantur.

contrarium ſibi ipſis docent Euangeliſtæ, ſi, quod vnus ſubticuit, alter expreſſit, vel quod vnus cõciſius dixit, alius latius declarauerit. Nam in prima iuxta Matthæum, interrogatio fuit: *Et tu cum Ieſu Galilæo eras*; quia ſæpè viſus erat Petrus cum Chriſto: & Ioannes ſimiliter in ſecunda perſona: *Nunquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius?* Alij duo in tertia perſona interrogant: Marc. enim ait; *Quia hic ex illis eſt*, & Lucas, *Verè & hic cũ illo erat*. Reſponſio fuit Petri, apud Matthæum quidem, *Neſcio quid dicis*: apud Marcum, *Neq; ſcio neque noui quid dicas*: apud Lucam, *Mulier, non noui illum*: apud Ioannem: *Nõ ſum*, ſcilicet ex diſcipulis hominis iſtius. Sed hæc omnia eodem tendunt, & idem varijs modis deſcribitur: Et fortè non vnũ aliquod, ſed duo ex illis, vel tria ſimul dixit, & non eſt niſi vna negatio. In ſecunda verò negatione Matthæus habet: *Et hic erat cum Ieſu Nazareno*; Marcus, *Quia hic ex illis eſt*: alij duo in ſecunda perſona idem efferunt. Ait enim Lucas, *Et tu de illis es*, & Ioannes: *Nunquid & tu ex diſcipulis eius es?* Quę profectò inter ſe non differunt, imò omnino ſunt eadem, & vna interrogatio, ſicut etiam vna reſponſio. Nam apud Matthæũ cum iuramento negauit, *Quia non noui hominem*: nam qui in tertia perſona dixerunt, *Hic ex illis eſt*, ad alios loquebantur aſtantes poſteà Petro in ſecunda perſona dixerunt, *Et tu de illis es*: Marcus ſimpliciter dicit, *Iterum negauit*: nec exprimit quibus verbis, quia debent ſuppleri priora, quibus dixerat, *Neq; ſcio, neq; noui quid dicas*. Lucas verò, & Ioannes eo modo reſpondiſſe tradunt, dicendo, *O homo non ſum*. In tertia verò Matthæus: *Verè & tu ex illis es, nam & loquela tua manifeſtum te facit*. Conſentit Marcus: *Verè ex illis es, nam & Galilæus es*. Lucas: *Verè & hic cum illo erat; nam & Galilæus eſt*. Ioannes: *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* Certè tres priores ſibi inuicem conſentiunt in hac interrogatione: tantùm Ioannes addit, quod viſus fuerit in horto cum illo, quod prioribus non diſſentit. Ex veſtitu ergo, aut potius ex loquela cognouerunt Galilęum: nõ quòd alia lingua loquerentur Galilęi, & alia Iudæi; ſed quòd etiam in eodem idiomate ſinguli haberẽt linguæ proprietates, & pronuntiationis modos, & accentus, quibus dignoſci poterant inter ſe, vt in omnibus accidit idiomatibus. Felix autem ille, cuius loquela dederat ipſum diſcipulũ eſſe Ieſu, & Galilæum, id eſt, tranſmigratũ, è mundana ſcilicet & carnali ad cœleſtem & ſpiritualem conuerſationem: ex abundantia enim cordis os loquitur. Iam vide reſponſum Petri apud Mat. *Cœpit deteſtari, & iurare, quia non nouiſſet hominem*. Marcus: *Ille autem cœpit anathematizare, & iurare; quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis*. Lucas: *Homo neſcio quid dicis*. Ioannes: *Iterum ergo negauit Petrus, & ſtatim gallus cantauit*. In his ergo omnibus nulla eſt repugnantia, ſed maior in vno expreſſio, quàm in alio. Et nõ repugnant diuerſa reſponſa Petri, quę à diuerſis narrantur, vnã fuiſſe reſponſionem diuerſis interrogantibus ſimul exhibitam.

Petrus ex loquela qua ratione agnitus fuerit.

Galilæus quid

Matth. 12.

Euangeliſtę in ſitu Petri negantis deſcribendo concordant.

Quinta difficultas circa ſitum Petri. Dicendum, quòd prima fuerit Petro ſedente, iuxta tres Euangeliſtas, & ſtante illo ſecundùm Ioãnem: quia veriſimilimũ eſt, quod ſedente Petro locuta fuerit ancilla, vt aiũt tres; & quòd poſteà turbatus ſurrexerit, ac negauerit ſecũdùm Ioan. Nam in hoc ſitu ſtandi cum miniſtris deſcribitur Petrus à Ioanne poſt negationem: & ſic omnia pacantur. In momento enim & ſtamus, & ſedemus In ſecunda verò quod dicitur apud Mat. Exeunte illo ianuam, Gręcè, vt etiam rectè annotat Euthym. dicitur: *Cùm autem exiſſet in veſtibulum*: nam Gręcè eſt, εἰς τὸν πυλῶνα. Exiuit autem non extra, ſed intra veſtibulum, id eſt, priorem partem atrij: nam Marcus vocat προαύλιον. Alij verò explicãt: *Exeunte autem illo ianuam*, id eſt, parãte ſe ad exitum: quia prope ignem erat, qui erat in medio aulæ, vt ait Lucas, & timens ne perciperetur, voluit exire. Sed ne fugere, aut fuga ſua fateri ſe Chriſti diſcipulum videretur, regreſſus intro eſt. Vnde poſt tertiam negationẽ dicitur, quod egreſſus foras fleuit amarè. Et dicendo, ingreſſum illum in veſtibulum, vidit eum alia, & interpres addidit explicationis gratia, ancilla, quia Gręcè non habetur: locus alter, & altera ancilla inſinuatur à priori. Quanquam Mar. dicat eſſe eandem, quę prius, vt ſuperius notauimus, cùm potuerit vna & altera interrogationem formante, Petrus vnum reſpõſum reddere; imò etiam alijs interrogantibus, vt Lucas inſinuat. Ratio igitur Caietani nihil vrget, videlicet quòd Ioannes referat: Stabant autem ſerui & miniſtri ad prunas, & Lucas, quòd accenſus eſt ignis in medio atrij: quia, inquit, apud Ioannem congeſtæ prunæ, apud Lucam accenſus eſt ignis: ibi prunę, hic flamma. Quaſi verò prunę aliud quicquam ſint quàm accẽſus ignis, & quaſi prunæ excludant flammas, cùm dicat Poëta.

Euthym.

Caietanus.

Et cinis obducta celabat lumina prunæ.

Virgilius in Moreto.

Atque ita remanet expeditum tertium; quòd tres tantùm fuerint Petri negationes, & nouitas confutata, & argumenta eius diſſoluta, & omnia quæ diſſidere videbantur, cõciliata. Ne quid tamẽ diſſimulare videar,

Petri Iruzorqui de negationibus Petri nouem incredibilis opinio.

quidam nouus ſcriptor frater Petrus Iruzorquus nomine, Doctor Pariſienſis, & Dominicanæ familiæ, qui ſeriem hiſtoriæ totius Euangelij concinnatam in lucem edidit, multum laborat in tuenda ſententia Caietani de ſeptem negationibus Petri; & vt magis illam corroboraret, addidit de ſuo, quòd quia Chriſtus ter protulit illam prædictionem de Petro: *Ter me negabis*, cùm ſint tres prophetiæ diſtinctæ diuerſis ex cauſis pronuntiatæ, exigitur vt ter trina ſit negatio Petri: adeò vt veritas Euangeliſtarum id expoſcat, vt Petrus nonies negauerit Chriſtum: ter quidem in domo Annæ Petro ſtante ad ignem, vt Ioannes refert; ter verò apud Lucam, qui tres negationes Petri narrat ante illuſiones Chriſti factas in domo Caiphæ; rurſus apud Matthæum & Marcum, qui ter deſcribunt Petrum negaſſe Dominum poſt illuſiones nocturno tempore factas.

Prædicti autoris opinio refellitur.

Quis non miretur tam fœcundam doctrinam, niſi militaret contra verbum Domini, & communem ſenſum Eccleſię, & Patrum, & beato Petro ſummè iniurioſa exiſteret; & tam debilibus niteretur fundamentis? Nam ſi ex eo quòd ter prænuntiauit Petro Dominus quòd ter eſſet negaturus, firmè ſequitur nonies Petrũ negaſſe; ſimili ratione cõſequeretur, ex eo quòd Dominus ter, aut quater ſuam mortem prędixit, ac reſurrectionẽ, vt Matt. 16. 17. 20. & 26. quòd ter aut quater fuerit interfectus, aut ſuſcitatus.

Eiuſdem de varijs domini illuſionibus ac diuerſis infirmum argumentum diluitur.

Iam & illud vanũ, quòd ob negationes narratas ante illuſiones Chriſto factas, vel poſt illas, inde colligat diuerſas extitiſſe; cùm nõ ignoret, Scripturam & occupationis, & recapitulationis figuris vti frequenter conſueuiſſe. Proinde ruunt vniuerſa, quæ hic bonus Pater ad ſtatuendas has nouem negationes iecit fundamenta. Nam reliqua, quæ de galli cantu, ac prunis accenſis, & de ſitu Petri ſtantis, aut ſedentis à Caietano mutuatus eſt, non indigent noua confutatione, cùm ſuperius à nobis fuerint confutata.

Semel duntaxat in domo Caiphæ (quòd ille idem autor negat) Chriſtum fuiſſe deluſum.

Illud quoque vanum, quòd ait in domo Caiphę Chriſtum non ſemel tantùm, ſed etiam iterum deriſum, & alapis cęſum: primò, poſtquam ſummus Pontifex illum interrogauit; & tanquam blaſphemum cœpit cũ ſuis conſpuere, & alapis cędere, vt Matthęus & Marcus docẽt; deinde verò antequàm manè concilio congregato decretum eſſet à tota ſynagoga vt duceretur ad Pręſidẽ poſt vltimas Petri negationes. Sed profectò hęc doctrina falſa eſt, quia cùm eædem illuſiones enarrentur à tribus illis Euangeliſtis, & nihil dicat Lucas, quod fuerint factæ ante auroram, aut paulò antè, ſequitur eſſe illas eaſdem numero, quas deſcribũt duo priores Euangeliſtæ; ac proinde ſine vllo firmo textu, & ratione ſolida dicitur. Sed me piget, ac pudet hanc tam fœcundam doctrinam fuſiori ſermone perſequi.

Negationum verba, & interrogationum expendantur ſingula.

Ad quartum igitur accedendum eſt, & verba negationum & interrogationũ ponderanda. Circa primam dicitur apud Mat. quòd Petrus ſedebat foris in atrio, poſtquã intromiſſus eſt ab oſtiaria, in medio eorũ, vt eſt in Luca, quò magis ſe tegeret, ac diſſimularet. Et addidit Mar. In atrio deorſum vt ex illis duobus verbis, Foris & deorſum, intelligamus atrium ipſum, quod erat ſubdiale, fuiſſe foris, ſi cõferatur ad ædes intimas Pontificis; quamuis eſſet intus, ſi cõferatur ad eos, qui extra domum Pontificis erant. Ex illo verbo, Deorſum, intelligim⁹, Chriſtum in ſuperiorem partem ędium, vbi habitabat Põtifex, adductum fuiſſe, vt ita Petrus eſſet deorſum.

Verè deorſum eſt qui Chriſtum negat. *Luc. 23. Aug. ſer. 1 in Paraſ. de cruce, & Latrone, ante med. tom. 10.*

Et verè deorſum eſt qui Chriſtum negat, & Petrus Chriſtum negauit deorſum, quem latro ſurſum eſt confeſſus, vt docet Auguſtin. Et principium negationum fuit, quòd aulam impij Pontificis ſit ingreſſus, & impiorũ ſe maculauerit contubernio; à quibus ſi cum alijs Apoſtolis abſtinuiſſet, non tam grauiter, nec tam turpiter præ illis lapſus fuiſſet. Conſidera verò hoc loco, totam familiam eorundem eſſe morum, & vt dici ſolet, ſimiles habere labra lactucas.

Prouerb.

Quales ferè Principum miniſtri.

Quales enim domini, tales & ſerui: dominus dominum ſuperius, miniſtri diſcipulum deorſum perſequuntur.

Ancilla vnde Petrum agnouerit eſſe de diſcipulis Chriſti.

Tunc venit ad illum vna ex ancillis ſummi Sacerdotis, vt ait Marcus. Quo verbo ſignificatur plures ancillas habuiſſe; ſed hęc oſtiaria erat, vt Ioannes explicauit. Et vt Lucas ait, vidit eum ancilla quędam ſedentem ad lumẽ, & ex vultu triſtiori, ac pallido, ac indicanti æſtus animi ſui, cognouit illum eſſe ex diſcipulis Domini. Et videtur ſignificare Euãgeliſta, quòd inter ſedentes ad ignem cum Petro erat multus ſermo de Domino Ieſu, & de eius diſcipulis, qui deliteſcebãt: & ancilla penitius illum intuita, agnouit illum ab aulicis alienum, & peregrinum, & ſiue per commiſerationem, ſiue vt alij probabilius putant, per contemptum, dixit: *Et hic cum illo erat*, vel ſub cõditione, vt ait Ioannes: *Nunquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius?*

Petri negationes vnde ſumpſerunt exordium.

Primi peccati origo fœmina fuit.

Et perpende, quòd à muliercularum aggreſſu cęperunt Petri negationes. A muliere enim primi peccati cępit origo, quod humanum genus à ſtatu primęuæ gratiæ & innocentiæ deiecit. Illud quoque diuina prouidentia ſignificatum nobis eſſe voluit paſtoribus, omnibuſq; Eccleſiaſticis, à nullo magis ſibi metuẽdum, quàm à mulieri-

Nihil magis fugere & cauere Eccleſiæ paſtores debent ac fœminarum conſortia.

bus, nihil magis vitandum, quàm illarum conſortium,& voluptatis,quę per illam ſignificatur,vſum. Vnde Ambroſius in Lucā interrogat. *Quid ſibi vult*, inquit, *quòd prima eum prodit ancilla, cùm viri vtiq; magis eum potuerint recognoſcere; niſi vt & iſte ſexus peccaſſe in necem Domini videretur, vt & iſte ſexus redimeretur per Domini paſsionem? Et ideò mulier reſurrectionis accepit prima myſterium, & mandata cuſtodit, vt & veterem præuaricationis aboleret errorem.* Sic ille. Deinde aduerte quid prauorum hominū colloquia poſſint. Petrus enim inter diſcipulos fatetur Chriſtum Filium Dei eſſe viuentis;in colloquio autem militum,& aulicorum ter negat Chriſtum; quia illi perfectè negant Dominum corde; ore, atque opere. Nam vt Bernard. ad Eugenium ſcribit: *Curia bonos facilius recipere, quam facere conſueuit.* Quòd ſi ad illam ſpectes ancillam, nubecula fuit eius interrogatio, ſi ad concilium malignantium, propter quod Petrus timuit, vetus valid⁹ fuit. Et ſic cribrator ille Apoſtolorum Satanas ſibi prouidet, vt tentationis artificiū à fœmina inciperet: qui ſexus olim etiam in paradiſo primo parenti extitit deceptionis ianua. Et quàm facilè illa columna, quæ à ſoliditate fidei dicta erat petra, & Petrus, ad vnius auræ impulſum contremuit? Negauit enim non coram milite, vel Pontifice, aut cōcilio, ſed coram ancilla viliſſima, aut cōtemptiſſima mulierum. Et quod Petrus eſt, omnes ſumus, qui ſolemus de viribus ſuperbire;&tamen in diuino iudicio velut cera à faciè ignis colliqueſcimus, vel ſicut puluis quem proijcit ventus à facie terræ, deficimus. ¶ Circa ſecundam negationem ponderandum, quòd in prima ſimpliciter negauit in præſentia ancillæ, fuit tamē mēdacium, etſi ſimplex, mortiferum tamē: in ſecunda cum iuramento,& coram quibuſdam, vbi mēdacium cum periurio fuit admixtum,& iureiurādo dixit ſe non eſſe de Chriſti ſchola: anathematizauit etiam ſeipſum vel inſolita vtēs deteſtatione, qua ſeipſum morti aut diabolo torquendū deuouerit, ſi Chriſtū nouiſſet. In tertia ergo peius adhuc negauit, quia cępit iurare,& anathematizare ſeipſum, ſi nouiſſet illum. Fuit igitur mēdacium cum periurio, & execratione: nā anathematizare eſt, maledictioni ſe obligare,& pœnæ, ſi ita ſit, vt imponitur: vt, verbi gratia, ſim ego à Deo maledictus; vel, poſſim malè,& repentè mori; vel, poſſit Satanas me poſſidere, & quo velit, ducere. Nam iam Petro in tertia hac negatione certū imminebat exitiū & periculum à cognato percuſſi Malchi; ideò Petrus cōſtrictus cępit execrari ſeipſū,& omnia mala ſibi imprecari, ſi hominem nouiſſet. Fuit itaq; prima, leuior à muliercula inermi; ſecunda, à viris,& multis,& armatis,& Pōtificis miniſtris, tertia, grauiſſima ab aſtātib⁹ ſiue à multitudine, inter quos vnus cognatus Malchi vrgebat eum. Ita creuerunt negationes, & rationes magis negādi: quemadmodum etiam progreſſus quidā fuit in aſſerendo quòd nunquā negaret. Cū ergo iam nō ſolū multitudine premeretur, vt in ſecūda negatione, ſed horti cōmemoratione, in quo Malchū percuſſerat, vrgeretur, magis, vt par erat, ſibi metuens, nō iam iureiurādo, vt prius, iurauit, ſed etiam cum anathematizatione, hoc eſt, deteſtatione, & deuotione ſui ipſius negat. ¶ Tertiò circa illud verbum in ſecūda: *Quia non noui hominem*; & in tertia, *quod non nouiſſet hominē*, colligunt quidam Patres, eū nō negaſſe quòd nouiſſet illum Deum, ſed eum noſcere nō eſſe tantùm hominem. Hęc enim ſunt verba Ambroſij in Luc. *Prima vox negantis eſt Petri; qua tamen non negare Dominū, ſed à proditione ſe ſeparaſſe mulieris videtur. Quid tamen negauerit, conſidera. Ex illis vtiq; ſe eſſe, qui cum Ieſu Galilæo erant; vel, vt Marc. poſuit cum Ieſu Nazareno. Nunquid negauit cum Dei fuiſſe ſe Filio? Hoc eſt dicere, Neſcio Galilæū; neſcio Nazarenum, quē Dei filium noui. Habeant homines locorum vocabula, Dei filium patria non poteſt nuncupare, cuius maieſtatē locus nullus includit.* Et infra: *Et aliud*, exemplū ſcilicet, *accipe: Interrogatus Petrus: Et tu ex illis es, qui cū Ieſu Galilæo erant? verbum æternitatis refugit: non enim erant, qui eſſe cœperunt; hoc eſt dicere: Ille ſolus erat, qui in principio erat. Deniq; ait: Non ſum ego. Illius eſt enim eſſe, qui ſemper eſt. Vnde & Moyſes ait: Qui eſt, miſit me.* Et infra: *Hoc idē & in tertia voce duo, de quibus propoſuimus Euangeliſtæ cū iuramento eum reſpondiſſe poſuerunt, quia neſciret hominem. Et bene negauit hominē, quem ſciebat Deū.* Adde quoq; B. Hilarium, qui in Matt. ait: *Sciebat* (ſcilicet Chriſtus) *exterrendos, fugandos, negaturos*, (videlicet diſcipulos) *ſed quia ſpirit⁹ blaſphemia nec hic, nec in æternū remittitur, metuit ne ſe Deū abnegent, quem cæſum, & conſputum, & crucifixū eſſent contemplaturi. Quæ ratio ſeruata in Petro eſt. qui cùm negaturus eſſet, ita negauit: Non noui hominem.* Idem inferius exponens illud verbū; Nō *noui hominē*, ſcribit: *Diligēter contuendum eſt, qua conditione Petrus negauerit: quāquam de hoc ſuperius tractatū eſt. Nā primò ait, non ſe intelligere quid diceret; ſequēti, non ſe ei adhæſiſſe; tertiò verò ſe hominem non noſſe. Et verè propè iam ſine piaculo hominem negabat, quē Dei Filium prius agnouerat: tamen quia ex infirmitate carnis vel ambiguus extitiſſet, amariſsimè fleuit, recolens trepidationis iſtius culpam, ſe nec admonitum potuiſſe vitare.* Hæc illi pij Patres propen-

Ambr. lib. 10. in Luc. c. 13. init. tom. 5.
Marc. 16.
Praui exempli vis.
Matth. 16.
Bern. lib. 4. Conſid. ante med.
Curia bonos non facit, ſed recipit, teſte Bernardo.
Luc. 22.
Diaboli (ſi ſic loqui licet) prouidentia, & ſolertia.
Gen. 3.
Matth. 16.
Petri fragilitas quorum nidē fragilitatem notet.
Pſal. 1.
In ſecunda Petri negatione quid animaduertendum.
Matth. 5
Anathematizare quid.
Gradus negationum Petri.
An Petrus Chriſtum Dei eſſe negauerit an hominem, vel ſimul vtrumque.
Ambroſius.
Qui ſemper eſt, illius eſt eſſe
Exod. 3.
B. Hilarius Can. 31. in Matt. circa med.
Matth. 12.
Idem Can. 32 ante med.
Matth. 16.
Refellitur hęc opinio

propenſiores in imminuenda culpa Petri, quàm fuerit Caietanus in illa augenda, & amplianda. Verùm iſtam ſententiam egregiè confutant alij Catholici Eccleſiæ Patres, inter quos Beat. Hieronymus pulchrè hoc loco ſcribit: *Scio quoſdam pij affectus erga Apoſtolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, vt dicerent Petrum non Deum negaſſe, ſed hominem, & eſſe ſenſum: Neſcio hominem, quia ſcio Deum. Hoc quàm friuolum ſit, prudens Lector intelligit, ſi defendunt Apoſtolum, vt Deum mendacij reum faciant. Si enim iſte non negauit, ergo mentitus Dominus, qui dixerat: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam Gallus cantet, ter me negabis. Cerne quid dicat, me negabis, non hominem.* Sic Hieronymus. Andi iam Auguſtinum, hoc ipſum dogma alia ratione confutantem: *An Apoſtolus Petrus*, inquit, *ſicut eum quidam fauore peruerſo excuſare nituntur, Chriſtum non negauit, quia interrogatus ab ancilla hominem ſe neſcire reſpondit, ſicut alij Euangeliſtæ conteſtantur expreſſius? Quaſi verò qui hominem Chriſtum negat, non Chriſtum neget, & hoc in eo negat, quod factus eſt propter nos, ne periret quod fecerat nos. Ergo qui ita confitetur Chriſtum Deum, vt hominem neget, non pro illo mortuus eſt Chriſtus, quia ſecundùm hominem mortuus eſt Chriſtus. Qui negat hominem eſſe Chriſtum, non reconciliabitur per mediatorem Deo: vnus enim Deus, & vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Et infra: *Non accuſemus Chriſtum, cùm defendimus Petrum: peccatum agnoſcat infirmitas, nam mendacium non habet veritas. Agnouit planè peccatum ſuum infirmitas Petri, prorſus agnouit & quantum malum Chriſto negando commiſerit, plorando monſtrauit: Ipſe ſuos redarguit defenſores, & vnde eos conuincat, producit lacrymas teſtes.* Hæc Eccleſiæ lumen Auguſtinus, magna cum ratione, in defenſores Petri, & tacitos Domini accuſatores eleganter produxit. Quartò expende, beatum Hilarium in Pſalmum LII. ita excuſare Petri negationem, vt eum fidei firmitatem non amiſiſſe dicat: *Neganti quidem, claues tamen regni cœlorum non ademit: quia cum per trepidationem obrepſiſſet negatio, voluntati tamen vſque ad martyrium confitendi fides firma non deerat.* Hoc ipſum ſentire videtur B. Ambroſius ſuper Lucam, & Leo Papa in ſermone de Paſſione, vbi alloquẽs Petrum, ait: *Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem auerſam, ſed conſtantiam fuiſſe turbatam.* Sic ille. Et Prudentius in libro Cathemorinon:

Fleuit negator deniq;
Ex ore prolapſum nefas;
Cùm mens maneret innocens,
Animuſq; ſeruaret fidem.

B. Hieronym.

Aug. tract. 66 in Ioan. circa med. tom. 9.

1. Tim. 2.

B. Hilar.

B. Ambroſ. Leo Papa ſer. 9. de Paſſ. in fin.

Prudentius Romanus.

Hoc ipſũ video multos amplexatos fuiſſe. Nec obſtat Ambroſij verbum ſermone de fide Petri Apoſtoli: nam tractans illud: *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, ait: Fidelior factus eſt, poſtquam fidem ſe perdidiſſe defleuit, atque ideò maiorem gratiam reperit, quàm amiſit.* Sed profectò Ambroſius eo loco fidem accipit pro fidelitate quam amico Chriſto non ſeruauit, vel pro fidei confeſſione, ad quam eo tempore faciendam Chriſti lege tenebatur. Prętereà quod dicitur in Marco, Chriſtum exprobraſſe incredulitatem Apoſtolorum, & duritiã cordis: non tangit beatum Petrum, quia apud Lucam de eo refertur, quòd cùm mulieres Apoſtolis ea, quæ à Domino audierant, annuntiaſſent, nec illi credidiſſent mulierib⁹, ſed viſa fuiſſent verba earum ſicut delitamenta, protinus ſubiunxit Euangeliſta: Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum: non enim cucurriſſet, niſi credidiſſet. Quod etiam coniunctio aduerſatiua, Aũt, demonſtrat, Petro videlicet non fuiſſe viſa verba mulierum deliramenta. Pia ergo eſt hæc ſententia, quæ tradit Petrum fidem nõ amiſiſſe, q̃ corde retinebat: nam pro eo Dominus rogauerat, vt non deficeret fides eius: amiſit tamen fidei confeſſionem, quam præſtare debebat. Sed vbi primùm reſpectus eſt à Domino, ad ſe redijt, & pœnitentiæ lacrymis, ac fletu peccatum negationis diluit, & charitatem quam amiſerat recuperauit. Quòd ſi omnino fidem amiſiſſet, difficiliùs tamen ad cor redijſſet, & ad pœnitentiam. Quintò ponderandum verbum Auguſtini in Ioannem ſuper illud: *Nunquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Dicit iſte: Non ſum: ſanè in iſta, quæ iam cœpta eſt negatione Apoſtoli Petri, debemus aduertere, non ſolùm ab eo negari Chriſtum, ſed ab illo etiam, qui cum ſit, negat ſe eſſe Chriſtianum. Dominus enim non ait Petro, Diſcipulum meum te negabis, ſed, me negabis: negauit ergo ipſum, cùm ſe negauit eius eſſe diſcipulum. Quid autem aliud iſto modo, quam ſe negauit iſſe Chriſtianum? Quamuis enim diſcipuli Chriſti nondum appellarentur hoc nomine, poſt Aſcenſionem quippe eius, in Antiochia primùm cœperunt appellari diſcipuli Chriſtiani; iam tamen erat res ipſa illo poſtea vocabulo nuncupanda, iam erant diſcipuli, qui poſtea appellati ſunt Chriſtiani, & hoc commune nomen, ſicut communem etiam fidem ad poſteros tranſmiſerunt.* Hæc ille perſciẽter ſanè atque vtiliter. Sextò expende quid trina illa Petri negatio myſticè deſignet. Prima ancilla, quæ Petrum allocuta eſt, ſignificat titubationem vel cogitationem peccati; altera verò, conſenſionem; vir autem, operis executionem. Nam primò mala cogi-

Amb. ſer. 48. de fide Petri, init. tom. 3. prope finem.

Quam fidem Chriſti Petrus negauerit ſecundum Amb.

Marc. vlt.

Luc. 24.

Luc. 22.

Aug. tract. 123. ſub init. tom. 9.

Negatur Chriſtus duobus modis.

Actor. 11.

Chriſti diſcipuli quando primum Chriſtiani cœperũt appellari.

Quid trina Petri negatio deſignet.

Quid etiam prima ancilla, & ſecunda, & vir Petrum allocuti ſignificent.

tamus, & niſi hæc cogitatio comprimatur, progreditur in conſenſum, ex conſenſu actus elicitur. Vel trina negatio eſt, corde, per diffidentiam inficiari; ore, per prouidentiæ diuinæ abiurationem, & opere, per contrariorum morum proteſtationem, de qua Paulus ait: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Vt proptereà rectè dictum ſit à Gregorio in Ezechielem: *Peccatum,* inquit, *quod per pœnitentiam citius non deletur aut peccatum eſt, aut cauſa peccati ſimul & pœna peccati.* Et probat illud: *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum*; & per illud, *Qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Poteſt etiam demonſtrari in Dauide, qui ex otio manendo domi eo tempore, quo ſolent Reges ad bella procedere, incidit in adulterium, ex adulterio in homicidium, & hypocriſim. Fuerunt autem hæ Petri negationes præfiguratæ tùm in Caim negante ſe ſcire fratrem ſuum Abel, & in Chuſai amico Dauid, qui Dauidem negauit coram Abſalon: Prophetatæ etiam à Dauide, dicente: *Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt: & qui iuxta me erant de longè ſteterunt,* & per Ieremiam: *Negauerunt Dominum, & dixerunt: Non eſt ipſe.* Et hæc de quarto ſint dicta.

Tit. 1.
Peccatum quod peccati cauſa ſimul eſt, & pœna peccati.
Greg. hom 11. in Ezechielē poſt med. to. 1.
Pſal. 68.
Quibus illud conſtet exemplis.
Apoc. vlt.
Dauidis triplex peccatū.
2. Reg. 11.
Vbi fuerint præfiguratę hę Petri negationes atq; prædictæ.
Geneſ. 4.
2. Reg. 16.
Pſalm. 37.
Ierem. 5.

Ad quintum, cur videlicet permiſerit Deus Petrum cadere, & tam turpiter prolabi, etiam poſt prædictionem & præmonitionē? Reſpondendum eſt, cauſas multas non deeſſe; cùm inde primùm cognoſcamus, ne minimum Chriſti verbum in caſſum abijſſe: id quod maximè fidem noſtrā confirmat: nam cęlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Deinde vt intelligamus, quàm nihil ſit in viribus humanis fidendum. Nam vt Cyrillus in Ioannem ait: *Quemadmodum ferrum, quamuis in ſe durum ſit, lapidibus tamen facilè retunditur, niſi liquore quodam firmetur: ſic animus hominis, etiamſi virtutis amore cuncta pericula ſpreturum ſe iactet, aſperitate tamen certaminum vincitur, niſi ſancti Spiritus gratia ſit corroboratus.* Parum ergo poteſt liberum arbitrium diuino auxilio deſtitutum. Vnde Dominus: *Sine me nihil poteſtis facere.* Et Apoſtolus: *Non quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo, malum, hoc ago*; Et iterum: *Velle adiacet mihi; perficere autem bonum, non inuenio.* Nec eſt alius promptior ad caſum, quàm qui nihil metuit, & multū ſibi tribuit, ſecundùm illud: *Ego dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum*: ac ſubdit deinde: *Auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Quòd ſi Angelus de cœlo cecidit, & Adam de Paradiſo: & Petrus Eccleſiæ columna in Apoſtolico throno exiſtens Chriſtum negauit; quid nobis cogitandum eſt, niſi hoc vnum, quòd ſalutariter, & opportunè ſuadet Apoſtolus: *In fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time*; & rurſus: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Tertiò, non ſunt hæc in contumeliam Petri conſcripta, vel vt nobis exemplo Petri peccantibus applaudamus, abſit; ſed vt nemo peccator etiam grauiſſimus, de venia deſperet, conſiderans Petrum poſt tantum flagitium, pœnitentiam, & lacrymis abſterſum, clauigerum regni cœlorum, & caput ac Principem fratrum ſuorum cōſtitutum. Atque ob hanc cauſam mirificè gaudebat Petrus, vt quidam ſentiunt, negationes ſuas in quatuor Euangelijs enarrari; ad Dei gloriam illuſtrandā, & ad peccatores diuinæ miſericordiæ, ac veniæ ſpe alliciendos; quemadmodum olim Dauid in veteri Teſtamento in Pſalm. 50. à ſe decantato, & ob id compoſito mirificè oblectatus eſt, quod adulterij & homicidij crimen, quo erat contaminatus, ad diuini nominis laudem, & honorem per vniuerſam Dei Eccleſiam recoleretur. Quartò, diuina prouidentia id contigit Eccleſiæ Paſtori, vt cùm eſſet cæteris omnibus tanquam paſtor ouibus præficiendus, diſceret ſupra alios non efferri, aut de dignitate ſuperbire, aut alios peccantes non durè contemnere, ſed clementer commiſerari. Nam qui in ſeipſo non eſt expertus Dei miſericordiam, neſcit, niſi cum auſteritate imperare, & cum potentia, minis terrere ſubditos, ſupplicijs illorum peccata vindicare, & nullo miſericordiæ affectu erga illos tangi: & tamen Paulus expendit, nos non habere Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris. Hanc rationem attingit Gregorius ſuper Euangelia, ſic dicens: *Conſiderandum nobis eſt,* inquit: *cur omnipotens Deus eum quem cuncta Eccleſiæ præferre diſpoſuerat, ancillæ vocem pertimeſcere & ſeipſum negare permiſit. Quod nimirum magnæ actum eſſe pietatis diſpenſatione cognoſcimus; vt is, qui futurus erat Paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter alijs miſereri debuiſſet.* Ambroſius iterum ſcribit, quòd cùm Petrus eſſet natura ardentior, ac feruentior, opus fuerit eum ſuo humiliari peccato: ad quod abolendum opus habuit Dei miſericordia, vt ipſe ad aliorum peccatorum commiſerationem propēderet. Quinto, permiſſum eſt hoc ad vtilitatem ipſius Petri, per accidens tamen, vt humilior, atque prudentior reſurgeret, qui prius ſuperbè, & incautè promiſerat, & poſſet dicere cum Dauide: *Priuſquam humiliarer, ego deliqui.* Beatus Auguſtinus libro de Ciuitate

Quare Deus Petrum permiſerit in tam horrendum trinæ negationis crimen incidere.
Fidei Chriſtianæ firmitas atque conſtantia.
Matth. 24.
II. Ratio.
Cyrill lib. 12. in Ioan cap. 1. ſub fin. tom. 1.
Qualis animus noſter ſancti Spiritus firmitate carens, teſte Cyrillo.
Liberi arbitrij virium diuina ope carentiſſ infirmitas.
Ioann. 15.
Rom. 7.
Ibid.
Ad caſum quis ſit proclinior.

Pſal. 29.
Eſa. 14.
Geneſ. 3.
Rom. 11.
1 Cor. 10.
III. Ratio.
Petri negationes ab Euangeliſtis quare memorentur omnibus.
Petri modeſtia, & zelus gloriæ diuinę conuerſioniſque hominū peccantium.
Regis Dauid conſimiles virtutes.
2. Reg. 11.
IV. Ratio.
Neſciat quis cum auſteritate imperare.
Hebr. 2.
Greg. ho 21. in Euang circa med.
Ambroſ.
Ratio quinta.
Pſalm. 118.
B. Aug. li. 14 de Ciuit.

uitate

Dei c.13. in fin. tom. 5.

B. Auguſtini documentum egregium.

uitate Dei ſalutarem quandam his verbis tradit doctrinam: *Audeo dicere ſuperbis eſſe vtile, cadere in aliquod apertum manifeſtumq; peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando fleuit; quàm ſibi placuit quando præſumpſit.*

VI. Ratio.

Euthy. ca 66. in Matth. ſub init.

Idem cap 64.

2. Cor. 12.

VII. Ratio.

Sextò, addit Euthymius in Matthæum alias cauſas: nimirum vt magnorum factus operator miraculorum, modeſtus ſit, ac ſui caſus recordatus, Deo rem omnem adſcribat. Siquidem & Paulus tentationibus permiſſus eſt, ne extolleretur, vt ipſe ait. Secundò adiungit & aliam ſeptimam rationem. Nam qui maiorem clementiam in ſe Domini experitur, maiori amore affici iure debet. Propterea Dominus exegit ab eo hanc dilectionem maiorem, cùm dixit: *Diligis me plus his?* Cui enim plus dimittitur, plus & amare debet, vt alibi Dominus dixit. Et hactenus de quinto.

Ioan. 21.

Luc. 7.

Petrus quando ſurrexerit.

Ad ſextum reſpondendum eſt, Petrum ſurrexiſſe, quando gallus ſecūdò cantauit, ſcilicet ſtatim poſt trinam negationem, vt teſtatur Marcus. Nam etſi poſt primam gallus ceciniſſet, Petruſque non fuiſſet ſurdus, ſed audiſſet, tamen quia obliuioſus erat, & alia in corde verſabat, metu perterritus, quę Dominus illi dixerat, non aduertit, donec Dominus reſpexit: Reſpexit autem poſt ſecundum galli cantum, poſt quem dicitur: *Et recordatus eſt Petrus verbi Ieſu, quod dixerat, &c. Et egreſſus foras, fleuit amare.* Hæc autem à Ioanne prætermittuntur, quia dicta ab alijs Euangeliſtis nouerat. Dixit autem Marcus ſtatim gallum cantaſſe, vt videamus quam citò eueniant q̃ Chriſtus prædixit, & quàm citò reſipuit Petrus: quia illa nocte qua peccauit, illa eadem pœnitentiam de peccato egit. Qui ergo ſibi peccanti applaudit, dicens quòd etiam Petrus peccauerit, aduertat, quia Petrus quàmprimum admonitus fuit, ſtatim reſipuit: multi autem ſecuritatem ſibi promittentes, ne per totum quidem annum ex animo reſipiſcunt, cùm dicat Sapiens: *Non tardes conuerti ad Dominū, & ne differas de die in diem.* Si ergo ſecutus es Petrum negantem, ſequere Petrum celeriter confitentem, & ſuo tempore confitentem. Et à negatione ſecunda ad tertiā fuit puſillum temporis, ſed vt Lucas admonuit, tantum quaſi vnius horæ interuallū fuit, vt vix per duas horas in peccato manſerit. Modus autem conuerſionis eius is fuit: quòd gallo cantante Ieſus reſpexerit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi IESV: & egreſſus foras fleuit amarè. Primum aduerte, non ſatis fuiſſe gallicinum Petro vt reſipiſceret, etſi eſſet ſignum à Domino datum: quia ſicut primum cantum nō aduertit poſt primam negationem; ita nec ſecundum poſt tertiā, niſi Dominus cōuerſus eum reſpexiſſet. Sic fruſtra admonentur peccatores per gallos, id eſt, verbi Dei miniſtros, niſi Deus verbo illorum virtutem efficaciorem ſuam indat; quæ virtus ſignificatur in conuerſione Domini ad Petrum, & reſpectu. De ſpirituali ergo conuerſione, & reſpectu, non de corporali intelligēdum eſſe, inde colligitur, ꝙ Chriſtus intro eſſet inter Sacerdotes, & ſeniores, & oculis velatus, Petrus verò in atrio foris deorſum inter miniſtros: niſi fortè concilio ſeniorum ſoluto, Chriſtus, cū hæc circa Petrum in gallicinio agerentur, deductus fuit ex interiori ędium parte in atrium. Sic enim potuiſſet oculis corporis Petrum cernere, quod non eſt veriſimile: & quia talis reſpectus plus ſpectaſſet ad perdendum, quàm ad liberandum Petrum. Quare Beat. Auguſtin. lib. De conſenſu Euangeliſt. probat hanc conuerſionem Domini, ſeu reſpectum fuiſſe ſpiritualem, non corporalem, ex eo quod Marcus refert, quod Petrus erat foris in atrio deorſum inter ſeruos, qui ſe calefaciebant ad ignem: non eſt autem veriſimile, ex eo loco, vbi Dominus audiebatur à Iudæis, quod poſſet intempeſta nocte reſpicere oculis corporis Petrum, cùm Dominus eſſet in ſuperiori parte aulæ, & in interiori habitaculo. Et concludit Beat. Auguſtinus: *Quapropter mihi videtur illa reſpectio diuinitus facta, vt ei veniret in mentem quoties iam negaſſet, & quid ei Dominus prædixiſſet; atque ita miſericorditer Domino reſpiciente pœniteret, cùm & ſalubriter fleret: ſicut quotidie dicimus, Domine reſpice me: Et reſpexit eum Dominus, qui de aliquo periculo, vel labore diuina miſericordia liberatus eſt. Et ſicut dictum eſt: Reſpice, & exaudi me: Et, Conuertere Domine, & libera animam meam: ita dictum arbitror, Conuerſus Dominus reſpexit Petrum: & recordatus eſt Petrus verbi Domini.* Denique cùm frequentius ſoleant Euangeliſtæ in narrationibus ſuis ponere Ieſum quàm Dominum, modo Lucas Dominum poſuit, dicens: Conuerſus Dominus, reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini. Matthæus autem, & Marcus, quia de iſta reſpectione tacuerunt; non verbi Domini, ſed verbi Ieſu eum recordatum eſſe dixerunt. Vt etiam ex hoc intelligamus, illam reſpectionem à Ieſu, non humanis oculis, ſed diuinitus factam. Huic ſententiæ accedit Beat. Leo Papa eodem ſermone de Paſſione: *Beatus, inquit, Apoſtolus Petrus, cuius fides ea deuotione feruebat, vt & Domino compati paratus eſſet, & commori, ancilla Sacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum nega-*

tionis

A Marco cur additum fuerit, gallum ſtatim cantaſſe.

Documentum ſalutare hominis peccatoris.

Eccleſ. 5.

Modus cōuerſionis Petri poſt negatum Dominum qualis fuerit.

Prædicatores, gallorum nomine deſignantur.

Quomodo Chriſtus reſpexerit Petrum.

B. Aug. lib. 3. De conſen. Euang. c. 6. ſub fin. tom. 4.

Quos Deus reſpicere dicatur.

Pſalm. 12.

Pſal. 6.

Frequentius Euangeliſtæ ponere ſolent Ieſum quam Dominum.

B. Leo Papa ſer. 9. De paſſ. ſub finem.

Petri fides in Ieſum debilis, & infirma.

tionis incurrit. Ob hoc, ſicut apparet, haſitare permiſſus, vt in Eccleſiæ Principe remedium pœnitentiæ conderetur, & nemo auderet de ſua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum, nec B. Petrus potuiſſet euadere. Dominus autem Ieſus, qui intra Pontificale conſiſtum ſolo corpore tenebatur, trepidationem diſcipuli foris poſiti, diuino vidit intuitu, & pauentis animum, mox vt reſpexit, erexit, & in fletus pœnitudinis incitauit. Felices, ſancte Apoſtole, lacrymæ tuæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem ſacri habuêre baptiſmatis. Hucuſque Leo. Galli ergo cantu fuit exterius Petrus excitatus, & reſpectu Domini interius commotus: quia ſic diuina pietas peccatores à peccato releuat per galli cantum, id eſt, commonitionem prædicantium, de quo canit Eccleſia:

Petri lacrymæ (vt ſc. ait Leo) de trina Ieſu negatione, virtutem ſacri habuere baptiſmatis.

Quemadmodum Deus peccatores à peccato releuet.

Gallus iacentes excitat,
Et ſomnolentos increpat.

De his gallis ſpiritualibus erat ille, cui dicebat Apoſtolus: *Argue, obſecra, increpa in omni patientia:* Talis gallus erat Paulus excitator à ſomno, dum diceret: *Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere:* Et iterum, *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus:* Et Propheta, *Nunquid qui dormit, non adijciet, vt reſurgat?* Et Salomon, *Vſquequo piger dormies, quando conſurges è ſomno tuo?* Multos ſimiles gallos habet CHRISTVS, qui tamen alas ſuas prius excutiunt, quàm cantent: & ordine ſuo vnus poſt alium cantat, quia ſe ipſos prius examinare debent: & vnus debet alterius prioris cantum ſequi, vt conſonent videlicet in doctrinæ traditione.

2. Tim. 4. Galli ſpirituales qui Chriſti. *Rom. 13. Epheſ. 5. Pſal. 40. Prouer. 6.*

Eorum gallorum conditio neceſſaria.

Dicitur ergo conuerſus Dominus: quia niſi ille ad nos conuertatur, nos ad illum minimè conuertemur: nam ita dixit Ieremias, *Conuerte me, & conuertar: quia tu Dominus Deus meus: Poſtquam enim me conuertiſti, egi pœnitentiam.* Adde illud: *Deus tu conuerſus viuificabis nos:* nam conuerſione ſua Petro iam mortuo Dominus vitam gratiæ reſtituit. Additur & reſpectus diuinæ miſericordiæ, qui cooperatur conuerſioni ſpectatæ à gallo, id eſt, à prædicatore, de qua: Illi autem profecti prædicauerūt vbique, Domino cooperante & ſermonem cōfirmante. De hoc reſpectu ſcriptum eſt: *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere;* id eſt, peccatorem per contritionem concuti facit. Rurſus, *Reſpice in me, et miſerere mei:* talis enim reſpectus adfert ſecum miſericordiam Dei. Et in verbo Recordatus, ſignificatur quàm obliuioſus eſſet, & immemor Petrus, vt B. Brigitta de eo tradit; vt ita non malitia, ſed fragilitate, & obliuione peccauerit: & illa recordatione confeſſus eſt Petrus ſe mendacem, Deum verò eſſe veracem. Porrò boni pœnitentis ſymbolum eſt recordari verborum Domini, quorum conſideratione agnoſcitur quàm ſit fœdum, & graue Deum offendere; & quid ſibi de diuina bonitate, & miſericordia ſit promittēdum. Hæc recordatio primò in Petro obtinuit egreſſum foras; vt quiſque videlicet deuitet ea, quæ ad peccatum illexerunt, & aggregetur cum pijs, & ſanctis hominibus. Nam ſi intus fleuiſſet Petrus, detexiſſet ſe ipſum diſcipulum Domini, ac proinde expoſuiſſet ſe periculo patiendi: at Dominus volebat verbum ſuum ſtare, vt docet Chryſoſtomus. Deinde expreſſit pœnitentiam ſingularem, de qua ait: *Fleuit amarè.* Sed hæc amaritudo verſa eſt in dulcedinem conſolationis; quemadmodum abſynthium, vbi diſtillatum eſt, dulce efficitur. Fleuit etiam fructuoſè, quia illæ lacrymæ tanti delicti maculas abluerunt, & nobis exemplo ſunt, vt ab eo diſcamus quibus Deus remittat peccata. Quod ergo dicitur: *Qui negauerit me coram hominibus; negabo & ego eum coram Patre meo:* intelligendum eſt, Niſi quis de peccato negationis pœniteat, & confeſſione negationem purget: ſicut omnes comminationes Domini ſub conditione ſunt intelligendæ, vt dicitur in Ieremia Propheta. Fleuit etiam diurno tempore; quia non ſolùm vſque ad reſurrectionem, vbi ceſſauit amarities, ob dignationē Chriſti per Angelos dicentis: Dicite diſcipulis eius, & Petro; ſed planctus nō deſijt; quia, vt teſtatur Clemens Romanus, omni nocte conſueuerat ſurgere circa galli cantum, & cum lacrymis orare vſque ad auroram: ob quam cauſam habebat ſudarium, quo ſæpè abſtergebat lacrymas ab oculis indeſinenter defluentes, quoties aut audiret gallorum cantum, aut negationis factæ recordaretur, cùm tu tamen pro tot peccatis, & ſceleribus, quibus Dominum offendiſti, tam durus ſis, vt vel vnam lacrymam præ dolore tuorum peccatorum non effundas.

Chriſtus ad Petrum cur dicitur conuerſus. *Ierem. 31. Pſal. 84.*

Marc. vlt. Quam terram Deus reſpiciēs facit eam tremere. *Pſalm. 103. Pſalm. 85.*

Dei reſpectus ad peccatores quid boni adferat. Petrus natura obliuioſus & immemor fuit, teſte B. Brigitta. *B. Brigitta li. 4 Reuela. c. 5.*

Boni pœnitentis ſymbolum.

Quid quod Petrus fletus gratia pro peccato trinæ negationis Domini exiuit foras.

II. conditio fletus Petri ſalutaris. *Chryſoſt. ho. 86. in Matth. 10. 2.*

Abſynthium diſtillatum dulceſcit.

Quibus Deus remittat peccata. Illud: Qui negauerit me coram hominibus. &c. quē ſenſum habeat.

Ierem. 18. 3. Conditio.

Mar. 16. Clem. Rom.

Incredibilis Petri pœnitentia ob peccatum trinæ negationis, teſte Clem.

Quos conuguat & cōfundat tabs Petri, tantaque pœnitentia.

Sed egreſſus foras quò abijt Petrus? Ferunt quidam, quòd in quādam ſpeluncam inter Ieruſalem, & montem Sion ſitam ſe recepit, vbi vſque ad diem reſurrectionis iugiter fleuit: quo in loco poſtea fabricata eſt Eccleſia in honorem diui Petri ad perpetuam tam ſalutaris pœnitentiæ memoriam ſeruandam. Perpende, prudens Lector, quòd per Petri pœnitentiam antiqua Nouatianorum refellatur hæreſis negantium à baptiſmo peccantes recipiendos eſſe ad pœnitentiam. Petrus enim poſt ſuſceptum baptiſma, atq; ipſam quoque Euchariſtiā negans Chriſtum, non tantùm redijt ad gratiā Apoſtolatus per lacrymas & reſi-

Egreſſus foras Petrus quonam abierit.

Salutaris Petri pœnitentia quæ duo dogmata falſa confutat.

Matt. 16. Ioann. 21.

piſcen-

piſcentiam, ſed & promiſſus ei prius primatus, confirmatus, & datus. Ruit quoque noua hæreticorum noſtri ſeculi ſententia, qui negant pœnitentiam amaritudine fletus & doloris inchoandam. Nam Petrus ab amaris lacrymis cœpit reſipiſcere, cùm delicatuli hæretici noui à gaudio contendant eſſe incipiendam omnem amaritiem, & doloris crucem auerſantes. Tertiò, pondera verba Ambroſij, quæ hæretici ad ſuos errores confirmandos detorquent: ait enim in ſermone de pœnitentia Petri Apoſtoli: *Petrus prorupit ad lacrymas nihil voce precatus. Inuenio enim quòd fleuerit, non inuenio quid dixerit. Lacrymas eius lego, ſatisfactionem non lego. Rectè planè Petrus fleuit, & tacuit: quia quod defleri ſolet, non ſolet excuſari, & quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lauat enim lacryma delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Lacrymæ ergo verecundiæ conſulunt pariter & ſaluti, nec erubeſcunt in petendo, & impetrant in rogando. Lacrymæ inquam tacitæ quodammodo preces ſunt; veniam non poſtulant, & merentur, cauſam non dicunt, & miſericordiam conſequuntur, &c. Inuenio autem & aliud cur tacuerit Petrus, ne tam citò veniæ poſtulatio per impudentiam plus offenderet, quàm impetraret.* Hæc ille. Ex quibus quidam eliciunt temerè contra oris confeſſionem Sacerdoti faciendam, & ſatisfactionem Sacramentalem, cùm tamen de illarum neutra ibi agat Ambroſius. Nam dicens: Lacrymas eius lego, ſatisfactionem non lego; per ſatisfactionem intelligit peccati defenſionem. Quod probat id quod ſequitur: Et quod defendi non poteſt, ablui poteſt: nam alias ipſæmet lacrymæ magna ſunt ſatisfactionis pars. Dicens verò, Lauat lacryma delictum, quod voce pudor eſt confiteri, de oris confeſſione loquitur Deo facienda, non de Sacramentali, quæ nondum erat inſtituta à CHRISTO. Quod confirmant etiam verba, quæ ſequuntur: Inuenio autem & aliud cur tacuerit Petrus, ne tam citò veniæ poſtulatio per impudentiam plus offenderet, quàm impetraret: vbi apertè ſermo eſt de petitione veniæ à Deo, & confeſſione coram eo facienda delicti, antequam vult lacrymas præcedere: aſſerens has confeſſionis locum obtinere, & ante eas audacter veniam à Deo poſtulari. Marcus ait: Et cœpit flere. Græcè dicitur: ἐπιβαλὼν ἔκλαιε: hoc eſt: Adijciens, vel incipiens flere: vtrumque enim ſignat verbum illud, vt notat Euthymius & Theophylactus: explicans ἐπιβαλὼν, id eſt, Cùm velaſſet, vel inieciſſet capiti velamen, ne cerneretur eius fletus, & agnoſceretur; pudore enim ſuffunditur homo; cùm videtur flere, & ideò ſe tegit. Vel ſenſus fuit: Prorupit in fletum, vel cœpit magna pœnitentia. Et hæc de ſexto.

Ambroſ. ſer. 46. to. 3 propè finem.

Lacrymarum vis apud Deũ quanta.

Ex Ambroſij verba de Apoſtolo Petro: lacrymas eius lego, ſatisfactionem non lego, quem ſenſum habeant.

Lacrymæ pœnitentis, bona ſatisfactionis pars.

Euthy c. 66. in Matth. Theophyl. in Marcum.

Alter ſenſus.

Ad ſeptimum, & poſtremum, cur videlicet non permanſerit Petrus in atrio, dixeritque aperta voce: Ego mentitus ſum in caput meum, negando illum: Ego cognoſco illum, & ſum ex eius diſcipulis: Ego ſum qui in horto auriculam Malchi gladio præcidi: volo cum eo, & pro eo mori; quemadmodùm olim Marcellinus Papa qui ſimiliter CHRISTVM coram Diocletiano negauerat, pœnitentia ductus rediit ad eum, & apertè confeſſus eſt CHRISTVM, & martyrij palmam obtinuit. Reſpondeo: Tunc non erat Petrus vocatus ad aliud à CHRISTO reſpiciente ipſum, quam ad planctum: nondum erat virtute indutus ex alto ad confitendum coram mundo CHRISTVM: nolebat iterum facere periculum virium ſuarum: iam lapſu ipſo modeſtior, & prudentior factus, expectabat ad hoc maiorem gratiam, ad quam diſponebat eius fletus, & pœnitentia. Nolebat prætereà Chriſtus alium ſanguinem illa nocte ſecum profundi, ſed torcular calcare ſolus: ſatis erat quod poſtea coram Iudæis, & Gentibus Chriſtum confeſſurus erat, & inuerſo capite pro Chriſti gloria crucifigendus. Secus Marcellinus, qui ad id vocatus fuit à Domino poſt negationem. Præbuitq; Petrus exemplum Confeſſoribus, qui in tormentis deficiunt, vt ſaltem pœnitentia, & fletu delictum ſuum abluant, nec ſe iterum periculo manifeſto obijciant, niſi prius grandeſcant in Spiritu Dei, & ad confitendum Chriſtum confirmatiores ſint redditi. Porrò nobis omnibus ſalubre documentum præſtitit pœnitentiam non tardandi, aut procraſtinandi, ſed vt quàm primùm admoniti de errore fuerimus, ad lacrymas, & reſipiſcentiam conuertamur, quò gratiam reconciliationis apud Deum prometeamur, & ſpem æternæ vitæ concipiamus gratia, & meritis Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre & Spiritu S. ſit ſempiterna laus, honor, & gloria in ſecula ſeculorum.

Amen.

Cur Petrus agnito negationis errore non ſtatim publicè ſit profeſſus ſe Chriſti diſcipulum, velut Pontifex Marcellinus.

Luc. vlt.

II. Ratio.

Eſa. 63.

Documenta Petri duo eo facto fidelibus exhibita.

TRACTATVS XXIV.

De præſentatione Chriſti ante Concilium Seniorum manè facta in illa verba: *Mane autem facto, conſilium inierūt omnes Principes Sacerdotū, & Seniores populi aduerſus Ieſum vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderūt eum Pontio Pilato Præſidi, &c.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. & Ioan. 18.

Auri veri ac perfecti conditio.

QVEMADMODVM aurum verum, & germanum eius eſt ingenij, vt quò magis in ignem detruditur, eò rutilantius, ac defæcatius reddatur, quia igni non conſumitur, ſed perficitur potius: ita innocentia Domini IESV quò magis fuit examinata, ac per diuerſos iudices, etſi malignos & corruptos, explorata, eò magis illuſtrata eſt, ac ſe puram, & verè diuinam exeruit. Poſtquam ergo in domo Caiphæ nocte præcedenti cauſa eius fuit diſcuſſa, iterum manè ſiſtunt eum ante tribunal, ſiue Concilium Sacerdotum & Seniorum, vt in eo rurſus CHRISTI cauſa agitaretur. Diuina enim prouidentia factam eſt, vt in necem Chriſti quater Concilium inirent Principes Sacerdotum cum Scribis, & Senioribus: nempè ſemel, quando ſuſcitauit Lazarum, vt refert Ioannes Euangeliſta; deinde biduo ante Paſcha, vt habes apud Matthæū; tertiò in domo Caiphæ, in quam CHRISTVS vinctus noctu adductus eſt; quartò mane facto, vt tanti ſceleris eorum atrocitas eluceſceret, quæ ex hoc pendet, quòd conſulto, & deliberato animo tantum ſcelus perpetrare non erubuerunt.

Quò magis claruerit Chriſti innocentia.

Cur quater coactum fuerit conciliū in necem Domini Ieſu à principibus Sacerdotum. *Ioann. 11. Matth. 26. Ioan. 18.*

Percontaberis: Cùm in hoc Concilio mane facto, eandem interrogationem, & Chriſti ſimilem ad eam reſponſionem factam Lucas commemoret cum ea, quæ nocturno tempore à Pontifice cum Chriſto facta eſt, vt narrant Matthæus, & Marcus, num eadem ſit, an verò diuerſa, vt Euangeliſtæ ſibi inuicem conſentientes inueniantur? Beatus Auguſtinus in libris de Conſenſu Euangeliſtarum exiſtimat Matthæū, & Marcum per præoccupationē illud narraſſe. Sed profectò contraria ſententia probabilior videtur, & diuerſas fuiſſe has interrogationes ratio temporis, & loci, & diuerſarum circumſtantiarum euincit. Nam illa Pontificis noctu facta eſt, vt apertè tradunt duo primi Euangeliſtæ, hæc verò manè ex conſenſu trium Euangeliſtarum. Deinde illa facta eſt in domo Caiphæ, hæc verò in Concilio Sanedrin, quo omnes Seniores & Principes Sacerdotum, & Scribæ conuenerant. Ad hæc reſponſio CHRISTI coram concilio, longè fuit diuerſa ab illa, quam tradidit coram Caipha, etiamſi in aliquo conueniat. Præterea reſponſum Chriſti Caiphæ datum ſubſecutæ ſunt illuſiones, alapæ & ſputa; reſponſum verò datum coram concilio nulla iniuria, aut illuſio ſubſecuta eſt, ſed tantum quod vincientes illum tradiderunt Pontio Pilato Præſidi. Ex quo elicimus aliam diſtinctam circumſtantiam. Nam Chriſtus coram Caipha vinctus eſt præſentatus, at cùm ſiſteretur coram concilio, liber, & ſolutus erat, vt ratio iuris poſtulabat: nam propterea ſequitur, quod vincientes Ieſum, duxerunt illum ad Pilatum. In priori etiam iudicio Caiphas Dominum adiurauit; at in hoc concilio nulla facta eſt adiuratio. Sed dices; Quid opus fuit nouo CHRISTI examine, & cauſę eius diſcuſſione? nonne ſatis ſuperque cauſa eius agitata fuerat coram Pōtifice. & Sacerdotibus, atque Senioribus nocte præcedenti? Reſpondeo id conſultò fuiſſe factum, vt quo CHRISTVS à pluribus & ſæpius eſt examinatus, & in pluribus tribunalibus damnatus, eò plus tegant malitiam ſuam. Deinde, cùm Dominus intempeſta nocte captus fuerit, & corā Caipha præſentatus, & multi ex Senioribus & Principibus Sacerdotum ſenectute grauarentur, non eſt probabile omnes nocturno examini interfuiſſe; vti manifeſtè conſtat de Anna: & Marcus cùm dicit: Et adduxerunt Ieſum ad ſummum Sacerdotem: & conuenerunt omnes Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores, intelligendus eſt, locutus per Synecdochen quod videlicet ex illis multi adeſſent: at manè neminem defuiſſe probabile eſt, cùm Concilium Seniorum, quod dicitur Sanedrin, fuerit congregatum. Tertiò rurſum interrogant, quia cū audiſſent eum nocturno tempore confitentem ſe eſſe Chriſtum, ſi illud ſibi rurſus vſurparet confidentius, vt pertinacem accuſarent coram Pilato; ſi vero negaret, cōuinceretur ſeipſum condemnare, vt qui ſibi eſſet contrarius. Quarto, ſententia noctu pronuntiata nō eſt valida, vt traditur in Authētico de iudicibus: quia nocturnum tempus non eſt aptum iudicio, & de Moſe dicitur quod ſedebat, vt iudicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi à mane vſq; ad veſperam, non autē in noctem protrahebat. Quintò, volebant vt Ieſus ſolutus rata faceret, quæ nocte præcedenti ligatus dixerat, quò ſe formam iuris tenere oſtenderent. Ita enim eſt in more poſitum, vt quæ iudices vi tormento-

An interrogatio Chriſto facta Matth. 26. in domo Caiphæ eadem ſit cum ea, quā Lucas c. 23. commemorat, necne.

B. Aug. li. 3. de Conſenſ. Euan. c. 7. to. 4.

Diuerſam fuiſſe oſtenditur multiplici ratione.

II. Ratio.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Quid opus fuerit nouo examine Domini Ieſu, cùm iam alterum præceſſiſſet.

Secunda cauſa.

Marc. 14.

Tertia.

Quarta. Sententia noctu prolata non eſt valida.

Quinta.

mentorum à reis exculpunt, poſtea ab eiſdem ſolutis exquirãt, an rata habeant, quæ confeſſi ſunt. Etiam Ieſus ſe Chriſtum dixerat, cùm irridentes eum, & cædentes dicerent: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit?

Sexta.

Sextò, volebant elicere ex eius verbis, quòd eſſet Rex & Meſſias, ſiue Chriſtus: ideò interrogant in concilio, Si tu es Chriſtus, dic nobis: non autem ſi eſſet Filius Dei, vt Caiphas interrogauit: quia de filiatione Dei Pilatus Gentilis tenens plures Deos, non curaret.

Septima.

Septimò, quia iudicium nocturnum fuerat turbulentum, ac omni iuris forma ſpoliatum, cùm ijdem eſſent & teſtes, & iudices, & carnifices: & vt errorem ſuum corrigerent, malè voluerunt prætexere ſpeciem ſedati cuiuſdam, & iuſti iudicij, quò cauſam ſuam apud populum commendabilem redderent, & ſe iuſtitiæ æquos protectores, ac defenſores oſtenderent, cùm tamen eorum animi eadem malignitate, odioq́; , atq; inuidia flagrarẽt aduerſus Ieſum: vt Matthæus recenſet concilium iniiſſe Principes Sacerdotum, & Seniores populi, vt eum morti traderent. Non poterant ergo apud Deũ cauſam ſuam hypocriſis pallio obtectam iuſtificare. Tertiò aduerte, id, quod in hoc concilio geſtũ eſt, leuiter & perfunctoriè à Matthæo & Marco narrari, & tantùm ſummam eius, ac poſtea adductionem Chriſti ad Pilatum.

Luc. 22.

At Lucas latiùs hęc perſequitur, quia ponit interrogationem Iudæorum, & reſponſum Domini Ieſu, & ſecundam condemnationem eius, vnde ait: *Et vt factus eſt dies, cõuenerunt Seniores plebis, & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in cõcilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis? Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei?*

Cap 23.

Qui ait, Vos dicitis, quia ego ſum. At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audiuimus de ore eius. Et ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Quę omnia præſenti tractatu explicãda nobis ſunt.

Vbi fuerit facta hæc interrogatio, an Ieſus eſſet Chriſtus.

Primò perpende, hanc interrogationem non eſſe factam in tribunali Caiphæ vt notat Epiſcopus Abulẽſis in 15. caput Matthæi, ſed in concilio, ſiue conſilio, ſiue Conſiſtorio Sanedrin, hoc eſt, Seniorum, & Scribarum, quod penes Hebræos dicitur Domus iudicij, vbi moris erat cauſas & iudicia animarum, à LXXI. congregatis iudicibus, qui cũ ſummo Sacerdote faciunt 72. examinari atq; tractari.

Epiſc. Abul. in Matth. 9.

Concilium Sanedrin apud Iudæos idem quod Domus iudicij ſonat.

Hoc iudicium conſtitutũ fuit à Deo, vt adiuuarẽt Moyſem in regẽda Republica: & in Deuteronomio præcipitur, vt hoc iudicium ſit Ieroſolymis prope Põtificem, & fortè locus, in quem coibant, erat intra ædes ſummi Pontificis, aut illi ſaltem coniunctus: eratq́; locus amplus, & capax ad hæc iudicia habenda deſtinatus.

Concilium Seniorum à quo fuerit inſtitutum, & cur.

Num. 11.

Deut. 17.

Quia enim ait Lucas, quod adduxerũt illũ in conſeſſum ſuũ, ſiue concilium; oſtendit, locum fuiſſe diſtinctũ ab eo, in quo nocte præcedenti fuerat examinatus à Caipha. Quia verò apud Ioannem dicitur: *Adducunt ergo Ieſum à Caipha in prætorium*: ſignificatur, illum locũ nõ fuiſſe alienum, vel certè non admodũ diſiunctum, vt poſſit dici quòd à Caipha adductus ſit Ieſus ad Pilatum.

Ioan. 18.

Hoc iudicium paulò pòſt omnino ſublatum eſt. Scribit enim Rabbi quidã Moyſes Maimõ in librum Iudicum, quòd Ieſus Nazarenus viſus eſt eſſe Meſſias, & interfectus eſt per Domum iudicij, hoc eſt, in iudicio vnius & ſeptuaginta iudicum Iudæorum, & ipſe cauſa fuit vt deſtrueretur Iſraël in gladio.

Concilium Sanedrin ſeu Seniorum quando fuerit Iudæis ſublatum.

Rabbi Moyſes Maimo.

Iã expendamus verba textus. Ait ergo Matthæus: *Mane autem facto*, ſiue vt Lucas ait: *Et vt factus eſt dies* Etſi enim pernoctaſſent ad mediã noctẽ eũ capiendo, ac deinde, examinando eius cauſam, & illudendo, & cædendo Chriſtum vſque ad galliciniũ, quo Petrus erat inter miniſtros: non tamen pigri fuerunt, ſed cõfeſtim manè ſurgunt miniſtri diaboli mortem Chriſto illaturi.

Iudæorum ad necem Chriſti ſolertia & vigilantia.

Concilium inierunt omnes Principes Sacerdotum, & Seniores. Id eſt, Iudices ordinarij, & apud Lucam dicitur, Τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ ἀνήγαγόν τε τὸ συνέδριον ἑαυτῶν: id eſt. Congregatus eſt Senatus in conſeſſum. Et Marcus: Καὶ εὐθέως ἐπὶ τὸ πρωῒ συμβούλιον ποιήσαντες οἱ ἀρχιερεῖς μετὰ πρεσβυτέρων, καὶ γραμματέων, καὶ ὅλον τὸ συνέδριον. Dicitur à συνέδριον, à conſeſſu iudicum in eodem loco: vnde & illa vox à Græcis ad Hebræos tranſiuit, vt collegium hoc Seniorum ad iudicandum deputatum, dicatur apud eos domus Sanedrin.

Dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis. Non interrogat amplius Caiphas, neque adiurat, ſed nomine concilij res peragitur: ideò interrogant plures, quia vnus pro toto cõcilio interrogabat. Nec proponũt amplius an ſit filius Dei, ſed tantùm an ſit Chriſtus.

Cur Dominus in concilio ſimul rogetur, an ſit ipſe Chriſtus & Meſſias.

Quia etſi nocte præcedenti iam Chriſtum condemnaſſent ſecundùm Legem eorum, quæ plures Deos non admittit, quia ſe Filium Dei confeſſus fuerat; tamen quia hæc cauſa nihil mouiſſet Pilatum Gentilem, & idolorum cultorem, ad eum morte crucis afficiendum, vt deſiderabant, incitabant eum, vt ſe Chriſtum in lege promiſſum, ac Regẽ Iſraël, qui è manu Romanorum regnum Iſraël redimeret, fateretur; quod contra coronam Cæſaris prorſus eſſe

Exod. 20.

Geneſ. 49.

Deut. 18.

videbatur: atque hęc cauſa poterat permouere Pilatum ad eum damnandum, vt rei demonſtrauit euentus. Nam ſuper hoc vno fuit examinatus à Pilato, ſi Rex eſſet Iudæorum: & Principes Pilato innocentiam Ieſu pronuntianti, & ad eum abſoluẽdum inclinanti, dixerunt: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris, omnis enim qui ſe Regem facit, cõtradicit Cęſari:* & titulus cauſę inſcriptus ſuper caput eius continebat: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Idcircò itaque iterum cogitur concilium, vt Chriſtum confitentem condemnent, & coram Pilato legitimè accuſare valeant. Et vide quàm verum ſit quod à Dauide dicitur: *In circuitu impij ambulant.* Nam cùm Pôtifex primùm via interrogationis de doctrina & diſcipulis egiſſet, deinde via teſtimoniorum, & poſtremò via iuramenti, ſiue adiurationis; nunc totum concilium tedit ad interrogationem, non quidem ſimplicem, & ſynceram vt credant; ſed vt calũniam inſtruant, omnia in deteriorem partem rapientes. Sicut etiam alibi interrogarunt: *Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus, dic nobis palam. Reſpondit eis Ieſus: Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me:* vbi verbo & opere ſe Chriſtum & Filium Dei teſtificatus eſt: ita etiam nunc, vt cognoſcant eum animas illorum inſpicere, vt veritatem tamen neque neget, neque tegat, nullamque calumniandi anſam præbeat.

Ioan 18. *Infra 19.* *Ibidem.* *Pſalm 11.* Illud in Iudæos quàm quadret in circuitu impij ambulant. *Ioan. 10.*

Et ait illis, Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Dominus igitur reſpondet non caſu, ſed præſcius eorum, quæ ex ſuo ſermone conſecutura erant; quia ſic expediebat reſpondere: nobis præbens exemplum noſtris ſuperioribus reſpondendi vt decet, ſine vllo reſpectu futurorum euentuum, quando ratio compellit nos reſpondere, vt videtur hîc Dominus coactus fuiſſe, à iudicibus interrogatus de re digna quã explicaret. Sed dices fortaſſe, nequaquam ita debuiſſe Dominum reſpondere ob ſcandalum quod eos ex ſuis verbis nouerat accepturos. Reſpondemus, Dominum de tanta re interrogatum, quàm ipſe tot ſignorum multitudine comprobarat, non debuiſſe tacere, vel diſſimulare, nec alienum quid à prima ſua reſponſione dicere: tùm ne ſignum aliquod timoris, & inconſtantiæ ederet; tùm quia ad hoc erat natus, & miſſus, vt teſtimonium veritati ad mortem vſque perhiberet; tum ne haberent excuſationem, quòd Ieſus nunquam teſtatus eſſet de ſe, quòd verus eſſet Meſſias & Chriſtus; tùm quia ſcandalum erat paſſiuum, & tutius ſcandalum naſci permittitur, quã vt veritas fidei relinquatur. Quãobrem, cùm Prælati noſtri ab idoneis iudicijs excitati, in noſtram vitam, & actus inquirunt, debemus veritatem, qualitercunque ipſi eam accipiant, reſpondere. Eſt ergo ſenſus: Si dixero vobis, non creditis mihi: id eſt: Non ſum dicturus, quaſi à vobis aliquid ſperem, neque magnificè locuturus de meipſo, quaſi meis dictis vos terrendos putem: ergò ſi apertè dixero me Chriſtum; quod veriſſimum eſſe, & Scripturæ, & opera mea, & teſtimonium Patris cœleſtis, & Ioannis Baptiſtæ, & tot diſcipulorum in me credentiũ confirmant, vos non ſolùm non credetis, imò in certam calumniam rapietis, dicentes me eſſe blaſphemum, vt antè dixiſtis: vel: Tu de teipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum, vt olim dixiſtis mihi. Quod ergo Caietanus exponit hoc loco, maiores Iudæorum non credidiſſe Ieſum eſſe Meſſiam, ex eo quòd dixit, Non credetis: non eſt ſatis firmum. Non enim vidit, quod non credere in Scripturis ſæpè accipitur, pro, nolle credere, vel non credere fructuosè, ea ratione, qua fides donum Dei eſt. Nam quæ ex argumentis conuincentibus elicitur fides, de qua: *Dæmones credunt, & contremiſcunt:* vera fides non eſt. Hinc & Abraham apud Lucam dixit: *Si Moyſen & Prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent:* & Dominus pluries eſt teſtatus quòd Iudæi ipſum viderint, & gratis oderint, & alibi clamat: *Et me ſcitis, & vnde ſim, ſcitis:* & in parabola vineæ dixerunt agricolæ: *Hic eſt heres, venite occidamus eum;* & Ioannes teſtatur quòd multi crediderunt in eum propter ſigna quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eò quòd ipſe noſſet omnes: & iterum: *Verumtamen & ex Principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è Synagoga non eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.* Et rurſus: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis; & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?* Crediderunt ergo coacti ſignis, vt dæmones, qui tamen ex imperio voluntatis non poterant credere propter appetitum gloriæ humanæ. Non ergo ex illis verbis, Non credetis, certum argumentum colligitur ad probandum Iudæos non credidiſſe Ieſum verum Meſſiam: nam loquebatur de fide vera, quæ à voluntate proficiſcitur, & libenter acceptante quod creditur. Alioqui non potuiſſet dicere, Non credetis, ſi de perſuaſione mentis eſſet Ieſu ſermo, &

Cur ita Dominus reſpondit: Si vobis dixero, non credetis, &c.

Quare Chriſtus reſponderit qui tamen probè nouerit reſponſo fore ſuo Iudæos offendendos.

Ioan. 18.

Tertio: ſcandalum naſci permittitur quàm veritas fidei relinquatur. Chriſti documentum.

Matth. 2. *Infra 17.* *Ioan. 6.* *Matth. 26.* *Ioan. 8.*

Maiores Iudæorum [illegible] Chriſtum credidiſſe [illegible] Caietanum.

Quæ fides non vera. *Iacob. 2.* *Luc. 16.* *Ioan. 15.* *Supra 7.* *Matth. 21.* *Ioan. 2.* *Infra 12.* *Supra 5.*

Caietani infirmum argumentum.

ipſi

ipſi non penitus fuiſſent credituri. Prauam ergo voluntatem redarguit, quæ acceptatura non erat etiam cognitam veritatem, quod eſt ſummum malorum.

Et ſubiungit de altero membro: *Si autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis.* Hoc eſt: Si ego vos teſtimonijs legis, & Prophetarum, quæ de Meſſia ſunt, vrgeam, & petam cur in me completa non ſint, vt rationem aſſignetis, ac me non eſſe Chriſtum iuſta ratione adducti, credere compellamini. Non ergo reſpondebitis mihi, vt qui rationum omnino præſidio vacui, atque deſtituti ſitis: nam ſæpè vos aliàs interrogaui, nec reſpondiſtis. Vt quando dixi: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et: *Si veritatem dico vobis: quare non creditis mihi?* Et quando dixi: *Baptiſmus Ioannis vnde erat? è cœlo, an ex hominibus?* Et quando interrogaui, *Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt?* & dixiſtis: *Dauid. Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens:* Dixit Dominus *Domino meo, Sede à dexteris meis. Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Et ſuper quæſtione de muliere contracta, & alijs quibuſdam, in quibus nunquam ad rationes inflexi fuiſtis, ſed vel obmutuiſtis, vel ad conuitia ſæpè, & interdum ad lapides vos conuertiſtis? Ita quoque & nunc, ſi ego interrogarem, neque crederetis neque reſponderetis, neque dimitteretis.

Ioan. 8. Ibid. Matth. 21. Infra 22. Ibidem. Luc. 13. Ioan. 8. Infra 10.

Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dexteris virtutis Dei. Etſi Dominus ſatis oſtendiſſet ſe meritò illis poſſe, non dicere, quod rogabant: tamen quoniam ad hoc venit in mundum, vt teſtimonium perhibeat veritati; & ne, quia dixit: Non credetis, neque dimitteris, videretur metu mortis veritatem reticere, quaſi dicturus eam foret, ſi ſperaret illos credituros, & ſe dimiſſuros, confitetur rurſus ſe eſſe Chriſtum: ſumma tamen cum prudentia & modeſtia. Non enim apertè id dicit, ſed ſigno quodam ex Scripturis deſumpto, quo illorum animi timore commoueri debuerant. Ex hoc, inquit, tempore ſcilicet, erit Filius hominis, id eſt, Homo iſte, quem contemnitis, ſedens à dexteris virtutis Dei, tanquam verus eius Filius, conſors gloriæ, & potentiæ eius. Vel, ex hoc ipſo, quòd me non dimittetis, ſed reum à vobis condemnatum cruci ſuffigetis, continetur meritum meæ exaltationis, & coronæ: dabitur mihi iudiciaria poteſtas, & ad dexteram Patris ſeſſio ad iudicandum vniuerſum orbem, vt vos nūc ſedentes vt iudices iniquo, & peruerſo contenditis iudicio calumniam mihi ſtruere; quæ in veſtrum caput recidet, quia vos eritis: mihi ſcabellum pedum meorum, ſi pergitis mihi hoſtes eſſe. Taciteque ſe indicat Meſſiam, de quo ſcriptum eſt: *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dexteris meis:* vt Dominus reſpondit apud Matthæum; etiam vbi dicitur venturus Filius hominis ad iudicandum. Et in vtroque examine, tam veſpertino, quam matutino meminit huius ſecundi aduentus ad iudicium: tùm vt perterrefaciat eos ab iniquo iudicio; & vt imbecillitate carnis, & contempta præſentia non offendantur; & vt occaſionem præbeat interrogandi myſteria huius duplicis aduentus Meſſiæ, cuius ignoratio etiam apud diabolum fefellit; denique vt volentes inueſtigare, omni excuſatione deſtituantur.

Expenditur hoc Domini reſponſum: Ex hoc autem erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Infra 18.

Chriſti prudentia ac modeſtia.

Altera interpretatio.

Pſalm. 109. Matth. 22. Quatuor de cauſis Dominus coram Iudæis accuſatus, ſui aduentus ad iudicium meminit.

Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? ſcilicet naturalis: & auiditate occidendi eum verba ex ore eius accipientes inuertunt, vt calumniam texant. Nam cùm ipſe nihil de Filio Dei dixiſſet, ſed potius Filium hominis ad dexteram Dei exaltandum ſe vocaſſet, calumnianrur: Tu ergo es Filius Dei? Rectè dixit Propheta: *Redime me à calumnijs hominum, vt cuſtodiam mandata tua.* Eſt ergo ſermo de Filio Dei naturali: nam quòd eſſet Filius adoptiuus, non erat cauſa interrogationis, cùm Iudæi eo titulo gloriarentur, iuxta illud: *Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Vel cùm modeſte dixiſſet ſe Chriſtum, cui illud verbum competere: *Sede à dextris meis,* Iudæi non ignorabant, inferunt: *Tu ergo es Filius Dei?* quia nouerant ex Scripturis Chriſtum ſingulari quadam ratione, & eximia futurum Filium Dei. Emphaſim ſuam habet illud pronomen, *Tu.* Tu ſcilicet filius fabri, homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum amicus, Samaritanus, dæmoniacus, tu ſedebis ad dexteram Dei? te videbimus in nubibus? in patibulo cupimus te videre, non in nube; in medio latronum pendere, non ad dexteram virtutis Dei. Rectè ergo Dauid prædixerat de Meſſia: *Circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obſedit me; &c: Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut Leo rapiens & rugiens.*

Quàm captiosè & malignè inferant Iudæi: Tu ergo es Filius Dei. Pſal. 118. Pſalm. 81. Pſal 109. Iudæorum in Chriſtum blaſphemiæ. Matth. 11. Supra 11. Ioan. 8. Pſal. 21. Ibidem.

Qui ait: Vos dicitis quia ego ſum. Manſuetè, & prudenter reſpondet. Solitus eſt autem hac loquendi forma vti, quoties veritatem interrogatam odioſum eſſet apertè cōfiteri. Vos ore dicitis, me eſſe Filium Dei, vt calumniemini verba mea, illa vt vultis interpretando; at corde & conſcientia, velitis nolitis Scripturarum, & miraculorum teſtimonijs compulſi, Filius Dei ſum: ego tamē nec dico, nec nego, ſed vos dicitis, licèt credere illud nolitis. Maluit ergo

Hoc modo reſpondendi, Tu dixiſti, quando Chriſtus vtebatur.

ſe Chriſtus Filium Dei, ac Meſſiam probare, quàm dicere, vt condemnandi anſa tolleretur. Poteſt & ſic rectè exponi: Vos dicitis, quia ego ſum; vt ſit cauſalis particula illa, Quia: hoc eſt; Vos mihi teſtimonium vel inuiti tribuitis, quia reuera ego ſum. Habet enim veſtra interrogatio vim quãdam confeſſionis, cùm de eo interrogetis, de quo nemo interrogaret, niſi aliquam de eo opinionem, ſuſpicionemue haberet. Ac dicere quidem, Vos dicitis quia ego ſum, arguentis eſt eos, quòd non omnino latuerit, id, quod rogant, propter miraculorum notitiam.

Quid item ſit dicere Vos dicitis, quia ego ſum.

At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audiuimus de ore eius. Teſtimonium ſcilicet quo ſe comprobat Chriſtum, & Filium Dei. Et dicunt, quid egemus teſtibus? quaſi dicãt: Nos ipſi poſſũmus coram iudice contra eum teſtimoniũ ferre. Atque hæc duo Iudæi pondetarunt, quorum alterum erat contra Cæſarem, alterum contra Deum. Et tamen Chriſti regnum minimè erat in Cæſarem, ſed pro Cæſare: quia, *Non eripit mortalia, Qui regna dat cæleſtia.* Nec alterum erat in Deum, qui dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Illi autem verba Dei peruertendo, impleuerunt vaticinium Ieremiæ, dicẽtis: *Peruertiſtis verba Dei viuentis*, rurſus Salomon: *Labia iuſti cõſiderant placita, & os impiorum peruerſa.* Nemo ergo miretur, ſi verba eius homines peruertant, & in deteriorem rapiant partem. Viſum eſt Iudæis ad illum damnandum hoc ſatis eſſe teſtimonium; nobis verò, ad recipiẽdum Ieſum in Chriſtum, & Filium Dei, ſatis eſſe debet, etiamſi totus obſtrepat mundus. Et nullo alio opus eſt teſtimonio quam illo Chriſti, nam dignus eſt cui omnes habeamus fidem: vniuerſæ enim viæ eius, miſericordia, & veritas. Habet quidem Chriſtus multa diuinitatis ſuæ teſtimonia, habet miraculorum opera, habet Patrem, Spiritum ſanctum, Moyſen, Prophetas, Apoſtolos, Euangeliſtas, & vniuerſam Eccleſiam. At Iudæis nullum ſufficit teſtimoniũ vt in eum credant, & vnicum eis ſatis eſt vt Chriſtum perdant, quo maximè ab eo perdendo reuocari debebant, & ad eum amplectendum commoueri. Bis ergo in concilio ſe Chriſtum ac Filium Dei confitetur: venientem quidem nunc in humilitate; venturum verò poſteà in maieſtate. Non ergo horrebat mortem, qui bis ſe in eam confitendo cõiecerat. Gratias etiam ei immortales agamus, qui bis ſe ad mortem pro ſalute noſtra damnari à Iudæis ſua confeſſione permiſit.

De ore Chriſti teſtimonium Iudæi quod nam hauſiſſe ſe auribus ſuis mentiantur.

Regnum Chriſti pacificum & quietum. *Pſal. 2.*

Ierem. 23. *Prouerb. 10.*

Chriſti de ſua diuinitate teſtimonium quantæ firmitatis eſſe debeat apud nos. *Pſal. 24.*

De Diuinitate Chriſti teſtimonia grauiſſima & irrefragabilia.

Et ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Expende, Omnis multitudo, etiamſi reclamaſſet Nicodemus, Ioſeph, & Gamaliel: ſed vt aquæ ſtilla in ardentem ignem coniecta, ſtatim extinguitur, ita paucorum teſtimonia, multitudine aliorum obruebantur. Impleuerunt que verbũ illud de agno: *Immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael*, & verba Domini Ieſu: *Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Non ergo vnus aut alter, ſed omnes ſimul, vt vel ſic ſua præſentia, & multitudine terrerent iudicem, & Ieſum inuidia grauarent, & Pilatus damnationem Ieſu in aliam diem ſub prætextu melius cognoſcendi cauſam Ieſu non differret, & ne vllus pro Chriſto ſurgere auderet ipſis omnibus præſentibus. Sed dices cum Chryſoſtomo; Quid eſt quòd Chriſtum ſecreto non ſuffocarunt, aut veluti Stephanum non lapidarunt? Reſpondemus, Iudæos in primis iudicaſſe indignum eſſe, qui Iudæus haberetur, & qui manibus ipſorum moreretur. Sed id magno Dei conſilio factum eſt, ne deſperaret de ſalute Iudæus, ſi verbo & facto Dominum occidiſſet; & ne deſperaret Gentilis, qui facto occidit neſciens quid ageret; quia nihil de Chriſto acceperat. Solùm autem peccatum graue fuit in Principibus, nam plebs Hebræorum ab his commota & decepta fuit; Gentilium autem non niſi Pilatus errauit, iſque magis infirmitate animi, quàm voluntate. Quare peccatum tradentium maius fuit, vt Chriſtus Pilato dixit. Bonus Dominus, ſi exemplũ dare ſine cuiuſque peccato potuiſſet, nullius peccato vſus eſſet. Sed huius quoq; rei relinquendũ exemplum erat, quo ne infamia quidem quiſq; à Dei honore præſtando deterreretur. Infamia verò non eſt, niſi quis iuſtè pati ab aliquibus videatur: maxima verò tunc eſt, ſi à Principibus, & vniuerſo populo putante ſe obſequium Deo præſtare, quis puniatur. Nam hæc infamia multam exigit ignorantiam; ignorantiam verò multa peccata præceſſiſſe neceſſe eſt, vt eos Deus nõ gratis videatur cæcaſſe. Deinde, quia tam reus inuentus eſt Ieſus ab illis, vt inter ſupplicia omnia Iudæorum nulla eſſet condigna pœna, qua veniret plectendus. Tertiò, nõ poterant Iudæi in Paſchate quenquam occidere, benè autem vnũ liberare. Quartò, vt crimen horridum perpetrantes, in Pilati humeros culpam reijcerent & ſe innoxios oſtenderent, ſi fortè huius facti ratio aliquando à Tyberio Imperatore poſceretur. Denique eorum fuit conſilium, vt ſeruili crucis genere enecaretur, ne vllus vnquam eius diſcipulus ſurgere,

Cur omnis multitudo Iudæorum duxerit Ieſum ad Pilatum Præſidem.

Simile.

Exod. 12.

Matth. 20.

Chryſ. hom. 86 in Matth. tom. 2

Act. 7.

Quare Iudæi Chriſtum ſecreto non ſuffocauerint, aut lapidauerint.

Luc. 23.

Ioan. 19.

Documẽtum Domini.

Infamiam quis ſuſtineat. *Ioan. 16.*

Secunda cauſa

Tertia.

Quarta.

Quinta & poſtrema.

...uomodo Iu... Ieſum adduxerint ad ...latum.

aut eius doctrinam profiteri auderet, atq; ita extingueretur Euangelium. Quomodo autem duxerint Ieſum ad Pilatum, declarant Matthæus & Marcus dicentes, *Quòd vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato Præſidi.* In hac conſultatione & vinculis impletum eſt verbum Eſa: 3. iuxta ſeptuaginta Interpretes, vt probant Patres, Væ animæ ipſorum, propterea quod prauum conſilium cęperunt aduerſus ſeipſos, dicentes, *Vinciamus iuſtum, quoniam inutilis nobis eſt:* itaque fructus operum ſuorum comedunt. Surrexiſſe dicuntur à Luca: qui prius ſedebant, vt iudices, maturè rem conſiderantes, & dantes animo æquo ſententiam; ſed tunc dæmone agente ſurrexerunt omnes. Deinde vinxerunt Ieſum, quia prius in concilio ſoluerant, vt vel rata haberet, quę præcedenti nocte confeſſus fuerat, vel negaret. Nec tunc conuerſi ſunt ad iniurias, quibus vſi fuerant nocte præcedēti, vt ſupra, alapas, & illuſiones: quia res agebatur clara die coram magnis, & grauibus iudicibus.

Mos iudiciorum circa delinquentes.

Surgentes igitur primum illum vinxerunt: quādo enim quis ab Eccleſiaſtico tribunali deducitur ad ſeculare, moris eſt, vt qui adducitur tanquam morti adiudicatus vinctus offeratur magiſtratui (teſte B. Hieronymo in hūc locum) vt hoc ſigno agnoſceretur iam ab eis eſſe cōdemnatus.

Hieronym. in Matth 26. tom 9.

Ecce iam tertiò vinctus ducitur Ieſus, qui omnium vincula ſoluere venerat. Ducitur ad Pilatum, vt ab eo quoq; Dominus condemnaretur ad mortem: & cùm ille locum teneret capitis toti' Orbis, id eſt, Tiberij Imperatoris; non ſolùm Iudæi, ſed & Gentiles Chriſtum damnaſſe, & occidiſſe viderentur: nec vnus populus contra alterum inflétur, cùm æquè Roma, atque Ieroſolyma Dominum cruci ſuffixerit.

Ieſus cur toties fuerit vinctus.

Sæpi' vincitur; quia plura erant noſtra vincula: quodlibet enim peccatū vinculum quoddam eſt, iuxta illud: *Iniquitates ſuæ capiūt impium, & funibus peccatorum ſuorum cōſtringitur.*

Prou. 5.

Ieſu ferrea catena collo iniecta olim Ieroſolymis ejiciebat dæmonia.

Præſentarunt igitur Ieſum manibus retro ligatis, & catenam ferream in collo habentem: quæ longo tempore magna cū religiōne aſſeruata eſt Ieroſolymis, atq; eius cōtactu pellebantur dæmonia de obſeſſis.

B. Baſil. Stolæ in Miſſæ ſacrificio collo immiſſæ myſterium.

B. Baſilius in Myſtagogia Eccleſiaſtica ait, Ieſum fuiſſe ductum vinctum ex collo: in cuius typum Sacerdotes collo apponunt ſtolam, quæ Græcè dicitur ἐπιτραχήλιον. Iam hanc ipſam adductionem Ieſu ad Pilatum his verbis deſcribit Ioannes: *Adducunt ergo Ieſum à Caipha in prætorium. Erat autem mane: Et ipſi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha.* Vbi aduerte, B. Auguſtinum tam ſuper Ioannem ſcribentem in hæc verba, quàm in libris De conſenſu Euangeliſtarum, impegiſſe propter codices mendoſos.

B. Auguſt. *tract. 114. in Ioan. inst. to. 9. & lib. 3. de Conſen Euangeliſt. ca. 7. ſub inst. to. 4.*

Auguſtini ex mendoſo códice interpretatio.

Legit enim: *Adducunt ergo Ieſum ad Caipham in prætorium.* Et addit: *Vbi intelligimus, aut aliquam fuiſſe cauſam, quæ coegerit Caipham eſſe in prætorio, nec eſſe præſentem, cùm alij Principes Sacerdotum haberent de Domino quæſtionem, aut in domo eius fuiſſe prætorium. Ita etiam in Ioannem habet: Sed ſi ad Caipham, cur in prætorium? Quod nihil aliud vult intelligi, quàm vbi Præſes Pilatus habitabat. Aut igitur aliqua vrgente cauſa de domo Annæ, quò ad audiendum Ieſum ambo conuenerant, Caiphas perrexerat ad prætorium Præſidis, & ſocero ſuo Ieſum reliquerat audiendum, aut in domo Caiphæ prætorium Pilatus acceperat, & tāta domus erat, vt ſeorſum habitantem dominum ſuum, ſeorſum iudicem ferret.* Hæc ille mendoſo codice falſus, & notauit eum etiam Lyranus: quia nec Caiphas huic Cōcilio matutino deerat, aliôqui fuiſſet ἀκέφαλον: nec eius domus erat prætorium, ſed tantum domus Præſidis: & cùm abominabile eſſet viro Iudæo cohabitare cum Gentili, maximè hoc notabile crimen fuiſſet in ſummo Pontifice, qui alijs prælucere exemplo debebat.

Lyranus. *Actor. 10.*

Vera, & germana lectio huius loci.

Legendum itaque eſt, vt Græca litera habet, ac Syriaca, & emendati Latini codices, *A Caipha*, id eſt, ab ædibus Pontificijs, in quibus erat Senatus, & Concilium Sanedrin. ¶ *Ad Prætorium.* Hoc eſt, ad ædes prætoris, in quibus ius reddebatur; cum tamen Pilatus longè maiorem haberet poteſtatem, quàm Prætores Romani, quia erat Præſes prouintiæ Iudææ.

Pilati quanta autoritas & poteſtas.

Eratque magna prudentia, & autoritate præditus, & vt ex hiſtoria Euangelica conſtat, longè prudentior, & iuſtior Scribis, & Senioribus.

Pilatus quare dictus ſit Pontius.

Et dicebatur Pontius, non quòd eſſet ex Ponto iuxta Bithyniam, vt quidam volunt, aut quod Pontiam inſulam ſub Tiberio adminiſtrarit: quia non ſolent Præſides ex prouintijs, quas adminiſtrant, ſortiri cognomina; ſed potius quòd hoc nomen commune ſit natis in Burgundia: ipſe autem oriundus creditur non longè à Lugduno.

Prætoris nomen quid indicet.

Pilatus, cognomen eſt Pontij; ſicut Prætor, cognomen eſt magiſtratus, & dignitatis.

Iudæorum aduerſus Chriſtū nequitia.

Ducūt autem illum bis damnatum in Concilio ſuo ad Pilatum, volentes ipſum non tam eſſe iudicem, quam iudicij à ſe facti executorem, ſi potuiſſent. Quod conſtat ex eo, quòd eum catenis vinctum, ſputis, atq; alapis fœdatum petunt, vt cruci ſuffigat, nullam adferentes accuſationem, neque damnationis ab eis factæ vllam rationem reddentes: & hoc agebant, vt innoxij ſanguinis effuſionem in Pilatum inducerent, & populi odium in eum cōuerterent.

Cur Pontifices Iudæorum non introierint in prætorium vt non contaminarentur.
Matth 23.
Num. 9.
Ioan. 11.
Num 9.
Iudæorum hypocriſis & ſimulatio.

Ipſi autem non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, &c. Ex inſita & innata hypocriſi hoc fecerunt, qua ſemper in paruis erant ſuperſtitioſi, vt magna non curarent, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Præceptum erat in Lege, vt non niſi mundi agnum comederent: vnde & quidam aſcenderunt Ieroſolymam, vt ſanctificarent ſeipſos, ſcilicet ad eſum agni Paſchalis, vt narrat Ioannes: alioquin immũdus faciebat Paſcha menſe ſecundo, vt ibidem dicitur. Vt non contaminarentur, inquit, quaſi hactenus nihil immunditiæ cõtraxiſſent, in tam indigna, atq; impia Ieſu tractatione; aut quaſi ſola domus incircumciſi eos contaminaret, cùm interim innocentem tot modis ad mortem adigerent,

Matth 27.

& ſanguinem illius ſuper ſe, & ſuper filios ſuos recipere nõ ſint cunctati. Metuebant inquinari in ingreſſu domus, & non profani hominis colloquio & cõſortio pollui; cũ domus non pollueret, niſi propter eum, cuius erat.

Horrendæ Iudæorum contaminationes atque ſordes.

Animam habent homicidium deſignantẽ, linguas calumniatrices, & ſanguinarias; cõduxerant pretio proditorem; falſos teſtes ſubordinauerant; falſa crimina confinxerant; cohortem Romanam pretio conduxerant; inſuper iudicem vrgent, ac terrent; & tamen ſibi videntur puri, digniq́ue qui Paſcha celebrent, non ob aliud, quàm quòd ab ingreſſu prætorij ſe cõtinerent. Egregia ſanè, ac præpoſtera religio.

Aug. tract. 114. in Ioan. ſub init to. 9.

Audi Auguſtinum in Ioannem: *O impia*, inquit, *& ſtulta cæcitas, habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur ſcelere proprio?* Sic ille.

Matth. 23.

Ambiebant ergo iuſtitiam, quæ in externa ſpecie conſiſtebat, nõ in corde: nam erant ſepulchra dealbata, mundantes quod deforis eſt calicis, cum intus eſſent pleni rapina, & immunditia.

Iudæorũ prævaricationes legis Diuinæ.
Exod. 20.
Ibid.
Omnis ſanctitatis medulla charitas eſt.

Humana conſtitutione Iudæus in domum incircumciſi intrare vetatur, ne ab eo contaminaretur: Lex diuina erat, *Non occides: Nõ falſum teſtimonium dices*: Non inuideas; quæ omnia iſti contemnebant, & ſeruata illa cõſtitutiuncula ſe ſanctos, ac iuſtos haberi volebant. Fingunt ſanctitatem ſine charitate; cum omnis ſanctitatis medulla charitas ſit. Vtinam non multi apud nos quoq; tales extarent: nam plerique cum in totum ſint impij, tamen impietatem ſuam humanis quibuſdam traditionibus ſeruatis tegunt.

Quam iuſtitiam nos docuerit Chriſtus.
Ioan. 17.
Quæ ſit vera ſanctificatio.

At Chriſtus aliam nos docuit iuſtitiã: *Pater ſancte*, inquit, *ſanctifica eos in veritate. Sermo tuus, veritas eſt.* Vera ſanctificatio eſt, cùm corda noſtra expulſis peccatis, & fraudibus renouantur, & cognitione Chriſti, remiſſioneq́ue peccatorum, atque pace illuminantur.

Lib 9.
Paſcha in Scripturis quid ſignificet.

Sed vt manducarent Paſcha. Per Paſcha intelligendum eſſe agnum Paſchalem, longa diſputatione ſuperius euicimus; propterea nõ eſt operæpretium eadem iterum repetere: Certè vox Paſchæ in ſacris literis, nunquam aut azymos panes, vel ſacrificia, quæ illis ſeptem diebus pro more legis immolabant, iuxta dicta in Deuteronomio, ſignificat, ſed tantum agnum, vel tempus noctis illius.

Deut. 16.

Burgen Epiſcopus in Paulina lib 19. cap. vlt.
Seder holam Hebræorum Kalendarium.

Illo autem anno Iudæi ex traditione diem Paſchatis poſtpoſuerunt in diem Sabbati, vt tradunt Burgenſis Epiſcopus, & permulti alij ſcriptores, qui id ex Kalendario Hebræorum deducunt, qui apud eos dicitur Seder-holam. Magnaq́ue Dei ſapientia accidit, vt figuratus agnus & figura eodem die immolarentur. Hoc etiam manifeſtè confirmatur autoritate eiuſdem Ioannis, qui ait: *Erat autem Paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta.*

Ioan. 19

Nam die Veneris, in qua Dominus crucifixus eſt, præparauerunt neceſſaria ad immolandum, & edendum agnum illa eadem die poſt veſperam in qua celebratur Paſcha. Nos igitur huiuſmodi religionem Iudæorum præpoſteram diligenter fugiamus.

Iudæorum hypocriſim Chriſtiani quidam videantur imitari.

Nam ſunt permulti inter nos quoque, qui diligenter ferias quaſdam pias obſeruant magna religione, ad quas ſe propria voluntate adſtringunt; cùm interim dies Dominicos, aut Apoſtolorum non obſeruent. Alios verò inuenies, qui ieiunia ab Eccleſia præcepta in Quadrageſima, aut in vigilijs Apoſtolorum vilipendunt ac frangunt; cùm tamen dies quoſdam, aut B. Virginis annuntiatæ, aut D. Catharinæ, ac B. Luciæ per totum annum arctiſſimè ieiunent. Videas quoſdam odio ardere in fratres ſuos: qui tamen de verbis otioſis, aut de rebus his leuioribus accuſent ſeipſos. Rurſus religioſos quoſdam, qui de Antiphona relicta, aut ſilentio tantillum violato grauiter ſe incuſent; qui tamen de proprietate, aut obedientiæ contemptu, quæ in ipſam Religionis ſubſtantiam militant, vllum non forment ſcrupulum.

Quæ ſordes nobis eluendæ potiſſimum ſalutem amantibus.

Demus igitur operam, vt, ſi de leuioribus culpis à nobis abſtergendis ſoliciti ſumus, multò maiorem, ac diligentiorem operam, & induſtriam ponamus in vitandis grauioribus, quæ ſempiternæ nos morti addicere valent, niſi illis obuiam eamus, æternæq́ue gloriæ præmio nos ſpoliare poſſunt, niſi illis reſiſtamus per Chriſtum, cui cum Patre, & Spiritu ſancto perfecta eſt felicitas, æternus honor, & imperium ſempiternum in ſecula ſeculorum.

Amen.

TRA-

TRACTATVS XXV.

De infructuoſa Iudæ pœnitentia,& reſtitutione 30 argenteorum, & eius morte,in illa verba: *Tunc videns eum Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet,pœnitentia ductus,retulit triginta argēteos Principibus Sacerdotum, & Senioribus, dicens: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtū. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo,receſſit: & abiens, laqueo ſe ſuſpendit,&c.* Matth 27.

TRactādus eſt vltimus actus proditoris Iudæ,qui complectitur eius inutilem pœnitentiā, & cauſam eius, confeſſionem peccati,reſtitutionem pecuniæ,atque ſuſpendium,quo vitā abrupit. In primis cauendum eſt,ſolum Matthęum inter Euangeliſtas hanc Iudæ hiſtoriam percenſuiſſe, quanquam B.Lucas in Actuum initio nonnihil huius hiſtoriæ attingat. Quod Matthæus ait, *Tunc*, intellige pręſentato Chriſto in domum Prætoris,quod accidit poſt horam diei tertiam. Non tamen opus eſt vt omnia quæ hîc narrantur,ante Chriſti mortem acciderint. Nam & emptio agri cōmodò ſuo tempore facta eſt, & fortè Iudæ ſuſpēdium poſt Domini mortē accidit. Quod ergo dicitur: *Tunc videns Iudas,qui eū tradidit, &c.* primum dubium occurrit, ad quid referendum ſit illud, Damnatus eſſet, an ad ſeipſum,an verò ad Chriſtum. Sunt enim quidā qui intelligunt referēdum eſſe ad ſeipſum: nam ſe damnatū agnouit ex verbo Domini,dicentis: *Væ autem homini illi,per quē Filius hominis tradetur: bonum erat ei,ſi natus nō fuiſſet homo ille.* Tunc enim illuſtratus à Deo, atq; inſpirat⁹ reſipuit, cognouitq; vim verbi diuini, ſicut Petrus reſpectus à Domino recordatus eſt verbi Ieſu. Sed profectò durū videtur, quòd Deus inſpirauerit ad pœnitentiā,quæ eum duxit ad deſperationem & ſuſpēdium. Quin potius dæmon ad eam incitaſſe videtur: nouit enim ille eorum, quos ad varia perpetranda flagitia excæcauit,ne culpā agnoſcant, oculos poſtea aperire, vt ſcelerum ſuorum videant atrocitatem, eaq; viſa in deſperationis barathrum præcipitentur. Melius ergo Origenes,atq; Euthymius referunt ad Chriſtum,quem ex eo cognouit damnatū, quia vidit Chriſtū, noctu coram Caipha & manè coram concilio damnatum (dixerūt enim: *Reus eſt mortis*) traditumq; Pontio Pilato, tanquā brachio ſeculari.

Act.1. Iudæ interitū ſolus inter Euangeliſtas Matth. commemorat.

Iudas laqueo quando ſe ſuſpendit.

De quo dictum ſit; Tunc videns quòd damnatus eſſet, de Iuda, an de Chriſto.

Matth. 26

I. opinio.

Proprium hoſtis generis humani.

II opinio probabilior.

Orig. tract 53. in Matth. tom. 1. Euthym. in Matth. c. 67.

Sed fortaſſis obijcies: Ieſus nondū erat damnat⁹ à Pilato. Dicendū eſt, illud, quod hoc loco refertur de Iuda, factum fuiſſe poſtquā Chriſtus damnatus eſt à Pilato: quod ex eo apparet, quòd proiectis argenteis in templū in conſpectu Principum Sacerdotum, ipſi iudicarunt nō eſſe mittendos in corbonam,quòd eſſet pretiū ſanguinis. Ergo poſt mortem Chriſto illatam,& Principes Sacerdotum ad templum reuerſos, fortaſſis vt gratias agerent Deo, quòd inimicum ſuū de medio ſuſtuliſſent, illud Iudæ factum tùm contigit. Vel probabilius dici poteſt, quòd damnatus erat à Principibus Sacerdotum,cū dixerunt: *Reus eſt mortis*; & Pilato iam dudū decreuerant, & ad eum miſerant. At verò quoniam non omnes ad Pilatum venerant, ſed aliqui in templum diſceſſerāt, vt curarent ſacrificia, ad eos,veluti magis ſedatos, & minus perturbatos, acceſſit Iudas, vt videret ſi quid ſua pœnitentia prodeſſe poſſet præceptori: quē fortè nō tradiderat cogitatione ſua ad mortē,ſed vt in carcerē, vel exilium ageretur,aut rationib. eos cōfutaret, & placaret, aut aliqua pœna ita caſtigaretur, vt euaderet mortem. Corruit igitur in primis Iudæ Euangeliū,quòd Caiani hæretici venerantur, in quo de proditione laudatur Iudas, quòd noſſet per Chriſti mortē redimendū mundum; ideò feſtinauit tradere, vt nobis per crucē ſalutē pareret: vt aſſerit Epiphan. lib. in Caianos hæreticos,& Theodorit. lib. Hæret. fabularum; vbi etiam tradit à Caianis fuiſſe compoſitū eiuſmodi Euāgelium. Deinde corruit ſententia Ruperti Abbatis Tuitienſis,qui Iudam aſſerit pœnitētia ductum, quòd ſimul cum eo non fuerint alij Apoſtoli omnes capti. Et quemadmodum Achitofel ob diſſipatum conſilium ſuum, quòd omnino Dauid moreretur laqueo vitam ſibi eripuit, ſimili ratione Iudas de eo maximè doluit, ꝙ ex ſuo conſilio diſcipuli non eſſent capti. Sed manifeſtè Matth. aliā cauſam ſuſpēdij ſui hoc loco fuiſſe aſſignat.

Ieſus quomodo tunc dicitur damnatus, cùm eum nondum Pilatus condamnaſſet.

Altera ſolutio.

In Caianos hæreticos Iudæ Euangelium venerantes.

Epiph. lib. 1. hæreſ. 38. Theod. libr. 1. hæret. fab. Contra Rupert. Tuit li. 11. in Matth. ante med. 2. Reg 17.

Iudæ ſuſpendium vbi præfiguratum.

Pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos. Quomodo retulerit Principibus Sacerdotū,cum illi laborarent apud Pilatū, vt Chriſtus vltimo ſupplicio crucis afficeretur vſq; ad horam 9. in qua Dominus expirauit, quia tunc in templo verſari non poterant? Reſpondet B. Auguſt. in lib. Quæſtion. veteris & noui Teſtamenti, quod fortè poſt horam nonā hoc factum eſt, vt videns occiſum Saluatorem,& ob hoc velum templi ſciſſum, terrā tremuiſſe, ſaxa fiſſa, elementa contertita, ipſe metu correptus doluerit, non neſciens iuſtū ſe tradidiſſe, in cuius paſſione ſic indignat⁹ eſt iudex Deus. Hęc ille.

Qua ratione Iudas 30 argenteos Senioribus in templo retulerit; cùm illi apud Pilatum de Domino necando laborauerint.

Aug. li Quæſtio vet. & nou. Teſt. q. 94 tom 4. Matth. 27.

Quia Iudas videns Ieſum damnatum, inde Iudæi probi viri con[ſ]equi poterat apud Principes Sacerdotum, non potius gauiſus eſt, & lætatus. Conſcientiæ morſus humanis laudibus nequaquam extinguitur, vel auertitur.

Sed dices; Iudas debebat hoc magis gaudere: damnato enim Ieſu à Principibus Sacerdotum, & à Pilato, apparebat ipſum Iudam eſſe hominem probum, ac iuſtum, qui damnatione dignum hominem prodidiſſet. Dicendum eſt, Deum à tali eum cogitatione auertiſſe, & Deum teſtimonium etiã Iudæ voluiſſe de innocentia filij ſui. Et quidem morſus conſcientiæ non repellitur ob id quod alij palpant, aut laudant peccatorem, niſi Deus derelinquat in reprobum ſenſum. Vt quod ait, *Pœnitentia ductus*, melius intelligatur, aduerte quod Auguſtinus libro de vera & falſa pœnitentia docet: *Pœnitentia*, inquit, *eſt quædam dolentis vindicta puniens in ſe quod dolet commiſiſſe*. Sic ille. Quamobrem pœnitentia diſplicentiam continet de Deo offenſo: hinc per Ezechielem ait: *Recordabimini ibi viarum veſtrarum, & omnium ſcelerum veſtrorum, quibus polluti eſtis in eis: & diſplicebit vobis in cõſpectu veſtro in omnibus malitijs veſtris, quas feciſtis*. Ex quo colligitur, pœnitentiam non eſſe fidem cum noua vita, vt Lutherus inquit, aut terrores, & fidem, vt eius diſcipulus Melanchthon dogmatizauit. Deinde includit pœnitentia propoſitum non relabendi, vel ad vomitum redeundi, ſed fugiendi omnes peccati occaſiones: in quo plurimi falluntur, qui ſine firmo eiuſmodi propoſito à Sacerdotibus abſoluuntur. Tertiò, complectitur ſpem, qua confidimus à Deo acceptandam noſtram pœnitentiam, propter merita ſanguinis Filij ſui. Quartò, debet habere coniunctam confeſſionem, quam ſuo quoq; ſeculo præcepit Deus, ſiue in lege naturæ, ſiue in lege ſcripta, ſiue in Euangelio: nec enim quæ in Euangelio exigitur, neceſſaria erat olim, aut quę olim pręſtabatur, in ſtatu Euangelico ſatis eſſet. Quintò, debet habere annexam ſatisfactionem integram, & condignam, vt nihil illi deſit. Pœnitentia ergo Iudæ in his omnibus defeciſſe videtur. Primò in contritione, vel dolore: quia non ſatis eſt naturalis quædam diſplicẽtia, & horror de peccato ob amici mortem, aut magnitudinẽ peccati, vel amorem proprium, vel alias ſimiles cauſas, niſi ſit propter Deũ offenſum, noſtroq; peccato iniuria affectũ: Deinde vbi maximè triſtitia concipiatur propter Deum offenſum, opus eſſet propoſito vitia non repetendi amplius. In quo defecit illa Iudæ, qui abiens, laqueo ſe ſuſpendit; quod fuit aliud ſcelus nouum, & quidem grauiſſimum. Tertiò, defuit ſpes veniæ, & fides de Chriſto Deo. Vnde Leo Papa ſerm. de paſſ. *Dicendo enim*, ait, *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum, in impietatis tuæ perfidia perſtitiſti: quia Ieſum non Deum Dei filium, ſed noſtræ tantummodo conditionis hominem, inter extremum mortis tuæ periculum credidiſti. Cuius flexiſſes miſericordiam, ſi eius non negaſſes omnipotentiam*. Hæc Leo. Quartò, defuit omnis recta confeſſio. Siquidem oportebat illum adire domum Pilati, vbi Principes Sacerdotum, & Seniores populi conuenerant, atq; illi crimen ſuum palam fateri; nempè quòd ſanctiſſimum Dei Filium, & Chriſtũ ex auaritia prodidiſſet, falſaq; eſſe, quæ in illum obijciebantur, quodque ipſe vnus ſit innocentis ſui ſanguinis reus. Oportebat præterea adire ad pedes mitiſſimi Ieſu, ac proſtratum lacrymis ac ſingultibus ex intimo corde profectis, nefandi criminis culpam deprecari, ſi ante Chriſti mortem egit pœnitentiam. Si verò poſt mortem illius, expectare eius reſurrectionem debebat, & veniam ab eo, qui neminem vult perire, haud dubiè impetraſſet. Sed ipſe aliò acceſſit, nimirùm ad eos, qui in templo ad ſacrificia conuenerant, in quibus nulla erat ſpes ſalutis ponenda. Fuit ergo Iudæ confeſſio apertio magni apoſtematis ſine adhibito alicuius medelæ remedio. Quintò, defecit in ſatisfactione & reſtitutione, In ſatisfactione quidẽ, quia laqueo vitã abſumpſit: nec integrè ſatisfecit, quia nõ expectauit vt Sacerdotes ſibi eam imponerent, vt poterãt. Et qui alteri per calumniam crimen impoſuit, vt tradatur neci, non ſatisfacit, niſi iudici, coram quo reus ſiſtetur, illius innocentiam, & ſuam iniquitatem pandat, & omnẽ det operam, ne innocens cõdemnetur. Defecit etiã in reſtitutione: quia pecunia per ſimoniam acquiſita non eſt reddenda emptori, qui propter peccatum admiſſum eã perdidit. Iudas ergo manſit ſine pecunia, & Iudæi ſine Chriſto à ſe redẽpto, vt pulchrè ait Auguſtin. lib. de ſymbolo ad Catechumenos, ita dicens: *Quid egit iniquitas Iudæ qui eum vendidit, à quo redimi debuit? Ecce nec Iudas tenuit pretium, nec Iudæi quem comparauerant Chriſtum. Illi dico: Vbi eſt quod accepiſti? Iudæo dico, Vbi eſt quod emiſti? Illi dico, Quando vendidiſti, tunc te decepiſti. Illi dico, Quod emiſti, poßidere non potuiſti*. Sic ille. Diſcant qui nolunt reſtituere, peiores ſe eſſe Iuda, qui tamen mordente conſcientia coactus eſt reſtituere: Audi quid Ioannes Gerſon de hac Iudę infructuoſa pœnitentia ſcribat; *Si aliquis ignorat, aut non percipit, vel ſeniit in corde ſuo, qualis tunc fuerit premens anguſtia Virginis Mariæ matris benignæ; cogitet & meditetur Iudæ factum. Qui habuit cor adeò induratum, & peruerſum, & amplius, quàm dixerimus; attamen cùm videret certò Dominum ſuum tam dulcem, & adeò benigni cordis Pilato traditum eſſe, & condemnatum, & cùm videret etiam forſan afflictum, & doloroſum ſta-*

Margin notes:

Aug. lib. de vera & falſa pœnitent. c. 8. ab fin. tom. 4 ab fin.

Pœnitentia quædam eſt dolentis vindicta.

Ezech. 20.

Lutheri, Philippiq; Melanchthonis falſa dogmata de pœnitẽtia. partes pœnitentiæ.

Quòd Iudæ pœnitentia omni ex parte defecerit.

I. argum.

II. argum. Leo Papa ſer. de paſſ. in fi.

IV. argum.

2. Pet. 3. 1. Tim. 2.

Qualis fuerit Iudæ proditoris confeſſio. V. argum.

Auguſt. lib. de ſymb. ad Catechum. c. 6. ſub init. to. 9. ſub fin.

Nolentes reſtituere, cur peiores ſint Iuda proditore.

Gerſ. tract. de paſſ. in hunc locum.

Quàm obſtinatus ac impœnitens Iudas exterit.

ſum ſtatum tuum ô Domina, mitis eius magiſtra, quem tantopere amaueras, ſuſtinueras, ſeruieras, & honorauerat, &c. tantum concepit dolorem, & tantam deſperationem, verecundiam & indignationem contra ſeipſum, quòd ſe ſuſpendit, nec ſe dignum reputabat quòd terra amplius eum ſuſtineret, vel quòd vnquam veniam mereri poſſet. Taliter itaque debemus nunc ſentire hunc dolorem, & memoriam, & deuotam compaſſionem, continuamq́; pœnitentiam. Hactenus ille. Et ita verbum *Videns*, refertur ad ſenſum, quòd videlicet Ieſum duci à cõcilio manè ad Pilatum viderit, fœdatum facie, conſpurcatũ ac vulneratum, à quo tanta beneficia accepiſſet.

Qualis peccati conditio. Petrum Dominum negantis, & Iudæ Dominum tradentis, longè diuerſa cõditio.

Ea enim eſt peccati cõditio, vt peccatorem excruciet ac dilaniet, grauiſſimamq́; exerceat carnificinam. Sed ô miſer ac infelix Iuda, ſi, vt vidiſti Chriſtum dãnatum ad mortem temporalem, ita ille te ad mortem æternam damnatum vidiſſet, forſitan, ſicut reſpiciens Petrum, eum ex inferno in cœlũ reuocauit per veram & fructuoſam pœnitentiam, ita te reſpiciens ex tanto ſcelere in ſuam te gratiam redintegraſſet.

Quorſum id: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. ſecundum Origenem. *Origenes.* *Euthym.*

Dicens; Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum. Origenes ait, hoc dixiſſe Iudam, quia forſitan Satanas in eum ingreſſus fuerat, præſto ei adfuit, donec Chriſtus traderetur Pilato: poſtquam autem obtinuit ab eo quod voluit, receſſit ab eo, & potuit dicere: Peccaui. Addit Euthym. *Oportebat autem ante proditionem pœnitentia duci. Sed talis eſt diabolus: ante peccatum non permittit videre malum, ne ſequatur reſipiſcentia; poſtquam autem peccatum omnibus numeris eſt expletum, videre permittit, vt mœrore afficiat, et in deſperationem præcipitet.* Sic Euthym. inquit.

Dæmonis aſtutia.

Iudas vendendo Chriſtum quot quantaque ſimul admiſerit infelix & impius.

Iudas autem vendendo Chriſtum, nõ ſolùm commiſit peccatum auaritiæ, & proditionis, ſed etiam ſimoniæ, vendendo Chriſtum ſanctum ſanctorum, & fontem omnium gratiarum. Itẽ, quia liberum hominem vendidit, cõmiſit plagiatus crimen: iterum vitium infidelitatis, æſtimando Chriſtum vendi poſſe, cùm tamen tanti ſit valoris, vt ei nullum aut aurum, aut lapis pretioſus valeat comparari. Exiſtimauit etiam ſe dominum Chriſti, vt illum poſſet diſtrahere, quod hæreſi vicinũ eſt. Hoc eſt igitur horrendùm illud ac fœdiſſimum peccatum, quod Iudas hîc confitetur, dicendo: Peccaui. Et addit: *Tradens ſanguinem iuſtum:* id eſt: Eò quòd tradiderim hominem iuſtum per ſynedochen; quaſi dicat: Cupio, vt à me acceptis quos dediſtis mihi argẽteis veſtris, iterum dimittatis quẽ innocentem cõfiteor; & in quo prodendo grauiſſimè me deliquiſſe agnoſco. Poterat autẽ hæc Iudę confeſſio prohibere Iudęos, ne pręcipitanter in necem eius feſtinarent.

Quid eſt dicere: Peccaui, tradens ſanguinem iuſtũ.

Egregia Iudæorum ad Iudam de vendito Domino dolentem ac pœnitentem reſponſio atque ſatisfactio.

Sed illi dixerunt: *Quid ad nos?* Nocentẽ videlicet prodideris, an innocentem: *Tu videris.* Quaſi Iudæ peccatum ad eos nõ ſpectaret, aut quaſi nõ conſenſerint in eius proditionis flagitium, cùm ad illud perpetrandũ etiam propoſito præmio incitauerint: quaſi ille qui ſciẽter vendit rem furto captam, & alius qui prudens ac ſciens emit, nõ eodem crimine inuoluatur. Senſus ergo eſt ſecundùm Chryſoſt. Quid ad nos pertinet, ſi iuſtus eſt? Tu videris opus tuum quale fuerit. Certè vt hac Iudæ cõfeſſione, ita & hac reſponſione condemnati ſunt impietatis in Chriſtum, cùm ſignificent ſe nõ curare, iuſtene, an iniuſtè ſit proditus à diſcipulo: qui ob id quod erant populi paſtores, rationẽ Deo reddere debebant omniũ quæ agebãtur. Et vide quã verum ſit prouerbium vulgatum: *Placere proditionem, ſed non proditorem.*

Chryſ. ho. 86. in Matt. to 2. Iudæorum impietas non ferenda.

Proditio, nõ proditor placet.

At profectò, ô perfidi Principes Sacerdotũ, ad vos ſpectat, quòd ſanguinẽ innoxiũ redemiſtis; quòd eum, quem iuſtum nouiſtis, condemnaſtis. Veſtra intereſt quòd pretiũ veſtrum vobis redditur, & vos innocẽtem à vobis redemptum, non reſtituiſtis: ad vos attinet, quod proditorem flagitij pœnitet, vos autem eius exemplo prouocati ad pœnitentiã, duriores redditi eſtis. Ad vos ſpectat quòd Iudas pecuniam reddit, vt Ieſum liberet; vos pecuniã recipitis, & Ieſum perditis: vnde in nouiſſimo grauiſſima erit veſtri accuſatio, quòd vel Iuda flagitium ſuũ cõfitente, vos impœnitẽtes permanſeritis, qui deterius, quã ille, deliquiſtis. Ille enim ingratus, auaritia pelliciente Chriſtũ prodidit; vos odio, inuidia ac perfidia mortẽ Domini operati eſtis. Quomodo enim poteſtis ignorare, ſi peccauit qui ſanguinẽ vendidit iuſtũ, multo grauius vos peccaſſe, qui eundem ſanguinem & emiſtis, & fudiſtis? Imò adeò ad vos ſpectat hoc crimẽ, vt ſi Iudas in Domino ſperare voluiſſet, omnis ſceleris culpa in vos ſolos recideret: qui tamen non ſolùm mortis Chriſti cauſa fuiſtis, ſed etiam proditionis Iudæ. Cùm enim eum vidiſtis ſceleris ſui pœnitere, pecunias reddere, innocentiã Ieſu fateri; & iuſtũ Chriſtum liberare debueratis, & peccatorem ad veniã venientem ſuſcipere, & blandis verbis ſolari, & ſecundùm ritum legis expiare. Ita euenire ſolet illis, qui incidunt in malos Confeſſarios, vel qui ſponte eos quærunt, ne peccatis ſuis condignã accipiant pęnitentiam; quam tamẽ opus erit deinde vel aſperrimã facere, ſiue in gehenna, ſiue in purgatorio; nec interim poſſunt magni conſcientiæ ſtimuli deeſſe eam excruciantes. Nõ ergo illi impoſuerunt pœnitentiam, nec ipſe vt ſibi imponeretur, expectauit, ſed ſua ſponte

Iudæi quales iudices æqui boniq́ue.

Quare Principes Sacerdotum Iuda peiores extiterint proditore.

Iudæi nefandum proditionis Domini crimen cum Iuda participarunt.

Iudę impœnitentis ſimiles, quid experiantur miſeri.

Quid cauere debeant Principes, tùm ſacri, tùm profani.

cucurrit ad ſuſpendium. Caueant hoc loco Principes, tam Eccleſiaſtici, quàm ſeculares, qui populis gubernandis præficiuntur, ne publica populi peccata, quæ per eos aut præueniri, aut condigno ſupplicio puniri poſſunt, & tamen negligunt, in eorum capita recidere: nec poſſunt dicere, Quid ad nos? populus viderit: cùm tamen ſcriptum ſit: *Sanguinem eius* (ſcilicet ouis perditæ) *de manu ſpeculatoris requiram.*

Ezech 33.

Quis ſacrilegæ fructus pecuniæ Iudæ proditoris.

Et proiectis argenteis in templo. En pecuniā, quam tanti feciſti, vt propter eam Dominum vendideris, nunc apparet quàm vilis ſit, & quàm tu cæcus, qui facinus tā fœdum perpetrare te non agnouiſti. En Sacerdotes qui te miris fauoribus affecerunt, cùm proditionem obtuliſti, quàm nunc nullius te pretij dignum exiſtimant, quàm nihil ad ſe attinere aiunt, quòd in anguſtia tanta ſis poſitus: hoc eſt enim dignum eorum ſupplicium, qui in aliorum gratiam peccant.

Qui in gratiā aliorum peccent, quid aſſequantur illi.

Receſſit, & abiens, laqueo ſe ſuſpendit. Ex arbore, vt quidam tradunt, ſycomoro. Ecce finē animi deſperati, deprehenſio ſcilicet peccati ſine fide, & fiducia in Chriſtum; vnde impium ſcelus grauiſſimo alio ſcelere cumulauit: agnouit magnitudinē ſceleris ſui, ſed non magnitudinem diuinæ miſericordiæ. In hoc valde errauit, Dominum ita iuſtum agnoſcens, vt non etiā miſericordem agnouerit, vel, quòd iuſtam miſericordiam eſſe non poſſe putaret, & non pœnas quas pateretur, dare, nec expectare, ſed præripere voluit, percuſſitq́; ad hoc facinus nō minori dęmone agente, quàm prius ad proditionem: quia prius peccatū fuit in Chriſti humanitatē; hoc, in diuinitatem: primū, in Filium hominis; deinde in Spiritum S. quod non remittitur, neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro. Peccat autem lethaliter, quiſquis in ſeipſum manus inijcit, vt mortem accerſat, vel impatientia doloris, vel metu pudoris victus, aut inſtinctu, & conſilio Satanæ adactus: tùm quia cōtra inclinationē naturalem, qua omnes res in eſſe conſeruari appetunt, operatur; tū quia cōtra charitatē, qua quis ſeipſum diligere propter Deū adſtringitur, agit; tùm quia Eccleſiā & communitatē, cuius eſt pars & membrū, offendit; tū deniq; in Deū, cuius erat ſeruus, iniuri⁹ exiſtit, faciendo ſe ſui ipſius Dominum, vitāq́; ſibi adimēdo, nec iudicium ſui ipſius Deo, vel miniſtris eius relinquendo: quib. omnibus modis Iudas peccaſſe deprehenditur. Hoc loco penſandum eſt, cur Dom. Ieſus permiſerit Iudā vitam ſibi ante tempus eripere; deinde, quo tempore ſe laqueo præfocauerit, an ante paſſionē, vel poſt eam; adhæc, quo genere mortis vitā terminauerit.

Deſperati animi ſymbolum.

Cur Iudas laqueo ſe ſuſpendit.

Huius peccati Iudæ grauitas & atrocitas.

Ioan. 13.

Matth. 12.

Qui ſibi quacunque ratione manus iniiciunt, quam grauiter delinquant.

Quare Chriſtus Iudam permiſerit violentam ſibi mortem inferre.

Matth. 26.

Ad primum dicendum eſt, magna eſſe Dei iudicia, & inſcrutibilia; neque hoc illi accidit, quia ſic ſcriptum erat de eo in veteri Teſtamēto, nec quia Ieſus illi hoc denuntiauerat futurum dicens: *Væ antē homini illi, per quem Filius hominis tradetur*; ſed quia tam grauiter peccauit, nullam vt veniæ ſ; ē concipere permiſſus fuerit. Multò plus tribuerat Dominus Iudæ, quàm Sacerdotibus, cū etiam edendorum miraculorum facultatē illi dediſſet. Vnde Paulus ad Hebræos ait, impoſſibile eſſe, hoc eſt, difficile valde, eos, qui magnis donis cęleſtibus cumulati fuerunt, & poſtea prolapſi ſunt, renouari ad pœnitentiam. Ruſus voluit Dominus extare exemplum ex malitia peccantium, nec ad ſanitatem redeuntium. Adhæc Iudas in Spiritum S. peccauerat, cùm ſcilicet admoneretur per eum à Chriſto ne proderet, & ipſe interim apud ſe dicebat: Ego hanc pecuniā à Principibus ſumam; tu verò ſi Chriſtus es, teipſum eripies, & mihi parces, qui omnibus parcis. Et ita abutebatur Chriſti benignitate; alioqui valde incōuenientes eſſe putabat, ſi cum fratres, qui ex vendito Ioſeph, pecuniam acceperant, ſupervixerint, & bonitatem ipſius Ioſeph experti fuiſſent, ipſe quoq; dum viueret, clementiā Chriſti non experiretur. Hinc Drogo ſcribens, ait: *Non proiecit argenteos in ſterquilinium, ſed in tēplum: talibus ſemper dijs templum ſuum deuonerat. Auaritia enim ſimulacrorum eſt ſeruitus, quæ excæcat oculos. Maluit ſeipſum perdere quam denarios perire: denarios templō, ſeipſum laqueo addixit. Amabat hæredes ſuos, qui eoſdem denarios exinde colligerent. Et abiens, laqueo ſe ſuſpendit: quia auaritia laqueo ſeipſum ſuſpēderat. Sed quod fecerat in occulto, palàm omnibus innotuit.* Hæc ille. Suſpenſus ergo in aere Iudas, cœlo, ac terra, hoc eſt, cœleſtibus ac terreſtribus bonis indignum ſe oſtendit, & poteſtatum aeris huius ſocium & miniſtrum. Rectè pecuniam templo, animam diabolo, cuius erat ſeruus reſtituit. Et rectè laqueo ſe ſtrangulauit, vt in vocis organo puniretur, qui Chriſtum in vocis organo vendiderat. Et ſuſpenſus crepuit medius; & diffuſa ſunt omnia viſcera eius: quia nullum commiſerationis motum erga Chriſtum Dominum habuit. Permiſit igitur Dominus Iudam laqueo vitā finire; qui ad Caiphā Pontificē ſi uit ſibi manus inijcere, teſte Clemente Romano in libris Cōſtitutionum Apoſtolicarum, & Pilatum permiſit, vt ſeipſum manibus ꝓprijs confoderet. Ita enim ſcribit Paulus Oroſius libro Ormeſtæ: *Pilatus Præſes, qui ſentētiam damnationis in Chriſtum dixerat poſtquam plurimas ſeditiones in Ieroſolymis excepit, ac fecit, tantis irrogante Caio angoribus coarctatus eſt, vt*

Ratio quorundam nefaria atque blaſphema.

Suprà 10.

Hebr. 6.

Qui nūquam conuenerint ad pœnitentiam ſecundùm Apoſtolum.

Iudas vt abuſus ſit Chriſti benignitate.

Geneſ 37.

Deo quem colebat Iudas, etiq; litabat.

Drogo Antiq. ſcriptor.

Epheſ 5.

Effectus auaritiæ.

Quam bellè proditori Iudæ ſuſpēdium congruebat.

Act. 1.

Caiphas ſibi mortem conſciuit.

Clem Rom. lib. 8 Conſtit. Apoſt. cap. 1. ſub fin.

Pilatus etiam manibus ſuis proprijs ſeipſum confodit.

Paul Oroſ. lib 7. cap. 5. poſt med.

eſt, vt ſua ſe transfuerberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæſierit. Ita ille. Mirabitur quiſquam, quomodo Chriſto volente eius cõuerſionem perierit Iudas? Sed iſti non cogitant, quòd Dominus non facit omnia, quæcunque poteſt: quia ſi hoc faceret nullus perire poſſet; ſed tantum ea præſtat, quæ decent ſuam ſapientiam & bonitatem. Et cùm hæc præſtiterit, dicit: *Quid eſt quod vltra debui facere vineæ meæ, & nõ feci ei?* &: *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas* (vocando ſcilicet & clamando) *& noluiſti?*

Cùm Chriſtus Iudæ conuerſionem ſitiret, cur eum perire permiſerit.
Eſa. 5.
Matth. 23.

Ad ſecundum, de tempore quo vitam ſibi eripuit Iudas, non eſt vſquequaque exploratum. Hiſtoria Scholaſtica, neſcio cuius autoris ſolido teſtimonio adducta, refert quòd ſe ſuſpẽderit in die Reſurrectionis: quia enim audierat Dominum reſurrexiſſe: quem tamen reſurrecturum minimè ſperabat, timens ne de eo crudelem mortẽ Ieſus exigeret, vitam ſibi prior ademit. Sed parum probabilitatis videtur habere hæc ſententia. Altera ſententia eſt B. Hieronymi, quòd Iudas ſe ſuſpenderit ante Domini reſurrectionem. Vnde Gloſſa in Marcũ de duobus latronibus ait: *Alter præcedit Petrum in paradiſum, alter Iudam in infernum.* Origenes in Matth. *Videns igitur,* inquit, *magnitudinem facinoris ſui, pœnituit quidem, & locutus eſt ex pœnitentia cordis, confeſſus peccatum ſuum, eò quòd tradiderit ſanguinem iuſtum; non autem & ſecundùm ſcientiam pœnituit, ſicut debuit pœnitere. Exiſtimauit enim præuenire in morte moriturum magiſtrum, & occurrere ei cum anima nuda, vt confitens deprecans miſericordiam mereretur.* Hæc ille. Leo Papa ſer. de paſſ. Dom. videtur inſinuare Iudam ante Chriſti mortem extinctum fuiſſe: ait enim: *Vnde ſceleſtior omnibus Iuda & infelicior extitiſti, quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum. Expectaſſes conſummationem criminis tui, & donec ſanguis Chriſti pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi ſuſpẽdium diſtuliſſes.* Hactenus Leo. Sunt etiam qui referant, poſt aliquot dies à Reſurrectione fuiſſe extinctum: qua de re paulò inferius dicemus commodiùs.

Quando ſe laqueo ſuſpenderit Iudas.
Hiſt. Schol. in Euang. ca 162.
Prima opinio minus probabilis.
II opinio.
B. Hier. to 9.
Gloſſ. ord. in Mar. 15.
Orig. tract. 35 in Matth. poſt med. tom. 2.
Iudæ pœnitentia qualis ſecundum Origen.
III. opinio.
Leo Pap. ſer. 3 de paſ. ante med.
IV. opinio.

¶ Ad tertium, circa genus mortis, non poteſt dubitari illũ ſe fune ex arbore aliqua vel trabe ſuſpendiſſe, vt Matth. apertè teſtatur, & Luc. in Actis: ſed an tunc vitam ſibi ademerit, dubium eſt; nam Græci autores aliter videntur ſtatuere. Ait enim Theophilact. in Matth. *Quidam dicunt, quòd Iudas cum auarus eſſet, ſperabat proditione Chriſti multum lucri, & Chriſtum non occiſum iri, ſed euaſurum, ſicut ſæpius, & antea. Cùm autem tunc vidiſſet condemnatum vt moreretur, pœnitentia rei ductus eſt, quòd alium, quàm opinabatur, exitum res ſortiretur. Idcircò & ſe ſtrangulauit, vt præueniat Ieſum in inferno, & ibi orando ſalutem aſſequatur. Verùm ſcias quòd poſuit quidem collum ſuum in laqueum; & cùm penderet ab arbore, arbore inclinata ſuperuixit: Deo volente ipſum vel in pœnitentiam conſeruare; vel in traductionem, & confuſionem. Dicunt enim quòd morbo hydropico laborarit; ita vt tranſire non potuerit orbitam, & deinde cecidiſſe pronum, & crepuiſſe medium, hoc eſt, diſruptum fuiſſe, vt dicit Lucas in Actis.* Idem tradit Euthy. adiungens, quòd cùm vellet laqueo præfocari, agnitus à quibuſdam, depoſitus eſt ne præfocaretur; deinde poſtquam in ſecreto quodam loco, modico vixiſſet tempore, præceps factus, ſiue præcipitatus, inflatus, diruptus, ac diffuſus eſt medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius. Et vt in ore duorum, vel triũ ſtet omne verbum, audi quid dicat Oecumen. in illud: *Suſpenſus crepuit medius. Iudas ſuſpendio è vita non diſceſsit, ſed ſuperuixit: deiectus eſt enim prius, quam præfocaretur, idq; Apoſtolorum Acta indicant, quod pronus crepuit medius.* Hoc autẽ planius ſcripſit Papias Ioannis Apoſtoli diſcipulus, dicens: *Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permanſit Iudas: non tantum enim corpore inflatus, vt progredi non poſſet: cùm currus leui curſu pertranſiret, curru compreſſus eſt, ita vt effunderentur inteſtina; imò ne ſolùm quidẽ capitis tumor: ſiquidem & palpebras oculorum eius adeò intumuiſſe ferunt, vt lumen omnino videre non poſſet, oculi verò illius neq; διόπτρας nẽpè inſtrumẽti medicorum adminiculo apparere poſſent: tanta profunditate ab exteriori aſpectu erant ſeparati: genitale verò illius membrum omnem excedebat obſcœnitatem ac magnitudinem. Porrò ſanies ac vermes contumelioſè confluentes ex toto ipſius corpore ferebantur egredientes per ſola loca ſecretoria. Poſt multa verò tormenta & vltiones, cùm in ſuo prædio, vt aiunt, mortuus eſſet præ fœtore prædium illud deſertum permanſit, & non habitatum vſq; in hodiernũ diem. Sed neq; ad hoc vſq; tẽpus, locum illum quiſquã præterire poteſt, niſi obturatis manu naribus.* Hæc ille, vbi etiã vides, hęc nõ pugnare cũ his, quæ tradit Matt. de ſuſpendio: quia cõfracto funiculo, quo præfocatus erat, præcipitio in terrã decidit, ac crepuit; nã in Actis dicitur πρηνὴς γενόμενος, quod pręcipitiũ ſignificat, & Auguſt. legit, Deiectus in faciẽ. Ex his ergo, quæ tradũt Græci, colligimus, illũ fortè ante Chriſti mortẽ ſuſpenſum ac præcipitatũ, mediũq; crepuiſſe: non tamen tam citò vitã finijſſe, ſed per aliquot dies ſuperuixiſſe, ſi hęc vera ſunt, quę ex Papia produximus, quamuis alijs nõ probentur, quòd Scripturæ verba ſuſpẽſum ſtatim crepuiſſe ſignificẽt Iudam. Vide ergo quid poſſit conſideratio nuda peccati abſq; fide in Chriſtũ. Chryſ. in Mat. pulchrè in auaros

Quo genere mortis Iudas interierit.
Act. 1.
Opinio Græcorum.
Theoph. in Matth. 27.
Euthym. in Matth. c. 67. init.
Deut. 17.
Oecu. in c. 1. Act.
Papiæ de Iudæ proditoris interitu miſerando memorabilis hiſtoria.
Act. 1.
Auguſt. in
Chryſ. ho 86 in Mat. to. 2.

inue-

inuehitur. *Audite, inquit iſta, audite, inquam, auari, verſate animo, quod ille paſſus fuit: nam & pecuniam amiſit, & ſcelus admiſit, & animam perdidit. Hæc atrox auaritiæ tyrannis facere ſolet. Non eſt argento, nec hac vſus vita, non fruetur futura, vniuerſa ſimul amiſit: prauaq; vel apud eos quibus tradidit, æſtimatione de ſe ſuſcitata, laqueo demùm vitam fregit.*

Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt. Vt totius ſanguinis Chriſti reos ſe ſtatuerent, pecuniam receperunt, & illam pretium ſanguinis Chriſti eſſe ſe agnoſcere confeſſi ſunt, ideò indignam iudicarunt, quæ inter donaria templi reponeretur. Nam ſi rapinã Deus prohibet offerri in holocuſtum, ſi mercedem meretriciam eijcit à donarijs ſuis, vt habes apud Eſa.c.61. & in Deut.c.23. quanto magis pretium ſanguinis, quod grauius, & magis abominabile ſcelus eſt? Tria autem erãt oblationum repoſitoria in templo, vt quidam tradunt: alterũ Muſach Sabbati, ædificatum à Rege Achaz, 4.Reg.16. in quo aſſeruabantur oblata à Principibus; alterum, Gazophylacium pro oblationibus populi; tertium, Corbona, pro his quæ offerebantur in vſum Sacerdotum: quanquam alij eruditi viri hanc diſtinctionem repoſitoriorũ, vt ſacræ Scripturæ minimè notam, apertè denegent, & confictam eſſe putent. Hæc autem pecunia, quæ Sacerdotibus data fuerat, ad Corbonam ſpectare videbatur, atq; inde extracta erat, vt tradit Hiſt. Scholaſtica; ac proinde exponit, Mittere in corbonam, pro remittere. Sed quia nonniſi ſancta ſanctis in loculis reponi decebat; quæ pretiũ erat innocẽtis ſanguinis, iudicarunt non expedire vt in Corbonam mitteretur.

Cur Principes Sacerdotum, quo Dominũ emerant à Iuda pretium receperunt.

Rapinam, mercedemq; meretriciam ab oblationibus templi Dominus prohibebat.

Eſai 61.

Deut. 23

Oblationum repoſitoria apud Iudæos triplicia erant ſecundùm aliquos.

Hiſt. Schol. in c. 27. Matth.

Vnde ſubdit: *Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum.* Hæc autem res, proditionis aduerſus illos teſtimonium eſt. Nomẽ enim agro, vel villæ inditum, omni clarius tuba ſceleratam eorum prædicat cædem. Nec ſimpliciter, ſed conſilio congregato id factum fuit: & in omnibus procedunt, ne aliquis ab hoc crimine innocens ſit, ſed omnes ſimul hac peccati magnitudine premantur. Sed vide eorũ cæcitatem: ſi in corbonam pecuniam immiſiſſent, nõ tam manifeſta res facta eſſet; nunc verò villa empta, etiam poſterioribus rem vniuerſam prodiderũt, perpetuo peregrinis, qui locum illum in ſui ſepulturã hoc pretio comparatum videbant, in memoriam reducentibus Iudæ proditionem, & Iudæorum iniquitatem. Qua ratione etiam voluit, vt ager ille dicatur Hacel-dema hoc eſt, ager ſanguinis, vt ſolo nomine tam atrocis facinoris recordatione excitarẽtur. Emptus eſt ager figuli pro pauperib. peregrinis confluentibus in Ieruſalem, nec habentibus proprium ſepulchrũ, ſicut incolæ omnes proprium habebant. Et bene pretiũ illuc ſic impenſum eſt: pretium enim ſanguinis cõueniebat in beneficium mortuorum applicari, & hoc ipſo quo illi profanatum pretium eſſe putabant, reuera ſanctificatum eſt. Quare in abrogati iam Sacerdotij vſum cedere non debuit, ſed in ſanctiorem pauperum vſum: In quo adumbratum eſt, ſanguinem Chriſti potiſſimùm peregrinis, & aduenis Gentibus profuturum, pereuntibus in ſua impietate propter incredulitatem Iudæis, & reprobantibus ſalutem per Ieſum partam. Erat autem ad literam ager ſanguinis, ſiue Akeldema, vt teſtis eſt Hierony. lib. de locis Hebraicis, ad Auſtralem plagam montis Sion, & vt addit Brocardus, iuxta piſcinam ſuperiorem, & natatoriam Siloê. Quod verò dicitur de Iuda: *Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis:* nõ intelligas, ait Chryſoſt. quòd ipſe Iudas poſſederit; ſed ob id poſſedit, more Hebræo, quia poſſidere alios fecit: delatis enim pecunijs in templum, emendi agrum illum occaſionem præſtitit. Solent autem agri figulorum foſſulas multas habere, ac proinde vilis pretij ſunt, & ad ſepulchra condenda apti, accommodatiq;. Voluit etiam Dominus pretium, quo empta fuit eius vita, in vtilitatem & commodum pauperum peregrinorum conuertere: quanquam ex parte Iudæorum ſumma hoc non careret hypocriſi. Hinc Chryſoſt. in Matth. ait: *Audiatis quicunq; animæ hominis pretium capientes, beneficium poſtea ex cæde conſertis. Iudaica huiuſmodi eleemoſyna eſt, imò verò diabolica. Sũt enim, ſunt, inquam, et iam nunc qui alienis direptis, excuſatos ſe à toto crimine putant ſi aliquam partem pauperibus dederint de quibus ait Propheta: Altare meũ lacrymis operiebatis. Non vult certè Chriſtus rapina nutriri, ingratiſſima hæc ſibi ſunt alimenta. Quid ita tu Dominum contẽmnis, vt res immundas offerre audeas? melius eſt contemnere vt media tabeſcat, quàm huiuſmodi alimento ſuſtẽtare. Alterum nempe crudelitatis ſimul, & contumeliæ: & melius eſt nihil omnino dare, quàm rem aliorum alijs concedere. Dic quæſo ſi duos quoſdam videres, alterum omninò nudum, alterum indutum; nullamne iniuriam faceres, ſi veſtitum ſpoliares, vt nudum indueres? imò verò maximam. Quòd ſi re integra conceſſa non eleemoſyna vſus es, ſed iniuriam commiſiſti, cùm nec triceſimam partem raptarum rerum dederis, & eleemoſynam rem appelles; quo ſupplicio non vexaberis?* Hæc ille.

Cur Iudæi conſilio inito, emerunt ex 30 argenteis Iudæ proditoris agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.

Mira cæcitas Iudæorum.

Hacel dema ager ſanguinis dictus

Tam ſacrilegi pretij ... empti ... in vſum peregrinorum ... In agro ... ſanguinis ... adumbratum ... Quibus ... ſanguis Chriſti profuerit. Ager ille ... ſuus eſſet.

Hiero. tom.

Brocardus.

Act. 1.

Chryſoſt. ... Acta Apoſt. hom. 3 ...

Qualis ferè agri figulorum.

Chriſti beneficentia in peregrinos.

Iudæorum ... hypocriſis ... Chryſoſt. ... in ... Chryſoſt. ...

Malach. 2.

Ager figuli quid myſticè deſignet.

Secundum myſterium verò, Chriſtus ſuo ſanguine emit nobis quietẽ ſempiternam

anima-

animarum,& corporum: quæ in cœlo continget. Eſt enim figulus ſeu plaſtes Deus Pater, qui nos ex nihilo condidit tanquam vaſa ex terra argilloſa, modò beneficio Chriſti, ac ſanguinis eius nos agnoſcamus peregrinos,& dicamus cum Apoſtolo: Non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus: agnoſcamuſque Chriſtum non tantùm viuos, ſed etiam mortuos ſuo ſanguine iuuiſſe.

Hebræor.13.

Chriſtus non tantum viuos, ſed etiam mortuos ſuo ſanguine iuuit.

Zachar. 11.

Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiã Prophetam, dicentem: Et acceperunt 30. *argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Iſrael: & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.* Duo ſunt de hoc teſtimonio diligenter diſcutienda, alterum, vnde ſumptum ſit; ſecundum, quem ſenſum faciant hæc verba Euangelij, & quomodo conueniant cum Prophetæ verbis. Solet à. Mat. inſignibus actibus aliquod veteris Teſtamenti producere teſtimonium, quò per illud magis ad fidẽ adducat lectorem. Porrò hoc verbum cum nequaquam apud Ieremiam, ſed apud Zachar. inueniatur: ideò quidam ex Patribus dicunt aut impiorum malitia, aut librariorum imperitiâ prò Zacharia fuiſſe ſcriptum Ieremiam, qui agri empti facit mentionem ca.32. Atque huius ſententiæ eſt Origenes in hunc locum, quẽ ſequitur Euthym.& Euſeb. libro Demonſtrationis Euangelicæ,& Hiero. hoc ipſum teſtatur in Pſal.77. vbi apertè confitetur ex errore fuiſſe factum. Gloſſa ordinaria admonet in pleriſq; codicibus non haberi Ieremiam, ſed ſimpliciter; *Quod dictum eſt per Prophetam, dicentem*: quam lectionem habet Syriacus codex, qui à quibuſdam creditur verũ,& germanum Euangelium Hebrçum ſecundum Matthæum. Cùm ergo Euangeliſta dixiſſet tantùm, per Prophetam, omiſſo ſignati alicuius Prophetæ nomine, deinde verò quidam voluiſſet indicare Prophetæ nomen, & adieciſſet in margine Ieremiæ nomen, hoc poſtea in contextum eſt redactum. Et D. Auguſtin. teſtatur, non omnes codices Euangelicos habere per Ieremiam Prophetam, ſed tantùm per Prophetam, quo modo legit Rupertus: etſi Auguſtino hæc defenſio nõ placeat, quòd putet nomen Prophetæ ſublatum ab aliquo, non inueniente hoc teſtimonium in Ieremia, cùm plures codices antiquiores habeãt Ieremiæ nomen. Verùm ſalua tanti Doctoris reuerentia, cauſa ſubeſſe potuit cur Ieremiæ nomen magis additum fuerit, quam ſublatũ. Ad quod primò mouet, quòd cùm Matthçus varijs in locis citet Prophetarum teſtimonia, ferè ſemper Prophetæ nomen non exprimit, ſed ait: *Tunc impletum eſt quod*

Cur Matthçus inſignioribus Chriſti factis aliquod Scripturæ teſtimonium ferè coniungat.

Illud teſtimonium: Et acceperunt 30 argẽteos,& reliq. ex Ieremia deſcriptum ne ſit, an ex Zacharia.

Variæ reſponſiones.

Origenes.

Euthymius.

Euſeb l 10. de Demonſt. Euan c.4. to 1.

Hier tom 8.

Gloſſ ordin. in Matth.

D. Aug. lib 3. conſen. Euan. c.7. to. 4. Rup. Tuit. l.11. in Matt. ante med.

dictum eſt per Prophetam; aut: *Hoc autem totum factum eſt, vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam*: vt ſemel in 1. cap. & ter in 2. & in ca. 13.& 28.& hoc 27. Deinde illud quoque facit, quòd facilè reddi poſſet cauſa, cur quis putauerit, aut nomen Zachariæ mutãdum in Ieremiæ, aut nomen Ieremiæ adſcribendum, cùm nullius Prophetæ nomẽ expreſſum eſſet, maximè quia iuxta tranſlationẽ 70. qua ſola ante D. Hieronymi tempora vtebatur & Latinorum & Græcorum Eccleſia, non videbatur in Zacharia hoc teſtimonium reperiri poſſe. Nam pro textu noſtro, quem Hierony. expreſſit de Hebræo, Septuaginta habent: *Et dicam ad eos, ſi bonum in conſpectu veſtro eſt, date mercedem meam, aut quieſcite: & ſtatuerunt mercedem meam* 30. *argenteos.* Vnde illud. Pretium appretiati, quẽ appretiauerunt à filijs Iſrael,& dederũt eos in agrum figuli, ſicut cõſtituit mihi Dominus, exiſtimat Auguſtinus nec apud Zachariam, nec apud Ieremiam inueniri, ac proinde accipiendum quaſi ex perſona Euangeliſtæ dictum; cùm tamen Euangeliſta id citet teſtimonium, non ſolùm vt oſtendat pretium Chriſti fuiſſe prędictum, ſed magis vt indicet prędictum eſſe eo pretio à Iudęis agrum figuli emendum. Hinc Græci,& qui 70. interpretum verſionem ſectantur, difficilè ſe hic expedierunt, atq; ad apocrypha confugerunt. Vt autem nomẽ Ieremiæ adſcriberetur in cauſa fuit, quòd apud eum c. 32. de agro à ſe empto ex præcepto Domini legatur: quòd myſticè in Domino impletũ fuiſſe, ſecundùm Auguſt. ſignificare voluit Euangeliſta. Aliqui ex Græcis putant, hoc aliquando teſtimonium in Ieremia fuiſſe ſcriptum, ſed dolo & malitia Iudęorũ poſtea ſublatum. Quod non videtur probabile, cùm multa ſint alia in Prophetis, q̃ magis vrgeãt myſterium Meſſiæ cõtra Iudæos, nec tamen auſi ſunt illa abradere. B. verò Auguſtinus lib. de conſenſu Euangeliſtarũ tribuit audaci imperitiæ, quod in nonnullis codicibus pro Ieremia, ſcriptum reperiatur Zacharia: & exiſtimat vt animo Matthæi hæc ſcribentis pro Zacharia Ieremias occurrerit, eumq; etiam admonitum poſtea noluiſſe quod ſcriptum erat, corrigere, quòd cogitaret Spiritu S. ita volente accidiſſe, vt aliud pro alio nomẽ Prophetę eius occurrerit memorię, ad indicãdum, omnes Prophetas ita vno ſpiritu fuiſſe locutos, vt quæcunque per eos Spiritus S. dixit,& ſingula ſint omnium, & omnia ſingulorum. Hieronym. in hunc locum Matthæi teſtatur ſe legiſſe in volumine, quod Hebræus quidã Nazarenæ ſectæ illi obtulit, Ieremiæ apocryphum, in quo hæc ad verbum ſcripta ha-

II. argum.

Auguſt. loco citato.

Auguſtin.

Sententia quorundam Græcorum minus probabilis.

Auguſtin.

Omnes Prophetæ ita vno ſpiritu locuti ſunt, quæ per eos Spiritus S. locutus eſt, vt ſingula ſint omnium & omnia ſingulorum ait Auguſt.

Hieron. in Mat. 27. to. 9.

Auguſtino plauſibilior ſententia.

pta haberentur: ſed tamen magis probat, quòd ſumptum ſit teſtimonium de Zacharia, Euangeliſtarum & Apoſtolorum more vulgato, qui verborum ordine prætermiſſo ſenſus tantùm veteris proferunt Teſtamēti in exemplum. Ioannes Ferus, Zachariam teſtatur fuiſſe binominem, & dictum Ieremiam & Zachariam. Quod nō eſt ſolidum, nec vllius Scripturæ fulcitur teſtimonijs.

Prophetarum teſtimonia Apoſtoli & Euangeliſtæ quèadmodum referre conſueuerint teſte Hieronymo. Ioannis Feri minus firma ſolutio.

Ne igitur corruptum eſſe locum aſſeram, vt illi Patres exiſtimant, dicendum eſt, reuera hæc verba in vero Ieremia olim ſcripto inuēta fuiſſe, in quo nunc vitiato non extant: & huius ſententiæ eſt Origenes in hunc locum, quem ſequitur Chryſoſt. & Euthymius. Et quanquam illa verba inuenirentur in lib. apocrypho, poteſt ex illo hæc ſententia non apocrypha citari, vt etiam ex libro apocrypho Henoch, citat Iudas ſentētiam veram: ſicut Paulus de Ianne & Mambre fecit mentionem ex libro non Canonico.

Origenes. Chryſoſtom. Euthymius. 2 Tim.3. Exod. 7.

Nam ſentiunt quidam, illud quod dicitur: *Tunc adimpletum eſt, quòd dictum eſt per Prophetam*: ſolùm referendum eſſe ad illud: *Dederunt in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus*, & non ad aliud; & illud in Ieremiæ c.32 haberi: *Factum eſt*, inquit, *verbum Domini ad me, dicens: Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te, dicens: Eme tibi agrum meum, qui eſt in Anathoth; tibi enim competit ex propinquitate vt emas*; & infra: *Intellexi autem quòd verbum Domini eſſet. Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei, qui eſt in Anathoth: Et appendi ei argentum 7. ſtatêres* (Hebraicè ſiclos) *& 10. argenteos. Et ſcripſi in lib. & ſignaui, & adhibui teſtes, &c.* Quo in loco Vatablus annotat, 7. ſtatêres cum 10. argenteis eſſe valorē 30. argenteorum. Nam illi 10. argētei apud Ierem. valebant dimidium ſicli, ſeu ſtateris: nam quia ſiclus, ſiue ſtater continet, teſte Ioſeph. 4. drachmas Atticas; propterea 7. ſicli cum dimidio conficiunt 30. argenteos, quibus emptus fuit ille ager, in ſignū quod Hebræi citò erant peregrinaturi occupantibus Iudæam Chaldæis, ſed redituri poſtea in terram ſuam, & Ieremias agrum ſuū poſſeſſurus, & quia illo tempore quiſque in agro ſuo vel horto ſepeliebatur, vt teſtis eſt Ioſeph Arimathæus; fit vt redeuntibus peregrinis in agrum ſuum, ager ille eſſet ſepultura peregrinorum. Vides emptionē agri, vides pretium 30. argenteorum. Rectè ergo per Ieremiam, & non per Zachariam.

Franciſc. Vatablus.

Siclus ſeu ſtater apud Iudæos quantū valeret Ioſeph. li.3 Antiq. Iud. ca. 12.

Ager ille à Iudæis cur emptus in ſepulturam peregrinorum.

Olim apud Iudæos vnuſquiſq; in agro ſuo ſepeliebatur. Matth. 27.

Sed hæc etſi ingenioſè excogitata ſint; duriora tamen videntur, vt hiſtoriæ Euangelicæ conueniant. Nam verba Euangelij citata non habentur in Ieremia, ſicut habentur in Zacharia. Deinde difficilè eſt creditu, 10. argenteos non conficere niſi dimidium ſiclum, cùm alibi per argenteos ſiclos vſitatos ac profanos intelligamus: quod facilè eſt ex multis locis euincere. Et 30. iſti argētei non eſſent niſi tres ducati aurei monetæ currentis, cùm ſuperius ex bonis autoribus probauerimus, 30. argenteos ſignificare 6. aureos ducatos, & quemlibet argenteum duas drachmas continere. Poſtremò etſi pretium eſſet iuſtum 30. argenteorum, quo emptus fuit ager ille; non potuit tamen emi in ſepulturam peregrinorum, qui erat intra ciuitatem Anathoth, & Iudæis moris erat ſepelire extra ciuitatem. Igitur his excluſis dicendum eſt, hæc eſſe verba Ieremiæ, ex traditione fortaſſe accepta.

Argentei 30. quantum conficiant.

Probabilior omnibus ſententia huius loci traditur.

Iam quod ſecundo loco propoſitum eſt, expediamus & expēdamus verba Prophetę Zachariæ, quoniam vel eadem ſunt, vel conſimillima verbis iam dictis Ieremiæ, & conferamus cum Euangelio. Verba Zachariæ c.11. hæc ſunt: *Et dixi ad eos, ſi bonum eſt in oculis veſtris, afferte mercedem meam: & ſi non, quieſcite. Et appenderunt mercedem meam 30. argenteos. Et dixit Dominus ad me, Proijce illud ad ſtatuarium, decôrum pretium quo appretiatus ſum ab eis. Et tuli 30. argenteos, & proieci illos in domum Domini ad ſtatuarium.* Vbi in primis inducit Dominum loquētem: *Si bonum eſt*, inquit, *in oculis veſtris, afferte mercedem meam*: id eſt, Pro tot beneficijs, quibus vos affeci, & paui vos longo tempore, mercedem animi grati oſtēdite. Vel ſenſus eſt: Poſtquam hoc vnū apud vos decreuiſtis, vt me abijciatis, & menſuram patrum veſtrorum impleatis; afferte, vel date mercedē proditori alicui, qui me vobis tradet. *Et appenderunt*, inquit, *mercedem meam 30. argenteos.* Quos videlicet pro ſanguine meo proditori dederūt. Subditque. *Et dixit Dominus* (Pater) *ad me* (filium ſuum) *Proijce illud ad ſtatuarium*, hunc ad figulum, vt ſectoris, plaſtiſq; indicio merces Domini pēderetur, quàm eſſet vana & inanis. Et per ironiam dicit: *Decôrum pretium quo appretiatus ſum ab eis.* Eſt enim hoc cum irriſione, ac ſubſannatione legēdum, vt Hieron. annotat. *Et tuli*, ait Domin9 per Prophetam, *30. argenteos, et proieci illos in domum Domini, ad ſtatuarium.* Quia fecit eos à proditore reddi Sacerdotibus in tēplo ipſo confitente; *Peccaui, tradens iuſtum.* Verbum illud, *Statuarius* alij vertunt, Theſaurarius, quod verbum propoſito magis quadrat; quia Sacerdotes habebant curam corbonæ, ſiue theſauri tēpli. Nam ſi in principio ſcribant non per iod, ſed per aleph, hoc eſt, non per iozer, ſed ho zer, theſauri cuſtodē ſeu theſaurariū ſignat: vt annotauit Sant. Pagnin. Iā vide quāta diligentia has etiā minutas circūſtantias paſſionis Spiritus S. per Prophetas ſacros prædixerit,

Quid eſt. Si bonum eſt in oculis veſtris afferte mercedem meam.

Alter ſenſus.

Matth. 27.

Infr. 26. Cur id: Proijce illud ad ſtatuarium, & illud: Decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis.

Hieron. in Zach c. 11 to. 6. propè fin.

Quomodo vel quando proiecti argentei.

Infr. 27. Carbonæ cura penes Sacerdotes erat apud Iudæos.

Hozer Hebræis quid. Sant. Pagni. c. Zach. 11.

Geneſ. 37.

Iſmaelitæ peruerſi filij Abrahæ.

Quid indicet ꝙ Dominus Prophetæ iubet vt mercedem proijciat ad ſtatuarium.

Matt. 27.

Quomodo accipiendum ad literam: Pretiũ appretiati quẽ appretiauerũt à filijs Iſrael.

dixerit, atque in Apoſtolos tranſmiſerit. Quod Euangeliſta ait: *Quem appretiauerunt à filijs Iſraël*: videtur reſpexiſſe ad hiſtoriam venditi Ioſeph Iſmaëlitis, hoc eſt, peruerſis filijs Abrahæ; qui eum emerunt à filijs Iſraël, id eſt, à Iuda, & eius cõſiliarijs: hoc eſt, impij ab impijs. Cùm enim Dominus præcipit, vt ipſe Propheta ꝓijciat, ſignatur præcipere, vt proijciendos prædicat: & cùm ſe proieciſſe dicit Propheta, ſe, quod prædicendum erat, prædixiſſe indicat, aut quod prædictum eſt, à ſuo populo aliquando implendum. Senſum igitur Prophetæ obſcurum Matthæus explicare malens, quã verba reddere, dixit: *Et acceperunt triginta argenteos, &c. & dederũt eos in agrum figuli.* Pro quo Hebræa habent: *Proijce eos ad figulum. Et tuli 30. argenteos; & proieci eos in domum Domini ad figulum.* Ex perſona Prophetæ adiecit: *Sicut conſtituit mihi Dominus*, ſcilic. vt proiecerem ad figulum. Quod verò ſubditur: *Pretium appretiati quem appretiauerunt à filijs Iſrael*: ſic videtur ordinandum: vt illud, *à filijs Iſraël*, cõiungatur cum participio appretiati, hoc eſt, æſtimati tam vili pretio ab eis. Benè ergo Euãgeliſta mutatis verbis Prophetæ, & verborum ordine, ſenſum eius reddidit, vt ſuo ſcopo conueniebat. Quomodo nõ diſſonat, quod Euangeliſta dixit: *Et dederunt eos in agrum figuli*, Propheta verò: *Proieci eos in domum Domini in conflatorium.* Reſpondet Cyrillus Hieroſolymitan. *Non ſolum*, inquit, *æri fabri habent conflatorium, ſed & luti figuli habent luti conflatoria. Luti enim vilitatem, & pinguedinem à pretioſiori terra in artificinis conficientes perfundunt aqua lutum, vt ſine impedimento operentur, quæ præparauerant. Quid igitur miraris? Quod Euangelium apertè agrum figuli: Propheta autem ſub ænigmate protulit Prophetiam: quandoquidem ſub ænigmate ſæpè ſolent eſſe prophetiæ.* Hæc ille. Et hæc ſint ſatis de hoc teſtimonio. Nemo igitur de magnitudine peccati inſtar Iudæ deſperet: quia Chriſtus etſi iuſtus, miſericors tamen eſt, & miſericordia in eo ſuperexaltat iudicium. Et hæc eſt gloria Domini Ieſu, id eſt, Saluatoris; qui non tantùm actum, ſed etiam artem & habitum ſeruãdi habet. Nemo etiã ſibi blandiatur de aliquo peccato: quia omne peccatum, traditio ſanguinis Chriſti eſt, atque conculcatio. Eſtq; viliſſimum ac ſordidiſſimum lucrum peccatum, pro quo Chriſtum vendimus, vt poſſit nobis dicere, Decorum pretium, quo appretiatus ſum à vobis. Cauendumque, ne dæmon artibus ſuis oculos noſtros tegat, ne peccatum agnoſcamus: nam poſtea futurum eſt, vt ipſe nobis oculos detegat, quo agnita peccati grauitate ac fœditate, in foueam diffidentiæ præcipites ruamus, niſi Chriſtus nobis opem ferat, & ſuam miſericordiam nobis ante oculos obijciat. Agnoſcamus præterea animos noſtros eſſe pretium ſanguinis ſui, vt ea cogitatione quam ſint venerabiles, & dæmonibus quã terribiles apprehendamus: neq; facilè nos per peccatum adduci ſinamus ab eo, ꝙ nos pretioſo ſuo ſanguine redemit, Ieſu Chriſto Domino noſtro, qui cum Patre, & Spiritu S. ſemper eſt à nobis honorificandus, laudandus, atq; benedicendus, nec non ab vniuerſa creatura in ſecula ſeculorum, Amẽ.

Cyrill. Hier. Catech. 14. ante med.

Sub ænigm. ſæpè ſolere eſſe prophetias, teſte Cyrillo.

Ad bene de Ieſu ſperandũ hortatio.

Peccatũ omne traditio ſanguinis Chriſti eſt.

Hebr. 12.

Peccati pretiũ quàm vile ſit, & ſordidum.

Pretium Chriſti ſanguinis quod ſit.

TRACTATVS XXVI.

De Domini Ieſu præſentatione corã Pilato, tribuſq; eius ad Ieſum interrogationibus, in illa verba: *Ieſus autem ſtetit ante Præſidẽ, & interrogauit eum Præſes, dicens: Tu es Rex Iudæorum? Exiuit ergo Pilatus ad eos foras & dixit: Quam accuſationẽ affertis aduerſus hominẽ hũc? Reſponderunt, & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, nõ tibi tradidiſſemus eũ. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis nõ licet interficere quenquam. Vt ſermo Ieſu impleretur, quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus.* Ioan. 18. Mat. 27.

De Chriſti præſentatione ante Præſidem.

POſtquam Iudæorum primores vno ſenſu, atque animo Chriſtum damnarunt, damnatum illum atq; vinctũ Pilato Iudææ Præſidi præſentarunt, & nulla prodita accuſatione, petierunt vt in crucẽ ageret hominem à ſeipſis damnatum: & ingreſſus eſt aliquis qui Pilatum admoneret: Principes noſtri en foris ſtant, qui hunc hominem morti addixerunt: non ingrediuntur, ne contaminentur à manducando paſcha.

Chriſtus qualis iudex erga nos futurus ſit.

Stetit ergo Ieſus ante Præſidem. Iã iudicatur iudex noſter Ieſus, vt diſcat qua manſuetudine debeat iudicare viuos & mortuos: antè reus vult eſſe, quàm iudex, vt ſi eo modo nos iudicauerit, quo ipſe iudicatus eſt, recuſare iudiciũ non poſſimus: ſi autem æquius, ac benignius, gratias ſimus acturi, quia nos eum impiè, crudeliterq; iudicauimus. Nam etſi per inuidiam eum ſibi traditum ſciret Pilatus: tamen impijs magis concedere voluit, quàm innocenti: illi enim, qui tradiderunt, maius peccatum habuerunt, quia nullo timore, niſi inuidia ducti prodiderunt. Atque ita nos malitioſè, crudeliter, timideque eum iudicauimus, pœnaſque non mi-

Ioann. 19.

Matt. 27.
Chriſti charitas in nos & manſuetudo

nùs improbè exegimus: at verò ipſe vt pœnas peccatorum eorũ, qui ſe fide & amore amplectuntur, vult, ſuas eſſe pœnas, vt illi ſint impunes, ita vt nec hoc quidẽ tam impium iudiciũ illis imputetur. Malè aũt, aut contra quã decet confidentes ipſe placidiſſimè iudicabit, recordatus quòd & ipſe aliquãdo fuerit reus. Stetit ergo, quia reorum eſt ſtare coram iudice: vnde Paulus: Ad tribunal Cæſaris ſto. Stetit etiam, ſecut⁹ de iure, & meritis ſuæ cauſæ. Et viri ſancti hominũ debẽt contẽnere iudicia, & ſtare per virtutis cõſtantiã: *Mihi*, inquit Paul. *pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die: ſed neque meipſum iudico: qui autẽ iudicat me, Dominus eſt.*

Cur ſtetit Ieſus ante Præſidem.
Actor. 25.
Viri ſancti quemadmodum ſtare debeant ante hominum iudicia.
1 Cor. 4.

Exiuit ergo Pilatus ad eos foras. Legali Iudæorum cęremoniæ aliquid deferẽdum exiſtimauit Pilatus in hac tam inſigni Paſchæ ſolennitate, & ita Ieſum reliquit intus in prætorio, in quod à militib. ipſum à Iudæis recipiẽtibus deductus fuit. Quia verò abſque vlla accuſatione puniri eum petebãt, Pilatus vt probus iudex primùm petit de crimine, & non ſimpliciter, ſed via accuſationis, quæ in ſcriptis de iure exhiberi debet. Vnde in Decretis rectè ſtatuitur: *Accuſatorum perſonæ nũquam recipiantur ſine ſcripto*: quia ſcilicet quæ verbo tenus dicuntur, facilè è memoria elabuntur in iudicio, ideò opus eſt ſcriptura.

Pilatus cur exiuit ad Iudæos foras.
Boni Iudicis officium.
Secunda part. Decreto. 2. q. 8

Quam accuſationem ergo affertis aduerſus hominem hunc? Id eſt: Quod crimen per modum accuſationis adfertis contra eum? ac ſi diceret? Indignum eſt, vt ego, qui Romani imperij perſonam gero, quempiam cauſa non plenè cognita iudicem, ſiue abſoluendo, ſiue condemnando. Vnde Feſtus: *Non eſt Romanis cõſuetudo donare aliquem hominem, priuſquam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur.*

Quid eſt quod ait Pilatus; Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc?
Actor. 25.
Romanorum iudicum conſuetudo bona.

Reſponderunt, & dixerunt: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. Illi, qui nullam cauſam, quam apud Pilatum efficacem eſſe putarent, habebant, ſuæ ipſorum autoritati Pilatum poſſe fidere, ac debere reſpõderunt, dicentes: Nos qui ſummæ autoritatis ſumus, & religionis Iudaicę arcem tenemus, atq; hunc vt reum mortis adducimus, poſſumus à te obtinere quod petimus, & pro nobis, qui ſacro magiſtratu fungimur, præſumere debes, vt quicquid dicimus ac facimus, tanquam iuſtitiæ ac veritati conſonum comprobes. Horum ſimiles multi hodie reperiuntur, qui ob ſtatus dignitatẽ, & diuitias, ſe probitatis ac iuſtitiæ cultores haberi volunt. Vocant igitur omnium ſeruatorem & beneficum, malefactorẽ. Hinc Auguſtin. in Ioan. *Interrogentur*, ait, *atq; reſpõdeant ab immundis ſpiritibus liberati, ſanati languidi, leproſi mundati, ſurdi audientes, muti loquẽtes, cæci videntes, mortui reſurgẽtes, & quod omnia ſuperat, ſtulti ſapientes, vtrum ſit malefactor Ieſus. Sed iſta dicebant, de quibus per Prophetam iã ipſe prædixerat: Retribuebant mihi mala pro bonis.* Hæc ille. Aiunt ergo: *Si nõ eſſet hic malefactor*, id eſt, Euidentia patrati facinoris non indiget clamore accuſationis, ſed ſolum executione iudicij. Vide qui ſimus, qui hominem hunc vinctum adducimus: honorati ſummi Dei Sacerdotes. Vide quam ſimus legis obſeruantes, vt ne in domum quidẽ tuam ingredi velimus. Vide inſignẽm hypocriſim cum malitia coniunctam: iuſti videri volebant, etiã reclamante conſciẽtia, quaſi nunquam tale aliquid attentaſſent, aut nullum vnquam niſi malefactorem occidiſſent, cũ conſtet ipſos oẽs Prophetas iniuſtiſſimè interfeciſſe. Deinde malitiã produnt, quod volebant Chriſtum nec examinatum, nec confeſſum, nec cõuictum necari, imò indignũ iudicãt qui vel à iudice audiatur, cum tamẽ habeat prouerbium, etiã ipſum Satanã in ſuis iuribus audiendũ eſſe. Deniq; vocant malefactorẽ, qui infirmos eorũ curauerat, & pertranſierat benefaciẽdo, & ſanando oẽs oppreſſos à diabolo. Hoc igitur verbo tam ſuperbo, & iniuſto exacerbatus Pilat. reſpondit: *Accipite eũ vos, & ſecundum legẽ veſtram iudicate eũ.* Ac ſi diceret: Si malefactor eſt, at nõ probatis, vt debetis: vtimini lege veſtra in illum: me leges humanæ prohibẽt, ne vllum hominẽ inauditum condemnem. Hoc idẽ habebat lex Moyſi, & tamẽ iſtorũ hominũ malitia fit, vt leges Gentium pferãtur diuinæ legi, cũ ſcirẽt Iudæi in Exod. illud à Deo eſſe cautum, & apud Ioan. Nicodem. dixerat: *Nunquid lex noſtra iudicat hominẽ, niſi prius audierit ab ipſo, & cognouerit quid faciat?* Si ſufficit veſtra examinatio, ſufficiat & veſtra ſententia: ego nequaquã talis iudex efficiar; ego enim non punio quenq̃, niſi prius eius cauſam nouerim. Et tacitè reprehendit Iudæorum arrogantiam, qui ſuo dicto iudicem in cauſa ſanguinis ſtare volebant. Sed obijcies an non modò qui traduntur per brachium Eccleſiaſticum ſeculari, tanquã plectendi morti traduntur? Reſpõdeo, Maximè traduntur, ſed cum cauſæ meritis ipſius, vt conſtet de ſententia iuſtè lata. Si n. cõſtaret de falſa ſentẽtia, nequaquam deberet puniri, vt cõſtabat Pilato de Chriſto, quòd non iure, neq; teſtibus rectè cum eo eſſet actũ: quanq̃ cauſam ſpiritualem nõ eſt iudicis ſecularis agnoſcere, ſed tãtum Eccleſiaſtici. Exponit Caiet. in Ientac. hanc ſententiam: *Accipite eũ vos, & ſecundũ legem veſtrã iudicate eum*: Non ait, Secundũ legem Moyſi, ſed veſtram, q̃ à Romanis limitatam accepiſtis

Quorſũ hoc: Si non eſſet hic malefactor non tibi tradidiſſemus eum.
Iudæorum Principes Ieſũ reum mortis à ſe iudicatum Pilato denunciantes & offerentes, quorũ imaginem gerant.
Aug. tract. 114. in Ioan. ante med. to 9.
Quales malefactor Ieſus, teſte Auguſt.
Pſalm. 34.
Iudæorum hypocriſis ſumma in Chriſtũ cum iniquitate impietateq; coniuncta.
Iudæi prophecidæ.
Matth. 23.
Iudæorum nequitia.
Vel ipſe Satanas in ſuis iuribus audiendus eſt, vt prouerbium habet.
Iudæorum ingratus animus in Chriſtum.
Actor. 10.
Quid eſt: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum.
Lex Gentium quid decernat.
Exod. 23.
Ioan. 7.
Iudæorum à Pilato arrogantia.
Qui per fori Eccleſiaſtici traduntur foro ſeculari delinquentes, quatenus puniendi ſint.
Rei ſpiritualis cognitio ad quem ſpectet tantummodo.
Caietani minus commoda eorũ verborũ interpretatio reijcitur.

piſtis: qua quenquam occidere prohibemini, & vltra flagellationis pœnam punire non poteſtis. Et ita Pilatus volebat eum nō mori, deriſorieque dixiſſe: Accipite eum vos, & iudicate eum. Sed reuera hæc non ſatis digeſta ſunt: quia aliud eſt iudicare, aliud, iudicium datum exequi. Cùm ergo dicunt Pontifices: *Nobis non licet interficere quenquam*, non proptereà inquiunt: Nobis non licet iudicare ad mortem. Ideò oblato eis iudicio à Pilato, videtur iſta Iudæorum reſponſio ſatis vana. Quòd ſi obijcias, Romanos non ſolùm abſtuliſſe iudicij executionem ad mortem, ſed etiam ipſum iudicium ac mortem: reſpondemus, quòd ſi ita res haberet, homicida, fur, & reus mortis ſecundùm leges Moſaicas à Romanis limitatas non deberent ſubire pœnam mortis, quoniam non licebat eis iudicare ad mortem; quod eſt falſum. Quia in veritate ipſorum verba huic obſtant intellectui. Dixerunt enim: *Nos legem habemus: & ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.*

Iudæis licuiſſe maleficos punire etiam ſub Romanis.

Ioann. 19.

Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam. Non eſt ſenſus, quòd lex Moyſi vllum maleficum aut puniri, aut interfici vetet, cùm conſtet legem in multis criminibus mortem infligendam præſcribere, vt blaſphemo Leuit. 24. adultero, Leuit. 20. violanti Sabbatum, Num. 15. homicidæ, Num. 35. idola colenti, Exod. 22. & Leuit. 26. pertinaci, ac immorigero parentibus ſuis, Deut. 21. recuſanti parere Sacerdotis ſummi imperio in declaratione alicuius difficultatis, Deuter. 17. & ſimpliciter dicitur: *Maleficos non patieris viuere.* Secundò non eſt ſenſus, quòd Romani legem Moyſi limitaſſent, vt nulli inferrent mortem, & quòd oēs ſanguinis cauſas ad ſe deuoluiſſent. Quia non conſtat de tali limitatione ex tota hiſtoria Euangelica, & cōſtat quòd ſæpè intulerint mortis ſupplicium in cauſis ad Religionem ſpectantibus: vt Herodes, qui occidit primò Ioannem Baptiſtam, & in carcere decollauit; adhæc Stephanus lapidatus fuit; Iacobus ab eodem Herode eſt occiſus, & Paulus occidebat accepta poteſtate à Principe Sacerdotum, & ſententiam detulit, id eſt, protulit vt cauſæ defenſor, vt eſt in Actis; Iudæi etiam Domino obtulerunt mulierem in adulterio deprehenſam; & ipſi iure legis ſæpius intendebant Chriſtum occidere, cùm dicebant: *Nos legem habemus: et ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.* Adhæc ſi Iudæi in captiuitate Babyloniæ poſiti habebant ius occidendi ſecundùm legem adulteram in ipſo actu deprehenſam, vt patet ex Daniele, & falſos teſtes lege talionis, vt Seniores accuſatores

Horum verborum: Nobis nō licet interficere quenquam, duo ſenſus refelluntur.

Pœnæ maleficorum per legem Moyſi conſtitutæ.

Exod. 22.
Alter ſenſus.

Quoſnam ex Euangelio cōſtet mortis ſupplicio affectos a Iudæis in cauſa fidei.

Mat. 14.
Actor 7.
Infr. 12.
Sup 9.
Actor. 26.
Ioann. 8.

Infr. 19.

In Babylone etiam Iudæi conſtituti mortis exercebant iudicia.
Dan 13.

Suſannæ: ergo multò magis tempore Romanorum, quo maiori libertate in patria ſua verſabantur. Dicendo ergo Pilatus: *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram iudicate eū*, non tantùm ad flagellandum, ſed etiā ad mortem ei infligendam Iudæis obtulit.

Quod igitur dixerunt Iudæi: *Nobis nō licet interficere quenquam*, duplicē ſenſum habere poteſt. Aut quòd non liceret ratione tēporis Paſchæ: tùm quia illo die celebrabatur memoria exitus de Ægypto, quo die ipſi liberati fuerant, ideò poterant liberare, non tamē aliquem damnare; tùm quia in Exod. dicitur: *Non facies omne opus in eo, &c.* At infligere mortem, opus ſeruile erat: vnde Herodes, qui Petrum in carcere morti addictum ſeruabat, expectabat Religionis cauſa, vt dies Azymorum tranſirēt. Et hāc ſententiam ſequitur Auguſt. in Ioann. *Quid eſt, ait, quòd loquitur inſana crudelitas? An non interficiebant, quem interficiendum offerebant. an fortè crux, non interficit? ſi deſipiunt, qui non ſectantur, ſed inſectantur ſapientiam. Quid eſt autem: Nobis non licet interficere quēquam? Si malefactor eſt, cur non licet: nónne lex eis præcepit, ne maleſactoribus præſertim qualem iſtum putabant, à ſuo Deo ſeductoribus parcant? Sed intelligendum eſt eos dixiſſe non ſibi licere interficere quenquam: propter dies feſti ſanctitatem, quem celebrare iam cœperant, propter quem de ingreſſu etiam prætorij contaminari metuebant.* Hæc ille. Altera ſolutio eſt, vt ſit ſenſus, illis non fuiſſe licitum quenquam crucifigere; quia illam mortem lex Moyſi ignorabat. Cuius ſententiæ eſt B. Chryſoſtom. (quem ſequitur Euthym. in Ioan.) *Aut dicit Euangeliſta, quoniam non pro Iudæis tantùm, ſed & pro Gentibus erat moriturus, vel quòd crucifigere eis non licebat. Quòd ſi dicunt, Non licere interimere; eo tempore intelligendum eſt: nā quòd interemerunt & alia morte, argumentū eſt Stephanus lapidatus. Sed crucifigere eum deſiderabant, vt mortis genus iactarent.* Hæc ille. Atque huic expoſitiōi magis fauet litera: tum quia ſubiungit: *Vt ſermo Ieſu impleretur, quē dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus.* Duo .n. prædixerat Ieſus, alterum, quòd exaltandus eſſet in crucem; alterum, quòd per manus Gentium erat moriturus: *Filius*, inquit, *hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte: & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Deinde volebāt Iudæi Chriſtum mori tanquam Cæſaris hoſtem, & Regij tituli inuaſorem, & per manus Pilati, vt in eius humeros recideret, ſi culpa huius facti aliquando detegeretur. Tertiò poteſt hoc iuuari, dicēdo, quòd verbum genericum capitur pro ſpecifico .i. interficere, pro, crucifigere: vnde Marc. ait: *Ecce aſcendimus Iero-*

Eius dicti: Nobis non licet interficere quenquam, duplex intelligentia.

Exod. 14.
Infr. 20.
Actor. 12.

Aug. tract. 114.

Deuter. 13.

Ioan. 18.
II. ſolut.
Crucis ſupplicium non agnouit lex Moyſi.
Chryſ ho. 82. in Ioan. to 3.
Euthym. in Ioann. 11.
Actor. 7.

Probatur hic ſenſus tripliciter.

Duplex de morte ſua Chriſti vaticinium.
Ioan. 3.
Matth. 20.

II. argum.

Tertium.

Marc. 10.

ſolymam, &c. & illudent ei, & conſpuent, & flagellabunt eum, & interficient eum: Loco illius verbi vltimi habet Mat. *Crucifigent*: & apud Luc. quærebant Principes Sacerdotum & Scribæ, quomodo eum interficerēt: Et Petrus in Act. *Vos autem ſanctum & iuſtū negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis, autorē verò vitæ interfeciſtis.* Non enim Iudæi quenquam ſupplicio crucis afficere poterant, vt apparet ex affirmatiuis præceptis Iudæorū 99. & 100. vbi 4. tantùm modis poterant Iudæi mortem infligere, vt habetur in libro Sanedrim, nempè lapidādo, gladio decollando, cōburendo, & ſtrangulando. Et blaſphemi quidem, atq; idololatræ, poſtquam erant lapidatione puniti, poſtea eorum cadauera manib. eorum iunctis ſuſpendebantur in ligno; vt habetur in præcepto affirmatiuo 113. Perpende Iudæos nō dixiſſe: Non licet nobis interficere quenquā, vt verbum Ieſu impleretur: nam illi potius quærerent rationem, qua Ieſus appareret mendax; ſed eorum verbum tale erat, vt ignorātes, quod dicerent, implerent verbum Chriſti. Et verbum illud: *Vt ſermo Ieſu impleretur*, nō eſt Iudæorum, ſed Euāgeliſtæ. Quòd ſi Iudæi vllo tempore poteſtatem interficiendi delinquentes populi ſui non haberent, cogerentur omnino dare Ieſum in manu Gētilium: & ita pdictio Ieſu de ſua morte per manus Gentilium, non fuiſſet prophetia, ſed prudens coniectura. At reuera ipſi poteſtatem habebāt morte puniēdi: vnde verbum Ieſu verè fuit propheticum. Vidētes igitur Principes Sacerdotum, quòd eo res inclinaret, vt Ieſus vix flagellaretur, niſi cauſas mortis adducerēt; cœperunt eum accuſare de plurib. ſed præcipuè de crimine læſæ maieſtat. dupliciter: tū quòd prohiberet cenſum dare Cæſari, tùm quòd ſe in Regem proponeret. Vnde Luc. ait: *Cœperunt autem illum accuſare, dicentes: Hunc inuenimus ſubuertentē gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.* In primis igitur accuſant de ſubuerſione gentis, quę vera extitiſſet, ſi verè negaſſet tributa dare Cæſari, vel ſe Regem feciſſe. Dicta ergo gentis ſubuerſio intelligi poteſt dupliciter, aut de ſubuerſione gentis ab obedientia Cæſaris; aut de falſa & hæretica doctrina, per quam populus à ſanctiſſima lege Moyſi, & cæremonijs illius auertebatur. Vnde dicebant: *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatū non cuſtodit*: quòd in eo paralyticum ſanitate, & cœcum natū lumine donaſſet. Sed falſa eſt hæc accuſatio, tùm quia ipſe dixit: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*: tùm quia mundatos à lepra ad Sacerdotū iudicium mittebat, tùm quia ipſe legis fuit obſeruantiſſimus: circūciſus octauo die, pſentatus quadrageſimo, veniens diebus ſolennibus ad templum, agnumq; Paſchæ immolans. Ideò Gentē Iudæorum non ſubuertebat, ſed cōuertebat, ac ædificabat verbo & exemplo, ac deniq; ſuis ſalutarib. monitis, & exemplis ad pœnitentiā, omnemq; virtutē prouocabat. Quòd verò ſigna in die Sabbati ederet, opus pietatis erat, & charitatis: q̄ omni tempore licēt. Altera accuſatio erat, q̄ prohiberet tributa dare Cæſari, quaſi Chriſtus pdicaſſet, electum populū à Deo, atq; fidelē nefas eſſe Principi infideli, & idololatrę, & Rom. Imperatori pēdere tributum. Sed hæc mera erat calumnia, cū Chriſtus verbo & facto oppoſitū docuerit. Verbo qdem, cùm in dolo interrogatus, ſi liceret cenſum dare Cęſari, an non? reſpondit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo*: cuius reſponſi multi teſtes tunc præſentes aderant. Facto etiam, quia vt refert Matth. pro ſe & Petro didrachma Cæſari ſolui præcepit. Tertia accuſatio erat, q̄ ſe Chriſtum Regem eſſe diceret, quaſi in Rom. Imperatoris iniuriā regnum Iudæorū vſurparet: in cuius rei ſignū dicebant habere in ſuo comitatu plures homines vt regni adminiſtros. Nā 12. Apoſtolos vt maiores collaterales habebat, & 72. diſcipulos vt inferiores officiales in ſua curia. Sed & hoc quoq; falſum erat. Nam cū edito ſigno multiplicationis panū, turba eum Regē vellet conſtituere, ipſe aufugit in mōtē vt deliteſceret. Et cum ſæpè ab alijs diceretur Chriſtus, ipſe prohibebat, ne hoc dicerent, vt habes apud Mat. Etſi autem ipſe reuera Chriſtus erat, maluit Scripturis & ſignis ſe Chriſtum eſſe cōprobare, & omnia, q̄ de Meſſia prædicta erant, ſibi conuenire oſtendere, q̄ verbo dicere. Vnde ingreſſus Ieroſolymam in die Palmarum, hunc acceptauit Meſſiæ titulum: & tacētib. Iudæis & Phariſæis, reſpōdit: *Si hi tacuerint, lapides clamabūt.* Ieſus verò ita erat Chriſtus, Meſſias & Rex ſpiritualis, vt nullo modo hoc cederet in iniuriā, vel minimū detrimētū Rom. imperij, cū lex Euāgelica neminē ſuo ſpoliet imperio. Et licèt adiurat⁹ à Caipha nocte pcedēte ſe Chriſtū cōfeſſus erat: adiecit tamē eos viſuros Filiū hominis ſedentē à dextris virtutis Dei, & venientē in nubibus cęli, ſignificās ſe nō eſſe Regē terrenū, qui Romanorū cōtrarius eſſet imperio, ſed Regē planè cęleſtē. Pro his a. falſiſſimis & impijs criminationib. meritò iā illa Iudæorū gēs ſubuerſa eſt, atq; vbiq; ſub grauiſſimo tributo degūt, veroq; ſuo Meſſia orbati fruſtra ſemp & vanè aliū expectāt. Pilat. qui ſeditionē populi ptimeſcebat, voluit Dn̄m publicè interrogare, oraculū ad eū acceſſit, vt ait Ioan.

Margin notes (left): Matt 20. Luc. 22. — Act. 3. — Crucis ſupplicio quempiā interficere Iudæis fas minime fuiſſe. — Quot modis nocētes morte plectere Iudæis permiſſū eſſet. — Deut 21. — Illud, Vt ſermo Ieſu impleretur, quem ſenſum habeat. — Qua ratione fieri potuerit ille vt ſermo Domini Ieſu coniectura eſſet, nō autem prophetia. — Duplex Iudæorum calūnia ad extorquendam à Pilato Chriſti mortē comparata. — Matt. 22. — Duplici ratiōe Iudæi Pilato obijcere poterant de Chriſto q̄ gentem ſubuerteret, et vtrinſq; confutatio. — Ioann. 9. Matth. 9. Supr. 3. Infr. 8. — Luc. 17.

Margin notes (right): Sup 2. Ibid. — Pietatis opera omni tempore licent. — Nunquam Chriſtum ſuaſiſſe populo, tributa Cæſari ne daret. — Matth. 22. — Sup 17. — Non etiam Chriſtum ſe vnquam Regē feciſſe neq; vnquam appellaſſe. — Lucæ. Ioann. 6. — Mat. 16. — Luc 19. Ieſus, qualis Chriſtus Meſſias, idem & Rex tantum modo erat. — Matt. 26. — Quam belle in Iudæos quas in Chriſtum iactabant calumniæ atq; maledicta reciderint.

Cur Pilatus vnum illud: Sitne Rex Iudæorũ? roget tantummodo

Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus,& vocauit Ieſum? & dixit ei: Tu es Rex Iudæorum? Cũ duo priora omnino falſa eſſe cognoſceret, vel de primo,id eſt,de doctrina Chriſti non curaret, de ſecundo audiſſet ab aliquibus reſponſum Chriſti:ideò tantum de tertia accuſatione,quę videbatur Cęſarem petere,interrogauit.Et cũ nihil videre poſſet in Ieſu,quod eũ regnũ affectare fidẽ faceret,ſed neq; vmbrã:ſciens tamẽ eum originẽ trahere de domo Dauid,percontatus eſt,an iure Iudæorum regnũ ſibi cõpetere arbitraretur. Ait ergo: *Tu es Rex Iudæorum?*

Ratio & forma iudicij.

Volebat more iuſti iudicis formam iudicij ſeruare; in qua primò perquirẽdum eſt,an per ſpontaneã accuſati confeſſionẽ ea quę illi obijciũtur, probari poſſint, cum nemo iure condẽnandus veniat, niſi qui aut idoneis teſtibus conuictus eſt,aut ore proprio confeſſus; quaſi diceret: Eſtne verũ, quod Iudæi tibi imponunt, quòd velis Iudæorũ regnum tibi vſurpare, nomenque & titulũ Regiũ aſſumere? Sunt qui hæc dicta volũt per contemptũ,Tune,homo deſpicabilis, deſtitute,& ſine miniſtris,es Rex?

Quo vultu Pilatus Chriſtũ interrogauerit,Rexne eſſet Iudæorum

Alij verò vultu minaci,& ſeuero dixiſſe Pilatũ ferũt, quò auerteret eũ à tali ambitione. Deniq; ſunt,qui hæc vultu lęto & fauorabili dixiſſe putant; Videris mihi habere gratiam & merita regnãdi: paratus ſum fauere tibi: es ne tu Rex Iudæorũ?Et Gręcè cum articulo dicitur, ὁ βασιλεὺς,id eſt, ille Rex promiſſus in Scripturis, & expectatus à Iudæis.

Cur Ieſus ante mortẽ ſuã Regis nomine nonquam fuerit vſus.

Ieſus Regis nomine nondũ vſus fuerat,quia nomen inuidioſum erat, & ſtatim Romanos irritauiſſet,Iudęorumque plebem in ſpem libertatis & cędis erexiſſet:ipſe verò & placatus Gentes volebat, & plebem Iudæorũ omnium patientiſſimam, & humillimam in omnem obedientiã paratam eſſe cupiebat,quę non cędem,ſed ſalutem Gentium expectaret. Et quamquam Ieſus hoc nomine nunquã fuiſſet vſus,ſed paſtoris (vt Rupertus docet in Ioan.cap.10.& turba illum in die palmarum vocaſſet Regem Iſraël) ſed hunc quoque honorem vltro delatum refugiſſet.

Rup. in Ioan. Ioan. 12.

Et quamquam in rem ſuam hoc nomine vti non fuiſſet,accuſatur autẽ hoc nomine ab his,qui eum Gentibus tradiderunt,quò rem inuidioſiorẽ & ſuſpectiorem Gentibus redderent.

Chriſti modeſtia & prudentia in reſpondendo.

Nec Ieſus quando ita eſt interrogatus, negauit ſe Regem, ſed ſe eſſe confeſſus eſt: molliuit tamen dictum ambiguitate verbi,cùm dixit:*Regnum meum non eſt de hoc mundo.*

Ratio huius reſponſi Domini ad Pilatum:A temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?

Reſpondit Ieſus: A temetipſo hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Dominus, qui nõ audierat Iudæorũ contra ſe criminationes, diſſimulans ſe ſcire, quod illi obieciſſent,rogauit Pilatum num à ſeipſo id faceret,ſuſpicione aliqua ex quibuſdã indicijs accepta, an id faceret ex aliorũ ſuggeſtione: qua interrogatione explicauit alienũ ſe eſſe ab omni regni affectatione terreni, vt Pilatus cogitabat,vt abſurdũ duceret tale quid de ſe ſuſpicari. Et ſecundùm Euthym. eadem interrogatione Dominus nonnihil notari voluit Pilatum, ꝙ accuſatores non faceret eſſe pręſentes, vt defectionis ſigna exhiberent. *Euthym c.67 in Matth.*

Verba illa Domini procul eſſe ab omni arrogãtia & ſuperfluitate ſermonis.

Et quidem videntur hæc verba prima facie ſuperba, quaſi ꝙ nolit Chriſtus ſperni, vel ꝙ ei cõminetur Pilatus. Sed reuera alia nõ ſunt,at plena charitatis,& aperiẽtia oculos Pilati, ꝙ in iudicio nõ decet iudicẽ comminari reo,aut illum cõtemnere. Adhæc non ſunt ſuperflua, etiãſi Chriſtus ſciret qua ratione mot⁹ fuiſſet Pilatus vt hæc interrogaret: voluit tamen Chriſtus vt Pilatus cõſideraret vnde erat motus vt tanto artificio interrogaret.

Quæ res iudicium contra aliquem reddere ſoleant ſuſpectum & odioſum. Ioan.Chryſ. ibid. tom 3.

Quaſi diceret Chriſtus: Si tu à teipſo hoc dicis,& ſine vllis indicijs,nõ es dignus reſponſo,qui te non geris vt iudicem,ſed partem & actorẽ: vnde totum iudicium ſuſpectũ redditur. Quia ergo ſine indicijs interrogat; ꝓptereà Ieſus eũ redarguit,ait Ioan.Chryſoſt. Nec Chriſtus in prætorio exiſtẽs audiret accuſatores ſuos,vel accuſationes. Si verò alij ſunt, qui hoc tibi detulerunt de me; dic qui ſunt iſti accuſatores & teſtes, vt poſſim iuſtè dicere contra eos; deinde aliter reſpondendum eſt tibi ex teipſo quærenti; aliter, ſi quæris ex accuſatione Iudæorũ. Nam tibi de terreno regno reſpondendum eſt, quod ſolũ tibi curæ eſt: quoniam ex hoc poſſent Romani tam nobili te prouincia priuare, tuq; propriæ dignitatis ac vitæ iacturam incurrere. Illis verò de eo regno reddenda ratio eſt,quo Prophetæ omnes Meſſiam regnaturum prædicauerunt.

Quis ille magiſtratus apud Romanos: Regulus ſacrificiorum appellatus.

Et Pilatus poterat tale quid de eo credere, quale Romæ erat; nam erat quidam magiſtratus dictus regulus ſacrificiorum: vti ſolemus nunc dicere, Regem ſpiritualium,eorum ſcilicet qui nõ tractant arma. Pilatus ergo cognoſcens ꝙ non ſuperbè, ſed viriliter reſpondiſſet,obiecit: *Nunquid ego Iudæus ſum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi. Quid feciſti?*

Quorſum id. Nunquid ego Iudæus ſum? gens tua,&c.

Reſpondit Pilatus, ſe non ex perſona propria formaſſe interrogationem, ſed ex perſona gentis Iudęæ,& Pontificum eius; quaſi diceret: Quid ad me Iudæorum fabula de Meſſia? tu ſic apud me delatus es,quaſi regni affectatorem te geras; quid ergo feciſti vt Iudæi & Principes nolint te in Regem acceptare? imò potius accuſant. Vel ſi tu non es Rex Iudæorũ, nec iſtum tibi titulũ vſurpas, quare hi ſunt tibi infenſi, & tam

Cur Chriſtus Pilato reſpondit regnum ſuum non eſſe de hoc mūdo.
Marc. 7.
Gen. 1.

acriter te accuſant? Videturque his verbis Pilatus animum facere reo Chriſto, vt ſe tueatur: vnde & reſpondens, dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent vt non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum nō eſt hinc.* Non reſpondit Pilato tanquam indigno qui audiret quid fecerit, cùm benè omnia feciſſet, imò omnia valdè bona per ipſum facta ſunt. Intelligens ergo Chriſtus quòd interrogatio Pilati ex legitimis iudicijs procederet, ad rem reſpondit, veritatem aperiendo, & ſignificando à ſe nihil periculi metuendum ei regno, quod Pilatus adminiſtrabat: quemadmodùm & coram pontificibus confeſſus eſt ſe Chriſtum eſſe Regem. Sed tunc Scripturæ verbis inſinuauit qualis eſſet Rex: quod cùm ab illis ſibi negatum eſſet, qui in Scripturis erant verſati: nunc verò cum Gentili agens, ratione oſtendit regnū ſuum non eſſe de hoc mundo, id eſt, mundanum, & terrenum.

Luc. 22.

Quorſum Chriſtus in eadem ſententia ter regni fecerit mentionem.
Pſal. 2.

Et nota, quod in hoc loco ter in vna, & eadem ſententia dixit, regnum meum, vt cognoſceret Pilatus nō negare ſe Regem à Deo conſtitutum, ſed non qualem ipſe metuebat, & vt oſtendat regnum ſuum primariò eſſe in animabus imagine Trinitatis inſignitis, & deinde quaſi per accidens in corporibus, & facultatibus; quodq́; meritò ſuæ mortis regnum ſibi in cœlo, in terra, & ſub terra comparauerit, vt habet Apoſtolus ad Philippenſes.

Regnū Chriſti primarium quod ſit.
Philip. 2.
Quare Chriſtus ter Pilato dixerit quod de hoc mundo non eſſet.
Chriſti regnū duplex.

Ter etiam dixit, quòd nō eſt de hoc mundo, vel ex hoc mundo, quòd idem eſt in Græco fonte, vbi dicitur: *ἐκ τοῦ κόσμου τούτου*, & rurſus: *Regnum meum non eſt hinc*, quod idem eſt cum priori, quo timorem omnē ac ſuſpicionem auferret à Pilato de regno aliquo mūdano, cùm ter id negauerit. Tertiò aduerte, regnum Chriſti eſſe duplex, alterū, cōmune ſibi cū Patre, & Spiritu ſancto: quia Rex eſt cœli, terræ, Angelorū, hominum damnatorum, & beatorū, de quo dixit Dauid: *Regnum tuum, regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generationem*: de quo regno hic Chriſtus mentionem non facit. Alterū eſt regnum propriū Chriſto, quemadmodū dicitur regnum Gothorum, Hunnorū, Vvandalorum, vel Gallorū, id eſt, peculiare illarū gentiū regnum, & ita regnum Chriſti eſt gens, quæ Chriſtum Regē agnoſcit, & eius verbo pręſtat obedientiam, & ab eo regi ſe ſinit per miniſtros ſuos, & Sacramēta, hoc eſt, per Eccleſiam Catholicā, in qua velut fratres ſuos regit Chriſtus omnes eos, quos Pater illi per fidē donat & ad ſe trahit. Hoc regnū ſpirituale Meſſiæ prophetatū, expectatumq́ue, non eſt de hoc mundo; id eſt, nō habet originē ex hoc mundo, vt cętera omnia regna, quæ initium, & autoritatem ex hoc mundo habent: ſed ſicut caput, & Rex eius nō eſt de hoc mūdo, ſed de cœlo, & de quo ipſe ait: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius*, &, *Vos de deorſum eſtis; ego de ſupernis ſum: Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo*: ita populus obediēs huic Regi, ſpiritualis eſt, & de cœlo renatus, iuxta illud: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Sumptum quidem eſt de mundo, ſed non amplius eſt de mūdo, quamuis ſit in mundo, ſed in eo peregrinetur, & agnoſcat ſe peregrinum, & in patriā tendat. Et licet ſponte homines ex mundo tranſeant in regnum Chriſti, ſed non ex ſeipſis, niſi deſuper ab eo inſpirati, & tracti ſint: quomodò B. Paulus dixit: *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filij dilectionis ſuæ.* Et Dominus: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eū.*

Pſal. 144.
Ioan. 6.
Quid ſignificet: Regnum meum nō eſt de hoc mūdo.

Pſal. 2.
Ioan. 8.
Supra 3.
Coloſ. 1.
Ioan. 6.
Chriſti regnū quale ſit.

Non eſt etiam regnum Chriſti de hoc mūdo; id eſt, ob hunc mundum, ita vt in eo ſiſtat: quia non conſtat ex mūdanis diuitijs, honoribus, ſtatibus, affectibus, pompis, fauoribus, armis, exercitibus, arcibus, atque alijs huiuſce terrenis mundi propugnaculis: quia ſi finis regni Chriſti hic eſſet, nihil maius cæteris regnis attuliſſet: ſed vt omnes, qui hæc non haberent, aut haberēt, ad Deū reportaret. Etſi enim pax, & gaudiū, & ſecuritas, & regna, & diuitiæ, & opes ſeruis Chriſti eueniant; ea tamen pro nihilo ducunt, ſi Chriſti regno aduerſari, vel repugnare nouerint. Vnde & regna, & opes abijcere debēt potius, quam peccare: quia non eſt regnum Dei eſca & potus, & regna, & dominia, ſed iuſtitia, pax, & gaudium in Spiritu ſancto.

Huius ſeculi bonis Chriſti famuli ſi quādo potiantur, ea tamen quo ducant loco.
Rom. 14.
Aug. tract. 115. in Ioan. ſub init to. 9. Chriſtum Regem deſcribit Auguſtinus.
Matth. 2.
Herodes Rex timendo magis, quàm iraſcendo crudelior.

Qualitatem huius Regis rectè deſcribit Auguſtin. in hunc locum, his verbis: *Audite ergo Iudæi, & Gentes, audi circumciſio, audi præputium, audite omnia regna terrena, non impedio dominationem veſtram in hoc mundo, regnum meum eſt de hoc mundo: Nolite metuere metu vaniſſimo, quo Herodes ille maior cùm Chriſtus natus nuntiaretur, expauit, & tot infantes, vt ad eum mors perueniret, occidit, timendo magis, quam iraſcendo crudelior. Regnum inquit, meum non eſt de hoc mundo. Quid vultis amplius? Venite ad regnum, quod non eſt de hoc mundo: venite credendo; & nolite ſæuire metuendo. Dicit quidem prophetia de Deo Patre: Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius: ſed Sion illa, & mons ille non eſt de hoc mundo: quod eſt enim eius regnum, niſi credentes in eum, quibus dicit: De mundo non eſtis, ſicut & ego non ſum de mundo;*

Pſal. 2.
Ioan. 15.

Infra 17.

mundo; quamuis eos eſſe vellet in mundo, propter quod de illis dixit ad Patrem; Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo. Vnde & hic non ait: Regnum meum non eſt in hoc mundo, ſed, non eſt de hoc mundo: & cum hoc probaret, dicens. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis: non ait, nunc autem regnum meum non eſt hic; ſed, non eſt hinc. Hic eſt enim regnum eius vſque in finem ſeculi, habens inter ſe commixta zizania vſque ad meſſem; meſſis enim, finis eſt ſeculi, quando meſſores venient, id eſt, Angeli, & colligent de regno eius omnia ſcandala: quod vtique non fieret, ſi regnum eius non eſſet hic: ſed tamen non eſt hinc, quia peregrinatur in mundo. Regno ſuo quippe dicit: De mundo non eſtis, ſed ego vos elegi de mundo. Erant ergo de mundo, quãdo regnum eius non erant, ſed ad mundi principem pertinebant. De mundo eſt ergo quicquid hominum à vero quidem Deo creatum, ſed ex Adam vitiata, atque damnata ſtirpe generatum eſt. Factum eſt autem regnum non iam de mundo, quicquid inde in Chriſto regeneratum eſt. Sic enim nos Deus eruit de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filij claritatis ſuæ. Hactenus Auguſtinus, non minus docte, quàm eleganter. Quicquid igitur Chriſtianorum eſt, Chriſti eſt, non ſolùm vt Dei, ſed vt Meſſiæ, vt eius, qui per voluntatem ipſorum Chriſtianorum Rex eorum eſt: nec hic aliud eſt Cæſaris, aliud eſt Chriſti. Nec quiſquam per peccatũ iuriſdictioni Chriſti ſubducitur, etiam per hæreſim, aut apoſtaſiam à fide: quoniam & in eos quoque vt transfugas, & deſertores Eccleſia poteſtatem exercere valet, & ſolet. Nec enim ſi Rex, aut priuatus aliquis poſtquã Chriſto per Sacramentum nomen dedit, incipiat minus Chriſtiane viuere, abutaturque poteſtate, quã habet, & facultatibus, atq; adeò ſeipſo, ſequaturq; mundum, & principẽ eius, idcirco ſe ſubtrahit Chriſto Regi, qui eum reget in virga ferrea. Nec ob aliud poteſtatẽ remittendi retinendiq; peccata attulit, niſi quia etiam peccatores regere debebat: alioqui quod regnum eius eſſet, ſi non niſi innocentes gubernare voluiſſet. Falſum eſt ergo, quod poſt reſurrectionẽ regnum tẽporale, ac ſeculare Chriſti non ſit: nihil enim Ieſus exceptum eſſe voluit, quod non arbitrio ſuo eſſet regendum. Nec eſt poteſtas vlla collata Chriſtianis, quæ illis à Chriſto non ſit: quicquid habet qui venit ad Chriſtum, illud Chriſto ſubmittere debet, alias nõ recipitur à Chriſto. Sed cum Chriſtus tibi reddit omnia, tunc mundus totus tibi crucifixus eſt, & totus vertitur in alium mundum ſpiritualem, in quo iuſtitia inhabitat: quod expectamus iuxta promiſſum Eſaiæ, & petri Apoſtoli.

Quare Chriſtus non dixerit, regnum meum nõ eſt in hoc mundo, ſed de hoc mundo, teſte Auguſtino.
Matth 13. & ſeq.

Cur etiam dictũ ſit à Chriſto, Regnum meum nõ eſt hinc, ac non potius nõ eſt hic, eodem autore.
Ioan. 15.
De mundo eſſe quid ſit cenſendum.
Coloſſ. 1.
Chriſtianorũ omne bonũ, Chriſti eſt duplici nomine.

Chriſti regno ſe ſubducere neminem poſſe vllo modo.

Apoc. 2.
Matth. 18.
& Ioan. 20.
Peccata remittendi, retinendiq; poteſtas in Eccleſia à Chriſto cur ſit allata.

Qualis mundus reddatur homini, cui Chriſtus omnia quæ acceperat vltro oblata reſtituit.
Galat. vlt.

Eſa. 65.
1. Petr. 3.

Hæc autem reſponſio potiſſimum ſatisfaciebat Pilato, qui de terreno tantũmodo regno curabat: *Si ex hoc mũdo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis.* Probat ab effectu quod regnum ſuum non ſit de hoc mundo: quia ſi eſſet de hoc mundo, haberet miniſtros qui decertarent pro Rege ſuo, eum defendendo, & more aliorum Regum præſidiũ armatum latronibus & ſtipatoribus, vt etiamſi Rex maximè pati vellet, non poſſit. Naturale ſiquidem eſt, vt membra periculo ſe exponant pro tuẽdo capite, caput verò regit, ac cuſtodit omnia membra: ad eũ modũ Rex cuſtodit ſuos, & præliatur prælia populi ſui, & pariter cuſtoditur à ſuis ſatellitibus, & miniſtris, qui quantum poſſunt, Regi aſſident, ac eũ protegũt, ne miniſterio ſuo priuentur; ideò maxime vitam Regi ſeruatam volunt. Hac igitur ratione omnem affectati regni ſuſpicionẽ à ſe abſtergit: quia fieri non poſſet quin fautores ſui, atque miniſtri comparerent, qui vel facto, vel fauore, vel ſaltẽ verbis pro Chriſto agerent, & illum è manibus Iudæorum eripere conarentur. Et ſic reſpondere illis videtur, qui dicunt non eſſe veriſimile, neminem defenſorem, fautoremue Chriſto adfuiſſe, præſertim præſide voluntatẽ liberãdi eum oſtendẽte, maximè eo tẽpore, cùm multi ipſius cognati à Galilæa, & alij, qui ſanitatis, atque doctrinæ beneficijs affecti erãt, illo die adeſſent, potiſſimũ verò, cùm tota turba ipſius eſſet, ac pro illo ſtaret, ita vt principes ſibi ab ea timerẽt. Sed reſpondet: *Nunc autem regnum meum non eſt hinc.* Vbi notãdum eſt aduerbium Nunc, videlicet tẽpore paſſionis, & mortis: quia mundus, qui fugit à paſſione, non dedit mihi aliquem gubernandum, imò abſtulit illos, qui primum mihi dati erant miniſtri, & ego prohibui Petrum me gladio defendentẽ: in quo omnes alios defenſores futuros Spiritu Dei reprehenſos eſſe volui, vt non audeant vel hiſcere pro me: quia ego ſpiritalia eis, & non carnalia meditor. Atque hoc adiuuabatur conſilio Principum ſeducentium turbas, ac dicentium, periculum eſſe faciendũ an ſit Meſſias, an poſſit manus præſidentis, & legitimi magiſtratus euadere, an ſubductor fuerit. Prętereà dicere poterãt, Pilatum velle quidem Ieſum mortuum: nam ipſe cohortem ſuã ad capiendum eum miſerat, ſed interim tentare fidem populi, & propterea eum ſæpe Regẽ nominare, vt videat an aliquis in auxilium eius conſurgat, totumque populum læſæ Maieſtatis reum faciat, belliq; cauſam

Qua ratione probet Chriſtus regnum ſuum non eſſe de hoc mũdo.

Propriũ quid regni ſecularis.

His verbis: Nunc autem regnum meũ non eſt hinc: prædictam rationem inaffectati regni vt Chriſtus confirmet.
Matth. 26.

ſerat, quo maiori ſeruitute eos premat. Curandum ergo, vt Chriſtus relinquatur ſupplicio: quia ſi verè Filius Dei eſt, liberabit ſeipſum etiam à poteſtate Romanorum, atque ita in eum tutò credere potuerimus, neque à Romanis erit nobis vltra metuendum. Sed hæc omnia nihil fuiſſent ad turbam meditantem Meſſiam. Ieſus ergo ipſe ſuo ſpiritu reprimebat ſpiritum ſeditioſum turbæ in hoc, quia regnum ſuum non erat hinc, & nolebat defenſores, ſed properabat mori pro nobis, quo regnum ſpirituale nobis appareret, quod exeritur verbo, & Spiritu Dei; atque eo magis, quo nos ſumus patiẽtiores, & ipſum operari permittimus.

Regnũ Chriſti ſpirituale quodnam ſit.

Quàm idoneè Chriſtus de regno criminationi Iudæorum apud Pilatum ſatisfecerit, ſe Regẽ nominando.

Dicet aliquis; Si Ieſus ita reſpondit Pilato, iã non ſe excuſauit, ſed potius accuſauit ſeipſum, nominando ſe Regem, ſeq; regnũ habere cõfitendo. Sed ſatis reuera ſe excuſauerat, dicendo quod nõ erat de hoc mũdo. Deinde Ieſus non excuſabat ſe, nec vt ſeipſum tueretur, capiendũ ſe dederat, ſed vt damnaretur. Venit ergo ipſe, nõ tam vt ſe defenſurus, quàm vt teſtimoniũ perhiberet veritati, vt infra ait. Et vt magis illuſtretur intellectus huius loci, ſubdit: *Miniſtri mei vtiq; decertarent*, ſcilicet pro me. Exponit Caietanus in Ientaculis ſuis, Ioſephũ ab Arimathia, Nicodemũ, & Lazarũ, & alios huiuſmodi. Et quia nullus horum pro me decertat, potes intelligere, ô Pilate, quod regnum meum non eſt de hoc mũdo. Sed hæc expoſitio ſingularis eſt, & videtur in Dominicam militare doctrinam, quod illi tres eſſent eius miniſtri; cùm manifeſtè eſſent diſcipuli, quorũ ipſe miniſter erat, qui de ſe ait: *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Et licèt alio loco dixerit: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur*: ibi per miniſterium intelligit illud, quod corpori ſuo, id eſt, Eccleſiæ impenditur; *Quamdiu enim*, Dominus ait, *feciſtis vni de his fratribus minimis, mihi feciſtis*. Deinde etſi miniſtri eſſent Chriſti, quæ conſequẽtia erat, quod ſi pro eo decertarent, regnum ſuum eſſet de hoc mundo? Primò enim fac eos voluiſſe, deinde etiam potuiſſe: quia illi erant occulti, & Lazarus odio habitus, quomodò decertaſſent? Nec valet, ſi dicas, quòd Dominus poterat eis dare ſpiritum decertãdi: quia ſi reſpicias Dei potentiam, infinitis alijs modis poterat Chriſtum liberare: nec quæritur quid potuerit Dominus facere, ſed quid licuerit. Verus ergo ſenſus eſt, per miniſtros intelligere Angelos, vt Dominus alio loco explicuit: *An putas*, inquit, *quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?* de quibus Dauid: *Qui facis Angelos tuos, ſpiritus, & miniſtros tuos, ignem vrentem*; & Apoſtolus: *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi*; qui Chriſto ſuperata omni tentatione miniſtrarunt. Adde Chryſoſtomi intellectum: quòd ideò regnum non fuit de hoc mundo; quia nec vlli mundani erant pro eo decertantes, ſicut contingere conſueuit mundi Regibus: ac ſi dixerit; Nec ego miniſtros mihi in regno, de quo accuſor, aſſumpſi, nec vlli mihi ſeſe exhibuere in miniſtros ad me in regnum promouendum, aut in eo ſeruandum. Eſtque tropus dicendi: ſicut qui negat ſe diuitem, ait: Si diues eſſem, vtique pecuniæ meæ non laterent: quibus verbis vtrumque negare videtur. Ita modò Chriſtus negat regnum mundi, taliſque regni miniſtros: nam ſpiritualis regni miniſtros non negaret, qui duodecim habuit Apoſtolos, & ſeptuaginta duos diſcipulos, quorum vnus dixit: Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti. *Nunc autem*, ait, *regnum meum non eſt hinc*. In quæ verba quendam notaſſe legi, quòd ſi quando Eccleſia, quæ eſt regnum Chriſti datum à Patre, in opibus, pace, & abundantia, & bellica fortitudine floruerit, regnum ſuum aliquo modo erit de hoc mundo; & ita tunc miniſtris ſuis defenſum erit. Quamquam quod attinet ad ſpiritualia, à quibuſdam miniſtris à Patre datis peculiariter protegetur, qui non permittent aut falſa prædicari, aut illegitimum vſum Sacramentorum, aut peccata publica radices agere: quia aduerſus mores impios proclamabunt, & de vna hac re ſoliciti erunt, per quam ad regnum Dei amplectendum veniatur: perſuadebuntque Chriſti regnum, ne à tyrãnis, aut malis paſtoribus, aut alia vlla re timeat, ſed tantùm reſpiciat ad Chriſtum, etiamſi captus, illuſuſque habeatur apud improbos: vt ita omnis, qui eſt ex veritate, & nõ ex hoc mundo, audiat vocem Chriſti, etiã ligati & crucifixi. Miniſtri ergo Chriſti ſi quem viderint opprimere pupillos, amicè corripient, inemendabiles dimittent, pupillis aderũt, eoſque ſolabuntur, & ad patientiam, & ſpẽ regni cœlorum cohortabuntur, vt orent pro perſequentibus ſe, atque calumniantibus; alij verò mixtim defendent, & in temporalibus & in ſpiritualibus. Et hic labor vſque ad finem iudicij protenditur: quia in vtroque à quibuſdam erit impugnatũ, aut ſaltem in vno, vel altero, vt ita curemus eſſe regnum Chriſti datum à Patre perſeueranter in Dñi obedientia, non obſtantibus tormentis aut infamia, aut morte. Qui verò tãtùm ob pacem externam, aut honorẽ ſeculatẽ, aut opes, & cõmoda carnis Chriſto ſer-

Caietani ſenſus reijcitur, in hæc verba: Miniſtri mei vtique decertarent, &c.

I. Ratio.

Matth. 20.

Ioan. 12.

Chriſtus ibi, Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, quo de miniſterio loquatur.

Matth. 25.

Secunda

Ioan. 12.

Futilis obiectio diluitur.

Verior intelligentia eius dicti Miniſtri mei vtique decertarent, &c.

Matth. 26.

Pſal. 103.

Hebr. 1.

Matth. 4.

Alter ſenſus, nimirum B. Chryſoſtomi.

Exemplum eiuſdem.

Regni Chriſti ſpiritualis qui miniſtri atque defenſores.

1. Cor. 4.

Regnũ Chriſti, quod eſt, Eccleſia quomodo de hoc mundo dici poſſit, ſecundum aliquos. Eius regni miniſtrorum partes.

Matth. 5.

Regnum quid ſit Chriſto datum.

Qui vero regnum ſint datū à Deo & à mundo.

ſto ſeruiunt: erunt quidē regnū datū Chriſto, non à Deo, ſed à mūdo. Qui verò partim ſunt tracti à ſpiritualib⁹ bonis, partim à carnalibus commodis, conſolationibuſq́; erunt quidem regnum datum à Deo, & à mūdo, ſed tractus à mūdo defendet Chriſtum, quando non vult defendi; relinquet verò quādo vult defendi, putabitq́; Ieſum ſibi eſſe deuinctum, & volet Chriſti dicta & facta ingenio ſuo interpretari, atque explicare: dabitq́; operam, ne ob Chriſti dicta, vel facta ſenſus commoda amittat.

Vere Pilatum agnouiſſe, Chriſtum Regem eſſe, vnde notum ſit.

Dixit itaq; ei Pilatus, Ergo Rex es tu. Reſpondit Ieſus: Tu dicis quia Rex ſum ego. Rectè intulit Pilatus ex Chriſti dictis, eum regnū habere, quodcunque illud eſſet: & ideo affirmatiuè legendum eſt, *Ergo Rex es tu*, & non interrogatiuè, propter Chriſti reſponſum, dicentis; *Tu dicis, quia ego ſum*. Nam ſi Pilatus interrogaret. Tune es Rex? Chriſtus non reſponderet: *Tu dicis*. Nā qui aliquid quempiam interrogat, non ſtatim affirmat. Cùm ergo dicit Chriſtus, Tu dicis, ſenſus eſt, Verè dixiſti me Regem; ſum enim Rex, ſed nō mundanus, vel contrarius Cæſari. Et licèt Pilatus certò ſciret Ieſum de regno quodā ſpirituali loqui, de quo ipſe nihil curabat: tamē quia ipſe nouerat quàm exoſum Cæſari eſſet nomen regium, præſertim in Iudæa, hac ſola confeſſione motus fuit ad cōdemnādum eum, vt inſcriptio tituli ſuper crucem poſiti demonſtrauit.

Qualem Regem tantummodo Pilatus Chriſtum agnouerit.

Ioan. 19. Quæ cauſa Pilatum impulerit, vt Ieſum condemnaret.

Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Cauſam reddit Dominus cur fateretur de ſe, quod glorioſum videbatur, nempe quia in hoc natus eſſet: & ad hoc veniſſet in mundum, vt teſtimonium perhiberet veritati; qui propterea contra ſuum agere videretur munus, ſi veritatem rogatus aut inficiaretur, aut ſubticeret. In hoc, & ad hoc Græcè eſt, εἰς τοῦτο, & ſignificat cauſam hic, non locum. Hic aduerte, Chriſtum Dominum reſpondiſſe Pilato, quòd bono animo interrogaret, ſine vllo inuidiæ aut odij motu; qui tamen tacuit coram Anna, Caipha, & Herode, quos nouerat animo maligno atque corrupto, inſidias ſuis interrogationibus nectere. Hunc locum ita interpretatur Theophylactus: *Ego, inquit, in hoc natus ſum, hoc eſt, vt Rex ſim. Natura enim hoc habeo, & ex eo quod natus ſum de Patre: nam iſtucipſum de Rege natum eſſe, Regem me eſſe teſtatur.* Verus quidem ſenſus; at verior & plenior: Tu me dixiſti Regem eſſe, ſum etenim Rex, neque veritatem negare poſſum: quia in hoc natus ſum, & ad hoc veni, vt veritati præbeam teſtimonium. Accepi enim carnē infirmam, vt homo, & verſatus

Quare Chriſtus Pilato ſe Regem eſſe reſpondit.

Cur potius Pilato, quā Annæ, Caiphæ, & Herodi Chriſtus reſponderit quid erat. *Matth. 26. Luca. 22.*

Quid eſt: Ego in hoc natus ſum, ſecūdum aliquos. *Theophyl. in Ioan.*

Alter ſenſus congruentior.

ſum in mundo cum alijs; vt teſtimonium perhibeam veritati, id eſt, mihi ipſi qui ſum veritas, dans vitam accipienti, id eſt, omnibus illis qui ſunt ex veritate, quibus ſcilicet veritas placet: & teſtimonio veritatis acquiro regnum meum in ea fundatum apud omnes. Quaſi dixerit Dominus, Omnia quæ dixi de regno meo, ô Pilate, non alia ratione dixi, quàm vt teſtimonium perhibeam veritati: nam vt munere hoc fungar, in hunc mundum veni. Et obſerua, Dominum in hoc mundo veritati teſtimonium perhibere: quia per fidem hic ad veritatem amplectendam, in patria verò per euidentiæ lumen cognoſcendam ducimur. Cùm ergo Pilatus homo Gentilis eſſet, cui regnum non de hoc mundo figmentum quoddam videri poterat, quò Ieſus tergiuerſari vellet, ne iudicaretur: cumq́ue apud eum neque lex neque Prophetæ locum haberent, ad veritatem ſe conuertit, cuius appetentiſſimus eſſe iudex debet, illaque omnibus amabilis videri. Proinde hac via Pilatus ad notitiam Ieſu tanquam primæ & abſolutæ veritatis manu duci poterat. Nam cùm dicit Dominus proprium ac præcipuum eius munus eſſe veritati perhibere teſtimonium, ſi audire dignatus fuiſſet quid ſit veritas, audiſſet etiam qua ratione omnis contracta veritas à veritate abſoluta claritatem, & teſtimonium, quo agnoſcatur, recipiat; & ita à veritate creata ad increatam potuiſſet ad ſui ſalutem deueniſſe. Sed quia iniuſtus erat, & tanti muneris oblati indignus, à diuina prouidentia fuit iudicatus. Quod verò Caietanus in Ientaculis ex his verbis colligit duas Chriſti natiuitas, alteram humanam ex illo verbo: Ego in hoc natus ſum; alteram diuinam, quia ille ſolus eſt extra mundum: minus ſolidum eſt; & contra vim verborum Scripturæ: quia apud Ioannem dicitur homo venire in mundum; qui tamen nunquam fuit extra mundum: & Chriſtus dixit Apoſtolis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, in mundum ſcilicet. Prætereà, cùm primò dicat: In hoc natus ſum, quàm dixerit: Et ad hoc veni in mundum; ſignificatur quòd prior ſit natiuitas, quam aduentus in mundum: quod verum non eſſet, ſi generatio diuina ſignificaretur per verbum: Veni in mundum. Verus ergo illorum verborum ſenſus, & ex Scripturis deſumptus, eſt, quod per aduentum in mundum, ſignificatur oſtenſio & apparitio apud homines. Nam ex Iuriſconſulto-

Cui teſtimonium perhibeat veritati Chriſtus.

Cur Dominus Ieſus in hunc mundum venerit, vt teſtimonium veritati præberet nō euidentiā.

Veritatis iudex debet eſſe appetentiſſimus.

Pilati vel negligentia vel ſuperbia.

Refellitur ſenſus Caietani in hæc verba: Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, &c. *Ioan. 1.*

Infra 20.

Quo de aduētu loquitur Chriſtus, dicēs, ſe veniſſe in mūdū, vt te

rum

rum regulis, non dicitur veniſſe, qui non apparuit, vel nondum ſtetit. Ideò Ioannes Baptiſta de Ieſu nato, & nondum exhibito Iſraëlitis dixit: *Qui poſt me venturus eſt*, de quo mox ſubdit: *Hic eſt de quo aio: Poſt me venit vir*: vbi verbum illud Venit, de præſenti eſt, vt Græca vox indicat ἔρχεται. Subiungit Dominus: *Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam*. Rationem reddit, quare nec Pilatus, nec perfidi Iudæi ei adhæreant per fidem: quia ſcilicet nõ ſunt ex veritate: vnde aliàs dixerat, *Vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis*: & in alio loco; *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Qui ergo ex vero & interno affectu veritatem deamãt, illamque liberi à cupiditatibus & opinionibus mundanis hominem obcæcantibus, & ad Principem tenebrarum & mendacij non ſpectant, ex Deo profectò ſunt, & ex Chriſti ouibus, atque adeò ex veritate, vt interno auditu libẽter per fidem vocem Chriſti audiant. Significat ergo Dominus, non ex teſtimonij, ſermoniſque ſui improbabilitate accidere, quòd non omnes illi fidem habeant, ſed hominum defectu, & indiſpoſitione, & idcircò probat ſe Regem veracem hominum veritatem amantium, ita vt qui facit veritatem, veniat ad lucem. Congruit enim veritas veritati noſtræ, quare qui dictis, factiſque verax eſt, aut eſſe vult, Ieſum audit in corde ſuo teſtimonium veritati præbentẽ, & ſe eius Regem dicentem; itaque Regem ſuum agnoſcit, & ex eius præſcripto viuit. Sed multi ſunt qui Chriſtum audiunt, etiã libentiſſimè, eiuſque ſermonibus delectãtur, compunguntur, permouentur; cum verò ad rem veniendum eſt, & relinquenda concubina, vel remittenda iniuria, vel reſtituenda malè ablata, omnis ille excidit ſermo. Impoſſibile eſt enim diuitẽ intrare in regnum cœlorum: vſque ad portam venire queunt, ingredi verò non poſſunt, nõ quòd clauſa, ſed quod anguſta ſit porta: ipſique bona, quibus ſuffarcinati ſunt, deponere nolunt, itaque citius retrocedent, quã ingrediãtur, niſi Deus, cui omnia ſunt poſſibilia, eos introducat.

Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? Et cùm hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos. Amabilis quidem eſt veritas vel ipſis improbis: nam etſi contra veritatem fallere cupiant, falli tamen nullo pacto volunt. Pilatus ergo veritatis dulcedine allectus, perquirit quid ſit veritas, non quidem quæ ſit definitio veritatis, ſed quæ ſit illa veritas, quæ facit hominem eſſe de regno Chriſti, qua poſſet homo ad Chriſtum peruenire. Sed timens diſpendium dilationis, feſtinauit Dominum liberare, allegata eius innocentia. Vel, vt ſcribit Auguſtinus: *Credo cùm dixiſſet Pilatus: Quid eſt veritas, in mentem illi veniſſe continuò conſuetudinem, qua ſolebat eis dimitti vnus in Paſcha; & ideò non expectauit vt reſponderet ei Ieſus quid eſſet veritas, ne mora fieret, cùm recoluiſſet morem, quo poſſet eis per Paſcha dimitti, quod eũ valde voluiſſe manifeſtum eſt.* Sic ille. Vel fortè, vt alij dicunt, ſolent Principes cùm de aliqua re incidit ſermo, quæ ipſis cordi non eſt, aut ad ſe pertinere nõ ſpectant, leuiter interrogare. Et ideò tanquam futilem hominem, & inanem contemnens, abijt non expectato reſponſo. Egregiè eos repræſentatus, qui multos conſultant, vt veritatem intelligant; & tamen aut non expectato reſponſo, aut non intellecto, ne veritas impediat eorum concupiſcentias, diſcedunt. Tacuit ergo Chriſtus quid eſſet veritas, quia in aulis Principum non habet locum, & vt pulchrè dictum eſt à Sapiente: *Vbi non eſt auditus, non effundas ſermonem.* Egeſippus (vt quidam annotat) refert, Chriſtum reſpondiſſe Pilato: *Veritas eſt, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*: cui veritati atteſtatus eſt Pilatus in titulo crucis. Sed mihi hactenus non licuit hoc apud Egeſippum inuenire: neq; videtur credibile, Chriſtum tunc homini Pagano tale reddidiſſe reſponſum. Sunt qui hoc factum Pilati verſutè actum interpretentur, & omnia acta Pilati, & dicta rapiant in deteriorem partem, quo eum damnaret. Sed non videntur hoc porrigere eius verba, quia dixit: *Ego nullam inuenio in eo cauſam*: quod eſt idem cum illo Lucæ, vbi Pilatus examinator de Chriſto dixit: *Nullam cauſam inuenio in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis.* Melius fortè quæſiuiſſet Pilatus, Vbi eſt veritas? & audiſſet quod non erat in Pontificibus, nec in iudicibus, nec in Phariſæis, nec in turbis, nec in aulis Principum, nec in platea, nec in matrimonio, nec in Religione, vbique denique exulat. Seneca ſapiens Ethnicus libro De verborũ copia ſcripſit: *Oportet prædicatorem, aut amicitiam, aut veritatem perdere.* Nos igitur veritatem colamus, illamque integrã & corde, & operibus amplectamur, & à quocunque illam docentem libenter audiamus quaſi vocem Chriſti, vt per eam ad ipſam abſolutam veritatem intuendam, & beatè poſſidendam admittamur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſempiternæ reddendæ ſunt gratiarum actiones ab vniuerſa creatura.

Amen.

Margin notes (left):

ſtimonium perhibeat veritati.

Ioan. 1.

Cur Pilatus & Iudæi non crederent in Chriſtum, vt ipſe teſtatur.

Infra 10.

Sup. 8.

Ex Deo & ex veritate, Chriſtique ouibus quinam ſint.

Ioan. 3.

Ieſum audiet quis in corde ſuo atteſtantẽ veritati.

Quibus excidat omnis Chriſti ſermo ſalutaris.

Matth. 19.

Supr. 7.

Infra 19.

Qua de veritate Pilatus Chriſtum interrogauerit, quid eſſet illa.

Idem cur de illa non expectauerit reſpõſum Chriſti.

Euthym. in Ioan.

Altera ratio.

Margin notes (right):

Aug. tract. 115. in Ioan. in fin. tom. 9.

Tertia. Quos Pilatus eo facto adumbraſſe videatur.

Vbi veritas locum non habet.

Eccleſ. 32.

Pilato quærenti de Chriſto Quid eſt veritas, quid reſponderit ſecundum aliquos, minus tamen probabiliter, ac verè.

Ioan. 19.

Non fuiſſe captioſam aut malignam quæſtionem illam Pilati Quid eſt veritas, vt quidam opinantur.

Luc. 23.

A quibus hominibus & locis exulet veritas.

Oportet prædicatorem aut amicitiam aut veritatem perdere, vt ait Seneca.

TRACTATVS XXVII.

De miſsione Ieſu à Pilato, ad Herodem, remiſsionéq; eiuſdem ad Pilatum, in illa verba: *At illi inualeſcebant, dicẽtes: Commouet populum docens per vniuerſam Iudæam, incipiẽs à Galilæa vſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit ſi homo Galilæus eſſet. Et vt cognouit quod de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Ieroſolymis erat illis diebus. Herodes autem viſo Ieſu, gauiſus eſt valde, &c.* Luc. 23.

Iuſti atque innocentis hominis vita quàti facienda.

MVLTA tentanda ſunt, antequam iudex quem nouit innocentem condemnet, & præſtantius eſt, multos ſontes, & facinoroſos abſoluere, quàm vel vnum innocentem condemnare: quia magiſtratus, leges, iura, ac tribunalia magis ſtabilita ſunt in commendatione, & incolumitate iuſtorum, quàm in punitione impiorum. Ideò iudici maximè expedit, vt in negotio dubio innocentis, illud à ſe abdicet, & ad alium mittat ſuperiorem: quemadmodùm Gallio Proconſul Achaiæ in cauſa Pauli dixit: *Si quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus legis veſtræ, vos ipſi videritis: iudex ego horum nolo eſſe.* Ita Pilatum iuſtè & prudenter egiſſe ſcribit Lucas, qui ſolus hanc hiſtoriam de præſentatione Chriſti coram Herode deſcribit. Cùm enim Iudex Chriſti à ſe explorati, examinatique innocentiam proclamaſſet, dicens: *Nihil inuenio cauſæ in hoc homine,* idoneç ſcilicet inter eas, de quibus vos eum accuſatis, & ideò nullam propter quam condẽnari debeat, bene autem in verbis veſtris, ſed nõ in homine iſto, at verò plures, propter quas meritò ſit liberandus, cùm eius innocentiam nouiſſet ex ſermone rationabili, & modeſto, ex vultus, totiuſque habitus grauitate, præſertim verò de ſuſpicione affectati regni: impoſſibile iudicauit, quòd in tali cauſa, in qua de vita Chriſti agebatur, nemo in eius fauorem motus fuit; cùm tamẽ affectari regna ſine fautoribus, & adminiſtris impoſſibile ſit, qui etiam capto principali detegi ſolent. Atque hoc facto Pilati Gentilis Chriſtum accuſatum innocentem exclamantis, nihilque pęna dignũ patraſſe aſſeuerantis, alluſum eſt ad Gentium fidem futuram, quæ nuſquam nõ patrocinatur Chriſti innocentiæ aduerſus Iudæorum calumniam: quod enim tunc fiebat apud paucos, hoc hodie in vniuerſo mundo contingit. Carebat Pilatus affectibus, & paſſionibus, ideo Chriſto fauebat, nec videbat mortis cauſam vllam: at illi inualeſcebãt clamoribus, qui rationibus deſtituti erant. Hic eſt enim mos furioſorum. Pudor erat illis recedere à iudicij loco victos, odium autem conceptum eos quieſcere non ſinebat. Ideò vt Marcus ait, accuſabant eum in multis, vt multitudine verborum animum iudicis inclinarent, ſatis declarantes cauſæ ſuæ infirmitatem, & iniquitatem, eo quòd nil certum conſtanter proponerent, ſed varia, & quòd clamoribus ſuis, & multitudini verborum magis fiderent, quam veritati: ad quas accuſationes nihil voluit Chriſtus reſpondere, quòd Pilato ſuperiori reſponſo ſatisfactum erat. Secundò ergo obijciunt, quòd ſubuerterit, vel commouerit populum incipiendo à Galilęa. Quod tamen impudentiſſimum eſt mendacium, cùm Chriſtus, nec in Galilæa, nec in Iudæa ſeditionem excitauerit vllam: qui iuſſit inimicos diligere, pacem, & fraternam charitatem colere; magiſtratui legitimo prædicauit non eſſe contradicendum; imò interpellatus à duobus fratribus de diuidenda hęreditate, noluit falcem mittere in meſſem alienam. Annotauit hoc loco Theophylactus, Iudæos non ſine dolo mentionem feciſſe Galilææ, ſed in terrorem Pilati: nam Galilæi ſemper ſedioſi, rerumque nouatores extiterunt, qualis erat Iudas Galilęus, & Theodas, quẽ volunt quidam caput fuiſſe eorũ Galilæorum, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificijs, vt Lucas commemorat. De quo in Actis: *Ante hos dies extitit Theudas,* ſcilicet tempore Pilati: ita tamen vt hic Theudas alius extiterit ab eo, de quo Ioſephus loquitur libro Antiquitatum, qui fuit ſub Phado. Et iam omittunt eam accuſationem de regno affectato, quam omnium maximè valituram contra eum putabant: ſed inuidia valde laborat, & torquetur. Dicẽte ergo Pilato ex ore Ieſu nõ eſſe quæſtionem de regno mundano, inſtant Iudæi, quod Ieſus aſtutè causã inuerterit. Et quod quæſtio ſit de regno mundano, probãt allegando commotionem populi perſeuerantem vſque hodie: ideò de præſenti habet Gręca litera, *Commouet populũ.* Et coacti à veritate non dicunt: Cõmouet armis populum, ſed docet: nec dicunt quid docuerit, ne riderentur, vt notat Euthymius. Et aiunt per vniuerſam Iudæam tuæ curæ commiſſam, incipiens à Galilæa. Commouerat enim Ieſus ante quinque dies vniuerſam ciuitatem in admirationem, cùm ingreſſus

Iudici facere quid expediat in cauſa dubia innocentis.
Actor. 18.
Gallionis proconſulis, & Pilati prudẽtia.

Luc. 23.
Cauſa Chriſti innocentiæ Pilato cognita atq; perſpecta.

Regnum affectãtibus quid ſolenne ſit atque perpetuũ.
Quid Pilatus innocentiam Chriſti proclamans coram Iudæis accuſantibus præluſiſſe videatur.

Furioſum ingenium.
Marc. 15.
In eo quod Iudæorũ Pontifices Chriſtũ de multis accuſabant, qualẽ ſuæ illi ſtarum cauſæ declarabant.

Chriſtus quã alienus ab illa criminatione Iudęorum, quòd populũ commoueret, atque perturbaret.

Matth 5.
Ioan. 13.
Luc. 12.
Prouerb.

Theophyl. in Ioan. 18.

Quales ferè homines Galilęi.
Actor. 15.

Luc. 13.
Ioſeph lib. 20. Antiq. c. 4.

Quid eſt quòd Iudęi non amplius inſiſtunt criminationi Ieſu de Regię ambitu dignitatis.
Iudęorũ Chriſtum accuſantium verba ponderantur. Commouet populum, &c.

Euthym. c. 67 in Matth.
Chriſtus populum Iudæorum vbi, quomodo, & quãdo commouerit.

ingreſſus eſt Ieroſolymam ſuper aſinum,& turbæ dicebant: *Quis eſt hic?* Populi autem dicebant: *Hic eſt Ieſus Propheta, à Nazareth Galilea.*

Matth. 20.

Cur Pilatus Chriſtum remiſerit ad Herodem.

Pilatus autem audiens Galilæam, &c. remiſit eum ad Herodem. Videbat cauſam periculoſam eſſe, & vel innocentem eſſe damnandum, vel in Iudæorum indignationem incurrendum; ideò vt ex tanto periculo ſeipſum eriperet, mittere eum decreuit ad Herodem Regem, qui illo tempore propter Paſcha erat Ieroſolymis. Iudicabat enim in primis Pilatus, quod cauſa illa non pertineret ad regni ſtatum, vt illi imponebant. Deinde ſi talis eſſet cauſa, putabat de illa Herodem Regem melius poſſe cognoſcere, tùm quia Iudæus erat, tùm ob zelum regni ſui, & ob deſiderium recuperandæ Ieroſolymæ ex gratia Romanorum ſuſpicari poterat ne alius veniret ex ſtirpe Regia, qui peteret regnum à Romano Imperatore, vel qui armis ſuis, & potentia occuparet. Ideò prudenter ad ordinarium iudicem Galilæorum Ieſum miſit, vt excuteret cauſam à ſe agitatam. Quamquam non omnino veniat Pilatus excuſandus: tùm quod eum, quem innocentem nouerat, non liberauit pro ſuo officio : tùm quod manifeſto tyranno, quem ſciebat fratris detinuiſſe vxorem, innocentem ligatum miſit ; poſtremò quod hoc facto Iudæis præſtitit maiorem inſaniendi occaſionem. Sed diuina prouidentia diſpoſuit hanc remiſſionem. Imò, vt incredulis calumniandi occaſio tolleretur, qui facilè dicere potuiſſent: Si cauſa affectati regni ſub Meſſiæ nomine fuiſſet cognita à iudice habente notitiam legis Iudaicæ, fuiſſet cõdemnatus, & non excuſatus: nam Pilatus ignarus Moſaicæ legis, innocentem putauit. Herodes verò ſciens legem, & pondus Meſſiæ, adiungitur iudex; vt omnes intelligant quid ille in Ieſu cauſa cenſuerit. Deinde vt ſimul videant ex parte Ieſu quomodò ſe coram Herode iudice habuerit, putare enim poterant, quod coram Pilato, ad quem non ſunt ingreſſi, Ieſus ſe excuſaſſet, cum coram Herode, ad quem Iudæi ingreſſi ſunt, ſemper tacuerit. Tertiò, vt eo plus mereretur nobis, quo à pluribus indignè tractatus eſt, & eo magis eius innocentia ad maiorem Iudæorum, & Gentium credere nolentium condemnationem declararetur, quod à pluribus examinatus iudicibus, nihil tamen deprehenſus eſſet ſceleris admiſiſſe. Remiſit etiam Pilatus hanc cauſam ad Herodem, eo quod cauſas pauperum, & tenuium hominum, & ex quibus nihil lucri emungi poteſt, facilè iudices ad alios ablegant, & remittunt. Vnde Feſtus cum ſperaret pecuniam ſe accipere à B. Paulo vincto, & frequenter eum ad ſe euocabat, & ad alium iudicem eius cauſam non ablegabat. Cognouit igitur Pilatus quòd eſſet de Herodis poteſtate: quia Ieſus in Nazareth Galilææ conceptus fuerat, atq; educatus. Herodes autem hic erat dictus Antipas, fraterque Archelai relegati, ac Philippi, filius Herodis magni Aſcalonitæ, & infanticidæ, ac matris Iudææ, & ideò ſe vt Iudæum gerebat: atque iſte Herodes decollauerat Ioannem Baptiſtam: cumque eſſet valde ambitioſus, non contentus tetrarchia Galilææ, ad regnum Iudææ aſpirabat, quod Romani per procuratorem, ſiue præſidem adminiſtrabant. Et duo ſingulariter procurabat Herodes: alterum, vt poſſet ad hoc venire, vt placeret Iudæis, vt eorum fauore apud Cæſarem regnum Iudææ impetraret; & ideò eorum ſolennitatibus intereſſe ſtudebat, atque hac ratione occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio, & in vincula coniecit Petrum, vt poſt dies Azymorum interficeret, ea maxime ratione, vt placeret Iudæis. Alterum erat, quod omnem poſteritatem Dauidicam extinguere moliebatur, vt Iudæis ſpem omnem adimeret, qua Regem de illa ſtirpe expectabant: quod conſilium ſecutus pater eius, occiderat omnes pueros qui erant in Bethleem, à bimatu & infra: ipſe etiam quærebat Ieſum occidere, vnde cum dictum eſſet illi : *Exi, & vade hinc: quia Herodes vult te occidere*, ipſe reſpondit: *Ite, & dicite vulpi illi*, oſtendens illum fuiſſe fraudulentiſſimam vulpem. Fingebat enim ſe plurimum deſiderare videre eum, & opera eius : quemadmodùm vulpes deſiderat videre gallinas, vt eas deuoret. Ita autem adminiſtrabat Galilæam Herodes, & Pilatus Iudæam, vt Pilatus Galilæos redderet Herodi; contra, Herodes Iudæos Pilato; ob mutuam pacem, & concordiam, vt ex hoc loco conſtare poteſt. De hac miſſione Ieſu ad Herodem per Pilatum ſic loquitur Tertullianus libro aduerſus Marcionem : *Chriſtus Herodi velut munus à Pilato miſſus, Oſeæ vocibus fidem reddidit. De Chriſto enim prophetauerat: Et vinctum eum ducent xenium Regi. Delectatus eſt denique Herodes viſo Ieſu , nec vocem vllam ab eo audiuit. Tanquam agnus enim coram tondente , ſic non aperuit os ſuum: quia Dominus dederat illi linguam diſciplinæ vt ſciret quomodò oporteret eum proferre ſermonem.* Et ſimilia ferè docet Cyprianus in expoſitione Symboli, & verba Prophetæ ponderat.

Herodes cur id temporis Ieroſolymis moraretur.

Altera cauſa miſſi Chriſti ad Herodem.

Pilatus remittens Ieſum ad Herodẽ, errauit tripliciter.

Diuinæ conſilium prouidẽtiæ in remiſſione Chriſti à Pilato ad Regem Herodẽ.

III. cauſa remiſſionis Ieſu ad Herodem.

Quarta.

Luca. 1. Infra 4. Quis fuerit hic Herodes, qui Ieſum [illegible] cum exercitu ſuo.

Matth. 14. Iſtius Regis ambitio.

Duo potiſſimum m[illegible]batur Herodes, [illegible] delicet, & [illegible] qua.

Hic cur Ie[illegible] eum feſtis [illegible] eſſet

Actor. 12. Ibidem.

Matth. 2.

Luc. 13. Herodes [illegible] vulpes [illegible] a Domino.

Herodes & Pilatus [illegible] videlicet [illegible] que pro[illegible] quo [illegible] miniſtrarent.

Tertul. lib. aduerſ. Marcionem [illegible]

Oſe 10. iuxta Septuaginta Remiſſio Chriſti ad Herodem [illegible] nium Oſea

Eſa 53. Supr. 50. B. Cyprian.

lerodes cur iſo Ieſu gaui us eſt valde, eſte Euangeliſta. Ioan. 10.

Herodes autem viſo Ieſu, gauiſus eſt valde, erat enim cupiẽs ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo: & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Gauiſus eſt Herodes non ſolùm ob honorem ſibi à Pilato delatum, cùm eſſet ambitioſus, ſed etiam quòd eſſet cupidus videndi eum, quem multa edere miracula audierat, cùm Ioannes nullum miraculum patraſſet. Quoniam ergo vidit iam Ieſum detentum; & proximum morti, & quia putabat ſe poſſe curioſitati ſuæ ſatisfacere, ſignum aliquod videndo, non quidem vt crederet, ſed, vt ſuos tantùm oculos curioſos paſceret, flagrabat deſiderio videndi Ieſum. Ita quidam diuina oculis ſubijcere concupiſcunt. Ideò neſas olim erat in Eccleſia curioſis hominibus ſacra myſteria detegere : & idem docet Dionyſius in epiſtola ad Demophilũ Monachum, Hoc etiam negatum in re Euchariſtica aſſerit Iuſtinus Martyr in Apologia prima pro Chriſtianis. Multi enim ex his quæ viſa ſunt, externis oculis ſine fide, cõtemptibilia eſſe exiſtimant, vt Herodes viſo Chriſto eum contempſit. Adhæc cupiebat certus reddi, an ipſe eſſet Ioannes Baptiſta ſuſcitatus, quem ipſe decollauerat Ita enim habet Lucas; Audiuit Herodes Tetrarcha omnia quæ fiebant ab eo;& hęſitabat, eo quod diceretur à quibuſdam: *Quia Ioannes ſurrexit à mortuis.* Sed in his omnibus paternam homicidij pietatem iniquus filius, quaſi hæreditariam imitari conabatur. Cumque omnes plebei, vel minimi Ieſum ex facie, & ex operibus agnoſcerent : ſolus Rex ex auditu illum nouerat, quia non humiliabatur, nec ſui præſentia Chriſtum dignum exiſtimabat. Ideò dicitur quod audierat multa de eo: id eſt, de vita eius, doctrina, diſcipulis atque miraculis , & maximè quod ex ſua ditione eſſet. Sperabat præterea, ſignum aliquod videre ab eo fieri, tùm ob ſuum honorem, tùm ob ſuam à morte liberationem. Et tamen Dominus non ſolùm nullum ſignum coram eo edidit, verum etiam ne reſponſo quidẽ ſuo eũ dignatus eſt: tùm ne videretur ambire mortis euaſionem, ſed etiam ne videri poſſet Regij honoris admirator, etiamſi Herodes, teſte Egeſippo, vt à quibuſdam citatur, Chriſto per coronam ſuam iuraſſet quòd eriperet eum de manu Iudæorum, faceretque eum ſui regni hæredem, ſi ſignum aliquod patraſſet. Mihi apud Egeſippum hactenus hoc teſtimonium inuenire non licuit. Legi tamen apud B. Anſelmum libro de paſſione, Herodem coronam ſuam poſuiſſe ſuper caput Chriſti, & promiſiſſe illi liberationem, & ſucceſſionem regni, ſi ſignum aliquod edidiſſet. Sed quicquid de hoc ſit, Chriſtus nullum ſignum prorſus edere voluit coram eo, tũ ob eius incredulitatem: putabat enim Chriſtum magum, incantatorem, & præſtigiatorem, qui ſolent deuorare ſerpentes, & gladios, vt populum admiratione ſuſpenſum teneant. Deinde, quia nõ petebat ſignũ ad credendũ, ſed vt tantùm curioſitatẽ aleret ſuam: quomodo plerunque euenire ſolet, vt magnates, & aulici multa diſputẽt de Chriſto, & eius lege, non vt meliores fiant, ſed ne nihil ignorare videãtur. Adhæc adducitur alia ratio à Caietano: quia ſi ſignũ aliquod edidiſſet, vel ſapienter reſpondiſſet ad eius interrogationes, in totum impedita fuiſſet humani generis redemptio: ideò noluit Chriſtus liberari, vt nos à peccati, & dæmonis ſeruitute eriperet. Sed hęc ratio Caietani inſtantiam patitur. Nam ſi ſignum edidiſſet, vt volebat Herodes, minus eum liberaret , imò necem eius magis vrgeret ob regni ſui zelum, dixiſſetque: Hic eſt hæres, venite , occidamus eum; atque ita Domin⁹ mortis ſuæ adminiſter extitiſſet. Præterea volebat Dominus per manus Gentiliũ mori, & nõ per manus Iudæorũ, & morte Crucis, non alio genere mortis: at Iudæi Crucis ſupplicio afficere neminem poterant. Adhæc Herodes in diebus Azymorũ eum minimè interfeciſſet, ſed expectaſſet poſt Paſcha, vt fecit alter Herodes de Petro: at Dñus in Paſcha mori voluit, qa erat agnus liberans ab Angelo percutiente. Poſtremò non ſigna debebant Chriſtum liberare, ſed eius innocentia. Et Chriſtus petentibus ſigna non ad ſigna, ſed ad curioſitatem fouẽdam, acriter alias reſpondit, dicens: *Generatio mala, & adultera ſignum quærit: & ſignum non dabitur ei , niſi ſignum Ionæ Prophetæ*, qui fuit per Triduum in corde maris: ita Chriſtus in corde terræ. O Herodes, ſi ſcires quàm magnum ſignum eſt Dei filium coram te alligatum ſiſti, & Verbum Dei obmuteſcere, & illudi ſapientiam; non aliud certè ſignum quæreres. Exi, exi extra ciuitatem, vt videas Solem eclipſim pati, diem in obſcuriſſimam noctem conuerti, terrã inſolito tremore concuti, ſaxa frangi, monumenta aperiri, velum templi ſcindi, ac Centuriorẽ exclamare : Verè Filius Dei erat iſte, & tuæ faceres ſatis curioſitati, agnoſceresque quis ſit qui ante tuum tribunal aſſiſtit.

Quid propriũ curioſorum hominum.

Dion. Areop. Iuſt. Martyr.

Luc. 9.

Herodes hic illuſor Domini, Herodis patris infanticidæ qualis hæres. Matth. 2 Herodis ſuperbia.

Herodes vt ait Euãgeliſta, cur ſperaret ſignũ aliquod videre ab Ieſu fieri. Ieſus ante Herodem cur tacuerit.

Egeſip. B. Anſelm.

Cur Chriſtus apud Herodẽ nullum ſignũ ediderit. II. Ratio. Herodi qui ſimiles.

III. Ratio. nimirum Caietani.

Refellitur multis argumentis ratio Caietani.

Matth. 21.

Actor. 12.

Exod. 12. Quare in Paſcha Chriſtus occidi voluerit. Matth. 12.

Ionæ 2.

Quod ſignum vel maximum Chriſtus fecerit ante Herodem, ſi modò illud voluiſſet Matt. 27.

Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. Quamquam Lucas non exprimat qui eſſent illi ſermones, probabile tamen eſt illum dixiſſe : Es ne tu ille, qui illuſiſti parentem meum, & cuius

Qui fuerint illi ſermones; quibus Herodes Dominũ interrogauit. Matth. 2.

gratia pater meus multos occidit infantes, &aliquot ex fratribus meis,vt iſti teſtes deponunt contra te? Deinde, es ne tu ille, ad cuius aduentum ſimulachra Ægypti in terram corruiſſe ferũtur? de quo fama habet quod cæcum natum illuminaueris,decem leproſos mundaueris,dæmonibus oppreſſos liberaueris,ſurdos audire,mutos loqui, claudos ambulare feceris, Lazarumque quatriduanum ad vitam ſuſcitaueris? Deinde tacente Chriſto, iuſſit, vt quidam cogitant,aquam,& panem adduci. Audiui, inquit, quod aquã in vinum mutaueris in nuptijs, & panes hordeaceos multiplicaueris in deſerto. Ecce tibi materiam paratã: præſta hic quod feciſti alias, in meæ regiæ dignitatis gratiam. At ipſe nihil reſpondebat: nõ ſolùm enim nullum ſignum edidit, ſed ne reſpõſo quidem vllo eum dignatus eſt. Chriſtus enim incrudelis, & curioſis mut⁹ eſt, & ſuo ſilentio reprehendere volebat quæſtiones minus ad rem pertinentes: inutilis enim quæſtio ſilentio ſoluenda eſt. Rectè proinde conſuluit Salomon: *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis*, & rurſus: *Doctrina viri per patientiam noſcitur.* Herodes enim non agebat vt iudex audiens accuſationes Ieſu, ſed vt curioſus, & ſignorum cupidus. Deinde,vt docet Gloſſa interlinearis, *Melior eſt cauſa, quæ non defenditur, & probatur. Suſanna, & tacuit, & vicit.* Hæc illa. Et Ambroſius,hoc loco: *Accuſatur Dominus, & tacet, & bene tacet, quia defenſione non indiget: ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accuſationem tacendo confirmat, ſed deſpicit non refellendo.* Sic bonus ille Pater. Tacendo ergo impleuit figuram pariter, & prophetiam: Figuram quidem, quia falſo accuſatus Ioſeph à domina ſua vxore Putipharis, ſilentio, & taciturnitate ſe protexit: prophetiam verò illam Dauidis: *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam* (videlicet accuſationes à Iudęis factas contra me coram Herode) *& ſicut mutus non aperiens os ſuum.* Tertiò, Verbum Dei Chriſtus coram Herode tacuit, ex quo Herodes vocem eius clamantem in deſerto,hoc eſt, Ioannem Baptiſtam de medio ſuſtulerat. Ex quo mirabile documentum toti mundo prębetur;non mereri videlicet audire intus loquentem Deum illos,qui prędicatorem, qui vox eſt eius, audire contemnunt. Similiter faciunt mali, qui ſuffocant vocem Domini, illamque ſilentio reprimunt, quæ conſcientiæ ſtimulis illos reprehendit: ad quam ipſi dicunt, Tace dimitte me carni, & genio indulgere, vſuris, & rapinis incumbere, odium retinere. Contra quos Paulus: *Reuelatur ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum,qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent.* Vide ergo,quod quando Herodes audiebat Ioannem,multa opera Dei faciebat,vt dicitur apud Marcum:at poſtquam eum immiſit in carcerem, ac decollauit, nihil tale legitur. Nemo ergo vocem ſpernat concionatoris, qui fiſtula eſt, & tuba Chriſti,qui per eam quaſi organum ad nos loquitur.Quartò non reſpondit,ne videatur illi adulatus, aut eius fauorem venari, præſertim cùm Herodes iure ſuo poſſet eum vt Galilęũ liberare.Item vt contemptũ feramus: ſi prudentiã ſeculi non callemus: nihil etiam doleamus,quod ab his cõtemnamur: amemus neſciri, & contemni: expectemus Dominum, probemus nos Deo in ignobilitate,&nobilitate.Nunc tempus tale erat,volebat ab illis deſpici, vt non his auxilijs vſus, ſed contempſiſſe, viciſſeque illos appareret, quo noſtra fides eſſet confirmatior. Fortaſſis etiam non probat Dominus Herodis ſtatum,&regnũ,vt qui forſitan non legitimè in Iudæa regnaret, præſertim cũ Rex Meſſias veniſſet tales nõ auxiliarios,ſed contrarios habere volebat, vt victis talibus,appareat quę Chriſti eſſet vis. Et ita voluit ſe oſtendere maiori miraculo, quàm ſi nunc miraculum edidiſſet.

Sed interrogabis,quare ſaltẽ Chriſt⁹ nõ reprehendit Herodem,vt Ioannes illũ erat ſolitus reprehendere? Non deſunt probabiles, ac iuſtæ rationes. Nam in primis videbat Regẽ immedicabilem,correptioniſque minimè capacẽ,& ſicut nõ audiuit Ioannẽ,nec ſe Chriſtũ audiuiſſet. Adhęc non erat tẽpus corrigendi, ne crederetur ꝙ ipſe eſſet cauſa ſuæ mortis, vel carceris, vt accidit Ioanni: & ita non accidiſſet in Paſchate,vt diximus,ſed poſt dies Azymorum. Silente autem Chriſto, & fauorẽ, ac coronã eius ſpernente, non ſilebant Principes Sacerdotum, & Scribæ, de quibus ait Lucas *Stabant autem Principes Sacerdotum, ac Scribæ conſtanter accuſantes eum.* Videbant Herodẽ valde propenſum ad liberandum Ieſum, miſeri timebant ne Chriſtus elaberetur: etſi enim Herodes eſſet Rex impius, nihil motus eſt illis criminationibus, etſi plures eſſent. Quoniam etſi voluerit olim Herodes Chriſtum interficere; propoſuerant tamen Herodi Chriſti verba de tẽplo euertendo, vt coram Caipha,& de regno affectato,vt corã Pilato,ſed præcipuè quod Ieſus eſſet Ioannis Baptiſtæ cognatus, quod valde laudaſſet eum corã turba, quem ipſe in carcerem miſiſſet: in quo approbabat eius prędicationem contra eũ,& inceſtũ eius,imò quod ipſe ei ſic prędicare pręcepiſſet,

Signa Chriſti celeberrima. Ioan. 9. Luca. 17. Marc. 10. Matth. 11. Ioan 11. Sup. 2. Infra 6. Quibus Chriſtus ab eis rogatus nihil reſpondeat. Quæſtio quæ ſilentio ſoluenda eſt. Prou. 26. Supr. 19. II. cauſa. Gloſſ inter. lin in Lucam. Dan 13. Ambr lib 10. in Luc cap. 15. tom. 5. Silentiũ Chriſti coram Herode vbi figuratum fuerit, ac Prophetarum. Gen. 39. Pſal. 37. III. cauſa. Ioan. 1. Matth. 14. Non merẽtur vocẽ Dominĩ audire intus loquentis, qui prædicatorem eius vocem audire contemnunt. Rom. 1.

Marc 6. Chriſti fiſtula & tuba ipſi ſunt concionatores. IV. cauſa. Quinta. Sexta. Quare Chriſtus vt olim Ioannes Baptiſta, non reprehenderit Herodem. Matth. 14. Cur Principes Sacerdotum ac Scribæ conſtanter accuſarent Herodi. Luc. 23. Ioan. 2 Matt 26. Infra 27. Supra 11. Infra 14. Quaſnam criminationes in Chriſtum

euomerent infelices.
Luc 13.
Matth. 2.
Ibidem.
Luc. 4.

ſet, quodque illum publicè prędicãdo vulpem vocaſſet: Ite; & dicite vulpi illi: quodq́ue fuiſſet cauſa tot infantium à patre ſuo interfectorum, poſtremò quod vacaret arti magicæ, ex eo quod pater eius à Magis eius artibus fuiſſet illuſus, & quod in Nazareth ſe inuiſum feciſſet. Sed poterant ad hęc reſpondere fautores Chriſti, vt Ioſeph, Nicodemus, & Gamaliel.

Accuſationũ earum leuitas & inconſtantia.
Matth. 14.

Primò, ſi Ieſus, quia Ioannis Baptiſtæ cõſanguineus, occidendus; ergo occidantur omnes Baptiſtæ cognati. Deinde reprehẽſio Ioannis Baptiſtæ culpa carebat: quia inceſtus Herodis erat publicus. Et ſi reuera vocauerat vulpem, hoc erat propter aſtutiam, & prudentiam; & quia extra bonus, intra verò malus, doloſus, ac fœtidus apparebat, galliniſque, id eſt, pauperibus ſubditis deuorandis tendens inſidias; & quia liberius paulò erat dicendum. Negarẽt item, Chriſtum fuiſſe cauſam cædis innocentium: quaſi per ætatem vſu liberi arbitrij careret.

Matth. 2.

Illuſio verò Herodis à Magis, non fuit artis magicę opus; ſed diuinę reuelationis: nam dicitur ꝙ reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Adhæc fieri inuiſum, & per medium illorum tranſire, non ad artem magicam, ſed ad diuinitatem ſpectabat, ſicut quod ambulauit ſuper aquas maris.

Matth. 14.
Quàm acris Iudæorum ac vehemens eſſet accuſatio.

Accuſabant igitur conſtanter, id eſt acriter, pertinaciter, ſeu intente: timebant enim ne Ieſus ederet ſignum, vel ſapienter reſpondendo euaderet. Sed vbi Ieſum vident taciturnum, & Herodem tractare illum vt ſtolidum, incidunt in alium timorem, ne Ieſus tanquam fatuus, penitus euadat: ideò inſtant accuſando, ne tanquã fatuus abſoluatur. Aiebant enim eum fingere, eſſeque hominem dicacem coram turbis, non coram regibus, & latere in eo dolum, & malitiam, quam iterum exerceret in periculum ſubuerſionis populi, ſi abſolueretur.

Expenditur illud verbum: Et cum illuſiſſet, &c.

Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum. Græcè habetur: *Et cum illuſiſſet, & induiſſet eum veſtem ſplendidam, remiſit eum Pilato*: vt intelligas, milites non ſolùm illuſiſſe veſte illa, ſed illuſiſſe primum varijs, & deinde indutum veſte ſplendida, qualis eſſe diuitum ſolet, remiſiſſe ad Pilatum. Idem enim habetur vocabulum hic, & apud Iacobum: *Si introiuerit in conuentum veſtrum vir annulum aureum habens, in veſte candida*; non enim habetur λευκῇ ſed λαμπρᾷ.

Iacob 2.

Quia ergo Ieſus neque ſignum, neque reſponſum vllum Herodi dederat, quaſi ſilẽtio eius fuiſſet ſpretus, ſpreuit eum & verbis, & factis candidè, & ſplendidè veſtitis: & hoc cum exercitu, vel Græcè exercitibus ſuis: quia ſubditi libenter applaudunt ſuorum maiorum voluntati, & cãtant ſicut illi, & vt ille dixit: *Quicquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque. Negat quis? nego. ait? aio.*

Terent. in Eunuch. Act. 2 ſce. 2.
Aſſentantium ingenium.
Eccleſ. 10.
Cur Chriſtum Herodes ſpreuerit cum exercitu ſuo.

Rectè dictum eſt per Spiritum ſanctum: *Secundùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius, & qualis Rector eſt ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Spreuit autem eum Herodes, & vt impotentem, qui nullum ſignum poſſet facere, & vt inſipientem, qui reſpõdere neſciret; & vt ſtultum, qui contra accuſantes ſe non tueretur. Herodes reputauit Chriſtum ſtultum, quòd cum ſigno aliquo edito, vel reſponſo prudenti dato, liberari facilè poſſet, noluit ſe, aut vitam ſuam tueri: nam eos ſtultos & fatuos iudicat mundus, qui vitam ſuam, opes, & honores ampliſſimos propter Deum contemnunt.

Qua Dominus fuit illuſus cãdida veſtis vbi aſſeruetur.

Hæc alba veſtis, qua illuſus fuit, fertur aſſeruari Romę in templo S. Ioannis Lateranenſis. Significaturque, quòd illa veſte indutus multis ludibrijs fuerit affectus, & punitus, vt morio, fatuuſque. Atque ita Meſſiæ dignitas in eo illuſa eſt; vel quòd amentes ita ſoliti eſſent indui veſte cãdida, cùm tamen ſignum ſit innocentiæ.

Cur Herodes Chriſtum induerit candida veſte.
Aug lib. 10. in Luc. cap. 17. tom. 5.
1. Reg 2. & ſæpe alibi.
II. Ratio.

Hinc Ambroſius in Lucam: *Non ocioſum quòd veſte alba induitur ab Herode, immaculatæ tribuens indicia paſſionis, quod agnus Dei ſine macula, cum gloria, mundi peccata ſuſciperet.* Sic ille. Nunc autem ob huius rei reuerentiam Sacerdotalis veſtis effecta eſt alba, etſi Iudæorum Sacerdotes ephod lineo vterẽtur. Vel fortaſſis Herodes alludere voluit ad morem Romanorum, apud quos qui ambibant magiſtratus, & maximè conſulatum, Candidati dicebantur, eò quòd candida veſte vterentur.

Candidati apud Romanos qui.
Quid eſt Herodem illuſiſſe Chriſto cũ exercitibus ſuis.

Quod dicitur, *Cum exercitibus ſuis,* referri poteſt vel ad Chriſtum, vt Chriſti exercitus intelligatur cohors prætoria, quam dedit Chriſto Pilatus, vt eum deduceret ad Herodem, ne eum per viam interficerent Iudæi: at in egreſſu Ieſu de prætorio vexilla duo Pilati, quæ ex vtraque parte poſita ſtabant, illi, dum duceretur ad Herodem, ſe inclinarunt, & reuerentiã Chriſto exhibuerunt: vt docet Nicodemus in Euangelio ſuo. Quod videntes quidã, non viderunt; alij cauſæ naturali tribuerunt; alij verò diſſimularunt propter carnifices.

Nicodemi Euangelium.
In eo quod Chriſtus in domo Herodis nec reſpondẽdo, nec ſignũ operãdo penè ſe fatuũ ſimulauit, quid nobis ſignificauerit.

Quòd verò Chriſtus in domo Herodis nec reſpondendo, nec ſignum operando, egerit quaſi fatuus, non ſine myſterio id contigit. Quia in ea impleuit figuram, & prophetiam: figuram quidem Dauidis Regis, qui vt euaderet Regem Achis, finxit ſe ſtultum coram eo; prophetiam vero Oſeæ di-

1.Reg.21.

centis: *Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retributionis: ſcitote Iſrael ſtultum Prophetam, inſanum virum ſpiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ.* Noluit ergo Herodes Chriſtum occidere, ne compararet odium populi occidendo ſub nomine Meſſiæ, ſub quo accuſabatur à Sacerdotib⁹. Et cùm iudicis boni partes ſint, aut damnare criminis conuictum, aut abſoluere innocentem; vtrumque Herodes neglexiſſe videtur: quia innocentē irridet; & vinctum remittit ad Pilatum. In quo tacitè oſtendit ſe conſenſiſſe in necem Domini, remittendo ad Pilatum, quaſi diceret; Fac de eo quicquid volueris: tibi quoque ago gratias de honore mihi in hac parte à te impenſo. Remittitur ergo ad Pilatũ, cui ex parte Dei datum erat deſuper, vt in eum haberet poteſtatem. Tertullianus libro aduerſus Marcionem, pro eo quod Oſeæ 10. habemus in noſtra verſione: *Siquidē & ipſe in Aſſur delatus eſt, munus Regi.* LXX. interpretes habent: *Et vinctum eum ducent, xenion Regi*, & explicat de Chriſto miſſo à Pilato ad Herodem, ſicut & Cyprianus lib. De duplici martyrio. Iuſtinus quoque in Dialogo contra Tryphonem, & Cyrillus Catech. 13. huic myſterio applicant: *Et ligātes, inquit, ipſum attulerunt Regi munera Iarim.* Etenim Chriſtus loco munerum miſſus eſt à Deo; vt ob id placati ſint Herodes & Pilatus. Myſtice in aliena veſte Chriſtum illudunt omnes Principes ſeculares, & paſtores Eccleſiaſtici, qui officia & beneficia indignis, & minus idoneis conferunt, & qui pro eis apud illos intercedunt. Qui participes fiunt omnium delictorum, quæ illi in officio, vel beneficio admittūt, iuxta illud: *Manus citò nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis.* Hac autem illuſione Chriſti, quaſi fatui, & inſani, meritoque eius nos qui ea agimus, quibus digni ſumus qui & ſpernamur & illudamur, à perpetua dæmonum illuſione in gehēna liberamur: ideò pretioſæ nobis eſſe debent huiuſmodi illuſiones & irriſiones Chriſti.

Cur noluerit Chriſtum occidere Herodes.

Iudicis boni partes.

In eo etiam quod Chriſtũ Herodes remiſit ad Pilatũ, quid tacitè inſinuauerit.

Ioan 19.

Tertul. lib 4. aduerſ. Marcionē à med.

Cyprianus.

Cyrillus Ieroſolymit.

Chriſtum in aliena veſte qui illudant.

1. Tim. 5.

Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die; nam antea inimici erant ad inuicem. Hinc coniectura ſumitur, quod ratio inimicitiæ fuerit, quòd Pilatus occidiſſet Galilæos inconſulto Herode, quando ſanguinem eorum miſcuit cum ſacrificijs. Miſſio ſiquidē Ieſu ad tribunal Herodis ideò amicitiam interpollatam, & errorem reſarcit; quia erat iuriſdictionis Herodis quædam agnitio, & tanquam profeſſio Pilati, quòd non ex propoſito Herodis iuriſdictionem violaſſet, ſed caſu quodam aut neceſſitate id contigiſſet. Significatur autem hac reconciliatione, impios etſi alioqui inter ſe diſſidendo, conuenire tamen inter ſe in eo, vt veritatem & iuſtitiā inſectentur, & impletum eſt illud Pſalmi: *Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius:* quod de Herode & Pilato dictum interpretantur Apoſtoli in Actis. Ita tyrannis & hæreticis præſertim in hoc conuenit, vt licet diuerſa & contraria dogmata tueantur, Eccleſiam Chriſti tamen ſemper oppugnent. Quare rectè Beda in hæc verba ſcribit: *Hoc nefandiſſimum Herodis & Pilati fœdus, quod in occidendo Chriſto pepigerunt, hactenus eorum velut hæreditario iure ſucceſſores cuſtodiunt, quando Gentiles & Iudæi ſicut genere & religione, ita etiam mente diſſidentes, in Chriſtum tamen perſequendis, Chriſtiq; in eis fide interimēda conſentiunt.* Hactenus ille. Significatur autem fructus paſſionis Chriſti qualis fuerit. Eſt enim vnio inter Iudæos & Gentiles, qui prius Deum homini vniuerat; quare Apoſtolus ait: *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* Eſt etiam vnio eorum, qui diſcordia & odio ſe inuicem proſequebātur, in Chriſto tamen, & propter Chriſtum in pacem redeunt; & maximè in eo tempore, quo hæc myſteria in Eccleſia celebrabantur. Quòd ſi qui ſint qui nec eo quidem tēpore iniurias remittunt, aút acerbitatem animi non deponunt; Herode atque Pilato profectò ſunt deteriores, cum medio Chriſto de altari ſumpto recōciliari nolint. Ceterùm hic Herodes iuſtum meritis ſuis ſupplicium accepit: quia enim Herodiadis perſuaſione iniuſtè Ioannem interemit, & quia Regiam Chriſti dignitatem irriſit; ideò commeruit, vt eiuſdem Herodiadis inſtinctu ad propriam cooperaretur perditionem, & regiam illa inſtigante ambiendo dignitatem, quem habebat principatum amitteret, relegatus in exilium à Caio Lugdunum: vt teſtis eſt Ioſephus libr. Antiquitatum. ¶ *Pilatus autem conuocatis Principibus Sacerdotum, & magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi auertentem populum; & ecce, ego coram vobis interrogans, nullam cauſam inuenio in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis. Sed neque Herodes; nam remiſi vos ad illum: & ecce, nihil dignum morte actum eſt ei.* Rurſus Pilatus etſi Ethnicus longè iuſtiorem Iudæorum ſanctiſſimis ſe oſtendit. Vide igitur quāto labore conetur innocentē Chriſtum de manibus Iudæorum eripere, quāobrem dedita opera conuocat maiores, & minores Iudæorum, vt in tanta multitudine inueniat aliquos, qui eius innocentiæ & iuſtitiæ patrocinentur. Et vocat hominem, non latronem, nō nequam, vel ſeditioſum.

Cauſæ inimicitiæ Herodē inter & Pilatũ quænam interceſſerint.

Luc. 13.

Quid hæc reconciliatio Pilati cum Herode nobis inſinuet.

Pſal. 2.

Actor. 4.

Tyrannorum proprium, & Hæreticorum quid.

Beda in Luc. cap 93. tom. 5.

Gentium & Iudæorum in Chriſtianos conſpiratio.

Fructus paſſionis Chriſti.

Epheſ. 2.

Herode atque Pilato inter ſe tandem reconciliatis deteriores qui.

Matt 14

Herodis cum ſua Herodiade exitus infelix.

Ioſeph. lib. 18 Antiq. c. 14

Pilati ad [illegible] Chriſtum [illegible] & conatus.

tioſum. Obtuliſtis mihi hominem: quid magnum feceritis, ſi hominem miſellum damnaueritis? Et ait, quaſi auertentem populum, non auertentem à diuinis legibus, aut humanis, & ſuperioribus ſuis. *Et ecce, ego coram vobis interrogans.*

Quemadmodum Pilatus Ieſum interrogauerit.

Non colludendo, aut per iocum, vel occultè ludendo cum eo; ſed coram omnibus ipſum interrogans, nullam cauſam inuenio cur iure ſit è medio tollendus. Pulchrè ait hoc loco Ambroſius: *Pilatus abſoluit Chriſtum iudicio, crucifixit myſterio.*

Amb li. 10. in Luc. 10 ſ.

Et ne exiſtimaretis me fortè in contemptum veſtri, aut in gratiam huius nonnihil diſſimulare; remiſi eum ad Herodem: ſicut vos ipſi teſtes eſſe poteſtis, qui ſecuti eſtis eum, & omnium rerum oculati ſpectatores fuiſtis.

Chriſti integritas & innocentia.

Atqui Herodes, ſub cuius iuriſdictione natus eſt, & conuerſatus, & cui plus iuris eſt in hunc, quàm mihi, nihil dignum morte in eo deprehendit. Si crimina, quæ illi obijcitis, vera eſſent, & ſecundùm legem veſtram, & conſuetudines, certè Herodes agnouiſſet; & tamen nihil dignum morte iudicauit eũ perpetraſſe: vnde quaſi de leuitate, & ſtultitia damnauit eum. Cuius iudiciũ ego ſequens, emendatum eum dimittam, id eſt, vt Græcè dicitur παιδεύσας, correptum ſcilic. ſiue caſtigatum, ſeu flagellis cæſum, quæ vox infra repetitur, cùm ait: *Corripiam ergo illum, & dimittam:* ne quis putet hunc locum intelligi de correptione per verba, poſterior verò de correptione per verbera: vt ſi quid per imprudentiam peccaſſet, lueret, & vt vobis nonnihil videar credidiſſe.

Quid eſt: Emẽdatum Ieſum dimittam.

Putauit Pilatus Ieſum non morte dignum, ſed ſatis eſſe, ſi præter illuſionem factam ab Herode, flagellis caſtigatus dimitteretur. Inuenit Ieſus in domo Herodis albam innocentiæ veſtẽ per humilitatem & taciturnitatem: quam Adam per ſuperbiam & loquacitatem cum dæmone amiſerat. Ille perdidit in paradiſo, volens ſcire bonum & malum: Chriſtus mutus & fatuus iudicatus, nobis reſtituit.

Secundi Adæ, Chriſti ſcilicet cum priore contentio. *Geneſ. 3.*

Teſtatur Salomon: Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat: hoc eſt, innocentia & miſericordia ſpiritualis nũquam à te diſcedat.

Eccleſ. 9. Veſtimenta candida in Scripturis, quidque oleũ ſignificent.

Et quanquam innocentia à magnatibus, ab aulicis & aſtutis irrideatur: nam ſcriptum eſt: Deridetur iuſti ſimplicitas: conſtanter tamen huiuſmodi deriſiones feramus cum Chriſto, qui paulò poſt eſt agnitus Dei virtus, & Dei ſapientia, cui cum Patre, & Spiritu ſancto ſit ſempiternus honor, gloria, & gratiarum actio in perpetuum, Amen.

Innocentia à quibus habeatur ludibrio.

Iob 12. *1. Cor. 1.*

TRACTATVS XXVIII.

De collatione Ieſu cum Barabba, eiuſdemq; poſtpoſitione, & viſu vxoris Pilati, in illa verba: *Eſt autem cõſuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Paſcha. Vultis ergo dimittã vobis Regem Iudæorũ? Clamauerunt rurſum omnes dicentes: Non hunc, ſed Barabbam. Erat autem Barabbas latro, &c.* Ioan. 18. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.

TENTAT rurſus Pilatus alia via Dominum liberare, proponẽdo electionem in die Paſchatis liberandi vnum vinctum, quem voluiſſent. Vbi notandum eſt, à quatuor Euangeliſtis deſcribi hanc hiſtoriam: nam præter Ioannem ſatis conciſum, Lucas breuiter illam his verbis præſcripſit: *Neceſſe autem habebat per diem feſtum dimittere eis vnum. Exclamauit autem ſimul vniuerſa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam: qui erat propter ſeditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium, miſſus in carcerem.* Hæc Lucas. Sed Matthæus, & Marcus fuſius hoc pertractant: ait enim Matthæus *Et cùm accuſaretur à Principibus Sacerdotum, & Senioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduerſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad vllum verbum; ita vt miraretur Præſes vehementer.* Explicemus hæc pauca prius; deinde ſubiungemus quæ de Barabba ſequuntur, atque illis adiungemus, ſi quid noui occurret ex reliquis Euangeliſtis.

Cur Dominus ad Iudæorum criminationes coram Pilato nil dederit reſponſi.

Quod igitur in primis aſſerit Matthæus, Chriſtum ad obiecta crimina abluenda nihil reſpondiſſe; id ea ratione factum eſt, quia indigna putabat eſſe reſpõſione quæ illi obijciebantur, vel ipſo Præſide teſte. Deinde nulla iuris forma obſeruabatur, ſed clamoribus, vocibuſq; vehemẽtibus res agebatur in gratiam populi. Cæpit Dominus ſilere in domo Herodis, videbat reſponſiones non iuuare, nec Iudæos propterea comprimendos: elegit ſilentium, & cauſam ſuam Domino commendauit: *Vos,* inquit, *tacebitis, & Dominus pugnabit pro vobis,* & iterum: *In ſilentio & in ſpe erit fortitudo veſtra.*

Exod. 14. *Eſa. 30.* Cur Pilatus Chriſtum interrogans vehementer de illo miraretur.

Mirabatur verò Præſes vehementer Chriſti patientiã, non.n. aliquẽ reum expertus erat, qui omni linguæ vſu, & quibuscũque poſſet rationib. non ſe vellet tueri: mirabatur quòd nullus pro eo aperiret os ſuũ, maximè iudice propenſo ad eius patrocinium ſe oſtendente: admiratur quòd non petat remiſſionẽ, aut liberationem, cùm in-

nocens eſſet. Et quorſum mortem non timeret, cauſamq; tacendi non videt, ſed maximè loquendi? Conuictus enim tacere ſolet; innocens autem clamare ſemper conſueuit. Cæterùm Dominus exprimere voluit in ſeipſo quibus armis Chriſtiani contra mortem, & contra aduerſariorum criminationes decertare debeant, nempe innocentia, atque patientia. Dices: Qui negligit famam, crudelis eſt: non ergo rectè faciebat Chriſtus ſilendo. Reſpondeo ſciebat Dominus quòd nihil proficeret ſe excuſando, & ſciebant omnes apertè falſa eſſe quæ obijciebantur, meraſq; calumnias. Dices rurſus: Cur non obediebat ſuperiori Pilato præcipienti vt reſponderet? Aio Ieſum ſuperiorem fuiſſe Pilato, quare nec illi cogebatur reſpondere. Adhæc volebat cedere iuri ſuo, & myſterium redemptionis peragere. Mirabatur ergo Pilatus, cùm eſſet paratus tueri cauſam Ieſu, quòd ipſe ne verbo quidem ſe vellet defendere, & per tale ſilentium in iniurijs, iter panditur ad regnum cœlorum. Iam ſatis idoneè reſpondetat, dicendo, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, & quòd cauſa, ob quam miniſtri eius non comparerent, vt pro eo decertarent, eadem faciebat, ne ipſe pugnaret pro ſe à nece liberando.

Armis quibus contra mortē, aduerſariorūque criminatione. Chriſtiani ſit decertandum.

Qui negligit famam, crudelis eſt.

Cur Dominus Pilato non paruerit ſibi reſponſum præcipienti.

Qua ratione iter pateat ad regnum cælorum.

Subiungit Matthæus: *Per diem autem ſolennem conſueuerat Præſes populo dimittere vnum vinctum, quem voluiſſent. Habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barabbas*, de quo ſubdit Marcus: *Qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidium.* Statuendum in primis, teſtibus Matthæo & Ioanne, quòd hęc non erat lex, ſed conſuetudo tantùm, nata ex liberatione filiorum Iſraël de AEgypto: in cuius rei memoriam Deus inſtituerat feſtum Paſchę. Hanc conſuetudinem Lucas vocat neceſſitatem: *Neceſſe*, inquit, *habebat dimittere eis per diem feſtum, vnum*: quia conſuetudo lex viua eſt, & efficacior quàm ſcripta, quæ de ſuetudine abrogari poteſt interdum. Sed quidam inſurgunt contra hanc conſuetudinem, quaſi fictam, & hypocriſi plenam. Primò, quia erat contra legem Dei præcipientem ſontem occidi. Deinde contra legem Moyſi erat inſtituere aliam legem præter eam, quam Deus in Paſchate ſeruandam dederat per agnum, & azymos panes. Adhęc, cur non omnes vinctos dimittunt; cùm omnes eſſent in phaſe ex Ægypto liberati? His rationibus putant quidam hanc conſuetudinem ſolidè expugnaſſe. Sed profectò hęc argumenta ſolubilia ſunt: non enim in primis eſt contra legem id, quo confirmatur totius legis fundamentum, id eſt, egreſſus populi de Ægypto miraculis plenus, qui eo ligno magis in memoriam beneficij accepti veniebat. Nec eſt veriſimile, rem apertè contra legem acceptatam fuiſſe, & tot ſeculis à Sacerdotibus, Scribis, & Phariſæis, in qua Deus mirificè de clementia & miſericordia laudatur. Deinde conſtat Iudæos multa alia feſta in memoriam beneficiorum Dei inſtituiſſe, vt Eſther, Iudith, Machabæorum: & addere quædam quæ iuuant ad memoriam beneficij recolendam, non eſt quid contra legem facere. Tertiò, quòd non omnes eriperentur, id prudenter factum eſt: vt locus eſſet tùm iuſtitiæ, tùm miſericordiæ: ſicut etiam in piſcina vnus tantùm ſanabatur, qui prior deſcendebat in piſcinam; & ita ille vnus liberatus, erat ſymbolum omnium liberandorum per piſcinam ſanguinis Christi. Adhæc hæc conſuetudo approbata eſt in cōcilio Chalcedonenſi, vbi de reis non tantùm in foro exteriori apud Principes laicos, ſed etiam in foro Eccleſiaſtico coram Epiſcopis obſeruari ſolitam, conuincit conſuetudinem illam non fuiſſe prauam: quia miſericordia legem Dei, ſed ſupra legem: quia miſericordia ſuperexaltat iudicium. Cyprianus quoque ſermone de vnctione Chriſmatis in initio, tradit fuiſſe in more ſuo tempore, vt Principes aliquos vinctos remitterent in memoriam huius piæ conſuetudinis, carceremque patêre conſueuiſſe. Leo ſermone de Quadrageſima, in hunc modum ſcribit: *Quòd & Romani orbis potiſſimi Imperatores ſancta antiquitus obſeruatione cuſtodiunt, qui in honorem Dominicæ paſſionis altitudinem ſuæ poteſtatis inclinant, & conſtitutionum ſuarum ſeueritate mollita, multarum culparum reos præcipiunt relaxari; vt in diebus, quibus mundus ſaluatur miſeratione diuina, etiam ipſorum ſuperna bonitatis imitatrix ſit æmulanda clementia. Imitentur igitur Chriſtiani populi Principes ſuos, & ad domeſticam indulgentiam regijs incitentur exemplis. Non enim priuatas leges fas eſt auſteriores eſſe, quam publicas.* Hæc ille, quæ propterea adduximus, vt ex illis colligamus, conſtitutionem illam ſanctam fuiſſe & ſalutarem. Ac proinde damnandi ſunt illi Principes, qui in die Veneris ſancti, dum procumbunt ante Ieſu crucifixi imaginem, vt oſculando adorent, proijciunt faſcem libellorum ſupplicum, in quibus liberationes quorundam à pœnis, ad quas iure damnati erant, continentur: quas videntur Chriſto offerre; cùm tamen nihil deinde præſtent: nam hæc potius eſt illuſio ac irriſio Chriſti, quàm veneratio. Quod verò dicitur, *In die feſto*, non intelligas de omni Iudæorum ſolennitate,

Iudæorum cōſuetudo liberādi vnum vinctum in Paſchate, vnde ortum habuerit.

Exod. 12.

Conſuetudinis quanta vis.

Ioan. Ferus in Matth. & in Ioan.

Quibus argumentis nōnulli Iudæorum conſuetudinē illam contendunt legi fuiſſe contrariam & hypocriticam, quæ ſoluuntur.

Eſther 9.

Iudith 16.

Machab. 4.

Quare vnus tantum, non omnes ſoleret dimitti.

Ioann. 5.

Vnus ille qui ad piſcinam curabatur, quid præfiguraret.

Conc. Chal. act. 11.

Iaco. 2.

Cyprian.

Leo ſer. 2 de Quadrag. ſub fin.

Piam conſuetudinem illam aliquem ex vinculis liberandi, qui ſpernere videantur.

Quo tantū in die feſto vnus ille dimitti e vinculis conſueuerat.

ſed

ſed tantum de ſolennitate paſchali, in qua ipſi olim liberati ſunt de AEgypto egreſſi. Ideò Ioannes explicat: *Eſt conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha*: quod per antonomaſiam ſolet dici ἑορτὴ, id eſt, Dies feſtus, vt alibi apud Ioan. dicitur. Etſi poſt Origenem Theophylactus ſentiat hunc morem ſumptum ex Ionathæ filij Saul liberatione, qua eum populus iam patris ſententia morti addictum liberauit: vt dicitur in 1. Reg. volum.

Ioan 4 & 5. Orig. tract. in Matt. poſt med. to. 2. Theoph. in Lucam. 1. Reg. 14.

Deinde annotandum, quòd cùm Pilatus non potuiſſet liberare Chriſtum vt innocentem, tentat nunc liberare eum vt maleficum, & tanquam reum damnatum, & cõſuetudinem allegat: & antequam interrogationem proponat, ait Marcus: *Et cùm aſcendiſſet turba, cœpit rogare: ſicut ſemper faciebat illis*: vbi Græcè, vt notat Euthymius, legitur: *Cùm acclamaſſet turba, cœpit petere, vt vnus vinctus eis daretur.* Non enim legitur ἀναβάντος, ſed ἀναβοήσας. Et ſignificatur, turba eo tempore, quo circa Dominum Pilatus erat occupatus; cœpiſſe cum acclamatione petere vt faceret eis pro more recepto. Illud enim, *Cœpit*, referendum eſt ad turbam quæ immediatè præcedit, non ad Pilatum: vnde aliquid eſt addendum, vel ſupplendũ ad orationis perfectionem, nempe, Turba cœpit rogare, vel petere, ſcilicet vt faceret, ſicut ſemper faciebat eis. Vel iuxta noſtram Latinam lectionem: Cùm turba aſcendiſſet ad tribunal Pilati pro more recepto ſeruando, rogatura nempe vt pro conſuetudine vnus ex vinctis dimitteretur eis; tùm eã arripuit occaſionem Pilatus pro liberatione innocentis, duos proponens populo, ex quibus alterum eligeret.

Noua ſpecies Pilato obiecta Chriſtum abſoluendi inutilis tamen & inefficax penes perfidos Iudæos.
Euthym. in Matt. c. 67.

Tertiò notandum, dedita opera propoſuiſſe vinctum quendam inſignem, id eſt, inſignibus flagitijs, & malitia diffamatum. Erat enim ſeditioſus, homicida, prætereà, vt ait Ioan. latro, vt omni ex parte Barabbas dignus eſſet morte. Et ideò teſte Hieronymo, non propoſuit Pilatus alios latrones ſimul cum eo crucifixos, ſed Barabbam cęteris deteriorem omnibus: neque perſuadere ſibi potuit Pilatus aliquo modo futurum, vt peterẽt liberationem Barabbæ hominis tam peſtiferi, exitialiſque, imò communis totius ciuitatis hoſtis. Cũq; in more eſſet vt plebs peteret & Princeps proponeret quos vellet ex vinctis, vt plebs vnum ſeligeret ex illis: nunc è conuerſo Princeps ipſe petijt à plebe, & plebs ſubornata à Principibus Sacerdotum, ac ferocior reddita, negauit.

Quare Pilatus Barabbam potius quam alium quẽpiam ex vinctis, Iudæis propoſuerit.
Hieron. in Matt. tom 9.
Matt. 27.

Quartò, non eſt quouis modo probabile quod tradit Ruper. Pilatum animo ficto hæc feciſſe, & reliquiſſe in arbitrio populi electionem vnius ex duobus, quia ſciebat futurum, vt peterẽt liberationẽ Barabbę. In primis. n. durum videtur, quia erat cõſuetudo liberandi vnum in Paſcha, quem vellẽt ipſi, conferebaturq; innocentiſſimus cum nocẽtiſſimo, & ideò veriſimiliter exiſtimabat petituros Ieſu liberationem, ſaltem ne diſplicerent parentibus occiſi, & ob publicum, ac generale ciuitatis odium, quod ſolet concipi in ſeditioſos & homicidas; & ne ſaltem diſplicerẽt Præſidi, qui pro publica pace vellet poti⁹ occidi ſeditioſum. Et quia homicida, & latro, & ſeditioſus erat, poterat exiſtimari, quòd liberatus facilè poſſet aliud homicidium, ac latrociniũ perpetrare, aut aliam ſeditionem excitare. Adhęc ne ipſi petẽtes ſeditioſum, & homicidam liberari in ſuſpicionem venirent, quòd conſentirent in homicidiũ cum illo. Atq; hoc putabat Pilatus ſalua conſcientia potuiſſe facere: quia ſciebat Principes Sacerdotũ per inuidiã Ieſum ſibi tradidiſſe; vt tota tãti ſceleris, ac flagitij culpa in Principes Sacerdotum, & Seniores recidat, quia tradiderũt ex inuidia, & ſubornarũt populum, vt peteret Barabbam. Alioqui, ſi Chriſtus dignus eſſet accuſatione & morte, nõ eſſet idonea cauſa ad ſaluandam eius conſcientiã, ſcire ꝙ ex inuidia eum tradidiſſent: nec excuſaret eos exemplum Domini liberantis adulteram culpabilem, quia Dñs non venit iudicare, & nõ fecit vt iudex, ſed vt aduocatus. Dixit enim: *Mulier, vbi ſunt qui te accuſant? nemo te condemnauit? Nemo Domine, ait: nec ego te condemnabo.* Debebant ſaltem Iudæi metuere, ne vnquam audirent à Pilato: *Innocentem interfici petiſtis, & ſeditioſum liberaſtis.*

Nequaquam Pilatum, vt quidam arbitrantur, ficto animo & ſimulato hoc feciſſe.
Ruper. lib. in Ioa. poſt med.

Quibus de cauſis Iudæi Barabbam velle debuerint eſſe in vinculis, & Ieſum abſolui potius ac dimitti.

Ioan. 8.
Quomodo adulteram Chriſtus abſoluerit.

Et ſubiungit Matth. *Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis; Barabbã, an Ieſum, qui dicitur Chriſtus? ſciebat enim quòd per inuidiam tradidiſſent eum.* Dum Pilatus optionem, electionemve dimittendi vincti in arbitrio populi relinquit, & dum Principes Sacerdotum plebem ſubornant, perſuadentq; vt petat dimitti Barabbã, Ieſum verò perdi; interim vxor eius miſit ad eum. De quo ſolus inter Euangeliſtas Mat. ita loquitur: *Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iuſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum.* Moris eſt iudicum, vt ſedentes ferant ſententiam in reos; quatenus non ſedatis affectibus, & paſſionibus rationis iudicium perturbantibus, vel ſententia falſa pronuntiatur, vel aliquo affectu prauo inficitur: ideò dicitur. Sedente illo pro tribunali. Et ſedes propria iudicum tribunal dicitur, locus nimirum excelſus in quo reſidebat, qui ius tribubus dabat; vel ex eo dictũ, quod

De vxore Pilati eum per internuntios admonente de Chriſti integritate & innocentia.

Iudices cur ſedentes de more ferant ſententiam.

Tribunal quid, & vnde dictum.

quod ius ſuum cuique tribuatur, dicta Hebraicè à Ioanne Gabbatha, id eſt, excelſa, vel alta. Eſt ergo tribunal iudicum, cathedra Doctorum & ſolium Regis, de quo; *Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit.*

Ioann. 19. *Eſai. 9.*

Pilati vxoris nomen. *Rabanus. Nice l. 1. c. 30. circa med. Corn. li. 3. Annal. aliquanto ante med. Digeſt. libr. 1. Tit. 16. de off. Procons. & lega. §. 4.*

Miſit ad eum vxor eius. Quæ à quibuſdam dicitur Procula, vt à Rabano: Nicephorus vocat eam Proclen, Cornelius Tacitus inducit diſputantes duos ſenatores in vtramque partem, an ſcilicet expediat, legatos, prætores, & prouintiarum præſides ducere vxores ſuas in comitatu, dum ad prouintias adminiſtrandas deſtinantur? Et in libr. Digeſtorum habetur: *Proficiſci Proconſulem melius quidem eſt ſine vxore. Sed & cum vxore poteſt; dummodo ſciat Senatum, &c. cenſuiſſe futurum, vt ſi quid vxores eorum, qui ad officia proficiſcuntur, deliquerint, ab ipſis ratio, & vindicta exigatur.* Hæc ibi. Non eſt dubium, quin ab vtraque parte rationes probabiles exiſtant: ſed quicquid de hac re ſit, conſtat Pilatum vxorem ſuam ſecum duxiſſe. Nitebatur Pilatus tantopere liberare Ieſum: primò, ex æquitate naturali, quæ dictat laborandum pro liberatione innocentis à morte, & maximè Chriſti, quem nouerat ex inuidia traditum eſſe. Vt enim doctè annotat Iuſtinus Martyr, bifariam dicitur ignorantia. Aut enim nolens ignorat, dum res ad cognitionem ducentes non habet: aut volens ignorat, dum ad cognitionem ducentes habet, ſed cognoſcere non vult. Hanc voluntariam ignorantiam ſolent diuinæ literę modò ignorantiam, modò cognitionem appellare. Cognitionem, dum dicunt; Et me ſcitis, & vnde ſum ſcitis; hoc eſt, Poteſtis à factis meis cognoſcere mei nominis, meorumque dictorum veritatem, cùm mentiens non poſſit hæc facere. Ignorantia autem; Quia excæcauit eos malitia eorum, vt videntes cæci fiant, & eatenus proprijs affectibus ducti per inuidiam, tradiderunt eum. Sic ille in ſenſu. Deinde id fecit Pilatus ex officio: quia iudex, qui capitalibus præeſt cauſis, non debet conſentire in necem innocentis, ac iuſti non conuicti, nec confeſſi, nec idoneè probati nocentis. Tertiò, ex inſtinctu Dei, & Spiritus ſancti iuuantis per vxorem ſuam, & dehortantis à nece. Quartò, hoc producitur in condemnationem Iudæorum, quòd Gentilis ſolo lumine naturæ plus viderit iuſtam Chriſti cauſam, quàm Iudæi eruditi in lege, & Prophetis: quòd inuidia & odio cæcati eſſent. Datur que exemplum, vt iudices gerant ſe pro aduocatis in cauſis innocentum, quos vident amicis, aduocatiſque deſtitutos, qui pro eis agant. De hoc autem viſu primò indagandum eſt, cur vxori, & non viro factus fuit: Secundò, an noctu, an interdiu factus ſit: Tertiò, an ab Angelo, bono ne, an cacodæmone: Quartò, quid ſignificat, & quorſum in Euangelio producitur. Ad primum dubium reſpondet Chryſoſtomus, dicens. *Aduerte rurſus, quàm mirabile hoc eſt, quàm ſufficiens omnes illos reuocare: ad rerum enim periculum, & innocentiæ argumentorum claritatem, non parua res, ſomnium acceſſit. Cur autem ipſe Pilatus ſomnium non vidit? Aut quia mulier dignior erat: aut ſi præſens ſomnium hoc ſe vidiſſe dixiſſet, non ita ſibi creditum fuiſſet: aut quia non eduxiſſet, ſed ſecum ipſe tenuiſſet. Idcircò igitur ex diſpenſatione mulier vidit, vt omnibus notum fieret: nec ſolum ſomniat, verum etiam multa patitur, vt maritus vxori condolendo, tardior ad cædem redderetur. Temporis quoque opportunitas non parum conferebat: eadem enim ipſa nocte illo ſomnio fuit exagitata.* Rurſus Theophylactus in Matthæum: *O miraculum, qui iudicatur à Pilato, vxorem eius terret. Non ipſe autem videt ſomnium, ſed vxor; vel quòd ipſe indignus erat, vel quòd non creditum, habitusq; fuiſſet ad gratiam loqui: fortaßis etiam tacuiſſet talia, cùm eſſet iudex. Prouidentiæ autem opus, ſomnium factum, non vt abſoluatur Chriſtus, ſed vt ſeruetur vxor.* Et vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum; eadem ferè Euthymius in hunc locum docet. Et profectò plerumque profuit, tales vxorum admonitiones non ſpreuiſſe: nam dixit Dominus ad Abraham: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Id etiam confirmat Iulius Cæſar, qui, vt teſtatur Tranquillus in vita eius, ſi Calphurniæ vxoris ſuæ ſomnio locum dediſſet, vitæ periculum euitaſſet. Nam per quietem viſa eſt ſibi videre collabi faſtigium domus, maritumq; in gremio ſuo confodi, ac ſubito cubiculi fores ſponte patuiſſe. Et quoniam, vt ait Paulus, *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem*, poterat Pilatus per vxorem, quæ iam fidelis eſſe incipiebat, ſanctificari. Denique erudimur, vllius, vel minimi conſilium non eſſe ſpernendum: quia vt habet prouerbium: *Sæpè etiam eſt olitor valde opportuna loquutus.* Et hæc de prima quæſtione.

Quæ cauſæ Pilatum mouerint vt Ieſum liberaret. Prima. *Iuſt. Mart. q. ad Orth. q. 140. tom. 3.* Ignorantia duplex, voluntaria, & inuoluntaria. *Ioan. 7. Infr. 12.* Secunda. Tertia. Quarta. Cur Pilatus ſomnium ipſe non viderit, ſed eius vxor. *Chryſoſt. ho. 77. in Matth. to. 2.* *Theoph. in Mat. c. 27.* *Deut. 19. & Matth. 18.* *Euthy. ibi.* Mulierum monita non ſpreuiſſe, interdū ſaluberrimū fuiſſe. *Geneſ. 21.* *Tranquil. in Iul. Cæſ. 81.* Calphurniæ Iulij Cæſaris vxoris ſomnium. *1. Cor. 7.* Vllius, vel minimi conſiliū eſt minimè aſpernendum.

Ad ſecundum dicendum eſt, nocte contigiſſe illi hoc inſomnium: nam vbi dicitur per viſum, Græcè habetur κατ' ὄναρ, id eſt, per ſomnium. Vnde alibi apud Matthęum ter dicitur apparuiſſe Angelus in ſomnis Ioſeph, & Magis, vbi habetur eadem dictio Græca. Non eſt igitur dubitandum, an vigilanti, an dormienti ſomnium hoc acciderit vxori. Ratio etiam videtur probare hoc; quia Chriſtus fuit præſentatus valde mane. Solent autem vxores magnatum, ſiue Principum non tam tempeſtiuè ſurge-

Quando contigerit hoc inſomnium, noctu, an interdiu. *Matth. 1. 2. & 2.*

re, atq;

Hieronym. in Matt. tom 9.
Chryſoſtom.
Euthymius.

re,atq; Principes, qui negotijs opprimuntur. Atque huius ſententiæ ſunt Hieronymus,atque Chryſoſtomus. Dormiens ergo ſomnium accepit. Et Euthymius annotauit verbum σήμερον, hoc eſt, Hodie,accipi pro nocte, ſicut alibi dixit Dominus apud

Luc. 22.

Lucam: *Dico tibi Petre,non cantabit hodie gallus,donec ter abneges noſſe me*,id eſt hac nocte.

Autor huius ſomnij quis fuerit, Angeluſne bonus, an malus.
1. opinio.

Ad tertiam dubitationem reſpondemus, Patres varias rationes reddidiſſe huius ſomnij. Nam quidam tribuunt cacodæmoni: diabolus enim conſiderans ordinem paſſionis Ieſu, & illum cum Scripturis conferens,& Ieſum videns cōſtanter pati, & fortaſſis Patres in limbo idcircò exultātes,cœpit in eam ſententiam deſcendere,quòd Ieſus eſſet Meſſias,per cuius mortē ipſe mundi tyrannide eſſet ſpoliandus, vt per Prophetas prænuntiatum fuerat: vnde quemadmodum eius mortem deſignauerat,quia eius prædicatione quamplurimos à peccatis auerti videbat,vt Zachæum, peccatricē, adulteram,& alios innumeros,ita nunc eādem mortem perturbare conatus eſt, mallens perpaucos amittere,quàm ab omni regno penitus excludi. Et quia vas ſuum cognouit diabolus fœminas eſſe, per quas hominum ruinam operari ſolet; vxorem Pilati illuſionibus & terroribus perturbās incitauit, vt viro ſuo ſuaderet hominis iuſti liberationem, oſtendens ei per viſum,terribile quoddā flagellum ei imminere,ac viro ſuo ex morte iuſti huius: *Nihil*, inquit, *tibi, & iuſto illi.* Ac ſi diceret: Cùm tu ſis iudex, ipſe verò reus nocens non ſit, ſed iuſtus, nihil tibi commune cum illo, qui ſolos reos iudicare habes. Vnde & vxores principes maritos prouocare ſolent, vt nihil cū Chriſto habeant communē: ſæpè enim fit, vt iudex iuſtus futurus eſſet,niſi vxore pelliciēte corrumperetur. Nam Baptiſta ab Herode ſeruatus fuiſſet, niſi ab Herodiade in ſæuitiam reuocatus fuiſſet; & Achab Iezabele inſtigante peruerſus eſt. Denique quid non peruertat vxor iniqua, ſi Adamum peruertere potuit Eua,nondum adeò iniqua? Hāc ſententiam primus ſequitur B. Ignatius epiſt. ad Philippenſes, cuius hæc ſunt verba: *Princeps enim huius mundi in hoc gaudet, quando quis crucem negauerit. Interitum enim ſibi ipſi eſſe cognouit confeſſionem crucis; hoc enim trophæum eſt contra eius virtutem; quod videns expaueſcit, & audiens timet. Nam & antequàm facta eſſet crux, feſtinabat facere hoc, & operari in filijs diffidentiæ. Operatus eſt autem inuidia in Phariſæis,& Sadducæis,in ſenioribus, & iuuenibus, & in Sacerdotibus. Cùm autem properaret, vt fieret,conturbabatur, & poſteà deſperationem immiſit proditori, & laqueum ei oſtendit,& ſuſpendium eum docuit, & mulieri immiſit timorem in ſomno ipſe,conturbans, & compeſcere tentans patibulum Crucis. Ipſe omnia euocans mouet in ſuam perniciem, nō recognoſcens; in tantum enim mala erant non omnia.* Bernard. quoque ſerm. de Reſurrectione Domini ſcribit: *Hoc eſt enim, quod dolet venenati ſerpentis aſtutia, exaltatum in deſerto ſerpentem æneum, cuius intuitu ſanentur vulnera,quæ inflixit. Alioqui quānam alio inſtigante miſiſſe credimus vxorem Pilati ad ipſum dicentem: Nihil tibi, & iuſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum? Timebat ergo iam tunc,ſed nunc maximè, virtute crucis eneruari,ſe ſentiens inimicus. Serò ducitur pœnitentia, & quos inſtigauit ad crucifigendum, inſtigat ad ſuadendum, vt de cruce deſcendat.* Hiſtoria Scholaſtica idem ſentit, dicens: *Iam Dei nutu poterat cognoſcere diabolus myſterium crucis, & ideò laborabat, ne Chriſtus moreretur. Fortè iam gaudebant ſancti in inferno: vnde hoc notauit.* Hæc ibi. Hanc eandem ſententiam Lyranus, Caietanuſq; ac permulti alij ſequuntur. Sed profectò hæc ſententia multos & graues autores ſibi aduerſantes habet,nōnullaſque, & illas quidem magni momenti rationes. Ex Patrib. igitur primus occurrit Origen. qui tract. 35. in Matth. hoc inſomnium diuinæ prouidētiæ tribuit, his verbis: *Volunt autem Euangeliſtæ non præterire rem diuinæ prouidentiæ,laudem Dei continentem, qui voluit per viſum conuertere Pilati vxorem, vt quantum ad ſe vetaret virum ſuum, vt ne audeat contra Ieſum proferre ſententiam. Et viſum quidem non expoſuit Matthæus, tantum autem dixit, quia multa paſſa erat per viſum propter Ieſum: & ideò per viſum paſſa eſt, vt ne amplius pateretur.* Et infra: *Vtrum autem & initium habeat cōuerſionis ad Deum, ex eo quòd multa propter Ieſum fuerat paſſa per viſum, Deus ſcit: tamen continetur etiam hoc in Scripturis quibuſdam non publicis.* Hæc ille, tradens hanc mulierem ad Chriſti fidem conuerſam ex traditione potiùs, quā ex ſcripturis. Deinde occurrit Athanaſius in Euangelium de paſſione & cruce Domini: *Cumque enim* (ſcilicet Ieſum) *de innocentia, ita excuſet Pilatus, quid aliud in mentem venire poteſt, niſi illum ipſum, qui ibi iudicio ſubiectus ſtabat Deum eſſe. Qui interim dum à Pilato iudicabatur, eius vxori oracula edebat, quò ſimul Pilatus ex ſilentio eius fortitudinem ſtuperet, & ex oraculis cognoſceret, eum, in quem ſententiam daret, non hominem, ſed Deum eſſe. Timuit igitur iudex reum ſuum, et magis quam ipſe reus videbatur, condēnari ſenſit, atq; ipſemet ſuam in Chriſtum, quaſi in ſe latam ſententiam cohorruit. Atque ideò etiam ſuas manus lauit, &c.* Vides quàm apertè Athanaſ. hoc oraculum vxoris tribuat ipſi Chriſto. Accedit & Chryſoſtomus, quem ſuperiùs produximus, cùm Theophylacto, & Euthy-

Luc. 19.
Sup. 7.
Ioan. 8.

Fœmina vas diaboli, & humanæ perditionis inſtrumentum exiſtit.

Matt. 14.

Gen. 3.

B. Ignat. ep. 8. ſub init.

Præconium Crucis ex B. Ignatio Martyre.

Mat. 27.

Bern. ſer. 1. de Reſur. Dom. ſub init.
Num. 21. & Ioan. 3.

Hiſt. Schol. cap. 167. in Euan.

Lyr. in Mat.
Caietan.

Altera opinio probabilior, magis recepta.
Orig. to. 2.

Pilati vxor Chriſti fidem amplexa eſt, ſecundum Orig.

Athan. to. 3.

Chriſti virtus & potentia.

Chryſoſtom.
Theophyl.
Euthym.

Chryſ. ho. 3. tom 3.

Euthymio: qui rationem reddunt, cur potiùs vxori quàm viro hoc inſomnium contigerit. Idem Chryſoſtom. hom. De myſter. cœnæ Dominicæ, & proditore, die quinta feria paſſionis; *Sedente*, inquit, *Pilato pro Tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi, & iuſto illi: multa enim paſſa ſum hodie in ſomnis propter eum. Ecce iudex terretur in coniuge: & vt crimini Iudæorum non præbeat in iudicando conſenſum, pertulit in vxoris affectione iudicium. Iudicatur ipſe, qui iudicat: torquetur, antequàm torqueat: & vt nihil mali in perniciem operetur inſontis, in ſomniis exagitatur vxoris. Iam quid ibi ageret iudicis conſcientia, ſi ſic torquebatur & coſta?* Hactenus ille, vocans vxorem eius coſtá, quia educta eſt Eua vxor Adæ de coſta viri.

Vxor Pilati ſub alluſione ad Euam, nomine coſtæ.

Geneſ 2.

Hieron. in Matt. 27. tom 9.

Hieronymus etiam in Matthæum in hæc verba annotauit: *Nota, quòd Gentibus ſæpè à Deo ſomnia reuelentur: & quod in Pilato, & vxore eius iuſtum Dominum confitentibus, Gentilis populi teſtimonium ſit.* Hæc ille, & rectè quidem, annotat, per inſomnia Gentes ſæpè eruditi, vt conſtat de Pharaone, cuius ſomnia explicauit Ioſeph, & de ſomnio Nabuchodonoſor, quod aperuit Daniel.

Gentibus ſępè à Deo ſomnia reuelantur, autore Hieronymo

Geneſ. 41. & ſeq

Dan 2.

Amb. li. 10. in Luc c. 16. to. 1.

Accedit Ambroſius, qui in Lucam ait: *Monebat vxor, lucebat in nocte gratia, diuinitas eminebat, nec ſic à ſacrilega ſententia temperauit.*

Hilar. Can. 33. in Matth. init.

Rurſus Hilarius in Matt. *Species in ea* (ſcilic. vxore Pilati) *Gentium plebis eſt, quæ iam fidelis eum, cum qua cõuerſabatur, incredulum populum ad Chriſti fidem aduocat. Quæ, quia ipſa multa ſit paſſa pro Chriſto, in eandem gloriam futuræ ſpei illum, cum quo conuerſatur, inuitat.*

B. Aug. ſer. 12. de Tempor in fin. tom. 10.

Geneſ. 3.

Adhæc B. Auguſtinus ſermon. de paſſione ita habet: *In natiuitate mundi vxor ducit virum ad mortẽ, in paſſione Chriſti vxor prouocat ad ſalutem. Illic ſerpentis ſubtilitas præcipitat, hic terror Angelicus reuocat; vt inde inciperet venia, vnde videntur prorupiſſe peccata.*

Leo ſerm 8 de paſſ. circa ini.

Leo ſermon. de paſſione: *Deniq; nec in accuſato eum aliquam reperiſſe culpam, nec in ſententia ſua tenuiſſe conſtantiam, docet ipſa cognitio: in qua iudex, quem innocentem pronuntiat, damnat, addicens iniquo populo ſanguinem iuſti, à quo abſtinendum ſibi & intellectu proprio ſenſerat, & ſomnio vxoris nouerat.* Hæc illi.

Pilati iudicis iniquitas, & impietas.

Hos veteres Patres recentiores alij ſequuntur, & rationibus illud euincere contendunt.

Rationibus quibus hęc nitatur opinio.

I. Ratio.

Satan Chriſtũ nequaquam agnouit eſſe Meſſiam.

In primis, quia illa ſententia ponit Satanam Chriſtum nouiſſe Meſſiam, & quòd per eius mortẽ liberandus eſſet mundus à peccato, & Satanæ poteſtate, cùm id cõmuniter negetur. Quod ſi nouiſſet, profectò cum eo congreſſus minimè fuiſſet. Deinde illud verbum, κατ' ὄναρ. ſiue per ſomnium, in Scripturis non de ſomnijs immiſſis à diabolo, ſed de illis, qui immittuntur à Deo per Angelum, vſurpatum inuenitur. Nam Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, vbi eadem dictio habetur, & de Magis ait; *Et reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem.* Et rurſus bis idem Angelus apparet in ſomnis Ioſeph: vbi ſemper dicitur in ſomnis, Gręcè eodem modo habetur, κατ' ὄναρ. Cùm igitur in omnib. his locis non niſi de apparitione Angelica accipiatur; nec hoc loco debet aliter accipi.

Matth. 2.

Infr. a.

Ibid.

III. Ratio.

Tertiò ponit illa ſententia Satanam ſtultum, cùm permitteret illa hora nuntiũ venire ad Præſidem talia nuntiãtem: quia interim dabat locum Principibus Sacerdotum, & Senioribus ad concitandam turbam, quod Satanas volebat, id eſt, necem Domini. Nam etſi dici poſſit, quòd Satanas liuore cæcat*, neſciat interdum quid fiat, ſæpeque ſit ſibiipſi contrarius: tamen hic durum videtur quòd ſimul, & eodem tempore per hos necem Chriſti, per Pilati verò vxorẽ eius procuraret liberationem. Nam vt Dominus dixit; *Si Satanas Satanam eijcit, aduerſus ſe diuiſus eſt: quomodò ergo ſtabit regnum eius?*

Satan ...

Matth. ...

IV. Ratio

Ioann. ...

Quartò conſtat, dæmonem intraſſe in Iudam proditorem Ieſu, vt Textus ait, & ita veriſimile eſt intraſſe in emptores, qui non minùs, imò fortè grauiùs peccarunt: quia Iudas ex auaritia tantùm Dominum prodidit, Iudęi ex odio & inuidia occiderunt. Vnde ſe cõprehendentibus dixit: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* At Pilatus, vel vxor eius neque Chriſtum vẽdiderunt, neque emerunt; ideò apti erant, vt per eos loqueretur Deus.

Cur ... quer...

Luc. 22.

V. Ratio.

Rom. 13.

Quintò, bona mens, atq; animus Pilati meritò iuuandus erat à Deo, & Angelis eius, vt cognoſceret Chriſtum iuſtum, cùm omnis poteſtas, etiam pagana, à Deo ſit, & in eius vſu & exercitio, ſi impedimentum non exhibeatur, digna eſt quæ à Deo iuuetur. Et ita ſententia viri de Chriſto iuſto cõfirmata eſt per oraculum, quod vxor acceperat. Nec propterea impediebatur mundi redemptio per mortẽ Chriſti complenda: quia etiam Pilatus à ſententia contra Chriſtum abſtinuiſſet, poterat tamẽ mors Chriſto infligi aut per Iudæos, aut per alios à Pilato: ac proinde redemptio impedita non fuiſſet.

VI. Ratio ...

Poſtremò ſi mors Chriſti non fuiſſet per dæmonem procurata, iniuſtè videretur dominio, & poteſtate mundi priuatus: ſed propterea iuſtè damnatus eſt Satanas, & princeps mundi foras eiectus, quia auſus eſt temerarias manus in Chriſtũ Dominum inijcere per ſuos miniſtros; ac ob id non auocabat à morte Chriſto inferenda, ſed ad eam potiùs incitabat.

Ioann. ...

Satan ... & ...

Exiſtimo autem, quòd ſicut Iob, ſic & Dominũ tentandum ignorauit diabolus, neſciẽs quid mortis eius merito, & exemplo nobis profuturum eſſet: ſicut etiam finem Iob ignorauit.

Iob 1. & ...

Sed

Matth 4.

Hoc ſomnium vxoris Pilati quò tenderet.

Sed vincere Ieſum hoc extremo congreſſu tentauit, quem ſuperiore in deſerto non potuit. Hoc ergo oraculum, vel inſomnium vxoris eò tendebat, vt iuuaret bonam mentem Pilati: qui cùm præſes eſſet, atque ideò Dei miniſter, & minimè aliquo malo affectu contra Ieſum corruptus, impellebatur, atq; inſpirabatur à Deo ad iuſtitiam. Et ita vides, conatus eius ad liberandũ Dominum. Sic etiam vxor eius inſpirata eſt ad iuuandum virum ſuum, ne peccaret in Dominum. Sed interim diabolus, qui erat in cordibus Principum Iudæorum, dum Pilatus vxoris nuntium audit, per eos quoq; plebem corripit, vt mortem Ieſu peteret: quod opus diabolicum eſt, iuxta illud dictum Domini: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere:* loquiturque de deſiderio mortis inferendæ. Fortaſſis Satanas gauiſus eſt, ea hora nuntium veniſſe ad Pilatum, vt dum Deum audiret, ſpatium eſſet, quo turba perſuaſa, ac ſuborta peteret dimitti Barabbam, & Ieſum perdi. Deinde hæc vxor Pilati nobis pulchrè iuxta ſpiritum repræſentat iuſtitiam, quæ inſeparabiliter debet inhærere iudici, vt vxor viro, vt gignat filios iuſtitiæ: nam generatio rectorum benedicetur. Iſta mittit ad Præſidem nuntium, hoc eſt, rectam cogitationem admonentem, *Nihil tibi, & iuſto illi; & multa paſſa ſum propter eum.* Siquidem in iudicio, in curia ſeculari, & Eccleſiaſtica multa acerba, & indigna patitur, nẽpe iniquas allegationes, violentaſque ſuaſiones aduocatorum, mendacia ſcribarum, ſiue notariorum, periuria teſtium, munera, quæ etiam excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum. Hęc enim omnia tela ſunt, & iacula ad confodiendam iuſtitiam. Deinde hæc mulier, vt teſtatur Origenes, Hieronymus, & Lyranus in dictis locis, typum gerit Gentilitatis: quæ credens in Ieſum, & multas contumelias, atque tormenta propter Chriſtum patiens, cõtendit populum incredulum ad Chriſtum innocentem, verumque Dei filium trahere.

Opus planè diabolicum, & conatus.

Ioan. 8.

Satanæ ſardonicus riſus, & exultatio.

Vox Pilati iuxta ſpiritum, quid denotet.

Pſalm. 111.

Deut. 16.
Origenes.
Hilarius.
Hieronym.

Quænam res vulnerent, confodiantq; iuſtitiam.

Quid hæc mulier rurſus ſignificet.

Principes autem Sacerdotum, & ſeniores perſuaſerunt populis, vt peterent Barabbam, Ieſum verò perderent. Ita eos propria malitia excæcauerat, vt etiam plebem corrumperent. Et mirũ quomodo populus ita citò ſe permiſerit flecti ad tantum facinus. Sciebat enim populus, Chriſtum eſſe beneficentiſſimum, cuius beneficia quotidie expertus erat: ſciebat eſſe ſapientiſſimum, cuius doctrinam quotidie ſuſpenſus audiebat: ſciebat eſſe diuinum nuntium, eius enim miracula continenter attonitus ſpectabat: vnde igitur tam facilè ſe flecti permiſit? Profectò Chriſtus totus diuinus erat, non de terra, ſed de cœlo: non de mundo, ſed de Deo. Quod ſi de mundo fuiſſet, mundus, quòd ſuum erat diligeret: & magis ſimilis erat mundus Barabbæ, quàm Ieſu, vt propterea illum Ieſu præferri voluerit.

Bella Principum Sacerdotum, ſeniorumq; Chriſtum ad liberandum perſuaſio, & contentio.

Chriſti merita in plebem omni liberationis poſtulatione digniſſima.

Ioan. 15.

Quæres fortaſſis, quænam erant rationes, quibus vſi ſunt Sacerdotes, ac ſeniores, ad ſeducendam tam facili negotio plebem? Fortè dicebant, Pilatum permiſiſſe hoc eorum electioni, vt faceret periculum cordium ipſorum: quia ſi peteret Ieſum liberari, planè cognoſcerent, quòd vellent habere caput, & ducem rebellionis in Cæſarem, & in Romanos, eum ſcilicet, quem paucis antè diebus palmis, & acclamatione Regem acceperant. Nam etſi Pilatus vocaret Ieſum Regem, aut Meſſiam, vel Chriſtum: hoc erat ob contemptum, & per ironiam. Adhæc dicebant plebi, non eſſe aliud peccatum blaſphemia deterius, per quam ſibi quis diuinitatem vſurpat; quodque hoc facinus omnia peccata, furta, homicidia, & ſeditiones, quas fecerat Barabbas, vinceret. Item quòd Ieſus erat iam conuictus de blaſphemia: quia iam venerat in manus miniſtrorũ iuſtitiæ. Cumq; non potuerit ſe hactenus ab eis eripere; argumentum eſſe, ipſum minimè diuinitatem habere, ſed ob tantam audaciam, & temeritatem iuſtè à Deo puniri. Præterea, quòd nullus compareret ad tuendam eius cauſam, imò eſſet à ſuis derelictus, negatus, & proditus: vnde apparebat, omnia eius miracula fuiſſe conficta. Rurſus aiebant; Si ipſe eſt Rex, & Meſſias noſter, poterit nos liberare à Romanis, nos verò eum ſequemur; atque adeò res tanta non poterit eſſe occulta, vel dubia. Quòd ſi tertia die à mortuis ſurrexerit, vt ſæpius dixit; ob hoc ipſum debet extingui, vt videamus ſi reſurgat: ſi enim non reſurrexerit; ſeductorem ſe prodet manifeſtè. Quòd ſi reſurrexerit, proſpiciemus nobis, & ſectabimur eum, & plebs non erit ampliùs in tot ſententias propter eum diuiſa.

Quibus rationibus Iudæorum ſeniores perſuaſerint turbis, vt Ieſu necem poſtularent.

Matth 21.

II. ratio.

Criminis blaſphemiæ atrocitas.

Tertia.

Matth. 16.
Infr. 17.
Infra 20.
Infra 26.

At illi dixerunt, Barabbam. Populus Barabbæ potiùs, quàm Chriſti liberationem poſtularunt. Nam ex ipſis quidam Ieſum, vt ſeductorem, & falſum Prophetam habebant, & nemo pro eo reſpondebat, dicebantque: Melius eſt homicidæ, quàm falſo Prophetæ adeſſe: nam hunc omnes lege tenentur occidere, qui nos à vero Deo auerteret, & idololatras conſtitueret. Alij verò, etſi de Chriſto ſentirent benè, malebant tamẽ eum mori, quàm pro eo defendendo ſeditionem excitari. Alij ex malitia peccantes dicebant: *Hic eſt hæres, venite, occida-*

Quare populus Barabbæ potius, quàm Chriſti liberationem poſtulauerit.

Deut. 13.

II. ratio.

Tertia.

Matth. 21.

cidamus eum, & habebimus hæreditatem. Barabbas ſuis furtis & homicidijs non poteſt nos noſtro ſtatu ſpoliare, nec ille accuſare poteſt noſtram hypocriſim, neq; nos pondere vitæ ſuæ, aut doctrinæ, aut ſignorum autoritate grauare apud populum; nec ſi Ieſus maximè liberetur, à cœpto ſuo deſiſtet, ſed pertinaciter progredietur. Nam ſi præſentis mortis periculo non deijcitur, nec preces fundit, vt liber euadat, nunquam ſe gratia, ſed iuſtitia ereptum confitebitur; atque ita noſtræ autoritati, ac dignitati obſtrepere nõ deſiſtet, grauioremq; ſe nobis, ac difficiliorem quàm vnquam præſtabit.

Quarta.

Alij erãt ambigui, ac prorſus dubij, & mortem eius propterea deſiderabant, vt periculum facerẽt, an ſe ab illa poſſet ſubducere, veruſq; eſſet Meſſias.

Quinta.

Alij autoritate maiorum permouebantur, ac dicebant, Non poſſumus errare, ſi maiorum noſtrorum, qui eum cõdemnauerunt, ſententię adhæreamus, quiq; nobis perſuadent, vt eius cędem petamus; maximè cùm nullus pro eo, aut amicus, aut diſcipulus compareat; nec Pilati fauor iudicio maiorum noſtrorum præferri quouis modo debet; cùm ille ſit merè paganus, ignatuſq; rerũ diuinarum, noſtri verò ſint Iudæi, in lege, & Prophetis exercitati.

VI. ratio.

Erãt & alij, qui nulla ratione ducti aliorum voces ſectabantur, & clamores, neſcientes quid peterent: & fortè hæc erat melior pars.

Septima.

Erant rurſus nonnulli, qui vt oſtenderent ſe gratificari amicis velle, ſilebant, & ne viderentur eſſe ex diſcipulis Ieſu, cuius actiones, prædicationeſq; ſuas cupiditates ac licentias comprimerent, quaſi pleni Satanę ſpiritu vehemẽter clamabant.

Octaua.

Erant boni, & ſancti; qui in ſpiritu petebãt mortem Ieſu, vt à morte æterna ipſi immunes, ac liberi euaderent; atq; hi, qui perpauci erant, agnum occiſum ab origine mundi in ſpiritu Patri offerebant. (*Apoc.13.*) Et hi non peccabant, ſed deſiderabant virtutẽ mortis Chriſti ad Dei gloriam propalari, & mundi ſalutem: quia iam Chriſtus oſtenderat ſe velle mori, quando Petrum olim retrahentem à mortis propoſito, ne rurſus in horto caperetur, reprehendit: (*Matth.16.* *Infr.26.*) ipſeq; iam ſatis perſuaſerat Apoſtolis, vt eſſent contenti ſua morte. Non ergo illis imputabatur ad culpam hęc in ſpiritu poſtulatio mortis Chriſti, ſed ad meritum; quemadmodum & nos nunc de cæde Chriſti facta gloriamur, cùm perſpectam habeamus Dei volũtatem, & eius fructum ſentiamus, quanquàm ob noſtra peccata, quæ illius necis cauſa extiterunt, meritò dolere debeamus.

Quem (inquit) *vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt, Barabbam. Dixit illis Pilatus; Quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus? Dicunt omnes, Crucifigatur.* Rurſus petit, *Quẽ vultis vobis de duobus dimitti?* Vt agnoſcas, Præſidem ad reſpõſum eorum minimè attendiſſe, ſed vxoris nuntio aurem præbuiſſe. *At illi dixerunt, Barabbam.* Nam ſi Ieſus dimiſſus fuiſſet, nihil diei feſto datum fuiſſet: nam Ieſus innocens erat, & per ſe abſq; vlla diei feſti conſideratione dimitti debebat. Petiuerunt ergo Barabbam, qui nocens erat; vt typum gereret omnium peccatorum liberandorum per mortem Ieſu. Nam Barabbas pęr ſimplex r. ſcriptum, ſignificat filium patris ſui, hoc eſt, Adæ latronis, & homicidæ, qui furatus eſt Dei gloriam, & totum genus humanum peccato ſuo morti addixit: vnde & ſeditiones carnis in ſpiritum ortæ ſunt, vxorum in viros ſuos, filiorum in parentes, ciuium in rectores ſuos, atque ſubditorum in Reges. Si autem ſcribitur per duplex rr, ſignificat, vt Hieronymus ait, filium magiſtri: deſignatque idem genus humanum, cuius præceptor, atque inſtitutor traditus erat Adam. Et ſiue dicas Barabbam, ſiue Barrabã, priùs Ieſus pro eo apud Patrem, & magiſtrum omnium interceſſit, & veniam pro eo, ſalua iuſtitia, & miſericordia ſua obtinuit.

Cur Ieſus etiam in die feſto Paſchæ erat abſoluendus.

Barabbas ſimplici r ſcriptũ, quid ſignet quid verò duplici rr teſte Hieronymo.

Geneſ.3.

Hieronym.

Et conſulto dixerunt: *Non hunc, ſed Barabbam,* vt habet Ioannes, quia timebant ne Ieſum ſimul, ac Barabbam dimitteret.

Quare Iudæi dixerint, Non hũnc, ſed Barabbam.

Lucas ait, quòd exclamauit ſimul vniuerſa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam; vt intelligamus omnes filios Adæ ad vnum nos eſſe mortis ſuæ cauſam, tam laicos, quàm Eccleſiaſticos. Eſt autem hic clamor, venenum linguæ ſerpentis per eos loquentis, de quo Eſaias; *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; & iuſtitiam, & ecce clamor:* & Ieremias, *Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua: dedit contra me vocem, ideò odiui eam.* Sicut enim leo rugitu ſuo terret animalia; ita iſti clamore Pilatum adegerũt ad infligendam mortem Chriſto.

Cuius ore atq; afflatu ea verba protulerint iſti infelices.

Eſa.5.

Ierem.12.

Hæreditas Chriſti cur facta ei dicitur quaſi leo in ſylua.

Dixit illis Pilatus, Quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus? Dicunt omnes, Crucifigatur. Ait illis Præſes, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur. Lucas hoc fuſiùs explicat, dicens: *Iterum autem Pilatus loquutus eſt ad eos; volens dimittere Ieſum. At illi ſucclamabant, dicentes, Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertiò dixit ad illos, Quid enim mali fecit iſte? nullam cauſam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam. At illi inſtabant vocibus magnis, poſtulantes vt crucifigeretur: & inualeſcebant voces eorum.* In his primis aduerte, quòd quoniam ex conſuetudine diei Paſchæ aliquis maleficus liberandus erat; propterea Chriſtus innocentiſſi-

Ex conſuetudine Iudæorum vnum maleficum liberandi in Paſchate, cur Chriſtus vti noluerit.

Cur 4. ſimul Euangeliſtæ Barabbæ liberationem, Chriſtique damnationem perſcripſerint.

centiſſimus, qui talis non erat, non potuit illa conſuetudine liberari, vt diximus. Deinde aduerte, grandē fuiſſe iniuriam Chriſto illatā, in eo quòd Barabbæ poſtpoſitus eſt: & propterea à quatuor Euangeliſtis deſcripta fuit, licèt ſomnium vxoris Pilati à ſolo Matthæo recenſetur. Hinc Apoſtolorum Princeps Petrus in Act. s conqueritur de hac contumelia, dicens: *Petiſtis virum homicidam donari vobis: autorem verò vitæ interfeciſtis.* Cōqueritur & ipſe Dominus per Prophetam, dicens: *Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Vermis enim è terra deſuper in terram veniente generatur: ita Chriſtus ex Spiritu S. è terra virginea ſine patre genitus eſt. Vermis per terram repit, & ſine vlla commiſeratione pede conculcatus moritur, ſecùs agnus, vel hœdus, quibus morientibus naturali inſtinctu condolemus: Chriſtus cum maxima crudelitate, ſine vlla commiſeratione extinctus eſt. Vermis in eſcam piſcibus dari ſolet: ideò caro Chriſti, ſub qua deliteſcebat diuinitas, velut hamus occultus inſtar vermis facta eſt eſca in capturam draconis, ſiue ceti in perditionem, & eſca in capturam noſtri ad ſalutem. Opprobriū ergo hominum, ſcilicet Romanorum in illuſionibus illi factis in prętorio: & abiectio plebis, ſcilicet gentis Iudaicæ, vt interpretatur Euthymius, in prælatione Barabbæ: nam illum vt vita dignum elegit, & Ieſum abiecit, quæ priùs ſermonem eius abiecerat. Tertiò conueniebat, vt ſummè humiliatus infra omnes homines, ſummè in ſe exaltaretur. Vnde Propheta de eo ait: *Vidimus eum deſpectum, & nouiſsimum virorum.* Summa eſt autem deſcenſio, ac demiſſio, nequiorem latrone, ac homicida iudicari. Meruitque proinde Dominus, omnes, etſi infirmos peccatores ſibi vnitos ad ſummos gradus gloriæ prouehere; vt aliquo modo illud locum habeat, quod dixit: *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei.* Quartò, impleta eſt figura de duobus hircis, quæ habetur in libro Leuitici, ſuper quibus ſortem mittere videtur Sacerdos, quis eorum immolari Domino debeat, & quis in caprum eſſet emiſſarium dimittendus. Hircus vnus fœtidus, Barabbas eſt, alter Chriſtus: qui ſecundùm ſuam innocentiam verè erat agnus, ſed ſecundùm iniquitates noſtras, quas in ſe recepit, hircus erat, & hic, altero dimiſſo, immolatus eſt. Et qui caprum immolabat, de ſanguine eius ad altare aſpergebat, vt ſic propitiaretur Deus: qui autem educebat caprum emiſſariū in deſertum, immundus fiebat, donec ſe lauaret aqua luſtrationis. Ita Iudæi petentes Barabbam, immundi facti ſunt; nec vnquam mundari poſſunt, donec ſanguine Chriſti, & aqua Baptiſmi lauentur. Quintò aduerte, Iudæos, quia Ieſum ſanctum, & innocētem abiecerunt, & latronem Barabbam, homicidamque ſeditioſum prætulerunt, meritò incidiſſe in ſeditioſos, homicidas, & latrones, qui eos execrandis homicidijs, atque ſeditioſis latrocinijs à morte Chriſti vſque ad excidium vrbis attriuerunt, atque vexarunt, vt conſtat ex Ioſephi hiſtoria. Nam ſuis inter ſe ſeditionibus, ac latrocinijs, extremum ſibi exitum pepererunt; Romanumque Principem fortiſſimum, ac diuinæ iniurię vltorem reddiderunt. Sextò aduerte verba Pilati: *Nullam cauſam mortis inuenio in eo.* Erat enim (vt quidam docent) in eo cauſa mortis, quia Pater poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum: ſed hanc Pilatus in Chriſto inuenire nō potuit, quia paſſionis eius ignorauit myſterium: inueniunt fideles, eamque venerantur. Poterat tamen verti: Ego nullum crimen mortis (id eſt, mortiferum, ſeu morte dignum) inuenio in eo: quia vox Græca αἰτία, & cauſam, & crimen ſignificat.

Act. 3.

Pſalm. 21.

Vermem cur ſe Chriſtus appellauerit idemque opprobrium hominum, & abiectionem plebis.

Euthym. in Pſal. 21.

Qualis Chriſto exaltatio debebatur.

Eſai. 53.

Matth. 21.

Electio Barabbæ, Ieſuque abiectio, vbi præfigurata.

Leuit. 16.

Capri ritus immolandi lege pręſcriptus. Ibidem.

Iudęorum per liberationem Barabbæ, Ieſuque condemnationem contracta immūditia, vt mundetur.

Quid euenerit Iudæis ob prælatum Domino Barabbam.

Ioſeph. in lib. Antiq. & de Bello Iud.

Eſai. 53.

Cur Pilatus nullam mortis cauſam inuenerit in Chriſto.

Ex hac tanta contumelia Chriſto illata, diſcat quiſque patienter ferre, ſi in officio, aut beneficio apertè malus, aut certè minus idoneus ſibi præferatur: quia hoc eſt mundi ingenium, optimos quoſque indignis, ac ſceleratis poſthabere. Diſcat etiam is, qui electus eſt, non gloriari, aut ſibi quicquam propterea tribuere: quia Barabbas prælatus eſt Ieſu. Neque quiſquam ſibi de mundi applauſu confidat: quia plerumque qui minus digni ſunt, promouentur, relictis melioribus. Nemo ergo quòd ad Epiſcopatus, aut Cardinalatus, aut Papatus dignitatem ſit aſſumptus, propterea ſe ſanctiorem, aut maiori prudentia, aut doctrina prędıtum exiſtimet: neque ille, qui eum gradum non eſt aſſequutus, ob id animo cōcidat, aut virtuti minùs incumbat. Quia iſta Dei ſunt iudicia, à nobis quidem veneranda, ſed curioſiùs minimè ſcrutanda: & hac cogitatione Ieſu poſthabiti Barabbæ, facile quiſq; ſuę indignitati mederi poterit. Poſtremò diſcat quiſque in animo ſuo, Barabbam ipſi Ieſu minimè præferre; hoc eſt, creaturam Creatori, carnem ſpiritui, tempus æternitati, vitium virtuti, falſitatem veritati, dæmonem denique Chriſto. Poſt petitum Barabbam Pilatus interrogauit de Ieſu, teſte Origene; vt pudorem illis incuteret tantæ iniquitatis. In Textu ipſo conſidera, Pilatum dicentem, *Quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus?* conſilium petere quodammodo ab hoſtibus Ieſu, quid agat:

Chriſti documenta tria. Quale mundi ingenium.

Barabbam Ieſu præferre quid ſit.

Origenes. Quorſum id, Quid ergo faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus?

...atus quo-
...odò duobus
...minis ſerui-
...t imprudens
...atth. 6.

malos adhibuit conſiliarios; poſtea multa inijt conſilia de Ieſu dimittendo; ſic tamē, vt ſimul velit populo ſatisfacere, & Ieſu. Sed ſeruire duobus dominis nemo poteſt: ideò conſilia nullius vtilitatis, & plerumq; perniciosa ſunt. Neque debuit illis Pilatus aſſentiri, ſed repugnare, ac cohibere illorū praua deſideria. *Dicunt omnes, Crucifigatur.* Optabat Pilatus tale reſponſum à populo dari, quale ratio dictabat; id eſt, Fac de eo quodcūq; collibitum fuerit, vel, Fac de eo quodcunq; iuſtitia præſcribit: & ſic eum liberaſſet Pilatus. Verùm illi odio concitati, & ſubornati à Pontificibus, ſucclamant de cruce: Hinc rectè Ambroſ. *Nec meritò homicidæ ſolutionem petunt, qui flagitabant innocentis exitium: tales leges iniquitas habet, vt oderit innocentiam, ſcelus diligat.* Et Auguſt. *O cæcitas Iudæorum, ô furia phreneticorum: Noli ipſum dimittere, ſed Barabbam: quid fuit aliud, occidere, quàm occidatur Chriſtus Saluator, quia ſuſcitauit mortuum, dimittatur latro, vt iterū perpetret homicidium.* Hæc ille. Tertiò, ſecūdum Luc. dixit Pilatus: *Quid enim mali fecit iſte? nullam cauſam mortis inuenio in eo. Corripiam ergo illū, & dimittam.* Iterùm inculcat Pilatus innocentiam Ieſu, ſed nihil agebat, quia Pilatū defendentem cauſam Ieſu, putabant ab eo faſcinatum fuiſſe. Et ſaltem eius confeſſio gloriam dabat Deo, & veritati. Et iterum repetiuit illud verbum, quod de eo remiſſo ab Herode dixerat; *Corripiam ergo illum, et dimittam.* Laborat ergo, vt ſaltem aliqua caſtigatione Ieſu per flagella adhibita, Iudęorū animos mitiores redderet, ac magis ſedatos. Sed fruſtra omnia hæc remedia tentauit apud populum rebellem, ac durum. Nos igitur, ſi ſapimus, in hoc Pilatum non imitemur, ſed potiùs nos ipſos corripiam[9] caſtigemuſq; ſpiritum ſuperbientem, carnemq; noſtram laſciuientem, ac diuinæ legis iugum detrectantem: quò domitis animi noſtri perturbationibus, & carnis noſtrę cupiditatibus, Ieſum qui veritas eſt, & ſalus & vita, agnoſcere, & amplecti valeamus, eiuſq; verbum, ac legem ſtudiosè intelligamus, ac intellectam factis compleamus, vitamq; ęternam nobis comparemus, gratia, & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu S. perpetuò viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

...dæi cur cla-
...uerint, vt
...ſus crucifi-
...retur.

...mb. li. 10. in
...uc. c. 16 to. 5.

...ug. lib. 3. de
...ymb. ad Ca-
...chum ca. 5.
...m. 9.

...ilatus cur Ie-
...m innocen-
...m toties, ſed
...uſtra, tueri
...onaretur.

...ſum vt a-
...noſcere, &
...mplecti va-
...amus, quid
...obis facto
...opus.
...an. 14.

TRACTATVS XXIX.

De flagellatione Domini in domo Pilati, in illa verba Ioannis: *Tunc apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit.* Ioan. 19. Matt. 27. & Marc. 15.

HVIVS Myſterij, quod præſenti tractatu abſoluere cogitamus, Lucas nō meminit, ſicut nec aliarum contumeliarū: etſi apud eum Pilatus dixerit: *Corripiam ergo eum, & dimittam*, non tamen narrat executionem; Matthæus verò, & Marcus breui ſermone illud complexi ſunt. Ait enim Marc. *Pilatus autem volens populo ſatiſfacere, dimiſit illi Barabbam, & tradidit Ieſum flagellis cæſum, vt crucifigeretur.* Neque Ioannes pluribus verbis, quàm illis: *Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit*, proſequutus eſt. In hoc ergo myſterio exponendo, dicemus in primis, quorſum Pilatus Ieſum flagellauerit, deinde quoties; tertiò per quos, quartò vbi; quintò quomodò; ſextò quale nobis præbuit exemplum. Ad primū, perpende illationem illam apud Ioannem, Tunc ergo: Lucas enim bis dixerat; *Corripiam ergo eum, & dimittam.* Hoc enim aiebat Pilatus, vt ſatiato furore plebis per flagellationem, eum viuum dimittere poſſet: qua in re videtur Pilatus ſe, pluſquàm Herodes facturum promiſiſſe. Nam ille tantùm illuſit vt ſtulto; ſed Pilatus promiſit ſe eum caſtigaturum, vt iniquum, & vt Ieſus nomen regium ampliùs non iactaret. Tunc ergo Iudæi, cùm illud promitteret Pilatus, clamarunt quidem, ſed ita, vt cœperint eorum animi ſedari; non vt in flagellis ſiſterent, ſed vt ad crucem petendam progrederentur, vt poſteà fecerunt. Et vide quàm rectè dictum ſit, Herodem & Pilatum in morte Chriſti amicos eſſe factos. Cùm enim amicorum ſit idem velle, & idem nolle: ſicut Herodes apprehendit Petrum, & occidit Iacobum, vt placeret Iudæis, ita etiam Pilatus flagellauit Ieſum, vt Iudæis faceret rem gratam. *Vocauit ergo Pilatus Ieſum intra prætorium, & ait ad illum:* Apertè vides, odio, & inuidia gentem tuam contra te flagrare: nec enim ex quo ſum Præſes huius prouinciæ, apud me pro condemnatione hominis alicuius, vel ſceleſtiſſimi, tātùm inſtiterunt Iudæi, quantum modò pro te damnando. Vides etiam, quantum ego pro tua liberatione laborauerim: ſed eorum cōmotioni ac ſeditioni præualere non poſſum. Oportet ergo, vt te præpares ad flagella, feraſq; patienter, boniq; conſulas: quod quidē ego inuitiſſimè facio. Regula etenim generalis eſt, vt ex duobus malis imminentibus id ꝙ minus eſt, eligatur, vt maius vitetur. Faciam ego te flagellari, vt parcam tibi de cætero, ne moriare. Certè etſi pia eſſet Pilati mens, non tamē in totum excuſatur, quia nō ſunt faciēda mala, vt veniant bona, vt habet regula Apoſt. Nam & verberare, per ſe pœna eſt infamis, etiam hodie, ſi Cicero Actione

Flagellationem non meminit ſolus B. Lucas

Difficultates huius loci les explicandæ.

Cur Pilatus voluerit Ieſum corripere, ac deinde dimittere.

Amicorum idem velle, & idem nolle. *Act. 12.*

Verba Pilati ad Ieſum in prætorio.

E duobus malis minus eſt eligendum. *Rom. 3.* Pilatum benè licet in Chriſtum liberandum ... tum, non ... nes tamen iniuſti ... notas effugiſſe.

in Ver-

Cic. *Act. 7. in Ver.*

Pilatus Chriſtum damnãs ad mortem quorum typũ gereret.

in Verrem ait eſſe ſcelus, verberare ciuem Romanum:& ingenui, ac liberaliter educati præferunt mortem verberationi. Deinde verberare innocentem, maximè vt talem à iudice notum, quò accuſatoribus ſatisfaciat, maximum eſt delictum. Quot ſunt hodie Pilato ſimiles in omnibus regionibus; qui ſæpè etiam innocentes capiunt, opprimunt, & ſpoliant, non ob aliud, quàm quod ſciunt hoc placere, & gratum eſſe ſuis Principibus. Sed poterat, ac debebat Pilatus vi, ac poteſtate cohortis, Ieſum innocentem à manibus Iudæorum eripere, vt Tribunus Lyſias eripuit Paulum, & ipſe Pilatus Chriſto dixit: *Neſcis, quia poteſtatẽ habeo crucifigere te; & poteſtatem habeo dimittere te?* Sed oportebat verbum Ieſu impleri, quod ipſe antè prædixerat: *Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Imò longè ante incarnationem per Eſaiam prædixerat: *Corpus meum dedi percutientibus: & genas meas vellentibus*; & iterùm: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.* Et Dauid: *Quoniam ego in flagella paratus ſum*, & rurſum, *Congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui.* Præfigurata eſt etiam hæc flagellatio in Iob ſanctiſſimo, quem Satan percuſſit vlcere peſſimo, à planta pedis vſq; ad verticem capitis, & in Ieremia percuſſo à Phaſſure Sacerdote, quòd excidium vrbis prophetaret. Cœlius Rhodiginus in libris antiquarum lectionum de fuſtuaria caſtigatione apud Romanos vſitata ita ſcribit: *Si quis damnatus erat, accepto fuſte Tribunus vix tantum attingebat damnatum, quod vbi factum erat, omnes qui in caſtris inueniebantur, cadentes fuſtibus damnatum conficiebant.* Et infra ait, *Liberum fuſtibus cædi, flagellis ſeruum.* Ex qua antiquitate colligimus, Chriſtum primum iam damnatum ad crucem, à cohortis Tribuno prius fuiſſe percuſſum, deinde à reliquis. Atque hactenus de primo.

Actor. 24.

Ioann. 19.

Matt. 20.

Eſa. 50.

Infr 53.

Vbi prædicta ac figurata fuerit Domini flagellatio.

Pſalm. 37.

Pſalm. 34.

Iob 2.

Ierem. 20.

Cœl Rhod. li. 10. ant lect. cap. 5.

Flagellandorũ ritus apud Romanos.

Quoties flagellatus fuerit Chriſtus, ſecũdum aliquos.

Ad ſecundum. Sunt quidam, vt Ioannes Gerſon, atque alij plures: qui putant, Ieſum bis flagellis cæſum, ſemel quidem ad temperandum Iudæorum furorem, deinde verò, quia damnatos ad mortem, moris erat Romanorum priùs flagellari, cuius rei Hieronymus in hæc verba meminit, dicens: *Quærat eruditus lector, quomodò ſibi conueniat, Pilatum lauiſſe manus ſuas, & dixiſſe: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius; & poſtea flagellatum tradidiſſe Ieſum, vt crucifigeretur. Sed ſciendum eſt, Romanis eum legibus miniſtraſſe, quibus ſancitum eſt, vt qui crucifigitur, priùs flagellis verberetur.* Ita Hieronymus. Idem etiam habetur in apocrypho Nicodemi Euangelio, vbi Pilatus ei dixit: *Præcipio flagellari te, ſecundùm ſtatuta Piorum Principum.* Idem quoque docet autor hiſtoriæ Scholaſticæ.

Ioan Gerſ. in Monoteſ c. 164. Rub. 6.

Ioan. 19.

Apud Rom. qui crucifigendi erant, priùs flagellis cædi conſueuerant.

Hieronym. in Mat. 10. 9.

Petr. Comeſtor in Hiſt. Euan. c. 197.

Sed quidquid ſit de hac conſuetudine Romanorum, probabilius multò videtur, ac Textui congruentius, quod beatus Auguſtinus docet lib. De conſenſu Euangeliſtarum, ſemel tantùm flagellatum fuiſſe, eo nempè tempore, quo narrat Ioannes paulò ante ſententiam mortis. Quòd vero poſt ſententiam mortis pronuntiatam, Ioannes ac Marcus Euangeliſta narrant Ieſum flagellatum, intellige eſſe dictum per figuram recapitulationis. Hoc idem ſequuntur venerabilis Beda, ac Lyranus. Deinde probatur hæc ſententia: quia ſtatim poſt damnatum Chriſtum ad mortem, recenſetur ſimul flagellatio, & illuſio ſimul facta in veſte purpurea, arundine, ſputis, quæ contumeliæ, teſte Ioanne, longè ante ſententiam mortis ſunt illi illatæ. Ideò quod dicunt Matthæus & Marcus: *Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorio, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem:* intellige illud, *Tunc*, non lata mortis ſententia, ſed tunc ſcilicet, cùm eſt flagellatus. Tertiò, quia apertè ſatis Matthæus & Marcus docent, Pilatum flagellaſſe Ieſum, priuſquàm eum morti adiudicaret, & tenderet ad crucifigendum. Sic enim habet Græca litera: τὸν Ἰησοῦν φραγελλώσας παρέδωκε ἵνα σταυρωθῇ: hoc eſt, *Poſtquam flagellaſſet Ieſum, tradidit, vt crucifigeretur.* Id quomodò ſit executioni mãdatum, fusè proſequutus eſt Ioannes. Quartò, quia data ſententia mortis, vt crucifigeretur, ſecundùm Lucam, & Ioannem, ſtatim eductus eſt Dominus, baiulans ſibi crucem: nec illi expectabant vt de integro flagellaretur, illudereturve: tùm quod metuerent, ne Pilatus mutaret ſententiam, quam inuitus pronuntiauerat; tùm quia erat hora tarda, cùm eſſet meridies: tùm, quia iam ſatis flagellatus & illuſus fuiſſet, vt etiamſi ſine ſecunda flagellatione ad mortẽ duceretur, non poſſet dici non obſeruatus in eo mos Romanorum. Quod ergo dicitur à Ioanne flagellatus, & illuſus, in hoc loco narratum eſt; à Matt. verò & Marco vtrumq; dicitur per recapitulationem. At quod ſcribit Euthym. in Matt. quòd Pilatus bis tradidiſſet Ieſum, vt crucifigeretur, primò quidẽ ſimulatè, ob cauſam prędictam ab Euangeliſtis, deinde verò poſt omnia verba, quę ſolus Ioan. narrat ab eo loco: *Exiuit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras*, vſque ad: *Tradidit eis illum, vt crucifigeretur:*

Vnica tantum Domini flagellatio ꝓbatur.

D. Aug. lib. 3. de Conſen. Euang. c. 9. tom 4.

Marc. & Ioan. Ieſum, vt enarrant poſt ſententiam mortis à Pręſide flagellatum.

Beda in Ioa. to. 6.

Lyran.

II. argum.

Tertium.

Quartum.

Refellitur opinio Euthymij, bis Pilatum aſſerentis Chriſtum dãnaſſe ad Crucis ſupplicium.

Euthym in Mat. c 67.

Ioann. 19.

vbi primò ponderat, quòd eum tradidiſſet ſimpliciter, ſecundò vero tradidit eum illis: reuera hæc apertè ex textu reuincuntur. Et non niſi ſemel tradidit eum, vt crucifigeretur; quod narratur à 4. Euangeliſtis: in cuius ſignum ſtatim adiungitur, *Et exuentes eum purpura, eduxerunt eum ad locum crucis*. Secundò, ſi hoc verum eſſet, oportebat eum bis flagellatum eſſe, & bis illuſum, & bis coronatum; quod eſt improbatum. Semel ergo traditus eſt voluntati eorum, quæ erat vt crucifigeretur: niſi quòd tres priores Euangeliſtæ non texunt hiſtoriam, niſi vſq; ad Barabbæ propoſitionem; Ioannes verò multa poſtea addit geſta coram Pilato, quę in alijs deerant. Hæc pauca de ſecundo.

I. Ratio. — *Altera.*

Ad tertium dicendum, quòd flagellauit eum Pilatus per miniſtros, ſicut & per illos comprehenderat: quemadmodum dicitur de Herode, quòd occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio, & appoſuit vt apprehenderet & Petrum: quem cùm apprehendiſſet, &c. Principes enim, ac iudices hoc dicuntur facere per carnifices miniſtros ſuos, & Pilatus per milites ſuos, id eſt, Gentiles, nō Iudæos: quanquam & illi adeſſe potuerint flagellationi, & pretio oblato militib. comparare potuerint, (vt quidam meditantur ex noſtris) quò acriùs eum verberarent, & vt ex ſuo illuderent. Quod non fuit à Pilato præceptum: benè tamen conſenſit in illas illuſiones, vt magis placaret Iudæos. Porrò Iudæi, qui ingreſſi ſunt prætorium, non curabant de cęremonia illa, quòd contaminarentur per ingreſſum in domum Pilati, hominis Gentilis, modò poſſent grauiùs Chriſtum affligere. Gellius in lib. Noctium Atticarum, & Petrus Crinitus lib. de honeſta diſciplina teſtantur, *Cùm olim Hannibal Pœnus cum exercitu Italiam inuaſiſſet, & cum populo Romano aliquandiu fortiter dimicaſſet; primos totius Italiæ populos Brutios ad Hannibalem defeciſſe. Sed cum ſuperatus Hannibal Italia excedere cogeretur, ſuperatiq; Pœni eſſent, bono, atq; vtili exemplo Senatum, populumq; Romanum in Brutios animaduertiſſe, vt nunquam deinde pro ſocijs populi Romani haberentur. Et ignominiæ cauſa Magiſtratibus Romanis in Prouintias euntibus parerent, ac veluti mancipia quadam viliſſima ſeruiliter miniſtrarent. Itaque hi ſequebantur Magiſtratus, tanquam in ſcenicis fabulis, qui dicebantur Lorarij, & quos iuſſerant, vinciebant, aut verberabant.* Hęc Gellius. Idem etiam refert Feſtus Pompeius, *M quoq; Cato Q. Thermum acriter inſectatus eſt, quòd autor extiterit, vt Brutiani ſeptem viri vapularentur.* Ex quibus non improbabiliter elicimus, Brutios milites miniſtros fuiſſe Pilati, qui Dominum flagellarunt, & fortè etiam in crucem adegerunt. Sunt autem Brutiani, vel Brutij populi, quos hodie Conſentinos vocamus, cùm plagis vicinis, qui ſunt vt ferunt, ſupra trecentos. Perpende igitur, oēs contumelias in domo Pilati Ieſu eſſe illatas ad placandum Iudæos; vt erat verberatio, purpuræ indutio, coronæ ſpineæ impoſitio, illuſiones, & oſtenſio eius ad populum, cùm dixit: Ecce homo, & denique tradere eum voluntati eorum, Iudæis potiùs imputandas eſſe, quàm Gentilibus: quia ad illos placandos, ac mitigandos potiſſimum ſunt factæ.

A quibus fuerit flagellatus Dominus. — *Actor. 12.* — *Iudæorum egregia in Ieſum Meſſiam ſuum cum flagellaretur, miſeratio.* — *Eorundem impietas & immunditia, & vnde ꝑfecta.* — *Gel. li 10. Noctium Atti. c. 3 in fi* — *Pet. Crin l 2. de honeſta diſciplin c. 7.* — *Romanorū in Brutios animaduerſio, ob defectionem ab ipſis ad Annibalem Pœnum, hoſtē Romanorum.* — *Brutij cur Lorarij dicebantur.* — *Feſt. Pomp.* — *Quibus miniſtris Pilatus Ieſum flagellauerit.*

Porrò ſex fuiſſe, qui Chriſtū flagellarunt, quidam ex Chryſoſtomi & Hieronymi doctrina depromunt: nec remiſsè, ſed vſq; ad defatigationem; vt in ea re liceat hominū crudelitatem ſpectare. Sed cùm certa illorum autorum teſtimonia non depromant, videtur potiùs hæc ad piam quorūdam fidelium meditationem ſpectare, quā ad ſolidæ hiſtoriæ narrationem. Cùm igitur Pilatus non potuit liberare Ieſum per atteſtationem eius innocentiæ, nec per delegationem cauſæ ad Herodem, nec per conſuetudinem liberandi vnum vinctum in Paſchate; tentat liberare flagellando. Et hæc omnis defenſio, q̄ Pilatus exhibuit, eò tendit; vt appareat Ieſus non à commota, ſed à benè conſulta turba damnatus, atq; à Principibus Sacerdotū, Scribis, & Phariſæis iuſtè morti adiudicatus: vt cùm omnes ſancti eum condemnent, omneſq; ſapientes, ſolus Ethnicus. qui eum vix nouerat, defendiſſe videatur, & ſic maiori cum infamia pereat. Quis ergo noſtrum nunc audeat honorem ſuum tueri, & non potiùs ſeſe Chriſto credere, qui è maiori infamia illuſtriorem glōriam ſuam elicuit.

Quorundam magis pia, quā ſolida de numero Chriſtū flagellantium contemplatio. — *Iudæorum in Chriſtum odium implacabile.* — *Quanto dedecore illi, qui Pilatus in Chriſtum iniuria.*

Ad quartum reſpondemus, Dominū flagellatū in prætorio; qui locus erat amplus, quia in eo congregauerunt vniuerſam cohortem, quæ ad minus mille viros cōtinet, ſi caput illis præfectum dicitur Tribunus, & Græcè χιλίαρχος. Erat etiam locus deputatus ad examinandos reos, & ad torquēdum & cædendum, vnde dura erat, & ignominioſa flagellatio. Et rei, qui morte digni nō erant, virgis apud Romanos cædebantur, eratq; propriū eorum ſupplicium. Et ideò inter arma, virgarū faſces ante Conſules & Prætores, ac Prouintiarū Præſides deferebātur, ſicut & ſecures, de quib⁹ Poëta dixit:

Vbi cæſus fuerit Chriſtus. — *Cohors quot viris conſtat.* — *Romanorum Magiſtratuum iuris & poteſtatis inſignia conſueta.* — *Virg. li Æn. 6 fi. verſum.*

Vis & Tarquinios Reges, animamq; ſuperbam
Vltoris Bruti, faſceſq; videre receptos?
Conſulis imperium hic primus, ſæuaſq; ſecures
Accipiet.

Hinc Matth. hoc loco verbum Latinum in lingua Græca retinuit, dicēs; φραγελλώσας,

ſicut

Ioan. 2. ſicut Ioannes dixit Dominum feciſſe quaſi φραγέλλιον: quamquam Euthymius dicat φραγέλλιον genus eſſe flagelli, è funiculis, aut loris contextum, quo dorſa condemnatorum verberabantur. Hæc ille. Sed veriſimilius eſt fuiſſe virgas, vel virgam & lora. Et licèt Romani faſces virgarum ante ſe deferrent, nunc iuſtitiæ miniſtri vnam tantùm virgam manu geſtant. De hac flagellatione dixit Apoſtolus: *Ter virgis cæſus ſum*, ſcilicet more Romanorum, Et *à Iudæis quinquies quadragenas, vna minus, accepi*, & hoc more Iudaico.

Euthym. c. 67 in Matth.

Chriſtiani magiſtratus inſigne quod.

2. Cor. 11.

Ibidem.

Ad quintum, de modo dicendum eſt, ignominioſis rationibus illum fuiſſe tractatum. Nam in primis flagellandi, veſtibus ſpoliabantur, ad indicandum, eos nihil habere, quo peccatum ſuum tegere, aut excuſare poſſent. Ita ergo Ieſus, qui omnia, etiam lilia campi, veſtibus congruis induit, nudus producitur, & qui diuas Agnetem, & Barbaram & in opprobrium nudatas, miraculo grandi cœleſti lumine tegere vòluit, ſe ipſum non texit, vt teſtatur B. Brigitta infra citanda. Eſt autem homini liberali valde verecunda nudatio, & peccati pœna, vnde Adam poſt peccatum admiſſum, ad folia ficus confugit: & ita, vt confuſionem noſtram ſempiternam tolleret, confunditur coram omnibus. Vbi igitur primum totus nudatus eſt, tunc apparuit caro eius, & tunica interior inconſutilis ſanguinolenta ex ſudore horti: nec tamen tam inauditum ſpectaculum eos mouit ad admirationem, aut commiſerationem, aut ſaltem vt quærerent cauſam cruentæ carnis. Secũdò durè alligatur ille, qui ſoluit cõpeditos: timebant enim ſi incautè ligaretur, ne tãquã magus euaderet: Et qui Iſraëlitis olim de Ægypto egredientibus dedit nubis, & ignis columnam, nũc ad duram, politã ac frigidam alligatur columnã: in cuius ſummitate ferrũ erat ad ligãdas manus eius, ac pedes, ne huc illucq; ſe flecteret: vt patet in ea, quæ Romæ in tẽplo ſanctæ Praxedis magna veneratione aſſeruatur, & colitur. Huius columnæ etſi Euangelium non meminerit, illam tamen ex traditione cognoſcimus. Hinc Hieron. in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium, ait: *Oſtendebatur illi* (ſcilicet Paulæ) *columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur, & alligatus.* Prudentius quoque in Carmine, quod Enchiridion inſcripſit, de Columna propè finem ſic fatur:

Quemadmodum fuerit flagellatus Chriſtus.

Matth. 6.

Quæ ſanctæ virgines à tyrannis penitus enudatæ, fuerint contectæ diuinitus.

Gen. 3.

Iudęorum, atque carnificũ in Ieſum planè veſcera ferina.

Cur Chriſti alligatio ad columnam.

Pſal. 145.

Exod. 13.

Hier. tom. 1.

Prudentius. Romanus.

Eius columnę documentum ex Prudentio.

Vinctus in his Dominus ſtetit ædibus, atque columnis,
Ad nexus tergum dedit vt ſeruire flagellis.
Perſtat adhuc, templumq; gerit veneranda columna.
Noſq; docet cunctis immunes viuere flagris.

Sic ille. His accedit gloſſa in illud Lucæ: *Corripiam ergo illum, & dimittam*, ita dicens: *Quòd & verba Ioannis Euangeliſtæ, & ipſa columna teſtatur, ad quam ligatus fuit Dominus, quæ vſque hodie Dominici ſanguinis cernentibus certa ſigna demonſtrat.* Hæc illa. Hæc igitur columna, vt diximus, poſteà Romam ab Hieroſolymis eſt adducta, in qua extãt ſanguinis illius pretioſiſſimi maculæ. Deſignabat autem illa columna Eccleſiam, quã Apoſtolus vocat columnã, & firmamentũ veritatis, cui per vincula charitatis & vnionis hypoſtaticæ Ieſus erat ſtrictiſſimè deuinctus. Quidam etiam meditãtur, præter pędes, & man⁹ alligatas, etiam catenã, ſiue funẽ collo circumduxiſſe columnæ, vt nec manus, nec pedes, nec caput liberè mouere poſſet. Sed illi, qui ſponte ſe pro nobis neci dabat, fruſtra erant tot vincula. O pretioſos funes, qui talem gemmam alligatã habetis, vt poſſint ſecurè peccatores ad illam accedere, deprecaturi vt funes peccatorum ſuorum dirumpat. Non fuit vnquam tã pretioſum monile, ſimiliſve margarita, quæ mundum vniuerſum ditare poſſit atque iſta. Et triplici quidẽ flagello, ſecundùm Chryſoſtomum homilia 87. in Matthæum cæditur, ita vt carnes eius ſulcarentur, vt tandem flagellis Iudęorum furori ſatisfieret. Erant autem, ſi vera eſt illa opinio, ſex verberantes, quorũ primi duo virgis ſpinoſis percutientes eum vulnerarunt more Romano: ſecundi adhuc durius eum tractarunt flagellis ex neruis boum confectis, vt tradit Hiſtoria Scholaſtica in Euangelium: in quorum extremitatibus erant aculei acutiſſimi. Vnde Euthymius in Matthæum ait: φραγέλλιον *(quod nos flagellum dicimus) verber erat è funiculis, aut loris contextum, quo dorſa condemnatorum verberabant.* Sic ille. Tertij verò duriſſimè flagellabant catenis ferreis in modum diſciplinæ diſpoſitis, quibus carnes lacerabant, donec oſſa nudarentur coſtatum. Sic igitur addebatur plaga ſuper plagam, liuor ſuper liuorẽ, vulnus ſuper vulnus, & ſanguis ſuper ſanguinem, donec corpus illud delicatiſſimũ, ac Diuinitatis tabernaculum totum deformaretur, & appareret tanquam leproſi corpus, nec remaneret ei ſpecies, neque decor, vt ait Propheta. Impletumque eſt illud: *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores*; & illud quod Eſaias de populo Hebræo ad literam dixit: *A Planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Et quoniam ſcriptum erat: *Pro menſura peccati erit*

Glo. ord. in Luc. c. 23.

Eadem columna quid notauerit.

1. Tim. 3.

Eiuſdem encomium.

Chryſ. ho. 87. in Mat. to. 2.

Triplici flagello fuit Chriſtus verberatus, autore Chryſoſt.

Hiſt. Schol. in Euang. c. 168.

Euthym. c. 67 in Matth.

Flagellũ quid.

Eſa. 53.

Pſal. 128.

Eſa. 1.

Deut. 25.

& plagarum modus: ita tamen vt quadragenarium numerum in lege non liceret excedere: quia tamen ipſe communem mundi cauſam ſuſcepit, cui multa debebantur flagella, iuxta illud: *Multa flagella peccatoris,* & flagella eius ſunt peccata noſtra, de quibus Eſaias: *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum,* & : *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras; attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus:* Ideò innumera voluit ſuſtinere flagella, quæ ab eo iuſtitia diuina exigebat in ſupplicium noſtrorum delictorum. Reuelatum fuiſſe ferunt numerum ictuum, quos illi inflixere, perueniſſe ferè ad quingentos ſupra quinque millia, vt F. Ludouicus Granata in ſuis quartæ feriæ meditationibus tradit. Alfonſus Horozquus in declaratione vigeſima quarta tradit perueniſſe ad nũmerum 15370. Rudulphus autem in vita Christi docet cuidam ſeruę Dei reuelatũ 15490. vulnera ſiue ictus fuiſſe. Sed reuera hæc magis ex religione, & pietate excogitata ſunt, quàm ſint certa & explorata. Vnde & ſi ratione examinentur, à veritate & fide longè videntur aliena. Nam in primis aut Chriſtus flagellatus eſt more Iudæorum, aut more Gentilium. Si Iudæorum, non licebat quadragenarium numerum excedere, vt traditur Deutero. 25. Vnde & Paulus dixit: *Quinquies quadragenas, vna minus, accepi.* Si autem more Romanorum, etiam ſi atrox eſſet verberatio, modum tamen ſuum habebat, vt habetur in l. aut damnum, ff. de pœnis, cuius hæc ſunt verba: *Nec ea quidem pœna damnari quem oportet, vt verberibus necetur, vel virgis interimatur.* At quis, vel robuſtiſſimus Hercules, qui quinque millibus & quingentis ictibus non interimatur? & quot martyres legimus efflaſſe animam, cùm plumbatis, vel ſcorpionibus, vel fuſtibus cæderentur? Adhæc veriſimile non eſt, Pilatum permiſſurum fuiſſe miniſtros vt ſæuirent in Ieſum, quia deſiderabat à Iudæis eum viuum eripere: at quam, quæſo, vitam habere potuiſſet, ſi tanto numero flagellorum verberatus fuiſſet? Nec cogimur ad hanc ſententiam tuendam, dicendo Chriſtum flagella tanta, virtute diuina, & miraculo ferre voluiſſe, quò nos magis ſibi obſtringeret, & ſuo exemplo ad patientiam prouocaret: nam ſemper ſenſus Scripturæ, qui miraculum non ponit, præferendus eſt ei qui ponit, iuxta regulam à B. Auguſtino in libro de doctrina Chriſti traditam. Etſi verò tantus ictuum numerus non fuerit; erat tamen illa verberatio per Pilatum inflicta tanta, quanta ira & odium Iudæorum placari poſſet, & quanta carnificum poſcebat crudelitas, quantaque cauſa communis, id eſt, ſalutis omnium, ac diuina iuſtitia pro peccatis omnium exigebant, quanta denique erat charitas & obedientia patientis Ieſu, præſertim cùm vel pauci ictus tanti pretij & valoris eſſent apud Deum, quanti plurimi & innumerabiles. Dicam quę legi apud beatam Brigittam de hoc myſterio: *Deinde,* inquit, *ductus ad columnam perſonaliter ſe veſtibus exuit; Perſonaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici ſine miſericordia ligauerunt. Alligatus autem, nihil omnino operimenti habebat, ſed ſicut natus eſt, ſic ſtabat, & patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ. Conſurrexerunt autem inimici eius, qui fugientibus amicis ſuis vndique aſtabant, & flagellabant corpus eius ab omni macula & peccato mundum. Ad primum igitur ictum* (loquitur beata Virgo) *ego quæ aſtabam propinquius, cecidi quaſi mortua; & reſumpto ſpiritu, vidi corpus eius verberatum, & flagellatum vſque ad coſtas, ita vt coſtæ eius viderentur. Et quod amarius erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipſis flagellis ſulcabantur. Cùmque filius meus totus ſanguinolentus, totus ſic laceratus ſtabat, vt in eo non inueniretur ſanitas, nec quid flagellaretur; tunc vnus concitato in ſe ſpiritu quæſiuit: Nunquid interficietis eum ſic iudicatum? & ſtatim ſecuit vincula eius.* Hæc illa: & idem docet alio loco: *Tunc vnus inimicorum aſſiſtentibus lictoribus, dicebat: Vultis hominem hunc ſine iudicio occidere, & cauſam mortis eius veſtram facere? Et hæc dicens, ſecuit ligamenta illa?* O igitur animæ ſanctæ, atque electæ, ingredimini in prætorium, & ſpectaculo huic tam grandi Deo, & Angelis, & hominibus oculis fidei adeſtote. Videte igitur inprimis, quomodo ſpoliatur qui lilia veſtit; iactantur veſtes eius, & calcantur, quarum fimbriæ tactæ ſanabant fluxũ ſanguinis; alligantur manus, quæ panes multiplicabant, & tactu ſuo ſanabant infirmos; vinciũtur pedes defatigati in quærenda perdita oue; cæditur corpus propter eorum perfidiam, ieiunio, & cilicio afflictum; verberatur tenera illa, virginea, & Regia caro, atque adeò omnis carnis flos: vt niſi nouas vires plura ferendi ſuppeditaſſet diuinitas, reſpirationis inopia ſanguiniſque profluuio deficiens inter lictorum manus vitam conſumpſiſſet. Attende quòd ſimul adoratur à legionibus Angelorum, & ſimul flagellatur à miniſtris Satanæ. Perſpice quòd ipſe vires flagellantibus porrigit, mouens eorum brachia; nec tamen ictus vult temperare ſuos. Oculos conijce ad os manſuetum, & ad linguam illam patientiſſimam: non enim murmur

Peccata noſtra Domini fuere flagella.

Pſal. 31.

Eſa. 53.

Ibidem.

De numero ictuum quos Chriſtus in flagellatione ſuſtinuit fermè incredibiles quorundam meditationes.

Aug lib. 1.

B. Brigitta lib. 1. cap. 10. circa med.

De flagellatione Domini, ad B. Brigitti Virginis Deipara tradita.

Lib. 4. Reuel. c. 70. in princ.

Quid meditandum atque contemplandum in myſterio flagellationis Domini.

Matth. 6.

Infra 9.

reſonat

1. Petr. 2.
Eſa 53.

reſonat, non querimonia, & cùm maledi-ceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur, ſed tanquam agnus coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Meditare riſum, & cachinnos carnificum, ac minoſtrorũ Iudæorum; qui etiam pretio oblato, vt acrius flagellarent, ab eis obtinebant. Conſidera Dei Patris, atque Angelorum patientiam. O ineffabilis Dei benignitas, qua effectum eſt vt cæde filij ſeruus redimeretur ingratus. Audi in ſpiritu ſonitum ictuum, qui erat quaſi aquę ſuper canali defluentis in lapides politos. Vide quomodo ſe colligit Dominus tremens, & membra contrahens verſus columnam. Perſpice num quis ſit qui vicem eius doleat, aut qui ſimul cum ipſo cõtriſtetur: ſimulque fundit lacrymas, & ſanguinem, ſicut in horto, & dum pendens in cruce percuſſus in latere fecit.

Luc. 22.
Ioan. 19.

Cumque nihil inueniat, quo ſe à flagellis defendat: ſpontè offer ei cor tuum, precatus vt illo, quaſi clypeo quodam, ſe protegat. O bone Ieſu quò tua deſcendit humilitas? quo tua progreſſa eſt charitas? Ego vuam acerbam comedi, & dentes tui obſtupuerunt.

Ezech. 18.

Si non quereris de Pilati miniſtris, aut de Iudæis; ſaltem de me querere, qui cauſa ſum tuarum afflictionum, & pœnarum. Ego te ſpolio diſſipando bona tua in peccatis. Ego te verbero fune longo & continuo delictorum meorum. Ego flagellum triplicatum confeci ex cogitationibus immundis, detractorijs verbis, atque operibus ſceleratis, quo te flagellare non deſino, aut in proximo verberare non deſiſto. Debent igitur animæ ſanctæ vulnera Ieſu lambere, eaque lacrymis lauare viuis, ſi canes lambebant vlcera Lazari;

Luc. 16.

colligereque guttas ſanguinis ex prætorio, vt eorum animi, tanquam hortus quidam irriguus nobilem, & pretioſum fructum ferant. Vbi Dominus flagellatus fuit, & quidam reſecuiſſet funes quibus erat ligatus, recidit ſuper ſanguinẽ ſuum, quo erat ille impletus: ad hoc enim proderat funibus fuiſſe alligatum, ne ex virium defectu caderet.

Sacrum Ieſu pectus quando flagellatum.

Poſtquam igitur Dominus à columna ſolutus fuit, iterum in terra verberatus eſt, ne maneret illæſum pectus, quod columna tectum fuerat, vt à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſſet in eo ſanitas.

Eſa 1.
B. Auguſtin. ſer. de paſſ. citatus à Beat. Thoma in Catena aurea Matt. 27. cuius verba ſunt Chryſoſtomi ſer. 3. de

Hinc beatus Auguſtinus ſermone de paſſione Domini ſcribit, Ieſum proſtratum in terram fuiſſe flagellatum: quod potuit contingere, poſtquam ad columnam flagellatus fuit, de qua tamen Auguſtinus mentionem nõ fecit, ſed meminerũt Hieronymus, Prudentius, & Beda, quos ſuperius produximus.

proditore & myſterys cœna in 5. feria paſſionis.
Chryſ. tom. 3.
Hieronymus.
Prudentius
Beda.

Quale nobis exemplum præbeat Chriſtus flagellatus.

Gen. 37.
Infra 41.

¶ Ad ſextum dicendum, cõſueuiſſe Deum ſub operibus impiorum, quibus pij affliguntur, ſuã voluntatem, atque conſiliũ exequi, vt ſub Patriarchis vendentibus inſontem Ioſeph, & ſuã libidinẽ explentibus, elicuit Deus opus ſuum, exaltando illum in Principẽ & dominũ Ægypti: ita in hac flagellatione dũ Pilatus, ac Iudæi ſua agunt, Deus ſuum perfecit negotium.

I. documentũ. Dei ſapientia vincens ac deridens maliciã Iudæorum atque ſtultitiam.

Nam in primis pendit Ieſus pro Adam latrone, & ſeruis filijs fugitiuis.

II. documentum.

Deinde õmnia flagella & afflictiones piorũ in his ſuis verberibus ſanctificauit, & benedixit, ne amplius officiant, ſed potius proficiant, ac pietatem promoueant, Deuſque omnibus iuſtis ſeruis ſuis, ac propter ſe flagellis faueat. Hinc gloriatur Paul. *A Iudæis*, inquit, *quinquies quadragenas, vna minus, accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum*, & Apoſtoli cęſi ibãt gaudẽtes à conſpectu concilij, quoniã digni eſſẽt habiti pro nomine Ieſu cõtumeliã pati: quia Chriſtus in paſſione dedit nobis & meritũ & exẽplum, atq; præceptum patiẽdi.

2. Cor. 11.
Act. 5.
III. document.

Tertiò declarauit Deus in vnigenito Filio ſuo, qua ratione velit filios adoptiuos in hoc mundo tractari: nã ſi Deus vnigenitum & chariſſimum Filiũ flagellari paſſus eſt, quãto magis adoptiuos? flagellat enim omnem filium, quem recipit.

Heb. 12.

Sumus enim peccatores in furta propenſi, ac pueri inquieti, nec in ſchola Dei fructum vllum facientes: ideò ſæpè egemus paternis verberibus caſtigari, ne æternis ſupplicijs vapulemus.

Voces piorum ad Deum.
Pſalm. 37.
Act. 27.

Quiſque igitur cum Dauide dicat: *Ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper*, & cum Paulo: *Ego non ſolum alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum propter nomen Domini Ieſu.* Si ergo flagellato leone catulus timet, quomodo verberato leone de tribu Iuda pro iniquitatibus noſtris, nos putidi canes non timebimus impendens flagellum ęternum, niſi temporale illud redimamus?

Apoc. 5.

Quartum.

Prætereà vtilia ſunt hæc verbera. Vbi enim pater filium caſtigauit, ſuſpẽdit virgas in altum, quò filius illis territus non amplius peccet in parentem: ita coram oculis animæ habere contende hæc Chriſti verbera, & aut in æternum non peccabis, aut ſi peccaueris, libentius in pręſentia feres flagella ad tempus, quàm futura in æternum. Quod ſi te ſine peccato flagellari contingat, non miraberis; ſi Ieſus innocentiſſimus pro te flagellatus fuit: tua enim verbera Deus conuertet, aut ad gloriam ſuam illuſtrandam, aut ad tuam, & aliorum ſalutem promouendam.

Nobis tribulationum flagella quid conferant.
Iacob. 3.
3. Par. 6.

Sed quoniam in multis offendimus omnes, & non eſt iuſtus qui non peccet ſuper terram: conſultum eſt nobis, flagella, quę paterno

animo immittuntur, æquanimiter ferre, non dubitantes ea in bonum noſtrum, atque emolumẽtum cedere. Ecce equus tardus, ac piger ad progrediendum flagello excitatur, pulueres de veſte noſtra, dum verberantur, excutiuntur, arbor percuſſa, quæ reddit nuces, abundantiorem fructũ proferre cõſueuit: haud ſanè diſſimili modo nos flagellis Dei viſitati ad feruentius ambulandum in via Dei incendimur, & à leuiſſimo puluere venialium expurgamur, reddimurq; aptiores ad fructum edendũ: quia patientia opus perfectum habet. Sed quoniam qui parcit virgę, odit filium, vt teſtatur Salomon: propterea nos trepidare debemus, dum in hoc mundo à Domino non corripimur. Nam ſi extra diſciplinam ſumus, cuius participes facti ſumus omnes; ergo adulteri, & nõ filij ſumus. Proinde ſi contingat flagellum tardare, diſce inſtar ſanctorum virorum, tu ipſe tuæ carni flagella accerſere, iuxta illud: *Apprehendite diſciplinam; ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta*, & cum Paulo dicere: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo*: ſerioque à Domino precibus tuis obtinere contende, vt tui velit meminiſſe. Precareque Deum in hunc modum: Pater clementiſſime, ob meritum & myſterium verberationis Filij tui chariſſimi te humiliter ac ſuppliciter rogo, atque obſecro, vt des mihi flagella paternæ tuæ correptionis libenter ſuſcipere, nouiſque delictis nunquam te de integro flagellare, præſtante eodem Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui tecum vna cum Spiritu ſancto ſemper viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Quales tribulationes videri valeant.

Iacob. 1. Prou. 13. Heb. 12.

Cum à Domino non corripimur nos, quid conſilij capiendum. *Pſalm. 2. 1. Cor. 9.*

TRACTATVS XXX.

De illuſionibus factis Domino Ieſu in prætorio, quem induerunt chlamyde purpurea, & corona ſpinea, & arundine in manu, in illa verba. *Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius; & veſte purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Aue Rex Iudæorum, & dabant ei alapas, &c.* Ioan. 19. Matthæ. 27. & Marci 15.

Duplex genus hominum in mundo.

CVm duo ſint hominum genera, nobilium ſcilicet ac ingenuorũ, & rurſus obſcurorum, ac ſordidorum; hoc potiſſimum inter ſe diſtinguuntur, quòd illuſiones, ac deriſiones apud ingenuos grauiſſimæ contumeliæ cenſentur, & omnibus corporis doloribus minus tolerabiles; à plebeis verò, & infimis hominibus, qui honoris rationem aut nullam, aut exiguã habent, dolores grauiores illuſionibus habentur. Ad Chriſtum tamen illudendum, & pœnis flagellandum per ſuos miniſtros diabolus excogitauit illuſiones acerbitatis & afflictionis refertas, rurſus tormenta opprobrio & ignominia plena; vt ſunt, nudi & liberi hominis flagellatio, ſpinea corona, arundo, qua percuſſum fuit caput, denique crux ipſa, de qua neſcias an doloris, an verò ignominię maius ſit argumentum. De his igitur præſenti tractatu dicturi ſumus.

Satanæ in Chriſtum ... & in...

Cæterum illud ante omnia indicamus, idem eſſe quod Ioannes narrat; atq; illud, quod Matthæus docet: ait enim Matthæus: *Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dextera eius. Et genu flexo ante eo, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.* Idem ferè totidem verbis explicat Marcus; nam de his Lucas verbum nullum. Explicãda ſunt circa has illuſiones numerus earum, tempus, locus, miniſtri, cauſæque illarum, & poſtremo de qualibet illarum ſingillatim philoſophandũ eſt. Quantum ad primum, octo vel nouem videntur fuiſſe iſtæ illuſiones. Prima fuit, conuocatio vniuerſæ cohortis, quo quiſque vel oculos paſcat, vel ſe quoque actorem ingerat: ſecunda fuit, denudatio etiam tunicæ incõſutilis, & ſtolæ, vt ait Origenes, & induitio chlamydis coccineæ: tertia, impoſitio coronæ ſpineę: quarta iniuria, arundo in manu poſita: quinta, genu flexo in contemptũ dicere; Aue Rex Iudæorum: ſexta, dare alapas: ſeptima, expuere in eum: octaua, ſumpta arundine caput eius corona ornatum percutere: nona, oſtenſio eius per Pilatum ad Iudæos, cùm dixit: *Ecce homo*. Hæc de numero. Ad ſecundum Matthæus habet: *Tunc milites Præſidis, &c.* quod non eſt referendum ad ſententiam datam definitiuam mortis, de qua pręceſſit immediatè ſermo, ſed paulò antè, vt declarauit Ioannes. Nam tres priores Euangeliſtæ examinationem cauſæ ſuæ factam à Pilato in eo quòd propoſitus fuit Barabbæ, terminant: & ideò ſtatim ſubiungunt ſentẽtiam mortis prolatam à Pilato. At Ioannes quędam alia adiungit ab alijs omiſſa, quibus narra-

Illuſiones Chriſti per cenſentur

Orig. tract. in Math.

Quando illuſiones hę Chriſti contigerint.

tis, ſubiungit ſententiam Pilati de Chriſto morti tradendo. Propterea Matthæus, & Marcus manifeſtè per recapitulationẽ interpretandi ſunt, vt docet Auguſtinus, vt conſentiant cum Ioanne. Ideò particula illa Tunc, referenda eſt ad flagellationem, & non ad ſententiam mortis, vt poſt vnam flagellationis illuſionẽ intelligas alias quoque fuiſſe adhibitas. Et quod dicitur à Matthæo: *Exuentes eum*: intellige quando flagellatus eſt. Nam quid opus eſſet flagellatum indui, & ſtatim exui ad illudendum?

ug. lib. 3. de nſenſu uang. c. 9. m. 4.

Ad tertium, locus, fuit prætorium amplum, & patens, & capiens vniuerſam cohortem; vt ita illuſiones nudi hominis, & ingenui, grauiores, acerbioreſque redderentur coram multitudine. Marcus habet: *Milites autem duxerunt eum in atrium prætorij*: hoc eſt, vt Græcè habetur, in atrium quod eſt prætorium. Ipſum enim atrium cognoſcitur eſſe prætorium, id eſt, locus, in quo cognoſcebantur cauſæ, & ferebantur ſententiæ, vt ſignificetur, in domo iuſtitiæ tantum iniuſtitiæ fuiſſe commiſſum.

Vbi illuſus fuerit Dominus.

Ad quartum, autores illuſionum illarũ fuerunt milites Romani, ſiue miniſtri Præſidis; vt qualis Rector ciuitatis, tales & eius miniſtri deſignentur, gens videlicet contemptiſſima, abiectiſſimaque, quo videlicet illuſio Chriſti grauior redderetur. Ait enim Matthæus, congregaſſe ad eum vniuerſam cohortem: quæ ad minus mille militibus conſtabat. Vt ita intelligas, ſicut Romani flagellarunt, & crucifixerunt, ita etiam & illuſerunt, quemadmodum prædixerat Dominus: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.*

A quibus illuſus. *Eccli. 10.* *Matth. 20.*

Ad quintum, quæ cauſa extiterit harum illuſionum, non ſcribit Euangeliſta: Chryſoſtomus tamẽ & Theophylactus in Matthæum exiſtimant opus fuiſſe diaboli, aut militum volentium more ſui Domini gratificari Iudæis; vt ſi fortè Pilatus liberaret, non poſſet tamen diu ſuperuiuere. Quod ſi ſine licentia Pilati factum eſt: atrociſſimũ fuit delictum miniſtrorũ. Verba Chryſoſtomi hæc ſunt: *Quaſi omnes ex compoſito conueniſſent; ita ſigno dato ad choream omnes diabolus concitabat. Nam etſi poſſumus inuidia tabe exiſtimare ad inſaniam Iudæos concitatos fuiſſe, tamen qua de cauſa moti milites fuerint, non patet. Diabolus igitur erat, qui vniuerſos tunc illos occupauit; voluptatem etenim ex contumelijs propter immanitatem ſuam capiebant. Cùm enim oportuiſſet comprimi potius atque illacrymari, non ſolum hoc non faciebant, verum etiam è contrario, ſicut & plebs ipſa, & vituperabant, & inſultabant, Iudæis forſan gratificantes, aut ſuis vtentes moribus.* Hæc ille. At Auguſtinus libro de conſenſu Euangeliſtarum, putat hoc factum aut mandato, aut permiſſione Præſidis, quo ſcilicet Iudæorum animi magis mitigarentur, atque acerbitatem in Ieſum deponerent, ipſeque eum facilius eriperet. Pilatus itaque flagellatum, atque illuſum, & purpura, & corona ſpinea ornatũ eduxit eum foras. Siquidem intellectis, quæ dicta & geſta ſunt à Ieſu, & ſequacibus ipſius circa regni negotium (videlicet quod dixerit ſe Meſſiã, & ante quintum diem ingreſſus eſſet ciuitatẽ ſedens ſuper Aſinam turbis acclamantibus ipſum Regem Iſrael, & filium Dauidis) & comperto quod nihil eſt ſubſecutum ſcandali ex hoc tam in ciuitate, quam extra, quodque nullus pro illo ad loquendũ prodiret, arbitratus eſt, ſicut & Herodes, tanquam fatuum, ac ſtultũ eſſe puniendum, qui tam imprudentibus modis ad Regium titulum aſpiraret. Ideò illum in habitu Regio illudi fecit, quò verberibus caſtigatus, tanquam aliquid peccaſſet, & irriſionib. vituperatus quaſi fatuus: abſtineret à profeſſione Meſſiæ perderetque deinceps authoritatem apud populum: Principes verò Sacerdotum & Seniores, atq; adeò turbæ videntes eum ita punitum & illuſum, à petenda eius nece ſe continerent. Et hæc de quinto. Iam de ſingulis iniurijs aliquid eſt dicendum. Prima extitit poſt cohortis conuocationem, & denudationẽ, indiuitio veſtis purpureæ: de qua explicanda eſt forma: quia dicitur chlamys, & color; dicitur enim coccinea & purpurea: tertio quid ſignificet. Vbi nota, quod duæ primæ illuſiones purpuræ, & coronæ, factæ ſunt ad repræſentandam Regiã perſonã. Nam Baltaſar purpurã promiſit ei, qui ſcripturam ſibi oſtenſam poſſet exponere, vt habes apud Danielem: & qui Ionathæ amicitiam ambierant Reges, purpurã ei miſerunt, vt legimus in libro Machabæorum. Cætera ludibria ad illa duo accedebant. Nam tali coronæ, & chlamydi arundineum conueniebat ſceptrum, & ſic coronatum talia genera ſalutationum: ſputorum, alaparũ, & percuſſionũ arundinis decebant. Aduerte etiam, ꝙ quam vocat chlamydem coccineam Matthæus, Marcus, & Ioannes vocant veſtẽ purpureã, ſiue purpuram. Veſtis quidem genus eſt, chlamis verò ſpecies veſtimenti. Eſt enim ſecundum Iulium Pollucẽ chlamys inter veſtes militares, erat enim circularis, & rotunda apud Macedones amictus Imperatorũ, & militũ: qui & paludamentũ eſt Romanis, qua ſuper

Quis autor fuerit harum illuſionum Domini. *Chryſoſtom. hom. 88. in Matt. initio. tom. 2.* *Theophylact. in Matth.*

Altera ſententia. *Auguſt loco præcitato.*

Matth. 21. Ioan. 12.

Luc. 23.

De ſingulis illuſionibus Chriſti agitur.

Purpuræ induitio.

Dan. 5.

Machab. 10. & 11.

Iulius Pollux. Chlamys quid.

Paludamentũ idem quod chlamys.
Nonnus Marcellus Politianus.
Plautus.
Purpura, regiũ ornamentum apud Macedones.
Liu. li. 2. Belli Punici.
Chlamyde primus Romanorum Regũ Numa, vſus fertur fuiſſe.
Ælius Lamprid.
Plautus.
Purpureus & coccineus color inter ſe differunt.
Bayfius
Aug. lib. 3. de conſenſu Euãgel. c. 9.
Beda in Marcum tom. 5.
Ambr lib. 10. in Luc. c. 18. init. to 5.
Iuuencus lib. 4. Euang. hiſtor.
Luc 23.

ſuper armis induebantur autore Nonno Marcello, Sagulum à Politiano vertitur. Pallium etiam militare erat, ſed diſtinctum à chlamyde, vnde Plautus: *Puer cape chlamydem, & da pallium,* quia illo erat ſtrictior, ac breuior. Erat prætereà regium ornamentum apud Macedones, vt toga purpurea apud Romanos triumphantium, ac regnãtium erat, vt teſtatur Liuius. Chlamyde verò primus Romanorum Regum vſus eſt Numa: & eadem coccinnea chlamyde ſæpe vſum Alexandrum Seuerum teſtatur Ælius Lampridius in eius vita. Plautus etiam in Pſeudolo, opus eſſe ait ad ornatum militis chlamyde, machæra, & peraſo: & alibi ait: Puer cape veſtem, & da pallium: Italico ſermone ferunt dici Muzeta. Cùm igitur eſſet veſtis, & forma, & colore militaris, eo magis ad ludibrium Chriſti faciebat, vt videlicet pijſſimus peſſimorum, id eſt, effundentium ſanguinem veſtem geſtaret. Maior eſt difficultas de colore coccineo, & purpureo: quia illos conſtat eſſe diſtinctos, & diuerſos colores, quos habere vna, & eadem veſtis non poterat, quanquam coccineus ſimillimus ſit purpureo, vt docet Bayfius de re veſtiaria. Auguſtinus libro de conſenſu Euangeliſtarum ſcribit chlamydem illam coccineam, ad illudendum adhibitam fuiſſe: & eſt rubra quædã purpura cocco ſimillima. Poteſt etiam fieri, vt purpuram Marcus commemorauerit, quam chlamys habebat, etiamſi eſſet purpurea. Hæc ille, dupliciter concilians Euangeliſtas. Beda in Matthæum ſcribit, vnius naturæ eſſe coccum, & purpuram. Sunt alij, qui tradunt miniſtros Pilati duplici veſte induiſſe Chriſtum, purpura, inquam, & chlamyde coccinea: ita ſentire videtur Ambroſius in hunc locum: *Chlamydem autem, inquit, coccineam induitur à militibus, & purpuream tunicam, in altera deſignans martyrum palmas, & altera regiæ poteſtatis inſignia, quod caro eius fuſum toto orbe terrarum ſanguinem eſſet ſuſceptura pro nobis, & paſſio regnum paritura de nobis.* Adde Iuuencum in libro Euangelicæ hiſtoriæ, dicentem:

Traditur iniuſtis iuſtus, ſceleriſq; miniſtris
Militibus, ſcelerata opprobria corpore præbent,
Purpureamque illi tunicam, chlamydemque rubentem
Inducunt: ſpiniſque caput cinxêre cruentis.

Hæc illi. Atque hæc ſententia ex eo probari videtur: quia ſi tantum chlamydem circundediſſent ei, non eum prius nudaſſent, nec diceret Matthæus: Et exuentes eum &c. Sicut non legitur nudatus ante Herodem: cum illum induerunt candida veſte. Ideò veſtito veſte purpurea, chlamydem purpuream circundederunt ei, vt vnus Euangeliſta vnum exprimat, alter alterum. Et intellige vtramque veſtem iam pene conſumptam, ac detritam, ad maius confuſionis augmentum: ſed reuera probabilius videtur, quod vna tantum veſtis fuerit, quæ & coccinea, & purpurea vocaretur: vnde ſacerdos in ſacrificio Miſſę celebrando nõ niſi amictu, alba veſte, & caſula induitur. Nam coccus, & purpura reuera ſunt res diſtincta: coccus enim eſt rubens herbæ granum quod in Galatia, & Emerita Luſitaniæ ciuitate, teſte Plinio, præſtantiſſimum naſcitur, & in vrbe Hiſpaniæ Granata illi proxima: vnde etiam ab grani præſtantia ſuum nomen, & à Dioſcoride dicitur κόκκος βαφικὴ, id eſt, granum tinctorum: & Plinius coccum ait dicatum Imperatorijs paludamentis. Purpura etiam genus piſcis, ſeu conchyle, quod dicitur murex, in cuius faucibus eſt flos ille, ſiue ſuccus tingendis veſtibus aptus. Adde quod Scriptura ipſa tanquam de duabus rebus diſtinctis in Exodo, ait: *Tabernaculum ita facies, decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, ac purpura coccoque bis tincto, &c.* Poteſt tamen hoc facilè conciliari, ſi dicamus illam veſtem fuiſſe dibapham, id eſt, bis tinctam, de quo Plinius ita ſcribit: *Dibapha tunc dicebatur* (ſcilicet veſtis) *quæ bis tincta eſſet veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes penè commodiores purpuræ tinguntur.* Et infra: *Votum quoque factum è vitio portentoſis ingenijs, & gemina demonſtrata via luxuriæ, vt color alius operiretur alio, ſuauior ita fieri, leniorque dictus. Quin & terrena miſcere, coccoque tinctum Tyrio tingere, vt fieret hyſginum.* Hæc ille. Ad delicias igitur & regalem habitum ſpectabat bis tingi veſtes, primo cocco, deinde purpuræ ſucco, quas Tyrias vocant, de quo Poëta.

Tyrioque ardebat murice læna.

Talis erat illa Chriſti chlamys, quæ ab vno dicitur coccinea, & ab alio purpurea. Non ergo ſibi inuicem diſſident Euangeliſtæ, imò explicant myſterium in Exodo deſignatum, vbi ad tabernaculum, quod typum gerit corporis Chriſti, iubetur inferri coccus bis tinctus, & Sacerdos legalis iubetur indui ſuperhumerali ex hyacintho, purpura, & cocco bis tincto: vbi Hebraicè dicitur tolahad ſani, id eſt, vermiculo cocci, vel vermiculo, & cocco, vel bis tincto cocco. Atque hoc ſignificat illud, quod in Prouerbijs ſuis ait Salomon: *Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus,* vbi Hebraicè habetur ſani, id eſt, cocco bis tincto. Et huic eſt proximum, quod in Threnis dicitur: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Vbi pro verbo illo in croceis, in Hebræo

Coccus, & purpura [illegible] diſtinguntur.
Plin lib. [illegible] cap. 4.
Dioſcor. [illegible] c. 43
Plin. lib. [illegible] cap. 2.
Coccus [illegible] tus paludamentis, teſte Plinio.
Exod. 26.
Plin. lib. 9 ca. 39.
Dibapha [illegible] quæ [illegible]
Cap. 41
Vergil. 4 [illegible]
Exod. 26
Prou. 31.
Thren. 4.

habetur

Purpura ad quid fuerit adhibita olim in lege.

habetur hatolah. Septuaginta habent ἐπὶ κόκκινα περιβάλοντα. Illud verò aduerte, quod cum purpura ſemper fuerit adhibita ad ornatum, vt ad velum Sancti Sanctorũ, ad ſuperhumerale Sacerdotis, tabernaculum Holophernis, quod erat ex purpura, & in domo Balthaſar Regis induerunt Danielem purpura: hæc tamen ob illuſionem Chriſti eſt data, in quam ſanguis intus ex flagellis, & extra ex corona ſpinea cruor defluens denuo illam tingebat, ac rubricabat: ſignificans ſe de hoſtibus ſuis triumphum acturum per ſanguinis ſui effuſionem tanquam potentiſſimum Regem, de quo Eſaias: *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra, iſte formoſus in ſtola ſua.* Et infra: *Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus*, & quæ ſequuntur. Ioannes etiam in Apocalypſi dicit, Ieſum à ſe viſum veſtitum in veſte aſperſa ſanguine. Deſignat prætereà ſanguinem per totum mundum à Martyribus pro eo veſtiendo, & ornando effundendum. Adhæc ſignificabat geminam Dei, & proximi charitatem, qua ille paſſus eſt, verumque regnum ſibi comparauit, ſubijciens ſibi peccatum, Satanam, ac mundum, vt verus Rex. Prætereà ad literam, Romani ad eos, quos Reges ſalutaſſent, appellaſſentq́; togam purpuream, quæ & picta dicebatur, mittebant, qua indueretur. Vnde Cornelius Tacitus ſcribit: *Cognitis de hinc Ptolemæi (Iubæ inquam filij) per illud bellum ſtudijs, repetitus ex vetuſto more, miſſusque è ſenatoribus, qui Scipionem eburneum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, Regemque & ſocium, atque amicum appellaret.* Hæc ille. Hic autem in deriſionem factum eſt, quaſi Senatus, populuſq́; Romanus illi, vt Regi regium inſigne miſiſſent. Et hactenus de veſte purpurea: iam de corona ſpinea tractandum. Primò ex qua materia confecta eſſet; ſecundò, quæ fuerit eius forma, & vbi aſſeruata; tertiò, quot ſint coronarum genera; quartò, & poſtremo, quorſum Chriſto adhibita. Ad primum plerique vno ſenſu reſpondent, fuiſſe confectam ex iuncis marinis, qui cuſpides acutas habent: quibus maximè abundat Syria, & Ægyptus vicina, de quibus Poëta.

Daniel 5.

Purpurea Chriſti veſtis ſignificauit duo.
Eſa. 63.

Apocal. 19.

II. ſignificatus.

Romani quos Reges ſalutaſſent, appellaſſentque, purpuream illis veſte induendã mittebant.
Cornel. Tacitus lib. 4. Annal. multo ante med.

De corona ſpinea.
Ex qua materia illa fuerit confecta.

Et acuta cuſpide iunci;

Et alibi

Et carice paſtus acuta.

Idem enim eſt iuncus (quod nimirum eorum vſus ſit iungere diuerſa) & carex, & ſcirpus, & papyrus: vnde & mare Rubrum ab Hebræis dicitur Iam ſuph, id eſt, mare caricoſum, quod illis littora eius abũdent.

Virg. 5. Aeneid.
Idẽ 3. Georg. paulò ante medium.
Iunci cur ſic dicti.
Rubrum mare ab Hebræis cur caricoſum dictum.

Atque hæc omnia illuſtrantur autoritate Plinij ſic dicentis: *Papyrum naſcitur in paluſtribus Aegypti, aut quieſcentibus Nili aquis, vbi euagatæ ſtagnant, duo cubita non excedente altitudine cubitum; brachiali radicis obliquæ craſſitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine in gracilitatem faſtigiatum, thyrſi modo cacumen includens, ſemine nullo, aut vſu eius alio, quàm floribus ad deos coronandos.* Matthiolus in Dioſcoridem teſtatur hunc iuncum inueniri frequentem in aquis regni Bohemiæ: & ab ſpecioſiſſimis floribus, quos producit, vocat eum iuncum floridum. Etſi autem ſpina in herbis inueniatur, & in fruticibus, de quibus:

Plin. lib. 13 c. 11 poſt med.
Papyrum naſcatur vnde, teſte Plinio.

Matthiol. ibidem c. 47.

Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

Imò etiam in arboribus, de quo idem ait Poëta:

Eduramq́; pyrum, & ſpinos iam pruna ferentes.

Virg. Eclog. 5. ante med.
Idem 4 Georgicor. multò ante med.

Ex quibus conficiuntur ſepes vinearum, hortorumve: Hæc tamen corona ex huiuſmodi fruticibus, aut herbis, aut arboribus non facilè poterat confici ſine læſione eorum, qui eam conficerent. Neq; natura horum eſt, vt facilè ſinant ſe flecti, ſi ſpinæ ſint ſolidæ, acutæq́ue, & ramus exiccatus: & iuncea materia tractabilis eſt, & facilè flecti; & contexi poteſt. Quare hæc ſententia, quod fuerit ex iuncis, præferenda videtur. Ad ſecundum, cum ſit ſimplex ſertum, quod tempora ambit tãtum, & capitis verticem relinquit intactum: aliud tamen genus coronæ eſt, quod nõ tantum tempora, ſed etiam totum caput tegit, vt eſt corona imperialis; exiſtimãt ſatis probabiliter nõnulli recentiores ſcriptores, hanc coronam Chriſti capiti impoſitam huius poſterioris generis fuiſſe in modum pilei: quæ grauior erat, & acerbior, cum totum caput ex omni parte contingeret, atque confoderet. Nam Chryſoſtomus ait, mille puncturis caput eius illa corona fuiſſe punctum; ita vt ſanguis copioſiſſimus per faciem & genas deflueret. Quod ſi vel vna minima ſpina tantum adfert doloris, & moleſtiæ pede calcata, vt paſtor ille apud Theocritum dicat: ὀλίχον ἐστὶ τὸ τύμμα, χ' ἁλίκον ἄνδρα δαμάζει: hoc eſt, Quantula eſt pũctura ſpinę, & quãtũ hominem domat? quanto magis vbi tot, ac tanti ſpinarum aculei tempora tenerrima, & delicatiſſimum Chriſti pungebant cerebrum? Ponderant enim quidam, quod Marcus, & Ioannes ſcribunt, quod impoſuerunt capiti coronam quaſi ſignificantes, coronam capiti intime infixam. Quemadmodùm autem maiores noſtri arma ſuperiorum ſuorum magna veneratione aſſeruabant, & in templis reponebant, quaſi

Spineæ coronæ forma qualis fuerit.
F. Calixtus Placentinus.
F. Ludouicus à Granata.
Chryſ. ibid.

Caput Chriſti diuiniſſimum mille puncturis punctum ait fuiſſe B. Chryſoſtom.
Theocritus Poeta.

1.Reg.17.

ctoriam illis armis partam Deo tribuerent: nam ita Dauid gladium,quo truncauit caput Goliad, in tabernaculo collocauit: ita

Corona Chriſti ſpinea vbi aſſeruetur.

hæc cruenta corona, qua Chriſtus ſibi regnum cœleſtium,terreſtrium,& infernorũ comparauit, nobiſque ſempiternas felicitatis coronas peperit, magna religione ſeruata eſt in Eccleſia Dei, & nunc religioſe colitur in capella ſancta Pariſijs, vt refert Archieſpiſcopus Florentinus.

B. Antoni.

Et hæc de ſecundo. Sunt autem plures ſpecies coronæ:

Coronarum octo genera. *Gell. lib 5.c. 6.Noct.attic.*

nam autore Gellio,atque alijs quibuſdam, quædam erat triumphalis, quæ Imperatoribus ob victoriam ad triumphum in vrbem redeuntibus mittebatur.

Triumphalis.

Et primum cœpit fieri ex lauro, deinde ex auro puriſſimo.

Obſidionalis.

Obſidionalis erat,quam ſoluenti obſidionem,liberati dabant ei,qui ipſos liberauerat,ex gramine decerpto inde,vbi obſeſſos ille ſeruaſſet.

Ciuica.

Ciuica erat,quam ciuis ciui,à quo ſeruatus eſt in prælio teſtem vitæ, ſalutiſque perceptæ dabat: quæ ilignea erat.

Muralis.

Muralis erat, qua donabatur ab Imperatore is,qui primus muros ſubijſſet,inque oppidum per vim aſcendiſſet. Hæc ad incitandos ad oppugnationem militum animos ex auro fiebat.

Caſtrenſis.

Erat & Caſtrenſis, ſiue Vallaris,ſimiliter aurea,quæ donabatur ei, qui primus hoſtium caſtra pugnando introiſſet.

Naualis.

Erat & Naualis quibuſdam quaſi roſtris nauium inſignita: qua donati ſolebat, qui prius maritimo prælio in nauem hoſtium vi tranſilijſſet.

Oualis.

Denique erat Oualis myrtea corona, qua ouantes Imperatores in vrbem introibant. Erat & Laurea corona,qua Poëtæ ornabantur.

Laurea. Tertullianus, vſum coronarum tribuens ſolis Ethnicis, & non Iudęis, vnde refelli poſſit.

Tertullianus libro de corona militis, quædam dicit non ſatis certa de corona, ait enim circa medium: *Tamen nec illam impietatis contumelioſæ coronam populus conſciuit: Romanorum militum commentum fuit, ex vſu rei ſecularis, quem populus Dei nec publicæ vnquam lætitiæ, nec ingenitæ luxuriæ nomine admiſit, facilius cum tympanis, & tibijs, & pſalterijs reuertens de captiuitate Babyloniæ, quam cum coronis: & poſt cibum, & potum exurgens ad ludendum ſine coronis.* Hæc ille, vbi videtur coronarum inuentum tribuere ſolis Gentilibus, & non populo Dei; cum tamen in libro Sapientiæ dicatur: *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant,* & Eſaias dixerit: *Vt darem eis coronam pro cinere*, & in Canticis: *Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua.* Erat igitur vſus coronarum in populo Dei, & non tantùm apud Gentiles.

Sap.2.
Eſa.61.
Cant.3.

Romani milites cur ſpineã coronam Ieſu capiti impoſuerint.

Ad poſtremum dicendum eſt, Romanos Chriſtum coronaſſe in deriſum & improperium regni ſui,quemadmodùm purpura detrita fecerant. Et cum moris eſſet, teſte Plinio,floribus illis pulcherrimis iuncorum Deos çoronari;illi in contemptum, cuſpidibus ipſorum iuncorum, quibus innaſcebantur hi flores, ipſi coronam contexuerunt, quæ cum illuſione ſimul pungeret: quæ à ſeculo nulli impoſita hominum legitur.

Plin.lib 1[illegible] 11.poſt me[illegible]

Quare illam acceptauerit. Chriſtum eſſe dignum om[illegible] corona.

Illi autem etſi ad dedecus ei augendum hoc excogitauerint: ipſe tamen Chriſtus ſponte acceptare voluit talem coronam, quia ea verum ſibi regnum comparauit. Erat enim dignus corona triumphali, qui tria regna morte ſua acquiſiuit: Dignus Obſidionali,qui nos ſoluit obſidione à dæmonibus nobis bellum inferentibus: & à limbo eripuit, ſeruauitque ciues ſuos à morte: primuſque eſt, qui caſtra inimicorum ingreſſus eſt, primuſq; perrupit Acheronta,trophæiſque glorioſis ſpoliauit: quare dignus eſt omni corona.

Cur dignus Obſidiona[illegible]

II. ratio Romanorum,Iudæorumque immolandi victimas,[illegible] & conſuetudine

Secundò acceptauit coronam; quia moris erat apud Romanos,& etiam apud Iudæos,victimas coronatas immolari. Nam Plinius de coronis agens,ita ait: *Feruntque primum omnium Liberum patrem impoſuiſſe capiti ſuo ex hedera. Poſteà Deorum honori ſacrificantes ſumpſere, victimis ſimul coronatis.* Hæc ille. Et in ſculpturis antiquis Romæ cernuntur victimæ coronatæ:&ad hoc alludit Poëta,cum ait de Sinone immolando:

Plin. lib. 16 cap. 4.
Sacrificiorum ritus.

Et falſæ fruges,& circum tempora vittæ.

Virg. lib. 2 Aeneid. ſub initium.

Chriſtus igitur vt vera victima Deum toti mundo placans, coronatus apparere voluit. Lucas in Actis cum narraret, Lyſtrenſes Barnabæ,& Paulo voluiſſe ſacrificare; refert, Sacerdotẽ attuliſſe tauros, & coronas ante ianuas,quo videlicet tam ſacrificãtes, quàm victimæ ornarentur coronis.

Act 14.
III. ratio ſ[illegible] gurm Ve[illegible] Teſtam[illegible]
Exod.3.

Tertiò coronam acceptans, figuras multas Veteris Teſtamenti impleuit. Nam in rubo ardente olim viſus eſt Deus loqui ad Moyſen de liberatione populi ſui; ita & per Chriſtum coronatum, & charitate ardentem Deus nos alloquitur, quomodò à captiuitate veri Pharaonis, id eſt, diaboli aſſeramur in libertatem gloriæ filiorũ Dei. Secundo figurata eſt hæc corona in ariete hærente inter vepres: vt eleganter docet Auguſtinus. Tertiò adumbrata eſt hęc corona in Iona Propheta, qui ca.2. pro eo quod nos habemus, Pelagus operuit caput meũ, Hebraicè legitur Suph Chabuſc Leroſci; id eſt, iũcus circunligatus eſt capiti meo, alij legunt, carectum, vel alga implicita eſt capiti meo.

Geneſ.22
Aug lib 16 de Ciuitate Dei,c 32. circa med. tom.5.
Cant.3.

Impleuit quoque prophetiam illam Canticorum: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eũ mater ſua. In quæ verba Bernard. lib. Paruorũ ſermonum: *Nõ dixit Eccle-*

Illud Canticorum [illegible] Egredimini [illegible] Sion, & [illegible]te Regem Salomonẽ, &c. pulchre expendit Bernardus.

ſiaſten,

Bernard. lib. Paruo ſerm. initio. Salomon quid ſonet, quid Eccleſiaſtes, quid Ididan. 2.Reg.12.

fiaſtes, aut Ididan. Nam & his nominibus appellatus eſt Rex ille: & ſignificat Ieſum Chriſtum noſtrum verum Salomonem, qui eſt Salomon, id eſt pacificus in exilio: Eccleſiaſtes, id eſt, concionator, in iudicio: Idida, id eſt, dilectus Domini in regno. Vbique Rex. In exilio, rector morum; in iudicio, diſcretor meritorum; in regno, diſtributor præmiorum. In exilio, manſuetus; in iudicio, terribilis; in regno, admirabilis. In diademate quo coronauit eum mater ſua. Eſt autem hæc corona miſericordiæ, & in hac imitabilis. Coronauit eum, & nouerca ſua corona miſeriæ; & in hac contemptibilis. Synagogam loquor, quæ ſe ei non matrem exhibuit, ſed nouercam. Coronauit eum familia ſua corona iuſtitiæ; & in hac terribilis. Coronat eum Pater ſuus corona gloriæ; & in hac deſiderabilis. Videant ergo eum peccatores in corona miſeriæ, id eſt, ſpinea, & compungantur. Videant ergo eum filiæ Sion animæ effectuoſæ in corona miſericordiæ, & imitentur. Videbunt eum impij in corona iuſtitiæ, & peribunt. Videbunt eum ſancti in corona gloriæ, & perpetualiter gaudebunt. Hæc Bernardus, eleganter ſatis, & accommodatè. Impleuit etiam à Sybillis prædicta, nam lib.8. Oraculorum Sybillæ Erithreæ habemus:

Quatuor Chriſti coronæ.

Sibyllæ Erythreæ vaticinium de ſpinea Chriſti corona.

Nam veniet ſanctis æterna è vepre corona
Lectis, tum calamo compungent ilia, legis
More ſua, ex calamis etenim quos contulit aura,
Ad lites animi ſe ſe ira vindice vertit.

Lactant.

Et Lactant. lib.4. cap.18. *Ipſa enim ſtulta Deum tuum non cognouiſti ludentem inter mortales cogitationes, ſed de ſpinis coronaſti coronâ.* Adhæc rectè peccata ſpinis comparantur: quia animam pungunt, & lacerant; & quia homini propter peccatum datæ ſunt; dixit enim Deus Adæ peccatori: *Spinas, & tribulos germinabit tibi.* Solent autem victores hoſtis victi arma geſtare ad gloriam, & ad perpetuam memoriam. Arma autem Satanę, cõtra quæ Chriſtus pugnauit peccata noſtra ſunt: quæ in ſpinis denotantur: hinc agnus noſter coronatus eſt, quia ſua paſſione ſuſtulit peccata mundi, & aculeos peccatorũ noſtrorum quaſi ſpinarum in ſe perfregit. Quare Tertullianus libro de corona militis in fine, ait: *Ex ſpinis opinor, & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abſtulit autem virtus crucis, omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerãtia obtundens.* Sic ille. Ideò iure coronatus eſt ſpinis, & in illa corona exaltatio Chriſti triumphalis deſignata, ſiue per ſpinas intelligamus peccata, ſiue homines peccatores Deum, ſe ipſos, & proximos pungentes, ac lacerantes: & quod ſolum Dei opus eſt, de ſpinis colligit vuas, & de tribulis ficus. In his au-

Peccata cur ſpinis comparentur.

Geneſ.3.

Arma Satanæ contra quæ Chriſtus pugnauit, quænam illa. Ioan.1.

Tertull.lib.4.

Coronæ ſpineæ ſignificationes variæ.

Matth.7.

tem illuſionibus ſilet Ieſus, vt ait Tertullianus libro aduerſus Marcionem: quia in ſibilo auræ tenuis Dominus, licet ſerui fuerint in commotione. Prætereà Chriſti corona nõ tantùm Chriſti exaltationem, ſed etiam noſtram ſignificat. Vt enim ſcribit Cyrillus in Ioannem: *Audiui aliquos, quibus valde placebat per coronam de ſpinis, multitudinem ſculptilia colentium ſignificari, quæ per fidem in diadema Chriſti ſuſcepta eſt. Spinæ namque, dicunt, ſteriles, quoniam nullum pietatis fructum producebant, Gentes fuerunt, igni ſolummodo nutrimentum, quemadmodùm & agrorum ſteriles ſpinæ. Per purpuream autem veſtem, regnum totius mundi, quod per fidem Chriſtus accepturus erat, ſignificatum fuiſſe volunt. & probans hanc interpretationem, ſubiungit: Non eſt ejciendum hoc theorema, cum rebus aptiſſime accommodatum ſit.* Hæc ille. Lactantius quoque Firmianus in libris Inſtitutionum diuinarum aſſerit per coronam ſpineam ſignificari diuinam plebem, quam de nocentibus, & peccatoribus voluit ſibi congregare. Corona enim dicitur, circunſtans in orbem populus. Et illis duobus ſignificatur Chriſti imperium, qui peccatoribus ſuo merito iuſtificatis velut ſuo indumento veſtitur, eiſq; coronatur: atque eos, qui erant ex ſe vt arundo vento agitata, dextera ſua conſtabilit. Oportet igitur, & nos Chriſti exẽplo ſtrenue decertare: quia non coronabitur niſi qui legitime certauerit. Vnde Paulus, qui bonum certamẽ certauit, curſum conſummauit, fidẽ ſeruauit, repoſitam habuit coronam iuſtitiæ: quæ nõ incipienti, ſed perſeueranti in certamine, & vſque in finẽ fidem ſeruanti debetur. Scribit Ariſtoteles in libris Ethicorum, in Olympicis ludis nõ coronari, aut ſcientes, aut pulchros, aut fortes, vel proceros, ſed qui actum virtutis rectè exercuiſſent. Et omnis quidem qui in agone contendit; ab omnibus ſe abſtinet; vt corruptibilem coronam accipiat: nos autem, qui incorruptam vitę coronã expectamus, ab omnib⁹, quæ cõtra legem ſunt, nos abſtineamus, ac perſeueremus, ne perdamus, quæ operati ſumus, & audiamus verbum Domini: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam:* quemadmodùm ille, qui ex numero quadraginta Martyrum defecit in lacum gelidiſſimum proiectus, in cuius locum diuinitus hoſpes, qui eos cuſtodiebat, ingreſſus eſt. Nam vt Rex bona ſubditi ſui proditoris proſcribit, illaque fideli alteri, & bene merito donat: ita Deus tantæ eſt bonitatis, vt vno cadente, alterum erigat, & vt ait Spiritus ſanctus conteret multos; innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis. Nam pro

Idem Tertul. lib.4. aduerſ. Martion. II ſignificatus.

Cyrill lib.12. in Ioan. ca.15 tom.1.

Gentes in ſpinis deſignantur.

Purpureæ veſtis myſteriũ.

III. ſignificatus. Lactantius Firmian. lib.4 c.26. poſt medium.

2.Tim.2.

Infra 4.

Ariſt.lib.1. ethic. In ludis Olympicis olim quibus præmium daretur.

1.Cor.9.

Apocal.3.

Exemplum.

Simile.

Iob 34.

Angelis cadentibus erexit homines; pro filijs regni eiectis in tenebras exteriores, vocauit Gentiles; pro Iuda prodente, Matthiam aſciuit ad Apoſtolatum. Perſeuerantia igitur ſola coronam accipit, hinc in cęlo omnes ſunt coronati: ſed in Apocalypſi, omnes ſancti coronas proijciunt in terram ante Dominum, agnoſcentes virtutem ómnem vincēdi, Deo, à quo accepta eſt, per gratiarum actionem eſſe reddendam. Eſt autem duplex corona, alia quę aurea, & altera, quæ à Theologis aureola appellatur. Eſt autem aurea, eſſentialis gloriæ corona, quam omnes videntes Deum habent. At aureola triplex eſt: altera ſtellarum, quę datur Doctoribus, qui ſunt quaſi ſtellæ fulgētes in perpetuas æternitates. Altera ex auro, & lapidibus pretioſis, de qua: *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo*; & *Corona aurea ſuper mitram eius*: Nam, vt aurum igne, ita martyr tribulationis flāma purificatur. Tertia corona eſt Florea, ſiue ſpinarum, quæ ad virgines ſpectat. Nam virginitas aſperitate pœnitentiæ ſeruatur. Hinc ſanctus Benedictus in ſpinis propter caſtitatem ſeruandam volutabatur. Acceptando autem coronam, abſtulit coronam ſpinarū, quo nobis ſpinas peccatorum pungentes, & conſcientiam lacerantes auferret; & daret nobis materiam, vnde ſepem horto animæ noſtro faciamus ad cuſtodiam, & ad ſalutem. Et vt ſagax canis venaticus prędā inter ſpinas etiam deliteſcentem quærit: ita tu quære, vt Chriſtum tanquam prædam aſſequaris, etiamſi in ſpinas laborum, ac dolorum incidere debeas. Docet Clemens Alexandrinus in Pædagogo: *A ratione alienū eſt, vt qui audierimus, Dominum ſpinis fuiſſe coronatum, ipſi venerabilis Domini paſſione per ludum inſultantes, habeamus capita redimita floribus.* Hæc ille. Et cum L. Septimius, & Seuerus pater, & M. Aurelius Caracalla Imperatores, militibus donatiuum dari iuſſiſſent, & tribunus id iam erogaret, contigit Chriſtianum militem acceſſiſſe caſtrenſem coronam manu tenentē, quam cæteri in capite ob Cęſarū ſolennia geſtabant. Rogatus cur non capiti coronam imponeret, reſpondit ſe religione prohiberi, quod Chriſtus ſpinis coronatus deluſus fuerit. Cuius factum vno integro libro defendit Tertullianus, quem inſcripſit de corona militis. Deniq; etſi milites ioco, & ludibrio Ieſum purpura induerint: Chriſtus tamen ſeriò, ac verè regnum ſibi oblatum acceptauit: vt docet Hieronymus in Matthæum, ac Rupertus Tuitienſis. Tamen Spiritus ſanctus fecit illos prophetare, ſicut Caipham fecit dicere; Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, neſcientem quid diceret, & Balaam, qui dixit: *Orietur ſtella ex Iacob, &c.* Et vt vndecim fratres qui vendiderunt Ioſeph, ne regnaret ſuper eos, efficere tamen nequiuerunt ne ad verum regnum perueniret, ita iſti ludo agentes, multa vera dixerūt, quæ nos credimus. Nam in chlamyde, coccinea opera Gentium cruenta deſignat: in corona ſpinea maledictum ſoluit antiquū: in calamo, venenata occidit animalia, ſiue vt calamo horrendū Iudæorum ſcribat ſacrilegium. Tertia iniuria Chriſto illata, fuit, ponere arundinem in manu eius dextera pro ſceptro, ad ſignificandum, quod vt arundo caret medulla, ac nucleo, ita Chriſtus ſenſu, & intellectu, & regnum eius carere firmitate, ac ſoliditate, & mere eſſe illuſorium. Porrò in arundine Crucem Chriſti adumbrari puto, quæ per ſe res quidem videtur infirma & impotens, ſed tamē per eam vt per ſceptrum fortiſſimū omnes ſuos, & noſtros confregit inimicos, iuxta illud: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur.* Quandoquidem igitur in manu Chriſti omnia, etſi debiliſſima, fiunt fortiſſima; ideò te precor, ô bone Ieſu ſuſcipe animum meum, qui eſt velut arundo charitate vacans, deuotione aridus, ſine fructu bonorum operum, inſtabilis, qui ad omnem peccati flatum mouetur, nec habet niſi folia verborum, fragiliſq; eſt per impatientiam. Sed ſi tu illum in manu tua dextera conſtituas, fiet in eo mutatio dexteræ excelſi, vt humore charitatis impleatur, fructum boni operis edat, ac ſoliditatem, & perſeuerantiam in bono ſortiatur. Deinde quia calamus inſtrumentum eſt in ſcribendo, propterea, ſecundum Hierony. calamū tenere voluit, vt ſacrilegium Iudæorum literis mandaret, & electos ſuos in libro vitę cōſcriberet. Tertiò, Athanaſius in Euangelium de Paſſione, & Cruce Domini annotauit arundinis proprietatem quandam his verbis: *Atque hinc rurſum eſt quod arūdinem accepit, cum illi à diabolo porrigeretur, ignaro quod contra ſeipſum gladiū acueret. Dicitur enim arundo ſerpentibus lethalis eſſe, atq; inde potiſſimum interfici.* Sic ille. Vt igitur Goliath Dauidi porrexit gladium quo obtruncatus eſt, ita dæmon Chriſto parauit Crucem, in qua dæmon ſuſpenſus eſt tanquam in patibulo, quod parauit Aman Mardochæo, in quo tamen Aman, & non Mardochæus ſuſpenſus fuit. Quarta iniuria fuit, quia genu flexo illudebant ei, dicentes: *Aue Rex Iudæorum:* reuerentiæ externæ ſignum ei exhibentes, caputque detegentes, cum eoq; non ſecus, atque cū motione agentes, atq; delectationē captantes. Et iſti ioco geniculantes pulchrè

Matth. 8. *Act. 1.* Perſeuerantia ſola coronam accipit. *Apoc. 4.* Duplex corona, aurea, & aureola, dicta. Aurea corona quænam ſit. Aureola triplex eſt. *Daniel. 12.* *Pſalm. 20.* *Eccleſiaſt. 45.* Virginitas quo pacto ſeruetur. B. Benedictus cur ſe in ſpinis volutauerit. Quo ſtudio nobis Chriſtus quærendus ſit. *Clem. Alexā. lib. 2 pædago. ca. 8 non procul à fine.* Chriſtiani cuiuſdam militis caſtrenſi corona donandi egregium facinus. *Tertull.* *Hieronym. in cap. Matth. 27 tom. 9. Rupert. Tuitien. lib. 13.*

in Ioan. poſt med. *Ioan. 11.* *Num. 24.* *Geneſ. 37.* Chlamydis coronæ ſpineæ, & calami diuina ænigmata. Tertia iniuria. Quare militis arundinem poſuerint in manu Chriſti dextera. Quid arundo myſtice ſignet. *Apocal. 2.* Fidelis hominis ac pia ad Chriſtum arundinem manu dextera geſtantem apoſtrophe. *Pſal. 76.* *Hieronym. vbi ſupra.* *Athanaſ. tom. 3.* Arundo ſerpentibus mortifera ſecundùm Athanaſium & alios. *1. Reg. 17.* *Eſther 7.* IV. iniuria, & quàm grauis Milites Chriſto genu flectentes ad ludendum quos referant.

chrè repræſentant hypocritas, qui labijs honorant; corde autem longè ſunt à Deo. Denotant & proditores, qui verbis pacificis ſalutãt, ſed corde gerunt venenũ, & necem machinantur. Dicunt, Aue Rex Iudæorum .i. voluiſti regnare, ſed non potuiſti: cùm tamẽ Rex ſit natus, vt dicitur apud Matthæum, & Pilatus confirmauit, cùm dixit: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Et horrendum eſt ſanè, Regem Regum ſalutari, vt Regem morionum, & fatuorum. Quinta fuit contumelia, quod dabant ei alapas. Ex ioco ad ſeria venitur, & ex riſu ad ſupplicium: non enim tantùm verbo, & ſigno flectendi genua illi contenti ſunt illudere, ſed etiam facto agebant alapas multas, & graues, quæ ipſa morte viris ingenuis æſtimari ſolent grauiores, inferendo. Hinc Saul dixit miniſtro: *Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircumciſi iſti, & interficiant me illudentes mihi.* Romani quoque nobiles tempore Neronis cum ab Imperatore vocarentur, & præſcirent ſe diris quibuſdam & execratorijs rationibus neci tradendos, carnifice domum vocato, illi iugulum præbebant, quo Neronis immanitatem declinarent. Seneca in quadam ſua epiſtola ait: *Nullus maior labor quã poſſe ferre illuſores,* & Plutarchus in Alcibiade teſtatur illum dixiſſe: *Teſtor Deos immortales, me exilium in Lycaoniam non ſenſiſſe, nec proſcriptionem bonorum, nec vulnera corporis, quantum verbum illuſionis, quo me Cteſiphon in facie illuſit.* Sic ille. Quid igitur dicendum de tot amarulentis illuſionis ſignis, quæ Ieſu per σαρκασμὸν ironicè obijciebant? cùm autem propriè illuſio, ſiue irriſio de aliquo malo, vel defectu fieri ſolet, Christus autẽ eſſet ſine omni peccato, ac defectu; horrendiſſimum fuit, ac grauiſſimum crimen, Chriſtum Deum, & hominem innocentiſſimum illudere. Grauis eſt etiam irriſio parentũ, vt illa Chã erga Noë, & illuſio iuſtorũ, vt fuit illa Heliſæi à pueris quas duas irriſiones Deus grauiſſimis pęnis mulctauit; ſuas autem, & grauitate & numero maiores mãſuetus agnus Chriſtus Ieſus impunitas reliquit. Cumq; in aulis, & oculis principum deludãtur deformes, aut turpia operantes, aut ignorãtes, aut ſuperbi magna de ſe iactantes: hic tamen Chriſtus forma honeſtiſſimus, conuerſatione ſanctus, doctrina verax, verbis prudens, operibuſq; irreprehenſus palam traducitur, & irridetur. Sexta iniuria fuit, conſpuere in faciem ei⁹, vt in viliſſimum, & abiectiſſimum mancipium. Meditare hoc loco peruerſiſſimam hominis malitiam in faciem Chriſti, & Dei ſui exſpuentis, inuictam Chriſti patientiam, & admirabilem mãſuetudinem: impatientiſſimam noſtram naturam, & ad referendam, & duplicãdum iniuriam propenſam. Quis tanto exemplo excitatus nõ accuſet naturæ ſuæ motus ad vindictã procliues? Septima iniuria: Accipiunt arundinem de manu eius, & illa percutiunt caput eius dæmonibus contremiſcendum, cunctiſq; cœlorum virtutibus verendum, ac venerandum. Nam ex illa percuſſione aculei ſpinarum magis ſanctum illum verticem penetrabant: vndè dolor augebatur: vnde ſanguis inde fluens totum caput, ac genas, collumque tingebat: totque execrandis ſputis, & calumnijs apparere fecerant faciem Domini horridam, & quaſi leproſam. Vide igitur ſpectaculum à ſeculo nec viſum, nec vnquam auditum, niſi quod Martyres quidam in contemptum Chriſti ſimilia paſſi ſunt. Nos etiam omnium mortalium ingratiſſimi, qui Chriſtum quotidie proſtrati adoramus; & tamen manu alapas malorum operum, ſiue peccatorum Chriſto infligimus, & ſputa blaſphemiarum in eum iacimus, & arundine, id eſt, poteſtate à Deo nobis collata, & de manu eius accepta ipſum in membris ſuis percutimus: vt ille, de quo dicitur in Euangelio: *Moram facit Dominus meus venire: & cœpit percutere ſeruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari.*

Sequitur in textu Ioannis; *Exiuit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis, Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoſcatis quia nullam inuenio in eo cauſam. Exiuit ergo Ieſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum.* Quantum ad leges ciuiles ſpectat, Chriſtus nunc iure liber eſſet, poſtquam iudicis ſententiæ eſt ſatisfactum: nam ciuiles leges vnius cauſæ vnam tantùm decernunt pœnam. Sed Chriſtus, & ſui hanc ſortem nanciſcuntur, vt nec ciuiliter iuſtos iudices experiantur. Producit ergo Pilatus Ieſum ignominioſiſſimè tractatum, & in tali deformitate, habituſque fœditate, vt vel ſaxa poſſet ad commiſerationem ſui excitare. Et vide, quàm verba conſonent factis: *Vt cognoſcatis*, inquit, *quia nullam inuenio in eo cauſam,* ſcilicet ex his, in quibus eum accuſatis. Verius dicere poterat, quod multas cauſas inuenerat ad ſic acerbè eum tractandum, flagellandum, atque illudendum. Et ita exiuit Ieſus purpura, & corona ornatus. Nihil dicit de arũdine, quam Chriſtus noluit portare, ne portando videretur conſentire ſuæ illuſioni, & quod vellet fatuus haberi. Vel ſi, vt pictores volunt, illam portauit, ſignificat Chriſti patientiã expectãtis peccatores ad pœnitentiam, & lenitatem, qua vtitur cum ſuis in hoc mundo. Sed illa arũdo mu-

Isa. 29. & Matth. 15.

Matth. 2.

V. contumelia.

1. Reg. 31. Mortem quã dedecus perpeti malunt ingenui viri.

Seneca. Nullus maior labor quàm poſſe ferre illuſores, teſte Seneca. Plutarch.

Illuſiones irriſionesve cuius rei gratia fieri ſoleant.

Parentum, & iuſtorum irriſio grauiſſima. Geneſ. 9. 4. Reg. 2.

VI. iniuria.

VII. iniuria.

Eſa. 53.

Luc. 12.

Mos iudiciorũ in Chriſti cauſa à Pilato neglectus.

Luc. 23.

An Chriſtus populo exhibitus à Pilato cũ dixit: Ecce homo, geſtarit arundinem, necne, & quid ſignificet.

Exod. 7.

do mutata eſt in virgam ferream, nõ minus quàm virga Moyſi in ſerpentem deuorantem alios ſerpentes Magorum.

VIII. iniuria.

Et dixit eis, Ecce homo. Hæc eſt octaua, ſiue poſtrema iniuria Ieſu illata: dixit autem hoc, vt commoueret eos ad commiſerationem. Et cum oſtenderet Ieſum Pilatus, miniſtri eleuauerunt veſtimentum, quemadmodum Sacerdoti hoſtiam eleuanti, vel thurificanti fit: factoq; circulo dixit eis: *Ecce homo*, vt totum corpus eius lacerum, & flagellis cæſum, laniatumque ac ſanguinolentum appareret: *Ecce homo*, ait Auguſtinus, *non clarus imperio, ſed plenus opprobrio. Si regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis. Flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, ludibrioſa veſte amictus eſt, amaris conuitijs illuſus eſt, alapis cæſus eſt: feruet ignominia, frigeſcat inuidia: ſed non frigeſcit, inardeſcit potius, & increſcit.* Sic ille. Quid ergo Regem accuſatis, cum & adhuc ſpeciem hominis non habeat? quod ſi quicquam peccauit; condignas pœnas luiſſe videtur. Et nunquam poteſt tantopere aliquem non eſſe Regem temporalem oſtendi, quàm cum tantum diſtat à veri Regis forma, vt etiam in Regis ſpecie illudatur. Ecce, contemplamini illum, quia caro veſtra, & frater veſter eſt, non lapis, aut ferrum, vel iumentum, ne ab hominis natura prorſus degeneretis. In naturam ſiquidem totam hominis pugnat, hominem erga miſerrimum hominem, miſericordiæ motu non tangi. Ferarum eſt non parcere ſubiectis, & ſuper dolorem vulnerum addere velle dolorem. Audite quid de immiſericordibus ſcriptum ſit: *Fiat contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum, pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam, & perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.* Ecce homo, dici vobis poteſt à Deo Patre nõ tantum innocẽs, ſed etiam Deus, & homo, & talis, vt tu homo per eum efficiaris Deus. Ecce homo, qui tibi ad imitandum proponitur: qui expetiſti eſſe vt Deus, vt primus ille homo Adam. Sed viam non tenuit, per quam erat vocatus: at hic docet, qua via, ac ratione ad perfectam filiorum Dei dignitatem peruenire poſſit homo. Ecce homo, qui vir eſt dolorum, & infirmitatis, tentatuſque per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, vt poſſit pro nobis ſoluere, & opponere ſe iuſtæ iræ Dei: ſi tamen homo appellandus ſit, & non potius vermis, & non homo, vt ait Propheta, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Primo homini peccanti per ironiam dictum eſt: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt: ecce ſecundus homo, qui pro peccato illuditur propter te. Exijt Ieſus foras coram omnibus illudendus, ne tu in iudicium vniuerſale prodeas, & tibi cum illuſione dicatur: Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuũ, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum. Ecce homo. Diſcat in hoc homine ambitioſus, auarus, laſciuus, omniſque peccator, quanta ſeueritate puniendi ſunt qui flagitijs non renunciant. Diſcant & iuſti, quanta ſint pro Dei gloria toleranda, ac deuoranda tormenta. Vide quanto amore dilexit te Deus qui pro te ligatus eſt, vt te à peccatorum vinculis ſolueret: pro te flagellatus eſt, vt te à flagellis æternæ vindictæ liberaret: pro te ſpinis coronatus eſt, vt te in cœlis coronaret: pro te vulneratus eſt, vt te ſanaret: pro te lacrymatus eſt, vt ſemper gauderes: pro te mortuus eſt, vt te à morte ſempiterna ſuſcitaret. Ecce homo, ecce victima coronata, in quam omnia probra, & peccata noſtra conijciantur, de qua in Leuitico dicitur: *Offerat hircum viuentem: & poſita vtraq; manu ſuper caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael, & vniuerſa delicta, atque peccata eorum.* In hunc igitur hominem, qui ſicut miracula potentiæ edidit, quibus agnoſceretur Deus; ita miracula patientiæ facit, quibus credatur homo, oculos ſpiritus conijciamus, & ab hoc perfectiſſimo exemplari documenta viuendi, atque moriendi trahamus. Homines inuitabantur prius, vt Abrahamum inſpicerent: *Attendite*, inquit, *ad petram, vnde exciſi eſtis*: iam ad altius exemplum imitandum inuitamur. Sed & nos quoque Æterno Patri poſſumus dicere: Ecce homo, reſpice in faciem Chriſti tui, hac tanta victima placatus, & contentus eſto. Præſta nobis, vt Filium tuum, quem nobis oſtendis, imitari poſſimus, eius improperia portare, eius patientiam, & manſuetudinem æmulari: eius purpuram, id eſt, charitatem induere, qua tegamus nuditatem noſtram; eius coronæ ſpineæ meminiſſe, vt recordemur peccatorum noſtrorum, eius arundinem portare, dum æquo animo ferimus quæ corrigere non poſſumus, eo denique Rege vti, atq; rectore, etiamſi ab alijs illudatur, nec expectemus, vt ſolent impij, vt veniat in virga ferrea, qua nos conterat, vt dum hic ab eo regi nos ſinimus, ſimul cum illo, & cum Patre, & Spiritu ſancto regnare in cœleſti gloria valeamus, Amen.

Margin notes (left): *Aug. tractat. 116. in Ioann. ſub init. to. 9.* — Ferinum hominis ingeniũ quando. *Pſal. 108.* — Illud: Ecce homo: recte nobis obijcit Deus Pater. — *Geneſ. 3.* Adę prioris cũ poſteriori, id eſt, Chriſto contentio. *Eſai. 53.* *Hebr. 4.* — *Pſalm. 21.* — *Geneſ. 3.*

Margin notes (right): *Pſalm 51.* — In Chriſto homine diſcere debent iniuſti homines, & peccantes, quid … — Diuini in nos amoris magnitudo. — *Leuit. 16.* Qualem hũc offerre Deo Patri debemus. — *Eſa. 51.* Illud tamen: Ecce homo, nobis quoq; obijciendum eſſe Deo Patri. — *Apoc. 12. & Infr. 19.*

TRACTATVS XXXI.

De accuſatione quod Filium Dei ſe fecerit, in illa verba: *Cùm ergo vidiſſent eũ Pontifices, & miniſtri, clamabant, dicentes, Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite. Ego enim nõ inuenio in eo cauſam. Reſponderunt ei Iudæi, Nos legẽ habemus; & ſecundùm legem debet mori, quia filiũ Dei ſe fecit. Cũ ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonẽ, magis timuit. Et ingreſſus eſt prætorium iterum, &c.* Ioan. 19.

Pilati omniũ maximus Chriſtum à morte liberandi conatus, caſſus tamen & irritus.

MVlti ac varij extiterũt conatus, quos Pilatus, dictante conſcientia, pro liberando Ieſu adhibuit: ſed nullus profectò hoc fuit efficacior, quo Ieſum flagellis cæſum, tantiſq; doloribus, & illuſionibus affectum oſtendit. Vnde Pontifices animaduertẽtes hoc tam diro ſpectaculo turbæ corda miteſcere, & ad miſerationem inflecti facilè poſſe (ſolet enim populi furor, ſi fuerit aliquouſque debacchatus in eum, in quem fertur, ſubito conquieſcere, præſertim ſi ludibrium adiunctum calamitati pro inuidioſo reddat miſerabilẽ eum, qui paſſus eſt) Euangeliſta teſte, clamare cœperunt: *Crucifige, crucifige eum*: vt ſciamus erroris omnis fontem, & fomitẽ fuiſſe Pontifices. Qui abſque vlla dignitatis, & ætatis ſuæ ratione, odio inexplebili inſanientes, & inſtar ferarum, quæ guſtata carne, ad eã deuorandam anhelant, clamabant in medio foro populis pleno, petẽtes, vt quamuis innocẽs Ieſus neci traderetur; quorum erat potius pro clementia, ac venia nocentis deprecari. Clamabant igitur, Crucifige, crucifige eum, id eſt: euge, euge, viderunt oculi noſtri, hactenus benè actum eſt: perge, perge: conuenit flagellatio crucifigendo, quia crucifixioni præuia eſſe ſolet. Quod reſtat ergo, exequere, quia vir iſte non tantùm reus eſt flagellorũ, ſed mortis etiã crucis. Grauis eſt nobis etiam ad vidẽdum. Metuebant videlicet Pontifices, ne ſi tam atrocia paſſus dimitteretur, verſis poſteà populi ab eis ad hoc concitati ſtudijs in ipſorum capita immanitatis huius inuidia recideret.

Populi furor ac rabies lenitur tamen, & mitigatu quando.

Pontificum, & Sacerdotum in Ieſum extremus furor & inſania.

Cur illi clamauerint: Crucifige, crucifige eum. *Pſalm. 34.*

Sapient. 2.

Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite. Ego enim non inuenio in eo cauſam. Metuebat etiam Pilatus, ne quod futurum erat, pulſatus in iudicio Cæſaris ſuſtineret moleſtiam non habẽs quam de interfectione eius redderet cauſam. *Fertur*, inquit Ruper. *quòd propter hoc Romam adductus, à Tiberio Cæſare exilio damnatus eſt, ſententia tam intolerabili, vt per impatientiam inediæ, gladio ſibimet mortem conſciuerit.* Hæc ille. Sed multò ſolidiora iſtis tradunt Euſeb. & Oroſius, eum videlicet à Caligula Imp. euocatũ ob alias cauſas, nempe ob furta, & expilata Gazophylacia: quæ peccata ſunt communia gubernatoribus, ac prouintias adminiſtrantibus. Et vt ſupra Pilatus Iudæis tradiderat facultatem iudicãdi Chriſtum, cùm dixit: *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum*, occultè tradens illis iudicij executionem, ita modò apertè illã eis tradit, metum illis inijciens. Quaſi diceret; Putatis me impiæ cædis fore miniſtrum? Egone prȩter Romanorum leges innocentem occidam? Egone clamoribus veſtris territus cedam, atq; impium homicidam me præſtabo? Ego legum adminiſtrator ſum, non alienæ vltor iniuriæ. Proinde ſi inſontẽ eſſe crimen eſt, accipite eum vos, & crucifigite. Non enim inuenio inter meos legiſperitos legem, quæ innocentem occidi mandet: ſi apud vos talis extat lex, accipite, & crucifigite. Sed Iudæi hoc non admiſerunt, quia nimis ſuam iniquitatẽ patefeciſſent: quoniam ſine iudicio hominem indemnatum nulla lege licebat interficere. Cũ ergo pri⁹ ſecundùm leges Cæſareas, vt reũ læſæ Maieſtatis conati eſſent eius mortem obtinere, nec potuiſſent: ſuam proferunt legem, clamantes Ieſum in eam per grauiſſimum blaſphemiæ crimen deliquiſſe: ſeque hoc modo declarantes non tã odio Ieſu, quàm zelo legis ipſum perſequi. Idcircò reſpondetunt Iudæi ad dictum Pilati: Tu iudica, & dimitte nobis, vt crucifigamus. Etſi non ſecundùm Romanorum leges mori debet, tamen ſecũdùm legem noſtrã debet, quia maximam blaſphemiam, dicẽdo ſe filium Dei, in Deum ipſum admiſit. Hinc dixerũt: *Nos legem habemus: & ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.* Quaſi dicerent; Tu Pilate cùm Gentilis ſis, non potes in eo cauſam mortis inuenire, & propterea ei patrocinaris, cùm legis noſtræ ignoratione tenearis. Nos verò Iudȩi legem habemus, contra quam iſte ſe filium Dei faciendo arrogãtiſſimè deliquit, vtpote blaſphemus, qui ſibi vendicat quæ Dei ſunt propria: in talem autem blaſphemum prȩcipit lex noſtra morte animaduertere. Porrò nos Iudȩi non ſumus ſicut Pagani: quorum nonnulli ſe Iouis filios appellant, vt Æſculapius, Apollo, Hercules, Alexander, Æneas verò Veneris, & alij aliorum Deorum filios ſe prædicant. Nos verò legem Dei habemus, in qua docemur vnũ Deum ſolum eſſe, nec habere filium naturalem,

Pilatus cur dixerit Iudæis de Christo: Accipite eum vos, & crucifigite. *Rupert. lib. 13.*

In Ioan. fin. verſus. De interitu Pilati probabilior ſententia. *Euſeb. lib. 2. c. 7. Eccl. hiſt. tom. 1. Oroſ. li. 7. c. 5.* Gubernatorum vitia.

Ioan. 18.

Quid eſt dicere: Accipite Ieſum vos & crucifigite.

Cur Iudæi necem Ieſu detrectauerint.

Iudæorum hypocriſis.

Quid eſt illud: Nos legem habemus: & ſecũdùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit. *Leuit. 24.*

Qui ſe Iouis filios nominarent olim, & pro talibus colerentur. *Deut. 6.*

ſed nos adoptare in filios dignat' eſt, cùm de nobis dixerit : *Filius meus primogenitus Iſrael*, & rurſus: *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes*. Hic autem tanto titulo filij adoptiui non contentus, naturalem ſe Dei filium efficere conatus eſt, quod à lege noſtra abhorret longè: ideò etſi nihil in Cæſareas leges, in legem tamen noſtram grauiſſimè peccauit. Quibus verbis reuera ſecurum reddere volebant Gentilem hominem, opponentes legis ſcutum, atque illo ſe tuentes. Sed profectò mentita eſt iniquitas ſibi: non enim ſecundùm legem debet mori, qui filium Dei ſe eſſe aſſeruit: ſed Propheta, qui falſum teſtimonium in nomine Domini locutus fuerit, ſi mendacij conuincitur, nec ſubſequatur effectus ſermonis ab eo prædictus. Quamquam autem aſſerere ſe Dei filium, peccatum eſſet: intelligitur in eo qui dicit, & non probat. Chriſtus autem potius probauit, quàm dixit: & potius ab Apoſtolis, turbis, atque alijs diſcipulis, imò etiam dæmonib' ipſis vocatus eſt, quã ipſe ſe appellauerit, multò minus qui ſe nõ fecerit. Facit enim ſe, qui non eſt: at Chriſtus minimè ſe fecit, quod non erat, ſed explicauit quod erat, & à nomine melius, quã à ſe cognoſci poterat. Quod ſi reuera blaſphemus extitiſſet, nõ poterant morte Crucis, ſed lapidum interficere, vt dicitur in libro Leuitici, quare ergo tantis clamoribus mortem Crucis contra legem poſtulabant? Quod ſi legem habetis, ô impij Iudæi, nonne illa apertè cædem vetat innocentis? nonne illa ait: *Inſontem, & iuſtum non occides? Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ?* Item ſi legem habetis, nonne illa fideliſſimum profert de Chriſto teſtimonium? Nonne Propheta ait: *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Nonne Dominus ad Scripturas ſe remiſit, cùm dixit : *Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me?* Nonne euidentiſſimis ac certiſſimis ſignis diuinitatem ſuam comprobauit? Verum tamẽ erat in alio ſenſu, quod ſecundùm legem debebat mori: quia Scriptura vetus prædixit, Meſſiam, & Filium Dei moriturum pro hominũ redemptione: ſed hic ſenſus præter mentem, & ſcopum eorum erat.

Cùm ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit. Timuit quidem magis, ſed non omnino pœnituit: neq; timuit propter legem Iudæorum, quam non curabat, ſed ne verum eſſet quòd Chriſtus filius Dei eſſet, quem ſic flagellauerat, & illuſerat: vt exponit Euthym. Nam cùm prius metueret apud Cæſarem à Iudæis accuſari, ſi Ieſum

Exod. 4.
Pſal. 81.
Iudæorum impudentiſſimũ mendacium.
Pſal. 26.
Quis Propheta per legem Moyſis interficiendus erat.
Deu. 13. & 18
Chriſtus probauit magis, quam dixit ſe Meſſiam.
Luc. 4.
Iudęi legis prę uaricatores.
Leuit. 24.
Exod. 23.
Ibidem.
Legis Moſaicę de Chriſto teſtimonia.
Pſal. 2. & Actor. 13 & Hebr 1 & 5.
Ioan. 5.
Quo ſenſu Meſſias, & Filius Dei ſecundùm legẽ mori debuerit
Quidnam illud quod Pilatus magis timuiſſe dicitur.
Euthym in c. Ioan. 19.

dimitteret; adiunctus eſt timor Dei, ſi non plecteret irreligioſum, & blaſphemum, titulumq; Filij Dei ſibi vſurpantem. Vel, magis timuit, quaſi animo præſagiente magnitudinem futuri mali, ſi eum puniret: præſertim cùm vxor iam miſiſſet nuntium ad eum, dicens : *Nihil tibi, & iuſto illi.* Metuebat enim, ne non ſolùm in innocẽtem peccaret, ſed etiam in Dei filium; atq; ob id deos ſibi iratos experiretur. Viderat enim admirabilem in Chriſto in ferendis malis patientiam, in reſpondẽdo grauitatem cũ modeſtia coniunctam: vnde meritò cœpit metuere. Et hoc videtur veriſimilius, quia poſtquam eum examinauit, dicitur in text. Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Ob hoc enim ipſum, quod obiecerant feciſſe ſe filium Dei timebat ne fortè verum eſſet. Et cùm hactenus caſtigando innocentem cœpiſſet timere: iam audito quòd eſſet filius Dei, habuit rationem magis timendi. *Et ingreſſus eſt prætorium iterum, & dicit ad Ieſum, vnde es tu?* Non quærit de patria, cùm prius nouiſſet eſſe Galilæum, ſed generis originẽ, principiumq; interrogat: id eſt, à quo genus ducis? qui ſunt parẽtes tui? es ne tu è cœlo, an ex terra? es ne filius Dei, vt iſti tibi obijciunt te facere, an filius hominis? *Ieſus autem reſponſum non dedit ei.* Ideò quia interrogatio ex radice Idololatriæ ortaerat : putabat enim Pilatus, homines quoſdam eſſe ex dijs prognatos, quos filios Dei vocabant. Si enim Pilati menti Dominus Ieſus reſpondiſſet, importunum erat in illis temporis anguſtijs de reb' adeò vanis & fabuloſis verba facere: ſi autem ſeriò de ſua origine; vel æterna ex Patre, vel temporali ex Virgine per Spiritum S. facta loqui voluiſſet; Pilati captum hæc excedebant, nec ratione, ſed fide tantùm apprehendi poterãt: quia, Generationẽ eius quis enarrabit? vel putaret Pilatus, Chriſtũ eſſe filiũ Dei, ſicut alij heroes ac ſemidei: quod verum non erat. Amplius, reſponſum non dedit, quia ſupra ſatis notam illi fecerat ſuã innocentiam, cui etiam ipſe teſtimonium perhibuerat: & quoniam ipſe ſatis inſinuauerat huius rei veritatem, cùm ſe dixit veniſſe in mundum, & regnum ſuum non eſſe ex hoc mundo. Adhęc nondum tempus erat Gentiles docendi, quia nõ erat miſſus niſi ad oues, quę perierũt domus Iſraël: nec rurſus ſanctum cani dandum erat, nec margaritæ proijciendæ ante porcum. Prætereà Pilatus agnum Dei male totonderat: nam flagellauerat, & illuſerat, ideò iuſtè coram illo obmuteſcebat, iuxta illud: *Et quaſi agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Ad hanc tamen Pilati interrogatio-

Matth. 27.
Quæ res prætereà Pilato maiorẽ de Chriſto timorem incuſſerint.
Quid quæreret Pilatus ab Ieſu, cum petebat vnde eſſet.
Luc. 23.
Cur Dominus à Pilato interrogatus tacuerit.
Eſa. 53.
II. Ratio.
III. Ratio.
Mat. 15.
Sap. 7.
IV. Ratio.
Eſa. 53.

[...]ſpondit Ie[...]s quomodò [...]lsio, vnde [...]ſet. *[M]atth. 27.*

nem reſponſum nõ dedit verbo, niſi facto, hoc eſt, ſignis, quæ in morte edidit, & reſurrectione, & mundi ad ſe conuerſione. Nunc ridiculum videretur, ſi diceret quis eſſet, huic homini: qui ſi crederet, liberaretur; ſi non crederet, hoc amplius ab eo peccaretur. Reſponſum ergo non dedit: quia nondum manifeſtandus Chriſtus Gentilibus niſi poſt eius aſſumptionem, neq; impeditum ſuæ mortis curſum eſſe volebat, neque offenſos Iudæos, ne illos, vt ad ſanitatem redirent, difficiliores redderet, aut ne mortis metu ad Gentilium auxiliũ confugiſſe poſſet iudicari. Ambroſius pulchrè

Amb. l. 10. in Luc. c. 15. 20. 3.

ait: *Bene tacet, qui defenſione nõ indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci.* Sic ille.

Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te: Pulchrè ait Auguſtin. *Ieſus vbicunque non reſpondit, non ſicut reus, ſiue doloſus, ſed ſicut agnus, hoc eſt, ſicut ſimplex atque innocens non aperuit os ſuum. Proinde vbi non reſpõdebat, ſicut ouis ſilebat: vbi reſpondebat, ſicut paſtor docebat.* Hęc ille. Mirabatur ergo Pilatus quòd in re tanti periculi iudici ſuo, quem ſibi plurimum fauentem videbat, reſpondere non dignaretur. Et terretur ergo, & terret, vt ait Euthymius: irritatus enim quòd ſibi ne ipſum quidẽ fouenti, reſpondeat, deinceps vibrat poteſtatem. Atq; hoc ſolo verbo, vt docet Chryſoſtomus, Pilatus proprio ſe condemnauit ore. Si enim vniuerſum negotium in poteſtate ſua poſitum erat, nullam excuſationis cauſam in die nouiſſimo habebit, quòd innocentem Chriſtum non dimiſerit. Ex voluntatis ergo affectu, & nõ ex poteſtatis defectu fuit, quòd innocentem à ſe notum, & toties iuſtum proclamatum non dimiſerit, ſed ſupplicio crucis affecerit. Eſt autem vox impij iudicis, *Poteſtatem habeo crucifigere te, & dimittere te.* qui putat ſibi omne licere quod libet: qui donis Dei deſtitutus eſt, ac fide caret, non agnoſcit poteſtatem eſſe Dei donũ, ſed vt propria merita reputat, ac omnia ſibi licere exiſtimat. At fides docet, neminẽ ex donis deſuper datis ſuperbire, nec ex illis fieri dominum, ſed ſeruum & miniſtrum ad diſpenſandam poteſtatem pro voluntate Domini: quam in legibus poſitam eſſe agnoſcit, ſi ſecundùm eas iudicet. Solus autem Deus, qui Dominus eſt, poteſt legitimè ſaluare vel perdere quemcunq; voluerit; quia non habet à ſuperiori poteſtatem, cui reddere rationem habeat. Quia ergo Pilatus ſuperbè iactauerat ſuam poteſtatẽ in Chriſtum, idcircò Dominus illi reſpondit. Non ſolùm vt oſtendat ſe odio habere ſuperbiam, ſed quia illa arrogãtia eleuabat

Aug. tract. 116. in Ioan.

Chriſtus vbi non reſpondebat, ſicut ouis ſilebat: vbi reſpondebat, ſicut paſtor docebat, ait Auguſt.

Euthym. ibi.

Chryſ. ho. 83. in Ioan. to 3.
Quid Pilatum in die iudicij reddet inexcuſabilem.

Pilati arrogantia & iniuſtitia.
Rom. 13.
Poteſtas donum Dei eſt.

Proprium Dei poteſtatis.

Cur Ieſus Pilatò reſpondit ſuam in ipſum poteſtatem iactanti.

gloriam & cauſam paſſionis ſuæ, quę nõ ex arbitrio Pilati, ſed ex Dei pendebat ordinatione. Dixit ergo: *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datũ eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Locus hic nonnihil habet difficultatis, tùm propter poteſtatem illam Pilato deſuper datam: quod nõ ſatis explicari poteſt, cum in hominem innocentem, & maximè in Filium Dei, nullam poteſtatem habeat iudex. Prætereà grauiorem habet difficultatem illa illatio: proptereà qui me tradidit tibi, maius peccatum habet: non enim ſatis apparet quomodo hoc ex præcedentibus verbis deducatur. Ad primam igitur difficultatem Caietanus tam in ientaculis, quã ſuper Euangelia exponens hunc locum, aſſerit hominem ex duplici capite ſubijci magiſtratui, ſiue iudici. Primò quidẽ ex parte ſuperiori, quia ſic à Deo eſt conſtitutũ: Omnis enim poteſtas à Deo eſt: deinde ex parte inferiori, id eſt, ex proprio peccato, ſaltẽ originali, ex quo homo puniri poteſt ab homine. Chriſtus ergo ex hac parte inferiori nulli ſubditus erat poteſtati, quia innocens & purus, etiam ab originali fuit: ſed tantùm ex parte ſuperiori, quia Dominus cõſtituerat Pilatum in poteſtate. Quaſi dicat; Quòd tu, Pilate, contra me poteſtatem habeas, nõ ex vllo meo demerito, ſed quia Præſes es, & ſuperior à Deo cõſtitutus, eam habes. Ex quo valde occultam, ſingularẽq; ſuam innocentiam ſignificare voluit tanquam nulli peccato, vel originali ſubditus eſſet. Sed hæc dicta Caietani minus digeſta minuſque cum ratione cohęrere videntur. Nam in primis verum nõ eſt, hominem ex eo tantum capite, quòd puniri ob peccatũ poſſit, habet ſuperiorẽ: nam non ob id tantùm ſubiectus eſt homo, quia peccator eſt, aut peccabilis, ſed quia dirigi poteſt ad cõmunem vtilitatem, aut alioquin ex bono opere dignus remuneratione exiſtit. Cùm igitur homo homine ſit ſuperior, nõ ſolùm ad corrigendum peccantem, ſed etiam ad dirigendũ eum ad bonum, & ad imperandum tam iuſtis, & innocentibus, quàm iniquis, & ſontib. ſequitur quòd illa diſtinctio Caietani nõn comprehenderit vniuerſitatem legũ & iuſtitiæ. Deinde aut homo ex 2. capitibus ſit ſuperior, aut tantũ ex altero. Si ex duob. ſimul: ergo falſum eſt quòd Ieſus ex altero tantũ cap. hebebat Pilatũ ſuperiorem, vt dicit: quia ille Præſes à Deo erat, & nõ quia Ieſus punitione dignus exiſteret. Si verò ex altero tantũ: falſum eſt, quod ad poteſtatẽ ſufficiat primum caput ſine peccato inferioris. Adhæc peccatũ cuiuſq; non ſatis eſt vt puniatur à quolibet homine; niſi ab eo tan-

Quænam fuerit poteſtas Pilato deſuper data in filium Dei, Chriſtum eius.

Solutio Caietani.

Rom. 13.

Refellitur ſolutio Caietani.

Homo qua tantum ratione habeat ſuperiorem.

II. ratio.

Paludamentũ idem quod chlamys.

Nonnus Marcellus Politianus.

ſuper armis induebantur autore Nonno Marcello, Sagulum à Politiano vertitur. Pallium etiam militare erat, ſed diſtinctum à chlamyde, vnde Plautus: *Puer cape chlamydem, & da pallium,* quia illo erat ſtrictior, ac breuior.

Plautus.

Purpura, regiũ ornamentum apud Macedones.

Liu. li. 2. Belli Punici.

Erat prætereà regium ornamentum apud Macedones, vt toga purpurea apud Romanos triumphantium, ac regnãtium erat, vt teſtatur Liuius. Chlamyde verò primus Romanorum Regum vſus eſt Numa: & eadem coccinnea chlamyde ſæpe vſum Alexandrum Seuerum teſtatur Ælius Lampridius in eius vita.

Chlamyde primus Romanorum Regũ Numa, vſus fertur fuiſſe.

Ælius Lamprid.

Plautus.

Plautus etiam in Pſeudolo, opus eſſe ait ad ornatum militis chlamyde, machæra, & petaſo: & alibi ait: Puer cape veſtem, & da pallium: Italico ſermone ferunt dici Muzeta. Cùm igitur eſſet veſtis, & forma, & colore militaris, eo magis ad ludibrium Chriſti faciebat, vt videlicet pijſſimus peſſimorum, id eſt, effundentium ſanguinem veſtem geſtaret.

Purpureus & coccineus color inter ſe differunt.

Maior eſt difficultas de colore coccineo, & purpureo: quia illos conſtat eſſe diſtinctos, & diuerſos colores, quos habere vna, & eadem veſtis non poterat, quanquam coccineus ſimillimus ſit purpureo, vt docet Bayſius de re veſtiaria.

Bayſius

Aug. lib. 3. de conſenſu Euãgel. c. 9.

Auguſtinus libro de conſenſu Euangeliſtarum ſcribit chlamydem illam coccineam, ad illudendum adhibitam fuiſſe: & eſt rubra quædã purpura cocco ſimillima. Poteſt etiam fieri, vt purpuram Marcus commemorauerit, quam chlamys habebat, etiamſi eſſet purpurea. Hæc ille, dupliciter concilians Euangeliſtas.

Beda in Marcum tom. 5.

Beda in Matthæum ſcribit, vnius naturæ eſſe coccum, & purpuram. Sunt alij, qui tradunt miniſtros Pilati duplici veſte induiſſe Chriſtum, purpura, inquam, & chlamyde coccinea: ita ſentire videtur Ambroſius in hunc locum:

Ambr lib. 10. in Luc. c. 18. init. 50 5.

Chlamydem autem, inquit, *coccineam induitur à militibus, & purpuream tunicam, in altera deſignans martyrum palmas, & altera regiæ poteſtatis inſignia, quod caro eius fuſum toto orbe terrarum ſanguinem eſſet ſuſceptura pro nobis, & paſſio regnum paritura de nobis.* Adde Iuuencum in libro Euangelicæ hiſtoriæ, dicentem:

Iuuencus lib. 4. Euang. hiſtor.

Traditur iniuſtis iuſtus, ſceleriſq; miniſtris
Militibus, ſcelerata opprobria corpore præbent,
Purpureamque illi tunicam, chlamydemque rubentem
Inducunt: ſpiniſque caput cinxêre cruentis.

Hæc illi. Atque hæc ſententia ex eo probari videtur: quia ſi tantum chlamydem circundediſſent ei, non eum prius nudaſſent, nec diceret Matthæus: Et exuentes eum &c. Sicut non legitur nudatus ante Herodem: cum illum induerunt candida veſte.

Luc 23.

Ideò veſtito veſte purpurea, chlamydem purpuream circundederunt ei, vt vnus Euangeliſta vnum exprimat, alter alterum. Et intellige vtramque veſtem iam pene conſumptam, ac detritam, ad maius confuſionis augmentum: ſed reuera probabilius videtur, quod vna tantum veſtis fuerit, quæ & coccinea, & purpurea vocaretur: vnde ſacerdos in ſacrificio Miſſę celebrando nõ niſi amictu, alba veſte, & caſula induitur.

Coccus, & purpura inter ſe diſtinguuntur.

Plin. lib 9. cap. 4.

Dioſcor. Lib. 4. c. 43.

Plin. lib. 22. cap. 2.

Nam coccus, & purpura reuera ſunt res diſtincta: coccus enim eſt rubens herbæ granum quod in Galatia, & Emerita Luſitaniæ ciuitate, teſte Plinio, præſtantiſſimum naſcitur, & in vrbe Hiſpaniæ Granata illi proxima: vnde etiam ab grani præſtantia ſuum nomen, & à Dioſcoride dicitur κόκκος βαφική, id eſt, granum tinctorum: & Plinius coccum ait dicatum Imperatorijs paludamentis.

Coccus Imperatorijs dicatus paludamẽtis, teſte Plinio.

Purpura etiam genus piſcis, ſeu conchyle, quod dicitur murex, in cuius faucibus eſt flos ille, ſiue ſuccus tingendis veſtibus aptus. Adde quod Scriptura ipſa tanquam de duabus rebus diſtinctis in Exodo, ait:

Exod. 26.

Tabernaculum ita facies, decem cortinas de byſſo retorta, & hyacintho, ac purpura coccoque bis tincto, &c. Poteſt tamen hoc facilè conciliari, ſi dicamus illam veſtem fuiſſe dibapham, id eſt, bis tinctam, de quo Plinius ita ſcribit:

Plin. lib. 9. ca. 39.

Dibapha veſtis quæ diceretur olim.

Dibapha tunc dicebatur (ſcilicet veſtis) *quæ bis tincta eſſet veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes penè commodiores purpuræ tinguntur.* Et infra:

Cap. 41.

Votum quoque factam è vitio portentoſis ingenijs, & gemina demonſtrata via luxuriæ, vt color alius operiretur alio, ſuauior ita fieri, leniorque dictus. Quin & terrena miſcere, coccoque tinctum Tyrio tingere, vt fieret hyſginum. Hæc ille. Ad delicias igitur & regalem habitum ſpectabat bis tingi veſtes, primo cocco, deinde purpuræ ſucco, quas Tyrias vocant, de quo Poëta.

Virgil 4. Æneid.

Tyrioque ardebat murice læna.

Talis erat illa Chriſti chlamys, quæ ab vno dicitur coccinea, & ab alio purpurea. Non ergo ſibi inuicem diſſident Euangeliſtæ, imò explicant myſterium in Exodo deſignatum,

Exod. 26.

vbi ad tabernaculum, quod typum gerit corporis Chriſti, iubetur inferri coccus bis tinctus, & Sacerdos legalis iubetur indui ſuperhumerali ex hyacintho, purpura, & cocco bis tincto: vbi Hebraicè dicitur tolahad ſani, id eſt, vermiculo cocci, vel vermiculo, & cocco, vel bis tincto cocco. Atque hoc ſignificat illud, quod in Prouerbijs ſuis ait Salomon:

Prou. 31.

Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus, vbi Hebraicè habetur ſani, id eſt, cocco bis tincto. Et huic eſt proximum, quod in Threnis dicitur:

Thren. 4.

Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora: Vbi pro verbo illo in croceis, in Hebræo

habetur

Purpura ad quid fuerit adhibita olim in lege.

habetur hatolah. Septuaginta habent ἐπὶ κόκκινον περιλαβόντι. Illud verò aduerte, quod cum purpura ſemper fuerit adhibita ad ornatum, vt ad velum Sancti Sanctorũ, ad ſuperhumerale Sacerdotis, tabernaculum Holophernis, quod erat ex purpura, & in domo Balthaſar Regis induerunt Danielem purpura: hæc tamen ob illuſionem Chriſti eſt data, in quam ſanguis intus ex flagellis, & extra ex corona ſpinea cruor defluens denuo illam tingebat, ac rubricabat: ſignificans ſe de hoſtibus ſuis triumphum acturum per ſanguinis ſui effuſionem tanquam potentiſſimum Regem, de quo Eſaias: *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra, iſte formoſus in ſtola ſua.* Et infra: *Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcaui ſolus*, & quæ ſequuntur. Ioannes etiam in Apocalypſi dicit, Ieſum à ſe viſum veſtitum in veſte aſperſa ſanguine. Deſignat prætereà ſanguinem per totum mundum à Martyribus pro eo veſtiendo, & ornando effundendum. Adhæc ſignificabat geminam Dei, & proximi charitatem, qua ille paſſus eſt, verumque regnum ſibi comparauit, ſubijciens ſibi peccatum, Satanam, ac mundum, vt verus Rex. Prætereà ad literam, Romani ad eos, quos Reges ſalutaſſent, appellaſſentq́; togam purpuream, quæ & picta dicebatur, mittebant, qua indueretur. Vnde Cornelius Tacitus ſcribit: *Cognitis de hinc Ptolemai (Iubæ inquam filij) per illud bellum ſtudijs, repetitus ex vetuſto more, miſſusque e ſenatoribus, qui Scipionem eburneum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, Regemque & ſocium, atque amicum appellaret.* Hæc ille. Hic autem in deriſionem factum eſt, quaſi Senatus, populuſq́; Romanus illi, vt Regi regium inſigne miſiſſent. Et hactenus de veſte purpurea: iam de corona ſpinea tractandum. Primò ex qua materia confecta eſſet; ſecundò, quæ fuerit eius forma, & vbi aſſeruata; tertiò, quot ſint coronarum genera; quartò, & poſtremo, quorſum Chriſto adhibita. Ad primum plerique vno ſenſu reſpondent, fuiſſe confectam ex iuncis marinis, qui cuſpides acutas habent: quibus maximè abundat Syria, & Ægyptus vicina, de quibus Poëta.

Daniel 5.

Purpurea Chriſti veſtis ſignificauit duo.
Eſa. 63.

Apocal 19.

II. ſignificatus.

Romani quos Reges ſalutaſſent, appellaſſentque, purpuream illis veſtē induendā mittebant.
Cornel. Tacitus lib. 4 Annal. multo ante med.

De corona ſpinea.
Ex qua materia illa fuerit confecta.

Et acuta cuſpide iunci;

Et alibi

Et carice paſtus acuta.

Idem enim eſt iuncus (quod nimirum eorum vſus ſit iungere diuerſa) & carex, & ſcirpus, & papyrus: vnde & mare Rubrum ab Hebræis dicitur Iam ſuph, id eſt, mare caricoſum, quod illis littora eius abūdent.

Virg. 5. Aeneid.
Idē 3. Georg. paulò ante medium.
Iuncus cur ſic dicti.
Rubrum mare ab Hebræis

Atque hæc omnia illuſtrantur autoritate Plinij ſic dicentis: *Papyrum naſcitur in paluſtribus Aegypti, aut quieſcentibus Nili aquis, vbi euagata ſtagnant, duo cubita non excedente altitudine cubitum; brachiali radice obliquæ craſſitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine in gracilitatem faſtigiatum, thyrſi modo cacumen includens, ſemine nullo, aut vſu eius alio, quàm floribus ad deos coronandos.* Matthiolus in Dioſcoridem teſtatur hunc iuncum inueniri frequentem in aquis regni Bohemiæ: & ab ſpecioſiſſimis floribus, quos producit, vocat eum iuncum floridum. Etſi autem ſpina in herbis inueniatur, & in fruticibus, de quibus:

cur caricoſum dictum.
Plin. lib. 13 c. 11 poſt med.
Papyrum naſcatur vnde, teſte Plinio.

Matthiol. ibidem c. 47.

Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis,

Imò etiam in arboribus, de quo idem ait Poëta:

Eduramq́; pyrum, & ſpinos iam pruna ferentes.

Virg. Eclog. 5. ante med.
Idem 4. Georgicor. multò ante med.

Ex quibus conficiuntur ſepes vinearum, hortorumve: Hæc tamen corona ex huiuſmodi fruticibus, aut herbis, aut arboribus non facilè poterat confici ſine læſione eorum, qui eam conficerent. Neq; natura horum eſt, vt facilè ſinant ſe flecti, ſi ſpinæ ſint ſolidæ, acutæque, & ramus exiccatus: & iuncea materia tractabilis eſt, & facilè flecti; & contexi poteſt. Quare hæc ſententia, quod fuerit ex iuncis, præferenda videtur. Ad ſecundum, cum ſit ſimplex ſertum, quod tempora ambit tātum, & capitis verticem relinquit intactum: aliud tamen genus coronæ eſt, quod nō tantum tempora, ſed etiam totum caput tegit, vt eſt corona imperialis; exiſtimāt ſatis probabiliter nōnulli recentiores ſcriptores, hanc coronam Chriſti capiti impoſitam huius poſterioris generis fuiſſe in modum pilei: quæ grauior erat, & acerbior, cum totum caput ex omni parte contingeret, atque confoderet. Nam Chryſoſtomus ait, mille puncturis caput eius illa corona fuiſſe punctum; ita vt ſanguis copioſiſſimus per faciem & genas deflueret. Quod ſi vel vna minima ſpina tantum adfert doloris, & moleſtiæ pede calcata, vt paſtor ille apud Theocritum dicat: ἐντίχει ἐστὶ τὸ τύμμα, καὶ ἀλίκον ἄνδρα δαμάζει: hoc eſt, Quantula eſt pūctura ſpinę, & quātū hominem domat? quanto magis vbi tot, ac tanti ſpinarum aculei tempora teneriſſima, & delicatiſſimum Chriſti pungebant cerebrum? Ponderant enim quidam, quod Marcus, & Ioannes ſcribunt, quod impoſuerunt capiti coronam quaſi ſignificantes, coronam capiti intimè infixam. Quemadmodùm autem maiores noſtri arma ſuperiorum ſuorum magna veneratione aſſeruabant, & in templis reponebant, quaſi

Spineæ coronæ forma qualis fuerit.
F. Calixtus.
Placentinus.
F. Ludouicus à Granata.
Chryſ. ibid.

Caput Chriſti diuiniſſimum mille puncturis punctum ait fuiſſe B. Chryſoſtom.
Theocritus Poeta.

1. Reg. 17.

ctoriam illis armis partam Deo tribuerent: nam ita Dauid gladium, quo truncauit caput Goliad, in tabernaculo collocauit: ita

Corona Chriſti ſpinea vbi aſſeruetur.

hæc cruenta corona, qua Chriſtus ſibi regnum cœleſtium, terreſtrium, & infernorũ comparauit, nobiſque ſempiternas felicitatis coronas peperit, magna religione ſeruata eſt in Eccleſia Dei, & nunc religioſe colitur in capella ſancta Pariſijs, vt refert

B. Antoni.

Archieſpiſcopus Florentinus. Et hæc de ſecundo. Sunt autem plures ſpecies coronæ:

Coronarum octo genera. Gell. lib 5. c 6. Noct. attic.

nam autore Gellio, atque alijs quibuſdam, quædam erat triumphalis, quæ Imperatoribus ob victoriam ad triumphum in vrbem redeuntibus mittebatur. Et primum

Triumphalis.

cœpit fieri ex lauro, deinde ex auro puriſſimo.

Obſidionalis.

Obſidionalis erat, quam ſoluenti obſidionem, liberati dabant ei, qui ipſos liberauerat, ex gramine decerpto inde, vbi obſeſſos ille ſeruaſſet.

Ciuica.

Ciuica erat, quam ciuis ciui, à quo ſeruatus eſt in prælio teſtem vitæ, ſalutiſque perceptæ dabat: quæ ilignea erat.

Muralis.

Muralis erat, qua donabatur ab Imperatore is, qui primus muros ſubijſſet, inque oppidum per vim aſcendiſſet. Hæc ad incitandos ad oppugnationem militum animos ex auro fiebat.

Caſtrenſis.

Erat & Caſtrenſis, ſiue Vallaris, ſimiliter aurea, quæ donabatur ei, qui primus hoſtium caſtra pugnando introiſſet.

Naualis.

Erat & Naualis quibuſdam quaſi roſtris nauium inſignita: qua donari ſolebat, qui prius maritimo prælio in nauem hoſtium vi tranſilijſſet.

Oualis.

Denique erat Oualis myrtea corona, qua ouantes Imperatores in vrbem introibant.

Laurea.

Erat & Laurea corona, qua Poëtæ ornabantur.

Tertullianus, vſum coronarum tribuens ſolis Ethnicis, & non Iudæis, vnde refelli poſſit.

Tertullianus libro de corona militis, quædam dicit non ſatis certa de corona, ait enim circa medium: *Tamen nec illam impietatis contumelioſa coronam populus conſciuit: Romanorum militum commentum fuit, ex vſu rei ſecularis, quem populus Dei nec publicæ vnquam lætitiæ, nec ingenitæ luxuriæ nomine admiſit, facilius cum tympanis, & tibijs, & pſalterijs reuertens de captiuitate Babylonia, quàm cum coronis: & poſt cibum, & potum exurgens ad ludendum ſine coronis.* Hæc ille, vbi videtur coronarum inuentum tribuere ſolis Gentilibus, & non populo Dei; cum tamen in libro Sa-

Sap. 2. Eſa. 61. Cant. 3.

pientiæ dicatur: *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant,* & Eſaias dixerit: *Vt darem eis coronam pro cinere,* & in Canticis: *Videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua.* Erat igitur vſus coronarum in populo Dei, & non tantùm apud Gentiles.

Romani milites cur ſpineã coronam Ieſu capiti impoſuerint.

Ad poſtremum dicendum eſt, Romanos Chriſtum coronaſſe in deriſum & improperium regni ſui, quemadmodùm purpura detrita fecerant. Et cum moris eſſet,

Plin. lib. 13. c. 11. poſt med.

teſte Plinio, floribus illis pulcherrimis iuncorum Deos çoronari; illi in contemptum, cuſpidibus ipſorum iuncorum, quibus innaſcebantur hi flores, ipſi coronam contexuerunt, quæ cum illuſione ſimul pungeret: quæ à ſeculo nulli impoſita hominum legitur. Illi autem etſi ad dedecus ei augen-

Quare illam acceptauerit. Chriſtum eſſe dignum omni corona.

dum hoc excogitauerint: ipſe tamen Chriſtus ſponte acceptare voluit talem coronam, quia ea verum ſibi regnum comparauit. Erat enim dignus corona triumphali, qui tria regna morte ſua acquiſiuit:

Cur dignus Obſidionali.

Dignus Obſidionali, qui nos ſoluit obſidione à dæmonibus nobis bellum inferentibus: & à limbo eripuit, ſeruauitque ciues ſuos à morte: primuſque eſt, qui caſtra inimicorum ingreſſus eſt, primuſq; perrupit Acheronta, trophæiſque glorioſis ſpoliauit: quare dignus eſt omni corona.

II. ratio à Romanorum, Iudæorumque immolandi victimas, ritu, & conſuetudine.

Secundò acceptauit coronam; quia moris erat apud Romanos, & etiam apud Iudæos, victimas coronatas immolari. Nam Plinius de coronis agens, ita ait:

Plin. lib. 16. cap. 4. Sacrificiorum ritus.

Feruntque primum omnium Liberum patrem impoſuiſſe capiti ſuo ex hedera. Poſteà Deorum honori ſacrificantes ſumpſere, victimis ſimul coronatis. Hæc ille. Et in ſculpturis antiquis Romæ cernuntur victimæ coronatæ: & ad hoc alludit Poëta, cum ait de Sinone immolando:

Virg. lib. 2. Aeneid. ſub initium.

Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.

Chriſtus igitur vt vera victima Deum toti mundo placans, coronatus apparere voluit.

Act. 14.

Lucas in Actis cum narraret, Lyſtrenſes Barnabæ, & Paulo voluiſſe ſacrificare; refert, Sacerdotẽ attuliſſe tauros, & coronas ante ianuas, quo videlicet tam ſacrificãtes, quàm victimæ ornarentur coronis.

III. ratio à figuris Veteris Teſtamenti. Exod. 3.

Tertiò coronam acceptans, figuras multas Veteris Teſtamenti impleuit. Nam in rubo ardente olim viſus eſt Deus loqui ad Moyſen de liberatione populi ſui; ita & per Chriſtum coronatum, & charitate ardentem Deus nos alloquitur, quomodò à captiuitate veri Pharaonis, id eſt, diaboli aſſeramur in libertatem gloriæ filiorũ Dei.

Geneſ. 22. Aug. lib 16. de Ciuitate Dei, c 32. circa med. tom. 5.

Secundo figurata eſt hæc corona in ariete hærente inter vepres: vt eleganter docet Auguſtinus.

Cant. 3.

Tertiò adumbrata eſt hęc corona in Iona Propheta, qui ca. 2. pro eo quod nos habemus, Pelagus operuit caput meũ, Hebraicè legitur Suph Chabuſc Leroſci; id eſt, iũcus circunligatus eſt capiti meo, alij legunt, carectum, vel alga implicita eſt capiti meo.

Illud Canticorum: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonẽ, &c. pulchre expendit Bernardus.

Impleuit quoque prophetiam illam Canticorum: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate quo coronauit eũ mater ſua. In quæ verba Bernard. lib. Paruorũ ſermonum: *Nõ dixit Eccle-*

ſiaſten,

Bernard. lib. Paruuſerm. 6 in uſu.

Salomon quid ſonet, quid Eccleſiaſtes, quid Ididi.

2. Reg. 12.

ſiaſten, aut Ididan. Nam & his nominibus appellatus eſt Rex ille: & ſignificat Ieſum Chriſtum noſtrum: verum Salomonem, qui eſt Salomon, id eſt pacificus in exilio: Eccleſiaſtes, id eſt, concionator, in iudicio: Idida, id eſt, dilectus Domini in regno. Vbique Rex. In exilio, rector morum; in iudicio diſcretor meritorum; in regno, diſtributor præmiorum. In exilio, manſuetus; in iudicio, terribilis; in regno, admirabilis. In diademate quo coronauit eum mater ſua. Eſt autem hæc corona miſericordiæ, & in hac imitabilis.

Quatuor Chriſti coronæ.

Coronauit eum, & nouerca ſua corona miſeriæ; & in hac contemptibilis. Synagogam loquor, quæ ſe ei non matrem exhibuit, ſed nouercam. Coronauit eum familia ſua corona iuſtitiæ; & in hac terribilis. Coronat eum Pater ſuus corona gloriæ; & in hac deſiderabilis. Videant ergo eum peccatores in corona miſeriæ, id eſt, ſpinea, & compungantur. Videant ergo eum filiæ Sion animæ affectuoſæ in corona miſericordiæ, & imitentur. Videbunt eum impij in corona iuſtitiæ, & peribunt. Videbunt eum ſancti in corona gloriæ, & perpetualiter gaudebunt. Hæc Bernardus, eleganter ſatis, & accommodatè. Impleuit etiam à Sybillis prædicta, nam lib. 8. Oraculorum Sybillæ Erithreæ habemus:

Sibyllæ Erythreæ vaticinium de ſpinea Chriſti corona.

Nam veniet ſanctis æterna è vepre corona
Lectis, tum calamo compungent ilia, legis
More ſua, ex calamis etenim quos contulit aura,
Ad lites animi ſe ſe ira vindice vertit.

Lactant.

Et Lactant. lib. 4. cap. 18. *Ipſa enim ſtulta Deum tuum non cognouiſti ludentem inter mortales cogitationes, ſed de ſpinis coronaſti corona.*

Peccata cur ſpinis comparentur.

Adhæc rectè peccata ſpinis comparantur: quia animam pungunt, & lacerant; & quia homini propter peccatum datæ ſunt, dixit enim Deus Adæ peccatori: *Spinas, & tribulos germinabit tibi.*

Geneſ. 3.

Solent autem victores hoſtis victi arma geſtare ad gloriam, & ad perpetuam memoriam. Arma autem Satanę, cõtra quæ Chriſtus pugnauit peccata noſtra ſunt: quæ in ſpinis denotantur: hinc agnus noſter coronatus eſt, quia ſua paſſione ſuſtulit peccata mundi, & aculeos peccatorũ noſtrorum quaſi ſpinarum in ſe perfregit.

Arma Satanæ contra quæ Chriſtus pugnauit, quænam illa.

Ioan. 1.

Tertull. lib. 4.

Quare Tertullianus libro de corona militis in fine, ait: *Ex ſpinis opinor, & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis, abſtulit autem virtus crucis, omnes aculeòs mortis in Dominici capitis tolerãtia obtundens.* Sic ille. Ideò iure coronatus eſt ſpinis, & in illa corona exaltatio Chriſti triumphalis deſignata, ſiue per ſpinas intelligamus peccata, ſiue homines peccatores Deum, ſe ipſos, & proximos pungentes, ac lacerantes: & quod ſolum Dei opus eſt, de ſpinis collegit vuas, & de tribulis ficus.

Coronæ ſpineę ſignificationes variæ.

Matth. 7.

In his autem illuſionibus ſilet Ieſus, vt ait Tertullianus libro aduerſus Marcionem: quia in ſibilo auræ tenuis Dominus, licet ſerui fuerint in commotione.

Idem Tertul. lib. 4. aduerſ. Marcion.

II ſignificatus.

Præterea Chriſti corona nõ tantùm Chriſti exaltationem, ſed etiam noſtram ſignificat. Vt enim ſcribit Cyrillus in Ioannem: *Audiui aliquos, quibus valde placebat per coronam de ſpinis, multitudinem ſculptilia colentium ſignificari, quæ per fidem in diadema Chriſti ſuſceptà eſt. Spinæ namque, dicunt, ſteriles, quoniam nullum pietatis fructum producebant, Gentes fuerunt, igni ſolummodo nutrimentum, quemadmodùm & agrorum ſteriles ſpinæ. Per purpuream autem veſtem, regnum totius mundi, quod per fidem Chriſtus accepturus erat, ſignificatum fuiſſe volunt. & probans hanc interpretationem, ſubiungit: Non eſt eijciendum hoc theorema, cum rebus aptiſsime accommodatum ſit.* Hæc ille.

Cyrill lib. 12. in Ioan. ca. 15 tom. 1.

Gentes in ſpinis deſignantur.

Purpureæ veſtis myſteriũ.

III. ſignificatus.

Lactantius Firmian. lib. 4 c. 26. poſt medium.

Lactantius quoque Firmianus in libris Inſtitutionum diuinarum aſſerit per coronam ſpineam ſignificari diuinam plebem, quam de nocentibus, & peccatoribus voluit ſibi congregare. Corona enim dicitur, circunſtans in orbem populus. Et illis duobus ſignificatur Chriſti imperium, qui peccatoribus ſuo merito iuſtificatis velut ſuo indumento veſtitur, eiſq; coronatur: atque eos, qui erant ex ſe vt arundo vento agitata, dextera ſua conſtabilit. Oportet igitur, & nos Chriſti exẽplo ſtrenue decertare: quia non coronabitur niſi qui legitime certauerit. Vnde Paulus, qui bonum certamẽ certauit, curſum conſummauit, fidẽ ſeruauit, repoſitam habuit coronam iuſtitiæ: quæ nõ incipienti, ſed perſeueranti in certamine, & vſque in finẽ fidem ſeruanti debetur.

2. Tim. 2.

Infra 4.

Scribit Ariſtoteles in libris Ethicorum, in Olympicis ludis nõ coronari, aut ſcientes, aut pulchros, aut fortes, vel proceros, ſed qui actum virtutis rectè exercuiſſent. Et omnis quidem qui in agone contendit; ab omnibus ſe abſtinet; vt corruptibilem coronam accipiat: nos autem, qui incorruptam vitę coronã expectamus, ab omnib᷒, quæ cõtra legem ſunt, nos abſtineamus, ac perſeueremus, ne perdamus, quæ operati ſumus, & audiamus verbum Domini: *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam:* quemadmodùm ille, qui ex numero quadraginta Martyrum defecit in lacum gelidiſſimum proiectus, in cuius locum diuinitus hoſpes, qui eos cuſtodiebat, ingreſſus eſt. Nam vt Rex bona ſubditi ſui proditoris proſcribit, illaque fideli alteri, & bene merito donat: ita Deus tantæ eſt bonitatis, vt vno cadente, alterum erigat, & vt ait Spiritus ſanctus conteret multos; innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis. Nam pro

Ariſt. lib. 1. ethic.

In ludis Olympicis olim quibus præmium daretur.

1. Cor. 9.

Apocal. 3.

Exemplum.

Simile.

Iob 34.

Angelis cadentibus erexit homines; pro filijs regni eiectis in tenebras exteriores, vocauit Gentiles; pro Iuda prodente, Matthiam aſciuit ad Apoſtolatum. Perſeuerantia igitur ſola coronam accipit, hinc in cęlo omnes ſunt coronati: ſed in Apocalypſi, omnes ſancti coronas proijciunt in terram ante Dominum, agnoſcentes virtutem omnem vincēdi, Deo, à quo accepta eſt, per gratiarum actionem eſſe reddendam. Eſt autem duplex corona, alia quę aurea, & altera, quæ à Theologis aureola appellatur. Eſt autem aurea, eſſentialis gloriæ corona, quam omnes videntes Deum habent. At aureola triplex eſt: altera ſtellarum, quę datur Doctoribus, qui ſunt quaſi ſtellæ fulgētes in perpetuas æternitates. Altera ex auro, & lapidibus pretioſis, de qua: *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo*; & *Corona aurea ſuper mitram eius*: Nam, vt aurum igne, ita martyr tribulationis flāma purificatur. Tertia corona eſt Florea, ſiue ſpinarum, quæ ad virgines ſpectat. Nam virginitas aſperitate pœnitentiæ ſeruatur. Hinc ſanctus Benedictus in ſpinis propter caſtitatem ſeruandam volutabatur. Acceptando autem coronam, abſtulit coronam ſpinarū; quo nobis ſpinas peccatorum pungentes, & conſcientiam lacerantes auferret; & daret nobis materiam, vnde ſepem horto animæ noſtro faciamus ad cuſtodiam, & ad ſalutem. Et vt ſagax canis venaticus prędā inter ſpinas etiam deliteſcentem quærit: ita tu quære, vt Chriſtum tanquam prædam aſſequaris, etiamſi in ſpinas laborum, ac dolorum incidere debeas. Docet Clemens Alexandrinus in Pædagogo: *A ratione alienū eſt, vt qui audiuimus Dominum ſpinis fuiſſe coronatum, ipſi venerabilis Domini paſſione per ludum inſultantes, habeamus capita redimita floribus.* Hæc ille. Et cùm L. Septimius, & Seuerus pater, & M. Aurelius Caracalla Imperatores, militibus donatiuum dari iuſſiſſent, & tribunus id iam erogaret, contigit Chriſtianum militem acceſſiſſe caſtrenſem coronam manu tenentē, quam cæteri in capite ob Cęſarū ſolennia geſtabant. Rogatus cur non capiti coronam imponeret, reſpondit ſe religione prohiberi, quod Chriſtus ſpinis coronatus deluſus fuerit. Cuius factum vno integro libro defendit Tertullianus, quem inſcripſit de corona militis. Deniq; etſi milites ioco, & ludibrio Ieſum purpura induerint: Chriſtus tamen ſeriò, ac verè regnum ſibi oblatum acceptauit: vt docet Hieronymus in Matthæum, ac Rupertus Tuitienſis. Tamen Spiritus ſanctus fecit illos prophetare, ſicut Caipham fecit dicere; Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, neſcientem quid diceret, & Balaam, qui dixit: *Orietur ſtella ex Iacob, &c.* Et vt vndecim fratres qui vendiderunt Ioſeph, ne regnaret ſuper eos, efficere tamen nequiuerunt ne ad verum regnum perueniret, ita iſti ludo agentes, multa vera dixerūt, quæ nos credimus. Nam in chlamyde, coccinea opera Gentium cruenta deſignat: in corona ſpinea maledictum ſoluit antiquū: in calamo, venenata occidit animalia, ſiue vt calamo horrendū Iudæorum ſcribat ſacrilegium. Tertia iniuria Chriſto illata, fuit, ponere arundinem in manu eius dextera pro ſceptro, ad ſignificandum, quod vt arundo caret medulla, ac nucleo, ita Chriſtus ſenſu, & intellectu, & regnum eius carere firmitate, ac ſoliditate, & mere eſſe illuſorium. Porrò in arundine Crucem Chriſti adumbrari puto, quæ per ſe res quidem videtur infirma & impotens, ſed tamē per eam vt per ſceptrum fortiſſimū omnes ſuos, & noſtros confregit inimicos, iuxta illud: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur.* Quandoquidem igitur in manu Chriſti omnia, etſi debiliſſima, fiunt fortiſſima; ideò te precor, ô bone Ieſu ſuſcipe animum meum, qui eſt velut arundo charitate vacans, deuotione aridus, ſine fructu bonorum operum, inſtabilis, qui ad omnem peccati flatum mouetur, nec habet niſi folia verborum, fragiliſq; eſt per impatientiam. Sed ſi tu illum in manu tua dextera conſtituas, fiet in eo mutatio dexteræ excelſi, vt humore charitatis impleatur, fructum boni operis edat, ac ſoliditatem, & perſeuerantiam in bono ſortiatur. Deinde quia calamus inſtrumentum eſt in ſcribendo, propterea, ſecundum Hierony. calamū tenere voluit, vt ſacrilegium Iudæorum literis mandaret, & electos ſuos in libro vitę cōſcriberet. Tertiò, Athanaſius in Euangelium de Paſſione, & Cruce Domini annotauit arundinis proprietatem quandam his verbis: *Atque hinc rurſum eſt quod arūdinem accepit, cum illi à diabolo porrigeretur, ignaro quod contra ſeipſum gladiū acueret. Dicitur enim arundo ſerpentibus lethalis eſſe, atq́; inde potiſſimum interfici.* Sic ille. Vt igitur Goliath Dauidi portexit gladium quo obtruncatus eſt, ita dæmon Chriſto parauit Crucem, in qua dæmon ſuſpenſus eſt tanquam in patibulo, quod parauit Aman Mardochæo, in quo tamen Aman, & non Mardochæus ſuſpenſus fuit. Quarta iniuria fuit, quia genu flexo illudebant ei, dicentes: *Aue Rex Iudæorum:* reuerentiæ externæ ſignum ei exhibentes, caputque detegentes, cum eoq; non ſecus, atque cū motione agentes, atq; delectationē captantes. Et iſti ioco geniculantes pulchrè

[Margin notes, left: *Matth. 8.* *Act. 1.* Perſeuerantia ſola coronam accipit. *Apoc. 4.* — Duplex corona, aurea, & aureola, dicta. Aurea corona quęnam ſit. — Aureola triplex eſt. *Daniel. 12.* *Pſalm. 20.* — *Eccleſiaſt. 45.* — Virginitas quo pacto ſeruetur. B. Benedictus cur ſe in ſpinis volutauerit. — Quo ſtudio nobis Chriſtus quærendus ſit. — *Clem. Alexā. lib. 2 pædago. ca. 8 non procul à fine.* — Chriſtiani cuiuſdam militis caſtrenſi corona donandi egregium facinus. — *Tertull.* — *Hieronym. in cap. Matth. 27 tom. 9. Rupert. Tuitien. lib. 13.*]

[Margin notes, right: *in Ioan. poſt med.* *Ioan. 11.* *Num. 24.* *Geneſ. 37.* — Chlamydis corona ſpinea, & calami diuina myſteria. — Tertia iniuria. Quare milites arundinem poſuerint in manu Chriſti dextera. — Quid arundo myſtice ſignet. — *Apocal. 2.* Fidelis hominis ac pia ad Chriſtum arundinem manu dextra geſtantem apoſtrophe. — *Pſal. 76.* — *Hieronym. vbi ſupra.* — *Athanaſ. tom. 3.* — Arundo ſerpentibus mortiſera ſecundùm Athanaſium & alios. — *1. Reg. 17.* — *Eſther 7.* IV. iniuria, & quàm grauis. Milites Chriſto genu flectentes ad illudendum quos referant.]

chrè repræſentant hypocritas, qui labijs honorant; corde autem longè ſunt à Deo. Denotant & proditores, qui verbis pacificis ſalutãt, ſed corde gerunt venenũ, & necem machinantur. Dicunt, Aue Rex Iudæorum.i.voluiſti regnare, ſed non potuiſti: cùm tamẽ Rex ſit natus, vt dicitur apud Matthæum, & Pilatus confirmauit, cùm dixit: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Et horrendum eſt ſanè, Regem Regum ſalutari, vt Regem morionum, & fatuorum. Quinta fuit contumelia, quod dabant ei alapas. Ex ioco ad ſeria venitur, & ex riſu ad ſupplicium: non enim tantùm verbo, & ſigno flectendi genua illi contenti ſunt illudere, ſed etiam facto agebant alapas multas, & graues, quæ ipſa morte viris ingenuis æſtimari ſolent grauiores, inferendo. Hinc Saul dixit miniſtro: *Euagina gladium tuum, & percute me: ne fortè veniant incircumciſi iſti, & interficiant me illudentes mihi.* Romani quoque nobiles tempore Neronis cum ab Imperatore vocarentur, & præſcirent ſe diris quibuſdam & execratorijs rationibus neci tradendos, carnifice domum vocato, illi iugulum præbebant, quo Neronis immanitatem declinarent. Seneca in quadam ſua epiſtola ait: *Nullus maior labor quã poſſe ferre illuſores,* & Plutarchus in Alcibiade teſtatur illum dixiſſe: *Teſtor Deos immortales, me exilium in Lycaoniam non ſenſiſſe, nec proſcriptionem bonorum, nec vulnera corporis, quantum verbum illuſionis, quo me Cteſiphon in facie illuſit.* Sic ille. Quid igitur dicendum de tot amarulentis illuſionis ſignis, quæ Ieſu per ϰαρϰασμὸν ironicè obijciebant? cùm autem propriè illuſio, ſiue irriſio de aliquo malo, vel defectu fieri ſolet, Chriſtus autẽ eſſet ſine omni peccato, ac defectu, horrendiſſimum fuit, ac grauiſſimum crimen, Chriſtum Deum, & hominem innocentiſſimum illudere. Grauis eſt etiam irriſio parentũ, vt illa Chã erga Noë, & illuſio iuſtorũ, vt fuit illa Heliſæi à pueris quas duas irriſiones Deus grauiſſimis pœnis mulctauit; ſuas autem, & grauitate & numero maiores mãſuetus agnus Chriſtus Ieſus impunitas reliquit. Cumq; in aulis, & oculis principum deludãtur deformes, aut turpia operantes, aut ignorãtes, aut ſuperbi magna de ſe iactantes: hic tamen Chriſtus forma honeſtiſſimus, conuerſatione ſanctus, doctrina verax, verbis prudens, operibuſq; irreprehenſus palam traducitur, & irridetur. Sexta iniuria fuit, conſpuere in faciem ei⁹, vt in viliſſimum, & abiectiſſimum mancipium. Meditare hoc loco peruerſiſſimam hominis malitiam in faciem Chriſti, & Dei ſui exſpuentis, inuictam Chriſti patientiam, & admirabilem mãſuetudinem: impatientiſſimam noſtram naturam, & ad referendam, & duplicãdum iniuriam propenſam. Quis tanto exemplo excitatus nõ accuſet naturæ ſuæ motus ad vindictã procliues? Septima iniuria: Accipiunt arundinem de manu eius, & illa percutiunt caput eius dæmonibus contremiſcendum, cunctiſq; cœlorum virtutibus verendum, ac venerandum. Nam ex illa percuſſione aculei ſpinarum magis ſanctum illum verticem penetrabant: vndè dolor augebatur: vnde ſanguis inde fluens totum caput, ac genas, collumque tingebat: totque execrandis ſputis, & calumnijs apparere fecerant faciem Domini horridam, & quaſi leproſam. Vide igitur ſpectaculum à ſeculo nec viſum, nec vnquam auditum, niſi quod Martyres quidam in contemptum Chriſti ſimilia paſſi ſunt. Nos etiam omnium mortalium ingratiſſimi, qui Chriſtum quotidie proſtrati adoramus; & tamen manu alapas malorum operum, ſiue peccatorum Chriſto infligimus, & ſputa blaſphemiarum in eum iacimus, & arundine, id eſt, poteſtate à Deo nobis collata, & de manu eius accepta ipſum in membris ſuis percutimus: vt ille, de quo dicitur in Euangelio: *Moram facit Dominus meus venire: & cœpit percutere ſeruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari.*

Sequitur in textu Ioannis; *Exiuit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis, Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoſcatis quia nullam inuenio in eo cauſam. Exiuit ergo Ieſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum.* Quantum ad leges ciuiles ſpectat, Chriſtus nunc iure liber eſſet, poſtquam iudicis ſententiæ eſt ſatisfactum: nam ciuiles leges vnius cauſæ vnam tantùm decernunt pœnam. Sed Chriſtus, & ſui hanc ſortem nanciſcuntur, vt nec ciuiliter iuſtos iudices expectiantur. Producit ergo Pilatus Ieſum ignominioſiſſimè tractatum, & in tali deformitate, habituſque fœditate, vt vel ſaxa poſſet ad commiſerationem ſui excitare. Et vide, quàm verba conſonent factis: *Vt cognoſcatis*, inquit, *quia nullam inuenio in eo cauſam*, ſcilicet ex his, in quibus eum accuſatis. Verius dicere poterat, quod multas cauſas inuenerat ad ſic acerbè eum tractandum, flagellandum, atque illudendum. Et ita exiuit Ieſus purpura, & corona ornatus. Nihil dicit de arũdine, quam Chriſtus noluit portare, ne portando videretur conſentire ſuæ illuſioni, & quod vellet fatuus haberi. Vel ſi, vt pictores volunt, illam portauit, ſignificat Chriſti patientiã expectãtis peccatores ad pœnitentiam, & lenitatem, qua vtitur cum ſuis in hoc mundo. Sed illa arūdo mu-

Eſa 29 & Matth. 15. — *Matth. 2.* — V. contumelia. — *1.Reg 31.* Mortem quã dedecus perpeti malunt ingenui viri. — *Seneca.* Nullus maior labor quàm poſſe ferre illuſores, teſte Seneca. *Plutarch.* — Illuſiones irriſiones ve cuius rei gratia fieri ſoleant. — Parentum, & iuſtorum irriſio grauiſſima. *Geneſ. 9.* *4.Reg. 2.* — VI. iniuria. — VII. iniuria. — *Eſa. 53.* — *Luc. 12.* — Mos iudiciorũ in Chriſti cauſa à Pilato neglectus. — *Luc. 23.* — An Chriſtus populo exhibitus à Pilato cũ dixit: Ecce homo, geſtarit arundinem, necne, & quid ſignificet.

Exod. 7.

do mutata eſt in virgam ferream, nõ minus quàm virga Moyſi in ſerpentem deuorantem alios ſerpentes Magorum.

VIII. iniuria.

Et dixit eis, Ecce homo. Hæc eſt octaua, ſiue poſtrema iniuria Ieſu illata: dixit autem hoc, vt commoueret eos ad commiſerationem. Et cum oſtenderet Ieſum Pilatus, miniſtri eleuauerunt veſtimentum, quemadmodum Sacerdoti hoſtiam eleuanti, vel thurificanti fit: factoq; circulo dixit eis: *Ecce homo*, vt totum corpus eius lacerum, & flagellis cæſum, laniatumque ac ſanguinolentum appareret: *Ecce homo*, ait Auguſtinus, *non clarus imperio, ſed plenus opprobrio. Si regi inuidetis, iam parcite, quia deiectum videtis. Flagellatus eſt, ſpinis coronatus eſt, ludibrioſa veſte amictus eſt, amaris conuitijs illuſus eſt, alapis cæſus eſt: feruet ignominia, frigeſcat inuidia: ſed non frigeſcit, inardeſcit potius, & increſcit.* Sic ille. Quid ergo Regem accuſatis, cum & adhuc ſpeciem hominis non habeat? quod ſi quicquam peccauit; condignas pœnas luiſſe videtur. Et nunquam poteſt tantopere aliquem non eſſe Regem temporalem oſtendi, quàm cum tantum diſtat à veri Regis forma, vt etiam in Regis ſpecie illudatur. Ecce, contemplamini illum, quia caro veſtra, & frater veſter eſt, non lapis, aut ferrum, vel iumentum, ne ab hominis natura prorſus degeneretis. In naturam ſiquidem totam hominis pugnat, hominem erga miſerrimum hominem, miſericordiæ motu non tangi. Ferarum eſt non parcere ſubiectis, & ſuper dolorem vulnerum addere velle dolorem. Audite quid de immiſericordibus ſcriptum ſit: *Fiat contra Dominum ſemper, & diſpereat de terra memoria eorum, pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam, & perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.* Ecce homo, dici vobis poteſt à Deo Patre nõ tantum innocẽs, ſed etiam Deus, & homo, & talis, vt tu homo per eum efficiaris Deus. Ecce homo, qui tibi ad imitandum proponitur: qui expetiſti eſſe vt Deus, vt primus ille homo Adam. Sed viam non tenuit, per quam erat vocatus: at hic docet, qua via, ac ratione ad perfectam filiorum Dei dignitatem peruenire poſſit homo. Ecce homo, qui vir eſt dolorum, & infirmitatis, tentatuſque per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, vt poſſit pro nobis ſoluere, & opponere ſe iuſtæ iræ Dei: ſi tamen homo appellandus ſit, & non potius vermis, & non homo, vt ait Propheta, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Primo homini peccanti per ironiam dictum eſt: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt: ecce ſecundus homo, qui pro peccato illuditur propter te. Exijt Ieſus foras coram omnibus illudendus, ne tu in iudicium vniuerſale prodeas, & tibi cum illuſione dicatur: Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuũ, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum. Ecce homo. Diſcat in hoc homine ambitioſus, auarus, laſciuus, omniſque peccator, quanta ſeueritate puniendi ſunt qui flagitijs non renuntiant. Diſcant & iuſti, quanta ſint pro Dei gloria toleranda, ac deuoranda tormenta. Vide quanto amore dilexit te Deus qui pro te ligatus eſt, vt te à peccatorum vinculis ſolueret: pro te flagellatus eſt, vt te à flagellis æternæ vindictæ liberaret: pro te ſpinis coronatus eſt, vt te in cœlis coronaret: pro te vulneratus eſt, vt te ſanaret: pro te lacrymatus eſt, vt ſemper gauderes: pro te mortuus eſt, vt te à morte ſempiterna ſuſcitaret. Ecce homo, ecce victima coronata, in quam omnia probra, & peccata noſtra conijciantur, de qua in Leuitico dicitur: *Offerat hircum viuentem: & poſita vtraq; manu ſuper caput eius, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſrael, & vniuerſa delicta, atque peccata eorum.* In hunc igitur hominem, qui ſicut miracula potentiæ edidit, quibus agnoſceretur Deus; ita miracula patientiæ facit, quibus credatur homo, oculos ſpiritus conijciamus, & ab hoc perfectiſſimo exemplari documenta viuendi, atque moriendi trahamus. Homines inuitabantur prius, vt Abrahamum inſpicerent: *Attendite*, inquit, *ad petram, vnde exciſi eſtis*: iam ad altius exemplum imitandum inuitamur. Sed & nos quoque Æterno Patri poſſumus dicere: Ecce homo, reſpice in faciem Chriſti tui, hac tanta victima placatus, & contentus eſto. Præſta nobis, vt Filium tuum, quem nobis oſtendis, imitari poſſimus, eius improperia portare, eius patientiam, & manſuetudinem æmulari: eius purpuram, id eſt, charitatem induere, qua tegamus nuditatem noſtram; eius coronæ ſpineæ meminiſſe, vt recordemur peccatorum noſtrorum, eius arundinem portare, dum æquo animo ferimus quæ corrigere non poſſumus, eo denique Rege vti, atq; rectore, etiamſi ab alijs illudatur, nec expectemus, vt ſolent impij, vt veniat in virga ferrea, qua nos conterat, vt dum hic ab eo regi nos ſinimus, ſimul cum illo, & cum Patre, & Spiritu ſancto regnare in cœleſti gloria valeamus, Amen.

Marginal notes:
Aug. tractat. 110. in Ioann. ſub init. to. 9.
Ferinum hominis ingeniũ quando.
Pſal. 108.
Illud: Ecce homo: recte nobis obijcit Deus Pater.
Geneſ. 3.
Adę prioris cũ poſteriori, id eſt, Chriſto contentio.
Eſai. 53.
Hebr. 4.
Pſalm. 21.
Geneſ. 3.
Pſalm. 51.
In Chriſto homine diſcere debeant quid iniuſti homines, & peccatores, quid iuſti.
Diuini in nos amoris magnitudo.
Leuit. 16.
Qualem hircũ offerre Deo Patri debeamus.
Eſa. 51.
Illud etiam: Ecce homo, nobis quoq; obijciendum eſſe Deo Patri.
Apoc. 12. & Infr. 19.

TRACTATVS XXXI.

De accuſatione quod Filium Dei ſe fecerit, in illa verba: *Cùm ergo vidiſſent eũ Pontifices, & miniſtri, clamabant, dicentes, Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite. Ego enim nõ inuenio in eo cauſam. Reſponderunt ei Iudæi, Nos legẽ habemus; & ſecundùm legem debet mori, quia filiũ Dei ſe fecit. Cũ ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonẽ, magis timuit. Et ingreſſus eſt prætorium iterum, &c.* Ioan. 19.

Pilati omniũ maximus Chriſtum a morte liberandi conatus, caſſus tamen & irritus.

MVlti ac varij extiterũt conatus, quos Pilatus, dictante conſcientia, pro liberando Ieſu adhibuit: ſed nullus profectò hoc fuit efficacior, quo Ieſum flagellis cæſum, tantiſq; doloribus, & illuſionibus affectum oſtendit. Vnde Pontifices animaduertẽtes hoc tam diro ſpectaculo turbæ corda miteſcere, & ad miſerationem inflecti facilè poſſe (ſolet enim populi furor, ſi fuerit aliquouſque debacchatus in eum, in quem fertur, ſubito conquieſcere, præſertim ſi ludibrium adiunctum calamitati pro inuidioſo reddat miſerabilẽ eum, qui paſſus eſt) Euangeliſta teſte, clamare cœperunt: *Crucifige, crucifige eum*: vt ſciamus erroris omnis fontem, & fomitẽ fuiſſe Pontifices. Qui abſque vlla dignitatis, & ætatis ſuæ ratione, odio inexplebili inſanientes, & inſtar ferarum, quæ guſtata carne, ad eã deuorandam anhelant, clamabant in medio foro populis pleno, petẽtes, vt quamuis innocẽs Ieſus neci traderetur; quorum erat potius pro clementia, ac venia nocentis deprecari. Clamabant igitur, Crucifige, crucifige eum, id eſt: euge, euge, viderunt oculi noſtri, hactenus benè actum eſt: perge, perge: conuenit flagellatio crucifigendo, quia crucifixioni præuia eſſe ſolet. Quod reſtat ergo, exequere, quia vir iſte non tantùm reus eſt flagellorũ, ſed mortis etiã crucis. Grauis eſt nobis etiam ad vidẽdum. Metuebant videlicet Pontifices, ne ſi tam atrocia paſſus dimitteretur, verſis poſteà populi ab eis ad hoc concitati ſtudijs in ipſorum capita immanitatis huius inuidia recideret.

Populi furor ac rabies lenitur tamen, & mitigatu quando.

Pontificum, & Sacerdorum in Ieſum extremus furor & inſania.

Cur illi clamauerint: Crucifige, crucifige eum.

Pſalm. 34.

Sapient. 2.

Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite. Ego enim non inuenio in eo cauſam. Metuebat etiam Pilatus, ne quod futurum erat, pulſatus in iudicio Cæſaris ſuſtineret moleſtiam non habẽs quam de interfectione eius redderet cauſam. *Fertur*, inquit Ruper. *quòd propter hoc Romam adductus, à Tiberio Cæſare exilio damnatus eſt, ſententia tam intolerabili, vt per impatientiam mediæ, gladio ſibimet mortem conſciuerit.* Hæc ille. Sed multò ſolidiora iſtis tradunt Euſeb. & Oroſius, eum videlicet à Caligula Imp. euocatũ ob alias cauſas, nempe ob furta, & expilata Gazophylacia: quæ peccata ſunt communia gubernatoribus, ac prouintias adminiſtrantibus. Et vt ſupra Pilatus Iudæis tradiderat facultatem iudicãdi Chriſtum, cùm dixit: *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum*, occultè tradens illis iudicij executionem, ita modò apertè illã eis tradit, metum illis inijciens. Quaſi diceret; Putatis me impiæ cædis fore miniſtrum? Egone prꝑter Romanorum leges innocentem occidam? Egone clamoribus veſtris territus cedam, atq; impium homicidam me præſtabo? Ego legum adminiſtrator ſum, non alienæ vltor iniuriæ. Proinde ſi inſontẽ eſſe crimen eſt, accipite eum vos, & crucifigite. Non enim inuenio inter meos legiſperitos legem, quæ innocentem occidi mandet: ſi apud vos talis extat lex, accipite, & crucifigite. Sed Iudæi hoc non admiſerunt, quia nimis ſuam iniquitatẽ patefeciſſent: quoniam ſine iudicio hominem indemnatum nulla lege licebat interficere. Cũ ergo prius ſecundùm leges Cæſareas, vt reũ læſæ Maieſtatis conati eſſent eius mortem obtinere, nec potuiſſent: ſuam proferunt legem, clamantes Ieſum in eam per grauiſſimum blaſphemiæ crimen deliquiſſe: ſeque hoc modo declarantes non tã odio Ieſu, quàm zelo legis ipſum perſequi. Idcircò reſponderunt Iudæi ad dictum Pilati: Tu iudica, & dimitte nobis, vt crucifigamus. Etſi non ſecundùm Romanorum leges mori debet, tamen ſecũdùm legem noſtrã debet, quia maximam blaſphemiam, dicẽdo ſe filium Dei, in Deum ipſum admiſit. Hinc dixerũt: *Nos legem habemus: & ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit.* Quaſi dicerent; Tu Pilate cùm Gentilis ſis, non potes in eo cauſam mortis inuenire, & propterea ei patrocinaris, cùm legis noſtræ ignoratione tenearis. Nos verò Iudęi legem habemus, contra quam iſte ſe filium Dei faciendo arrogãtiſſimè deliquit, vtpote blaſphemus, qui ſibi vendicat quæ Dei ſunt propria: in talem autem blaſphemum pręcipit lex noſtra morte animaduertere. Porrò nos Iudęi non ſumus ſicut Pagani: quorum nonnulli ſe Iouis filios appellant, vt Æſculapius, Apollo, Hercules, Alexander, Æneas verò Veneris, & alij aliorum Deorum filios ſe prædicant. Nos verò legem Dei habemus, in qua docemur vnũ Deum ſolum eſſe, nec habere filium naturalem, ſed

Pilatus cur dixerit Iudæis de Chriſto: Accipite eum vos, & crucifigite.

Rupert. lib. 13.

In Ioan. fin. verſus.

De interitu Pilati probabilior ſententia.

Euſeb lib. 2. c. 7. Eccl. hiſt. tom. 1.

Oroſ. li. 7. c. 5.

Gubernatorum vitia.

Ioan. 18.

Quid eſt dicere: Accipite Ieſum vos & crucifigite.

Cur Iudæi necem Ieſu detrectauerint.

Iudæorum hypocriſis.

Quid eſt illud: Nos legem habemus: & ſecũdùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.

Leuit. 24.

Qui ſe Iouis filios nominarent olim, & pro talibus colerentur.

Deut. 6.

Exod. 4.
Pſal. 81.

ſed nos adoptate in filios dignat⁹ eſt, cùm de nobis dixerit : *Filius meus primogenitus Iſrael*, & rurſus: *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Hic autem tanto titulo filij adoptiui non contentus, naturalem ſe Dei filium efficere conatus eſt, quod à lege noſtra abhorret longè: ideò etſi nihil in Cæſareas leges, in legem tamen noſtram grauiſſimè peccauit.

Iudæorum impudentiſſimũ mendacium.
Pſal. 26.

Quibus verbis reuera ſecurum reddere volebant Gentilem hominem, opponentes legis ſcutum, atque illo ſe tuentes. Sed profectò mentita eſt iniquitas ſibi: non enim ſecundùm legem debet mori, qui filium Dei ſe eſſe aſſeruit:

Quis Propheta per legem Moyſis interficiendus erat.
Deu. 13. & 18

ſed Propheta, qui falſum teſtimonium in nomine Domini locutus fuerit, ſi mendacij conuincitur, nec ſubſequatur effectus ſermonis ab eo prædictus. Quamquam autem aſſerere ſe Dei filium, peccatum eſſet: intelligitur in eo qui dicit, & non probat.

Chriſtus probauit magis, quam dixit ſe Meſſiam.

Chriſtus autem potius probauit, quàm dixit: & potius ab Apoſtolis, turbis, atque alijs diſcipulis, imò etiam dęmonib⁹ ipſis vocatus eſt, quã ipſe ſe appellauerit, multò minus qui ſe nõ fecerit.

Luc. 4.

Facit enim ſe, qui non eſt: at Chriſtus minimè ſe fecit, quod non erat, ſed explicauit quod erat, & à nomine melius, quã à ſe cognoſci poterat.

Iudęi legis pręuaricatores.

Quod ſi reuera blaſphemus extitiſſet, nõ poterant morte Crucis, ſed lapidum interficere, vt dicitur in libro Leuitici, quare ergo tantis clamoribus mortem Crucis contra legem poſtulabant?

Leuit. 24.

Quod ſi legem habetis, ô impij Iudæi, nonne illa apertè cædem vetat innocentis? nonne illa ait: *Inſontem, & iuſtum non occides? Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ?*

Exod. 23.
Ibidem.
Legis Moſaicę de Chriſto teſtimonia.
Pſal. 2. & Actor. 13 & Hebr 1 & 5.
Ioan. 5.

Item ſi legem habetis, nonne illa fideliſſimum profert de Chriſto teſtimonium? Nonne Propheta ait: *Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Nonne Dominus ad Scripturas ſe remiſit, cùm dixit : *Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me?* Nonne euidentiſſimis ac certiſſimis ſignis diuinitatem ſuam comprobauit? Verum tamẽ erat in alio ſenſu, quod ſecundùm legem debebat mori: quia Scriptura vetus prædixit, Meſſiam, & Filium Dei moriturum pro hominũ redemptione: ſed hic ſenſus præter mentem, & ſcopum eorum erat.

Quo ſenſu Meſſias, & Filius Dei ſecundùm legẽ mori debuerit
Quidnam illud quod Pilatus magis timuiſſe dicitur.
Euthym in c. Ioan. 19.

Cùm ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit. Timuit quidem magis, ſed non omnino pœnituit: neq; timuit propter legem Iudæorum, quam non curabat, ſed ne verum eſſet quòd Chriſtus filius Dei eſſer, quem ſic flagellauerat, & illuſerat: vt exponit Euthym. Nam cùm prius metueret apud Cæſarem à Iudæis accuſari, ſi Ieſum dimitteret; adiunctus eſt timor Dei, ſi non plecteret irreligioſum, & blaſphemum, titulumq; Filij Dei ſibi vſurpantem. Vel, magis timuit, quaſi animo præſagiente magnitudinem futuri mali, ſi eum puniret: præſertim cùm vxor iam miſiſſet nuntium ad eum, dicens : *Nihil tibi, & iuſto illi.*

Matth. 27.
Quæ res præterea Pilato maiorẽ de Chriſto timorem incuſſerint.

Metuebat enim, ne non ſolùm in innocẽtem peccaret, ſed etiam in Dei filium; atq; ob id deos ſibi iratos experiretur. Viderat enim admirabilem in Chriſto in ferendis malis patientiam, in reſpondẽdo grauitatem cũ modeſtia coniunctam: vnde meritò cœpit metuere. Et hoc videtur veriſimilius, quia poſtquam eum examinauit, dicitur in text. Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Ob hoc enim ipſum, quod obiecerant feciſſe ſe filium Dei timebat ne fortè verum eſſet. Et cùm hactenus caſtigando innocentem cœpiſſet timere: iam audito quòd eſſet filius Dei, habuit rationem magis timendi.

Quid quæreret Pilatus ab Ieſu, cum peteret vnde eſſet.
Luc. 23.
Cur Dominus à Pilato interrogatus tacuerit.

Et ingreſſus eſt prætorium iterum, & dicit ad Ieſum, vnde es tu? Non quærit de patria, cùm prius nouiſſet eſſe Galilæum, ſed generis originẽ, principiumq; interrogat: id eſt, à quo genus ducis? qui ſunt parẽtes tui? es ne tu è cœlo, an ex terra? es ne filius Dei, vt iſti tibi obijciunt te facere, an filius hominis? *Ieſus autem reſponſum non dedit ei.* Ideò quia interrogatio ex radice Idololatriæ ortaerat : putabat enim Pilatus, homines quoſdam eſſe ex dijs prognatos, quos filios Dei vocabant. Si enim Pilati menti Dominus Ieſus reſpondiſſet, importunum erat in illis temporis anguſtijs de reb⁹ adeò vanis & fabuloſis verba facere: ſi autem ſeriò de ſua origine; vel æterna ex Patre , vel temporali ex Virgine per Spiritum S. facta loqui voluiſſet ; Pilati captum hæc excedebant, nec ratione , ſed fide tantùm apprehendi poterãt: quia, Generationẽ eius quis enarrabit? vel putaret Pilatus, Chriſtũ eſſe filiũ Dei, ſicut alij heroes ac ſemidei: quod verum non erat.

Eſa. 53.
II. Ratio.

Amplius, reſponſum non dedit, quia ſupra ſatis notam illi fecerat ſuã innocentiam, cui etiam ipſe teſtimonium perhibuerat: & quoniam ipſe ſatis inſinuauerat huius rei veritatem, cùm ſe dixit veniſſe in mundum, & regnum ſuum non eſſe ex hoc mundo.

III. Ratio.
Mat. 15.
Sup. 7.
IV. Ratio.

Adhęc nondum tempus erat Gentiles docendi, quia nõ erat miſſus niſi ad oues, quę perierũt domus Iſraël: nec rurſus ſanctum cani dandum erat, nec margaritæ proijciendæ ante porcum. Præterea Pilatus agnum Dei male totonderat: nam flagellauerat, & illuſerat, ideò iuſtè coram illo obmuteſcebat, iuxta illud: *Et quaſi agnus coram tondente ſe , obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Ad hanc tamen Pilati interrogatio-

Eſa. 53.

nem

Reſpondit Ieſus quomodò Pilato, vnde eſſet.
Matth 27.

nem reſponſum nõ dedit verbo, niſi facto, hoc eſt, ſignis, quæ in morte edidit, & reſurrectione, & mundi ad ſe conuerſione. Nunc ridiculum videretur, ſi diceret quis eſſet, huic homini: qui ſi crederet, liberaretur; ſi non crederet, hoc amplius ab eo peccaretur. Reſponſum ergo non dedit: quia nondum manifeſtandus Chriſtus Gentilibus niſi poſt eius aſſumptionem, neq; impeditum ſuæ mortis curſum eſſe volebat, neque offenſos Iudæos, ne illos, vt ad ſanitatem redirent, difficiliores redderet, aut ne mortis metu ad Gentilium auxiliũ confugiſſe poſſet iudicari. Ambroſius pulchrè ait: *Bene tacet, qui defenſione nõ indiget. Ambiant defendi qui timent vinci.* Sic ille.

Amb. l. 10. in Luc. c. 23. 20. 3.

Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te; & poteſtatem habeo dimittere te: Pulchrè ait Auguſtin. *Ieſus vbicunque non reſpondit, non ſicut reus, ſiue doloſus, ſed ſicut agnus, hoc eſt, ſicut ſimplex atque innocens non aperuit os ſuum. Proinde vbi non reſpõdebat, ſicut ouis ſilebat: vbi reſpondebat, ſicut paſtor docebat.* Hęc ille. Mirabatur ergo Pilatus quod in re tanti periculi iudici ſuo, quem ſibi plurimum fauentem videbat, reſpondere non dignaretur. Et terretur ergo, & terret, vt ait Euthymius: irritatus enim quòd ſibi, ne ipſum quidẽ fouenti, reſpondeat, deinceps vibrat poteſtatem. Atq; hoc ſolo verbo, vt docet Chryſoſtomus, Pilatus proprio ſe condemnauit ore. Si enim vniuerſum negotium in poteſtate ſua poſitum erat, nullam excuſationis cauſam in die nouiſſimo habebit, quòd innocentem Chriſtum non dimiſerit. Ex voluntatis ergo affectu, & nõ ex poteſtatis defectu fuit, quòd innocentem à ſe notum, & toties iuſtum proclamatum non dimiſerit, ſed ſupplicio crucis affecerit. Eſt autem vox impij iudicis, *Poteſtatem habeo crucifigere te, & dimittere te.* qui putat ſibi omne licere quod libet: qui donis Dei deſtitutus eſt, ac fide caret, non agnoſcit poteſtatem eſſe Dei donũ, ſed vt propria merita reputat, ac omnia ſibi licere exiſtimat. At fides docet, neminẽ ex donis deſuper datis ſuperbire, nec ex illis fieri dominum, ſed ſeruum & miniſtrum ad diſpenſandam poteſtatem pro voluntate Domini: quam in legibus poſitam eſſe agnoſcit, ſi ſecundùm eas iudicet. Solus autem Deus, qui Dominus eſt, poteſt legitimè ſaluare vel perdere quemcunq; voluerit; quia non habet à ſuperiori poteſtatem, cui reddere rationem habeat. Quia ergo Pilatus ſuperbè iactauerat ſuam poteſtatẽ in Chriſtum, idcircò Dominus illi reſpondit. Non ſolùm vt oſtendat ſe odio habere ſuperbiam, ſed quia illa arrogãtia eleuabat

Aug. tract. 116. in Ioan.

Chriſtus vbi non reſpondebat, ſicut ouis ſilebat: vbi reſpondebat, ſicut paſtor docebat, ait Auguſt.
Euthym. ibi.
Chryſ. ho. 83. in Ioan. to 3.
Quid Pilatum in die iudicij reddet inexcuſabilem.

Pilati arrogantia & iniuſtitia.
Rom 13.
Poteſtas donum Dei eſt.

Proprium Dei poteſtatis.

Cur Ieſus Pilatò reſpondit ſuam in ipſum poteſtatem iactanti.

gloriam & cauſam paſſionis ſuæ, quę nõ ex arbitrio Pilati, ſed ex Dei pendebat ordinatione. Dixit ergo: *Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datũ eſſet deſuper. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.* Locus hic nonnihil habet difficultatis, tùm propter poteſtatem illam Pilato deſuper datam: quod nõ ſatis explicari poteſt, cum in hominem innocentem, & maximè in Filium Dei, nullam poteſtatem habeat iudex. Prætereà grauiorem habet difficultatem illa illatio: propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet: non enim ſatis apparet quomodo hoc ex præcedentibus verbis deducatur. Ad primam igitur difficultatem Caietanus tam in ientaculis, quã ſuper Euangelia exponens hunc locum, aſſerit hominem ex duplici capite ſubijci magiſtratui, ſiue iudici. Primò quidẽ ex parte ſuperiori, quia ſic à Deo eſt conſtitutũ: Omnis enim poteſtas à Deo eſt: deinde ex parte inferiori, id eſt, ex proprio peccato, ſaltẽ originali, ex quo homo puniri poteſt ab homine. Chriſtus ergo ex hac parte inferiori nulli ſubditus erat poteſtati, quia innocens & purus, etiam ab originali fuit: ſed tantùm ex parte ſuperiori, quia Dominus cõſtituerat Pilatum in poteſtate. Quaſi dicat; Quòd tu, Pilate, contra me poteſtatem habeas, nõ ex vllo meo demerito, ſed quia Præſes es, & ſuperior à Deo cõſtitutus, eam habes. Ex quo valde occultam, ſingularẽq; ſuam innocentiam ſignificare voluit tanquam nulli peccato, vel originali ſubditus eſſet. Sed hæc dicta Caietani minus digeſta minuſque cum ratione cohęrere videntur. Nam in primis verum nõ eſt, hominem ex eo tantum capite, quòd puniri ob peccatũ poſſit, habet ſuperiorẽ: nam non ob id tantùm ſubiectus eſt homo, quia peccator eſt, aut peccabilis, ſed quia dirigi poteſt ad cõmunem vtilitatem, aut alioquin ex bono opere dignus remuneratione exiſtit. Cùm igitur homo homine ſit ſuperior, nõ ſolùm ad corrigendum peccantem, ſed etiam ad dirigendũ eum ad bonum, & ad imperandum tam iuſtis, & innocentibus, quàm iniquis, & ſontib. ſequitur quòd illa diſtinctio Caietani non comprehenderit vniuerſitatem legũ & iuſtitiæ. Deinde aut homo ex 2. capitibus ſit ſuperior, aut tantũ ex altero. Si ex duob. ſimul: ergo falſum eſt quòd Ieſus ex altero tantũ cap. hebebat Pilatũ ſuperiorem, vt dicit: quia ille Præſes à Deo erat, & nõ quia Ieſus punitione dignus exiſteret. Si verò ex altero tantũ: falſum eſt, quod ad poteſtatẽ ſufficiat primum caput ſine peccato inferioris. Adhæc peccatũ cuiuſq; non ſatis eſt vt puniatur à quolibet homine; niſi ab

Quænam fuerit poteſtas Pilato deſuper data in filium Dei, Chriſtum eius.

Solutio Caietani.

Rom. 13.

Refellitur ſolutio Caietani.

Homo qua tantum ratione habeat ſuperiorem.

II. ratio.

eo tan-

Tertia.

eo tantùm, qui eſt ſuperior. Tertiò falſum eſt, quòd ex peccato originali homo factus ſit punitione dignus quia peccabilis: nam etſi peccatum originale non fuiſſet, poterat quilibet hominum peccare, & puniri, licèt modum ignoremus: fuiſſetq; tunc poteſtas ſuperior ſaltem ad dirigẽdum. Quòd ſi dicat, peccatum originale abſque actuali reddere hominem punitione dignum; abſurdum planè eſſet. Nam cùm quilibet ſit ſub illo peccato originali; quilibet eſſet ſub quolibet: prçterquam quòd peccatum originis nullam meretur ab homine pœnam.

Geneſ. 3. Fœminæ cur ſubiaceant viris lege diuina.

Eua autem ideò in Adæ ſubiectionem data eſt: quia actu & propria voluntate peccauit. Quanquam autem illa pœna traducta ſit in fœminas vt ſubiectæ ſint maribus: nõ tamen ad punitionem peccati originalis, ſed ad directionem, & ad punitionem delicti actualis, ſi ſequatur. Ergo non eſt verum, alios ſubiji duplici capite ſuperioribus, Chriſtum verò ſolo vno.

IV. ratio. Rom. 13.

Adhæc ſola peccabilitas, id eſt, potentia ad peccãdum, non conſtituit ſuperiorem, ita, vt habeat poteſtatem in eum quaſi ſubditum quendam, vt puniat illum, niſi ipſum peccatum ſubſequatur. Nam poteſtas puniendi data eſt à Deo ſub conditione, ſi ſcilicet peccatũm fuerit. Nam Princeps miniſter Dei eſt, & vindex in iram, ei qui malè agit: quicunque ergo benè agit, non eſt iudici ab vllo capite ad pœnam ſubiectus.

Alia poteſtas iudicis, alia Sacerdotis.

Quòd ſi dicas, poteſtatem habere puniendi innocentem, etiamſi non peccet: ſicut Sacerdos poteſtatem habet conſecrandi, etiamſi in lethali crimine exiſtat: Reſpondemus hoc nihil euincere. Quia poteſtas conſecrandi non pendet ab vlla conditione, ſi videlicet Sacerdos ſit innocentiſſimus: at illa puniendi hominem, nonniſi ſub conditione collata eſt, videlicet ſi homo peccet, & non aliter nam alioquin profectò violenta eſſet, & tyrannica, de qua Pilatus gloriatur, cùm inquit: *Neſcis quia poteſtatem habeo, &c.*

V. ratio.

Quin tò, ex illis verbis Domini non colligitur ſumma eius & ſingularis innocentia: nam quilibet homo reus poſſet dicere iudici: *Non haberes poteſtatem in me vllam*, non ſolum occidendi, ſed etiam flagellandi, *niſi tibi datum eſſet deſuper.*

Sexta. Vnde colligitur Pilati in Chriſtum poteſtatem illegitimam fuiſſe & iniuſtam.

Sextò diligenter aduerte, ex multis cauſis colligi poteſtatem Pilati in Chriſto nullo modo fuiſſe iuſtam & legitimam, & à Deo datam, ſed violentam, & tyrannicam. Primò, quia negant pleriq;, poteſtatem Romanorum contra Iudæos fuiſſe legitimam; nam & Herodes regnum abſtulerat à Iudæis per nefas: de quo alia eſt quæſtio.

II. argum.

Deinde dicere poſſent nonnulli, quòd Pilatus ratione perſonæ Chriſti non habebat legitimã vllam à Deo ſibi datam poteſtatem: quia ille erat vnctus, & in ſorte Domini vocatus, & verus, ſummuſq; Pontifex, atq; adeò Dei filius: & idcircò ſub nullius poteſtate, ſed omnino liber, & caput omnium eorũ erat, qui libertatem ſunt adepti: nam ſi vos filius liberauerit, inquit; verè liberi eritis: & ipſe apud Matth. ab omni iure cenſum reddendi ſeſe liberum declarauit, & Paulus vituperat fideles eũtes ad iudices ſeculares & profanos.

Hebr. 5. & alibi. Chriſti prærogatiua. Ioan. 8. Matth. 27. 1. Cor. 6.

III. argum.

Tertiò, ex genere cauſæ multi eximuntur à poteſtate ſuperiorum; etſi quòd vnquam fuit cauſæ genus, quod non ſolùm Pilati, ſed cuiuſcunq; hominis fugeret cognitionem & iudicium, iſtud de Chriſto fuit, cuius gratia ipſe non erat ei ſubditus. Erat enim ſumma cauſarũ nempe de diuino Meſſiæ regno, ac Dei filiatione: idcircò Pilatus hoc ſentiens, & ſe huius cauſæ iudicem minimè competẽtem agnoſcens, dixit: *Accipite eum vos, & crucifigite.* Et ſæpè à cognitione huius cauſæ abſtinens dimittere voluit, prçſertim auditis his verbis, de quibus eſt quçſtio. Eadem ratione Gallio proconſul Achaiæ abſoluit Paulum, dicens: *Si quæſtiones ſunt de verbo, & nominibus legis veſtræ, vos ipſi videritis; iudex ego horum nolo eſſe.* Quaſi diceret: Ad me non ſpectabat hçc cauſa.

Actor. 18.

Hinc eſt quòd Moyſes cauſas grauiores ſeruauit ſibi ex conſilio Iethro ſoceri ſui, & nunc Pontifex ſummus quaſdam criminũ cauſas ſuç cognitioni reſeruare conſueuit.

Exod. 18.

Cùm ergo hæc quæſtio, quæ etiam in hodiernum diem etiam inter Chriſtianos ac Iudæos durat, maximè fuerit Eccleſiaſtica, ac diuina, num ſcilicet Ieſus fuerit Meſſias, & Rex ille promiſſus; nõ potuit Pilatus homo Ethnicus eius eſſe iudex legitimus.

IV. argum. Luc. 23.

Quarto ratione loci nõ erat Pilatus legitimus ſuperior huius cauſæ. Nã Chriſtus Galilæus erat, & potius ſub ditione conſtitutus: quod vbi Pilatus intellexit, miſit eum ad Herodem. Ex quibus omnib. deducimus, Pilatum non fuiſſe legitimum Chriſti iudicem, vel ſuperiorem, ſiue ratione omnimodæ iniuſtitiæ, ſiue ratione perſonæ, cùm eſſet de ſorte Domini, & maximus Pontifex, ſiue quia poteſtas Romanorum in Iudæos iniuſta erat, ac tyrannica, ſiue ratione cauſæ, quæ omne iudicium humanũ tranſcendebat, ſiue deniq; reſpectu patriç, lociq;, cùm eſſet Galilçus, vt vniuerſo orbi conſtaret poſſet, Ieſum ex omni parte iniuſtè fuiſſe damnatum.

Altera ſolutio longè probabilior.

Veriſſimus ergo ſenſus illius verbi Domini: Nõ haberes poteſtatẽ aduerſus me vllam, niſi tibi datũ eſſet deſuper, eſt, quòd Chriſtus ibi non loquitur de poteſtate legitima & ordinaria, quæ eſſet in ipſo ſuper Chriſtum, quia hãc nullam

nullam habebat: ſed loquitur de poteſtate, quam ipſe ſponte ſe ſubijciens, illi contulit ad bene iudicandum, & ad malum nonniſi tantùm permiſſa: & hanc vocat datam deſuper; ſicut multa alia atrociſſima tolerat Dominus, quo fructũ aliquẽ pro ſua bonitate exinde eliciat. Quodque de illa ſit ſermo, ex eo comprobari poteſt, quòd Pilatus ſuperbiſſimè ſe iactãdo dixerat: Neſcis quia poteſtatẽ habeo crucifigere te; & poteſtatem habeo dimittere te? Hoc enim proculdubio violentum & tyrannicum eſt, non ex cauſæ differentia, ſed pro arbitrio ſuo ſe poſſe in vtrunque aſſerere. Etenim cui dubium eſt, quòd ſi Chriſtus erat innocens, vt quidem erat, quòd nõ habebat Pilatus poteſtatem crucifigendi? Et ſi fuiſſet nocens, vel conuictus, vel cõfeſſus, vt ſic gratia doctrinæ loquamur, nõ potuiſſet iure dimittere: nam nocens iuxta leges Romanas nõ erat dimittendus, ſed perdendus. Chriſtus ergo reſpondens: Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, de tali loquitur, quæ iniurioſa eſt, & tyrannica: ac ſi dicat; Legitimam in me non habes poteſtatem, ſed nec vllam, id eſt, iſtam, quam arrogas & iactas, niſi tibi datũ eſſet deſuper, ſiue è cœlo: Græcè enim dicitur ἄνωθεν. Et ſic voluit eius arrogãtiam cõprimere, vt intelligeret, Deum ob aliquam cauſam eam illi poteſtatẽ permittere, & nõ illam à ſeipſo vel à Romanis, ſiue Cæſare, vel à Iudæis tãquam ſuperioribus qui tradiderant eum Pilato (quia Iudæi ſuperiores non erant Pilato) habere. Erat autẽ illa poteſtas deſuper data, nõ aſſiſtendo, aut approbando, ſed non prohibendo aliquo ſpeciali mandato præter naturæ legem dictantem innocentem non eſſe condemnandum, ſicut data hora, cùm inquit: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarũ.* Quod verbum ob id Dominus dixit, ne inſoleſcerent Iudæi, quaſi virtute ſua ſuperiores facti Chriſtum comprehendiſſent aut ligaſſent. Ita quoque dicitur: *Calicem quem dedit mihi Pater, nõ vis vt bibam illum?* & id: *Dominus dedit, Dominus abſtulit*; id eſt, Permiſit. Ita dicitur: *Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid*, hoc eſt, permiſit. Noli ergo gloriari, Pilate, de poteſtate, qua abuteris: quia non relinquet Dominus virgam peccatorũ ſuper ſortem iuſtorum. Quemadmodũ latro, verbi gratia, nihil iuris habet in hominem, interim tamen poteſt ex inſidijs adoriri eum, & occidere, Deo permittente: ita tu nihil poteſtatis in me haberes, quia poteſtas eſt in laudem & defenſionẽ bonorum, & ad vindictam malefactorum, niſi quantũ permittit Pater. Conſulto autem Dominus fecit mentionẽ permittentis; quò terribiliter illum admoneret de reddenda ratione Deo, & non tantũ Cæſari. Vnde in lib. Sapientiæ dicitur: *Audite ergo Reges, & intelligite, diſcite iudices finium terræ, &c. Quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra; & cogitationes ſcrutabitur.* Admonemur etiam illo verbo, magiſtratus quidẽ poteſtatem à Deo eſſe, eius verò acceptionem, vel abuſum, quem Chriſtus hîc corripit, deteſtabilem, & non à Deo, ſed ab illo, qui omnis mali autor eſt, manare, licèt nõ ſine Dei permiſſione. Vanè proinde quidam ex his verbis colligunt, Eccleſiaſticos poteſtati laicæ debere eſſe ſubiectos: quaſi hic Chriſtus ſignificare voluerit ſe diuina ordinatione, de qua loquitur Paulus, ſubiectũ fuiſſe Pilato. ¶ Sequitur 2. diſputatio de vi illationis, ſiue cõſequentiæ. Caietan. aſſerit, Dominũ dixiſſe hoc ad excludendã iuſtitiam allegatam ex lege diuina à Iudæis cõtra ipſum: quia Filium Dei ſe fecit. Exigebat ſiquidẽ hæc iuſtificatio accuſationis, vt Ieſus manifeſtaret propriam innocentiam per peccatũ illorum, qui tradiderant eum Pilato: *Propterea*, inquit, *qui tradidit me tibi, maius peccatũ habet.* Quaſi dicat; Ex quo nullũ meum demeritũ ſubijcit me pœnæ, quã potes inferre, cauſa eſt quod tu pecces; & ꝙ magis ille peccet, qui tradidit me tibi, tanquam principalior punitor innocentis. Dicẽdo enim, maius peccatũ, ſimpliciter quoque dicit, Pilatũ peccatũ habere: ſimulque declarat falſam eſſe Stoicorum doctrinam cenſentium omnia peccata eſſe paria. Hæc ille. Sed profectò ſi verum amamus, nõ videtur vllo modo ex his Domini verbis inferri, quòd alij tradẽdo Chriſtũ magis peccauerint; quàm ipſe Pilatus iudicando, & condemnando: quia Pilatus ſciens eius innocentiam, & quod per inuidiã eſſet traditus, cõdemnabat iuſtum & inſontem. Grauius verò delinquit iudex ſcienter iuſtum condemnando, quã accuſator calumniando, & accuſando, ſecundùm Ariſt. in Ethicis, & S. Thomã in Secunda Secundæ, ratione ꝓfeſſionis iuſtitiæ, in qua eſt à Domino cõſtitutus, ſicut Sacerdos violans caſtitatẽ, quã ſtatu profitetur & voto, multo grauius peccat quouis alio ſoluto, qui nõ promiſit. Quòd verò pro cauſa grauioris peccati à iudice admiſſi, Iudęi fuerint pręcipui promotores ad tãtum ſcelus, ex quo magis peccauerunt: etiãſi hoc demus, tamẽ hæc principalitas, quę eſt ratio maioris peccati, nõ deducitur ex illo: Non haberes poteſtatẽ aduerſus me vllã, niſi tibi datũ eſſet deſuper: quia ſtat Chriſti innocẽtia & poteſtas data Pilato, etiãſi ipſe fuiſſet cauſa principalis tãti ſacrilegij. Quod verò Aug. & alij Sancti dicunt

Iudicis cuiuſcunque (vt Pilati) tyrannica & poteſtas qualis.

Lex naturæ a Pilato violata: & quẽadmodum illi fuerit in Chriſtum.

Luc. 22.

Quorſum Iudæis Dominus dixerit. Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.

Ioan. 18.

Iob 1.

2. Reg. 16.

Pſalm. 124.

Qualis poteſtas Pilati occidendi Chriſtum.

1. Pet. 2.

Cur Dominus dixerit: Niſi tibi datum eſſet deſuper.

Sap. 6.

II. Ratio & vnde ſit abuſus poteſtatis tãtummodo.

Quorundam argumentatio minus firma, ſolidaque de ſeculari poteſtate.

Rom. 13.

Quomodo cũ præcedẽtibus cohæreat hæc illatio: Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

I. Senſus Caietani.

Omnia peccata inter ſe æqualia, ſecundũ dogma Stoicum improbatur ſenſus Caietani.

Ariſtot. lib. Ethicorum.

S. Thomas Prim. Sec. q. 37. art. vlt.

II. Senſus.

Aug tract. 116 in Ioan. tom. 9.

dicunt, minus peccaſſe Pilatum: non elicitur ex illis verbis, ſed ex prioribus: quia ſcilicet ipſe non ſolum non fuit autor huius ſceleris, ſed quia diſplicebat ei, & ſæpius in eo dimittendo laborauit, & multis modis tentauit eius liberationem, eius innocentiam, & iuſtitiam ſæpè aſſeruit, licet tãdem humano timore victus ſuccubuerit, & quaſi inuitus peccauerit quodãmodo coactus, & nolens. At Iudas, Caiphas, & Seniorum concilium ab affectata malitia à cupiditate & inuidia fraternæ gratiæ acti, quaſi ſeductorem populi, ac violatorem legis Dei, & ſummæ gloriæ Dei Patris vſurpatorem perſecuti ſunt. Hæc enim etſi vera ſint, ex præ-

Theoph. in Ioannem. miſſis tamen verbis nõ deducuntur. Theophylact. in explicatione huius loci diſſimulauit cõiũnctionem illam Propterea. Sunt

III. Senſus. etiã, qui aliter ex illis verbis: Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatũ habet, de-

Exod. 20. & Deut. 5. Infra 18. ducunt hanc cõſequentiam. Nam quia Iudæis ex lege diuina non ſolum erat interdictum homicidium, verum etiam de Chriſto audiendo, & cum veneratione ſuſcipiendo à Iudæis, lege diuina definitũ, quod populo Gentili præceptum nõ fuit, qui ſub lege non erant: permittitur ergo occiſio Chriſti Pilato non ſolùm ex eo quod Dominus non reſiſtebat potentia ſua ac virtute, ſed ex eo quod nõ prohibebat præcepto peculiari. At Iudæ & populo Iudæorũ tradenti illum nõ ſic permiſſum erat, ſed prohibitum tùm lege Moſeos, tũ ex ore Chriſti ſæpius: ideò maius peccatum fuit eorum. Quia Pilato data fuit illa poteſtas à Deo, hoc eſt, permiſſa, non ſolum quia noluit illi Deus reſiſtere, verum etiam quia nec prohibere ſpecialiter, Iudæis verò, quia peculiariter prohibitum fuit. Propterea ergo quia ex tuo officio & autoritate, qua fungeris, nullam habes in me poteſtatem, niſi tantùm ex diuina permiſſione: ideò etſi tu pecces exercendo in me poteſtatem hanc; tamen populus, qui me tibi tradidit, maius habet peccatũ quam tu, quia me innocentem, tuæque poteſtati nequaquã ſubiectũ tibi tradidit, autor omnis quod in me admittitur, flagitij exiſtens, teque vel inuitũ, vt in me tua poteſtate ſæuias, compellens.

IV. Senſus. Additur & alius ſenſus: vt verbum illud: *Maius peccatum habet*, nõ accipiatur comparatiuè per reſpectũ ad Pilatum, ſed per reſpectum eiuſdẽ tradentis, hoc eſt Iudæ: ac ſi dixerit: Ex eo magis peccatum habet qui me tradidit tibi, quia datum eſt tibi deſuper vt poſſis abuti poteſtate tua aduerſus me. Si enim hoc deſuper tibi datum non fuiſſet, minus peccatum haberet: poteſtas enim tua hæc, quæ omnino perficit id, quod voluit tradens me tibi, cõſtituet eius peccatum maius. Nam conſequetur mors mea, ex quo conſtituetur perfectus homicida animo, & Deicida re ipſa: quod nõ eſſet, ſi hanc poteſtatem permiſſam non haberes. Ipſe enim Iudas licet eum tradiderit, vnde mors conſecuta eſt; non tamen intendebat in eo necem adeò crudelem. Vnde cùm vidit eum eo pacto damnatum, ad *Matth. 27.* ſuſpendium accurrit. Sed habet ſcrupulum hic ſenſus, quòd Iudas non tradidit Ieſum Pilato, ſed Iudæis. Dicẽdum ergo eſt, quod loquitur de Iudæis per ſynecdochen, qua ponitur ſingularis pro plurali; aut intelligitur, populus, qui me tradidit tibi Iudaicus, aut potius Caiphas maius peccatum habet.

Alij verò ſic colligunt, quod ferè in idem recidit: Nõ haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper à Deo, cui reddes rationẽ huius vel abuſus, vel vſus poteſtatis tuæ, vt referas pœnam, vel præmium. Proinde qui me tradidit tibi, maius habet peccatum in hoc, quòd tu Paganus habeas poteſtatem in me Iudæum & quod in cauſa ſpirituali ſim tractus ad iudicium ſeculare. Ideò maius habet peccatum: quia iudicare de cauſis Prophetarum vel virorum à Deo miſſorum, non eſt iudicis ſecularis, vel Pagani, ſed filiorum Iſrael, propter quod Iudæi maius habent peccatum, quia diuinam poteſtatem ad Gentes tranſtulerunt. Reuocat ergo Pilatum Ieſus ad humilitatẽ, & peccati admonet; vt cum prædicaretur eum à mortuis non ad vltionem, ſed ad ſalutẽ eorum, qui ei innotuerunt, reſurrexiſſe, ipſe quoque Pilatus benè ſperaret, quando eos quoque ad ſalutẽ vocari agnoſceret, quorum maius eſſet peccatum. Noluit ergo gratificari Pilato, qui ſe defendebat. Obſerua tamen in hac illatione, Dominum obliquè Pilati peccatũ notaſſe, timorem illum, quẽ ex Iudæorum delatione conceperat, tanquam iuſtum confirmando; ita tamen, vt eum comparatione peccati aliorum eundẽ minueret: manſuetudinem ſuam ea ratione declarans, tũ mitem in eum pronuntiando ſententiam, cuius iuſſu tam dirè paulò antè fuerat tractatus. Quiſquis ergo in poteſtate ſua habet amicos, vel inimicos, notos, vel ignotos, bonos, vel malos, iure, vel iniuria, cogitet non habere ſe poteſtatem, niſi illi eſſet data deſuper à Deo: perſpiciat igitur quomodo ea vtatur, quia non tam ſua eſt, quàm Dei, cui de ea redditurus eſt rationem. Theophylactus atque Leontius admonent, propterea *Theoph. in Ioannem. Leontius Episcopus.* Dominum dixiſſe: *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*; ne ex eo, quod præceſſerat de poteſtate deſuper data, exiſtimaret

Pilatus

Pilat' ſe quouis modo à peccato immunẽ exiſtere. Quòd verò Caieta. in Secundam Secundæ admonet, peccatum Iudæ tradẽtis Chriſtum Iudæis, maius eſſe quã Iudęorum tradentium Chriſtum Pilato: quia Iudas erat in maiori gradu conſtitutus, vt pote Apoſtolus, qui ſigna, poteſtate à Chriſto accepta, ediderat, & ſupra malitiam ſibi & Iudęis communem, addiderat turpitudinẽ proditionis: omnino in dubium ab aliis reuocatur. Nam Iudas ex auaritia peccaſſe videtur; Iudæi verò ex inuidia & odio ad mortem, quã Iudas non intendebat. Conſtat autem, inuidentiam, & odium maius eſſe peccatum, quàm meram auaritiam etiam cum proditione coniunctam.

Caie. in 2 p. q. 49. ar. vlt.

An Iudas Chriſtum prodendo plus peccauerit, quam Iudæi Pilato illum tradendo.

Et exinde quærebat Pilatus dimittere eũ. Quomodo impletur, quòd exinde quæreret dimittere, cùm ſiue verbum Græcum *ἐκ τούτου* ſignificet ex eo tempore, ſiue ſignificet ex illis Chriſti verbis, quib. permotus fuit Pilatus, & nolebat peccare in eũ; cùm tamen antea & verbo & facto hoc idem tentaſſet facere? Solutio eſt, quòd antea non fictè aut ſimulatè, vt ait Rupertus Tuirienſis, ſed quòd nõ tam apertè, ac manifeſtè quærebat liberationem Ieſu, vt nunc oſtendit. Vnde Iudæi videntes Pilatum timere ne offẽderet Deum, peccatoq; ſe inquinaret, ad priorem affectati regni calumniam reuertuntur, clamantes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Quaſi dicerent: Si nihil ad te pertinet, quod in Deum deliquerit, certè ad te ſpectat, quòd in Cæſarẽ peccauit. Cęſarianus es, & ob hoc hic habitas, vt Cęſaris nomen, ac gloriam, & poteſtatem non permittas imminui, ſed tuearis potius, & amplifices. Hic autem ſe Cæſari opponit: nam ipſe Cęſar Rex eſſe in Syria contendit, maximè apud nos Iudęos. Si ergo hunc dimittis, te Cæſaris hoſtem prodes, qui eius capitalem inimicum, ac manifeſtũ non punias. Videntes igitur Iudæi, quòd neutrius criminis cauſa apud Pilatũ præualeret; ad minas ſe conuertunt lædendæ Cæſareæ amicitiæ, minitantes: Nos ſcribemus contra te ad Cæſarem, quòd apertum hoſtem regnũ eius occupare moliẽtem tuearis. Non hoc ex amore Cęſaris dicebant, quem ex corde oderant, & contra quem ſeditiones excitabant, ſed odio Chriſti amicitiam ſibi perdendam prętexũt: qua amiſſa, magiſtratus functione ſimiliter priuaretur, & fortè etiã vita: quia vt dicitur apud Salomon. *Quòd timet impius, veniet ſuper eum.* Et Pilatus paulò pòſt non ſolum amicitia & prçfectura eiectus eſt, ſed etiã vita mulctatus, vt reſtatur Ioſeph. in lib. Antiquitatum Iudaicarum, & Euſeb. Cæſarienſis. Iudicium enim Dei etſi tardet, non aufertur. Hoc zelo Cæſaris tanquam fortiſſimo ariete, expugnatur Pilati iuſtitia, hac acclamatione frãgitur eius conſtantia; adeò verum eſt, ciuilem iuſtitiã in vera tentatione non cõſtare, nec niſi vſque ad aras valere.

Quomodo verum ſit quod exinde Pilatus quærebat Ieſum dimittere; cum antea id ſæpius attentaſſet.

Rup lib. 13. in Ioan. poſt med.

Prou. 10.

Ioſ lib. 18 Antiq c. 17.
Euſ lib 2. Eccl hiſt c 7

Ciuilis iuſtitię & æquitatis infirmitas & inconſtantia.

Omnis enim qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari. Hæc eſt enim terrenæ poteſtatis natura, vt in ea poſſidenda vnus ſit alterius impatiens. Vnde quidam Poëta cecinit:

Terrenæ poteſtatis ingenium.

Nulla fides regni ſociis, omnisq; poteſtas
Impatiens conſortis erit. Et infra:
Nec quenquam iam ferre poteſt, Cæſarve priorem,
Pompeiuſve parem.

Lucan. lib. 1. ſub init.

Et recentior quidam eleganter dixit:

Non capit vna duos maieſtas Regia fratres.
Fraterno rubuit ſanguine Roma recens.

Omnis ergo, qui in terra dominari Rex nititur, Cæſari contradicit, qui ſolus vult regnare, & monarchiam tenere. Sic ergo arguebant iſti; Romani Imperatores abſtulerunt à nobis dignitatem Regiam: propterеà qui inter nos ſe vult appellari Regem, videtur facere contra Cæſarem; iſte eſt huiuſmodi: ergo non debet permitti vt amplius viuat: qua in re obſequiũ Cæſari præſtabitur. Etſi autem huius ſyllogiſmi maior propoſitio ſit vera; minor tamen falſa eſt: tùm quia multiplicatis panibus cum turba vellet eum Regem facere, aufugit in montem, tùm quia rogatus à Pilato, reſpondit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; tùm quia ſi Pilatus diligẽter inquiſiuiſſet de vita, de diſcipulis, ac moribus Ieſu, vidiſſet nihil in eo eſſe regni mundani. Hinc Chryſoſtom. in Matthæum ſcribit: *Oportebat*, inquit, *argumenta quærere, quibus iſta probantur, vt puta ſi exercitum conſcribebat, ſi pecuniam ingentem conflabat, ſi arma, vel alia huiuſmodi præparabat.* Hæc ille. Nos igitur diſcamus, Chriſtum tanquam verum Regem agnoſcere, nihilq; eorum, quæ ad eum ſpectant, propter Cęſarem illi detrahere. Cæſarq; & ipſe debet ſuis eſſe contentus, & gaudere quòd Deus ſua habeat; nedum illa, quæ Dei ſunt, ad ſe trahere contendit, non ſolum illis, ſed etiã his, quæ ſua ſunt, ſpolietur. Sed nos reddamus quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo, propter ipſum, quò diuinæ legis obſeruatores inueniamur: ſed in primis ſciamus Chriſtum Regem ſpiritualem à nobis eſſe agnoſcendum, & omni cultu venerãdum, vt cum eo ſimul regnare valeamus in cœleſti regno, quod æternum eſt, ſimulque poſſeſſum à Patre, & Filio, & Spiritu S. quibus ab omni creatura ratione prædita reddatur honos, maieſtas, & imperium in ſeculis ſempiternis, Amen.

Ioan. 6.

Infra 18.

Chryſ ho. 87. in Matt ſub init. tom. 2.
Matt. 22.

TRACTATVS XXXII.

De Pilati ſeſsione pro tribunali, ac lotione manuum eius, ac ſententia Chriſtum ad necem condemnante, in illa verba: *Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum: & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem paraſceue Paſcha, hora quaſi ſexta. Et dicit Iudæis: Ecce Rex veſter. Illi autem clamabāt: Tolle, tolle, crucifige eum, &c.* Ioan. 19.

Vniuerſi noſtræ voluntatis & arbitrij conatus ſi Dei gratia deſtituantur, quò tandem recidant.

VNiuerſi liberi noſtri arbitrij conatus ſi gratia Dei deſtituantur, poſtquā omnia, quę poſſunt, præſtiterint, tandē naufragium faciunt: vt ex his, quæ Pilatus de dimittendo, & abſoluendo Chriſto fecit, conſtare poteſt. Videns implacabile Sacerdotum odium in Ieſum, ac mirum populi cum eis conſenſum, cogitans etiam Ieſum etſi innocentem, humilem tamen eſſe, & tenuem, ſibique deeſſe, vt ab eius nece nihil periculi eſſet metuendum; ceſſit tandē, & ſuccubuit, vbi iactura amicitiæ Cæſaris perdendæ illi obiecta eſt.

Duplex Pilati timor.

De hoc ergo ita ſcribit Ioannes: *Pilatus autem cùm audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum: & ſedit pro tribunali.* Cùm audiſſet Pilatus comminatorios de Cæſaris amicitia perdenda ſermones, trepidans timore, vbi non erat timor, quàm primū cecidit: quia vt dicitur in lib. Prouerbiorum: *Qui timet hominem, citò corruet.* Primò ſiquidem Pilatus timebat Ieſum, quem ſpreuerat, eo audito quòd eſſet Filius Dei, nunc verò timet Cęſarem: atq; iſti duo timores offendendi Deum per culpam, & perdendæ Cæſaris amicitiæ, luctabantur in corde Pilati. Sed pręualuit timori Dei prę̄ſentis Cæſaris gratiæ perdendæ metus, & fortè dixit cū Caipha: Expedit vnum hominem mori pro populo, & non tota gens tumultuetur, & in me inſurgat. Nec mirum eſt: nam ſæpè etiam in nobis metus Dei à metu hominū ſuperatur, & præſentis pœnę formido vincit gehennæ formidinem, ac peccamus. Sed oportet memorem eſſe ſententiæ Domini, dicentis: Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.

Pſal. 13. *Prou. 29.*

Ioan. 11.

Qui ſimiles Pilati, homines magis quam Deum metuentes.

Luc. 12.

Pilatus dupliciter peccauit.

Pilatus igitur audiuit à Chriſto quòd eſſet Filius Dei, & à turba: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris,* cogitauit aūt in Deum ſibi eſſe peccandum, aut in Cæſarem. Quòd ſi in Cæſarem peccaret, conſtituit ſe omnibus bonis ſuis ſtatim priuandum: ſi autem in Deum, qui patiens eſt, & præſtabilis ſupra malitia, patienter expectat ad pœnitētiam, ſe aliquando euaſurum. Quo conſilio excæcatus, in Deum deliquit, & innocentem cognitum non liberauit.

Ioel 2.

Pilati ſeſſio pro tribunali qualis.

Adducit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali, in quo rei damnandi ſiſti ſolebant. Et ſedit pro tribunali, vt iudices, qui publicè ſententiam volunt ferre contra reum. Sed re uera Pilatus timore Cæſaris permotus, ac perturbatus, non ſedebat, nec pro tribunali, ſed contra tribunal, contraq; omne ius, ac æquitatem, iudicaturus eum, qui à Deo Patre conſtitutus erat iudex viuorum, & mortuorum. Deſcribit autem Euangeliſta locum, ac tempus, imò diem, & horā, quò maiorē fidē hiſtoriæ faciat apud notos, & ignotos; tùm propter Domini reſurrectionem, vt verus ſit ſermo Chriſti, quē dixit: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit & Filius hominis in corde terræ, &c.* tùm vt primus homo, qui ſexta die peccauerat ſecundùm Hieronymum, ſexta die reſtauretur. Nam & peccatū Adæ paulò ante meridiem patratum eſt: vnde Dominus dicitur deambulaſſe in paradiſo ad auram poſt meridiem.

Actor. 10.

Cur Euangeliſta, tēporis, ac loci quo Pilatus Chriſtū iudicauit meminerit.

Matth. 12. *Iona 2.*

Adam quo die peccauerit teſte Hieron.

Hieron. *Gen. 3.*

De loco Lithoſtrotos.

De loco ait: *In loco, qui dicitur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbatha.* Non quòd Gabbatha idē ſit quod Lithoſtrotos, ſed quòd idem loc⁹ diuerſis linguis diuerſa haberet nomina, alia & alia ratione. Vox prior Græca eſt, & non legendum Lycoſtratus, vt quidam corruptè legunt: quia ſignificaret luporum ſtratum, quaſi iudices eſſent rapaces, vt lupi, ac bonorum deuoratores. Nec rurſus legendum Lithoſtratus per α, ſed per ω, & ſignificat locum lapidibus ſtratum, nobile videlicet pauimenti genus in cruſtatione exiguis ladidib. facta. De quo Plinius ita ſcribit: *Pauimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec Lithoſtrota expulere eam.* Et infra: *Lithoſtrota cœptauere iam ſub Sylla paruulis certè cruſtis, &c.* Varro lib. de re ruſt. Græca voce Lithoſtroti vtitur. Hæreticus quidam dictus Caſtellio audacter vocem Græcam Latinè vertit Lapidiparium. Huiuſmodi pauimētis ornari ſolent apud nos templa magnifica, quæ marmore polito, & colore vario conſtant. Hebraicè autem, vel potius Syriacè dicitur Gabbatha, Hebraicè autē diceretur Gabbath, quod Latinis ſonat Eminens vel excelſum, propter eminentiā loci iudicio accommodati in conſpectu totius plateæ muro prætorij affixus, in quem non aliūde quā ex prætorio conſcendi poterat,

Lycoſtratus Græcè quid.

Plin lib. 36. c. 25. init.

Pauimenta quibus primū in vſu fuerint teſte Plinio.

Varro 3. de re ruſt. c. 1.

Caſtellio hæreticus.

Gabbath Latinis quid ſonet.

in quo

Cur Pilatus in Lithoſtrotos, loco videlicet eminenti, alto que conſedit.

in quo ſententiæ dabantur in reos. Significabatque illa loci altitudo decere iudicem in ſublimi ſedere: quia iudex repræſentat Deum in cœlis habitantem,; & quia iudex debet eſſe animo in Deum eleuato, & ab omnibus animi perturbationibus libero, & vt alios ita iudicet, quemadmodùm cuperet ipſe à Deo iudicari Conueniebat autem condemnationi Ieſu hic locus, quòd ea eſſet ſolennis, & publica, nō tantùm ob certam fidem hiſtoriæ, ſed ne quemquam lateret eius innocentia. Et quoniam nunc primùm commemorat Ioannes Pilatum ſediſſe pro tribunali; putant quidam cum Auguſtino, Ioannem per anticipationem narraſſe id, quod Matthęus ſcripſit de vxore Pilati: *Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius.* Sed non videtur neceſſario ad hoc confugiendum, quia etiam prius veriſimile eſt Pilatum ſediſſe pro tribunali, cùm Iudęorum audiret accuſationes, & ad eos pro Ieſu tuendo loqueretur.

Qualis iudex eſſe debeat.

Quare in loco Lithoſtrotos voluerit Dominus iudicari.

Aug. lib. 3 de Conſ. Euang. c. 8 tom. 2.

Matt. 27.

De nūtio vxoris Pilati ad cū ... minus probabilis quorundam opinio.

De tempore ſubiungit: *Erat autem paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta.* Vt iuxta diei feſti rationem agnus innocens pro mundi ſalute immolaretur, & vt concurſus ex omni natione, quæ ſub cęlo eſt, denotetur. Nam ſi in die Pentecoſtes, quę minus erat ſolennis quàm Paſcha, erant Ieroſolymæ homines ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, vt Lucas teſtatur; quanto magis in die Paſchę ſolenniori? Duplex in his verbis oritur dubitatio: altera eſt de paraſceue Paſchę, quid ſignificet, altera de hora ſexta. Circa primā aduertendum, hoc loco quoſdam Græcos, abuti ad probandum, quòd ille dies non erat Paſcha, ſed præcedens Paſcha quemadmodùm alio loco dixit: *Ante diem feſtum Paſchæ.* Sed falluntur reuera, quia Chriſtus ſeruator legis die præcedenti Paſcha comederat cum diſcipulis ſuis, & alij tres Euangeliſtæ docēt fuiſſe primum diem Azymorum: & ipſemet Ioannes referens paraſceuen eſſe Paſchę, ſcribit quòd Pilatus optionem turbæ obtulerit, quem vellet dimitti per diem ſolennem Paſchæ, Barrabam, an Ieſum. Dicitur ergo paraſceue Paſchæ, non quòd eſſet dies ante Paſcha, ſed quia erat dies primus Azymorum præparatorius ciborum in diem ſequentem Sabbati; in quo non licebat quicquam præparare, ſed ex præparatis præcedenti die edere. Hic autem dies Sabbati incidit illo anno in diem ſecundum Azymorum, vt quidam docēt: vel, quod probabilius exiſtimamus, & multis rationibus libro præcedenti oſtēdimus ex multorum teſtimonio, erat paraſceue Paſchæ, non Paſchæ iam celebrati à Chriſto die pręcedenti ad veſperam ex lege, ſed Paſchæ, ex traditione celebrandi à populo illo anno in die Sabbati, in quem Paſcha ex antiquo ritu translatum erat. Atque hæc ſententia ex eo videtur probabilior, quia illi omnia magis cōſonare videntur. In primis enim dicitur à Ioanne ſuperius: Vt nō contaminarentur, ſed vt manducarent paſcha: nōdum ergo Iudæi paſcha ſuum ederant. Deinde dicitur quòd erat paraſceue Paſchæ in Genitiuo, id eſt, agni edendi in die Sabbati illo anno, de quo Mar. ait: *Erat paraſceue, quod eſt ante ſabbatū,* & Luc. *Dies erat Paraſceues, & Sabbatum illuceſcebat:* Ioannes verò addidit, & ſuppleuit *Paraſceue Paſchæ,* quòd nimirum eſſet dies Sabbati, & ſimul Paſcha. Vnde Ioannes ipſe infra abſolutè vocat paraſceuen, vt quòd in hoc eod. cap. dicit: *Iudæi ergo quoniam Paraſceue erat,* & rurſus: *Ibi ergo propter Paraſceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum.* Non dicitur in Scripturis paraſceue Paſchę pro eo quod eſt præparare cibos ad diem Paſchæ: quia in die Paſchæ licebat operari neceſſaria ad victum, & ad edēdum, vt habes Exodi capite 12. quamquam ad agnum cum tot cęremonijs edendum multa opus erat præparatione, de qua apud Matthæū diſcipuli dixerunt: *Vbi vis paremus tibi comedere paſcha?* Et Chriſtus dixit: *Ite in ciuitatem ad quendam, &c.* rurſus: *Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Ieſus: & parauerunt paſcha.* Erat ergo non minus paraſceue Paſchæ, quā Sabbati. Ergo paraſceue Paſchę neceſſario dicitur, quòd Paſcha incideret in diem Sabbati, in qua prohibita erat quęuis ciborum præparatio, & præparatio fiebat pro Paſcha, & pro Sabbato ſimul. Quare autem Euangeliſta potius dixit paraſceue Paſchæ, quàm Sabbati; cùm vtraque dies pręcedens Paſcha vel Sabbatum diceretur apud Iudæos paraſceue? Dicendum eſt id factum, vt intelligeremus illo eodem tempore, aut circiter illud, verum agnum ad cædem, & immolationem eſſe paratum, & veritatem ſuo cum typo conuenire. Sæpè enim Ioannes inſinuat Chriſtum eſſe verū agnum paſchalem, & veritatem cum vmbra probè conueniſſe: ideò maluit paraſceuen Paſchæ dicere, quàm paraſceuen Sabbati. Quare meritò ille dies magnus erat, vt dicit Ioannes, propter concurſum duorum feſtorum, quæ maxima erāt apud Iudæos. Adhæc illo die Iudæis interdicta erant omnia opera ſeruilia præter neceſſariā præparationem ciborum; quare nec accuſare potuiſſent, nec litigare, nec cauſam agere coram Pilato, & quod maius eſt, viri ſancti, vt Nicodemus & Ioſeph, nō potuiſſent citra peccatum, & feſti violationē illo die de-

Quorſum id: Erat autem paraſceue Paſchæ.

Actor. 2.

Paraſceue Paſchæ quid ſignificet.

Prima opinio, quę refellitur.

Ioan. 19. Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Ioan. 18.

II. Opinio.

III. opinio ceteris probabilior.

Lib. 9. Exod. 12. & Deut. 16.

Probatur duplici ratione.

Ioan. 18.

II. Ratio.

Marc. 15. Luc. 23.

Ioan. 19.

Ibidem.

Matth. 26.

Ibidem.

Quare cum vtraque dies præcedens Paſcha, vel Sabbatum diceretur apud Iudæos paraſceue, potius paraſceue Paſchæ, quam Sabbati dixerit Euāgeliſta.

Dies Sabbati cur magnus appelletur.

Ioan. 19.

III. Ratio.

Ibidem. Marc. 16. Luc. 23.

die deponere Ieſum de cruce,& vngere,atque ſepelire, neq; mulieres ſanctæ potuiſſent emere aromata, quæ tamen dicuntur Sabbato ſiluiſſe ſecundùm mãdatum. Denique ea ratione impletum eſt, vt vno, & eodem die verum Chriſtũ agnum immolauerint, & agnum typicum, ac corporalẽ comederint. Et Iudæis quidẽ fuit illa dies paraſceue ad Sabbatum; nobis autem fuit præparatio agni,& viatici noſtri ſpiritualis ad vitæ æternæ ſalutem.

IV. Ratio & poſtrema.

Expenditur illud: Hora quaſi ſexta.

Subdit Euangeliſta: *Hora quaſi ſexta.* Nã cùm eſſet æquinoctium vernale,ſexies ferè fuerat Chriſti cauſa agitata illo die: primò inter Iudæos valde manè: deinde corã Pilato; tertiò coram Herode; quartò iterum coram Pilato,quintò fuerat flagellatus,atque illuſus,vt iã eſſet hora ferè ſexta,quando damnatus eſt. Nec dicto huic repugnat quod Marcus ait: Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Multis enim modis hic nodus ſolui poteſt. Primus quidem ſit, Euangeliſtam non ſcribere, Pilatum hora ferè ſexta diei ſediſſe pro tribunali, ſed paraſceues hora ferè ſexta: nam aliud eſt initium diei,aliud paraſceues.Iudęis namque ante Solis exortum pręparationi Paſchę operam dare ſolitos, rationi conſonat, ſicut Chriſtiani multa præparant in vigilijs ante diluculum; Iudæi multò magis,qui non ſolum azyma in plures dies,ſed alia complura præparaturi erant ad diem Paſchæ, vt ita hora tertia diei cum hora ſexta paraſceues incidat. Sed hæc ſolutio deficit. Nam cùm dicitur hora ſexta paraſceues, intelligi debet diei feſti paraſceues, in qua neceſſaria ad victum,vt diximus, præparari ad diem Sabbati (quo Paſcha illo anno incidit) cõmodè poterant:deinde gratis dici videtur, diem Paraſceues per tres horas ante lucem inchoandum eſſe, vt concurrant hora tertia diei cum hora ſexta paraſceues apud Ioannem:ideò hic modus nodum diſſoluendi,minus quadrare videtur. Alij verò ſunt, qui Auguſtini ſententiam lib. de Conſenſu Euangeliſtarum ſecuti; alio modo Marcum interpretantur, non de crucifixione militum locutum eſſe, ſed de crucifixione in linguis Iudæorum. Vnde illis Petrus obiecit: *Notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael, quia in nomine Domini Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, in hoc iſte aſtat coram vobis ſanus.* Vt ergo oſtenderet, non tam à miniſtris, qui ſimplex miniſterium Præſidi præbuerunt, quàm à Iudæis Chriſtum crucifixum, poſtquam militum miniſterium expreſſit Marcus, dicendo: *Et crucifigentes eum, diuiſerunt veſtimenta eius,* ſubdit: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum: reſpiciendo ad autores flagitij principales, & ad vocem, qua ſanguinẽ Chriſti poſtulauit, dixit: Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Hinc autor libri Quæſtionum noui & veteris Teſtamẽti, qui tribuitur B. Auguſtino: *Omnis*, inquit, *qui adducitur morti, ex eo iam mortuus computatur, quo ſententiam excepit.* Hæc ille. Vnde Sacerdoti prohibetur,ne conſilium,fauorem,vel autoritatem præſtando aſſiſtat,dum dictatur ſententia mortis: vt habetur in cap. Sentẽtiam: *Sententiam*, inquit, *ſanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, ſed nec ſanguinis vindictam exerceat, aut vbi exerceatur, interſit.* Hæc ibi: alioqui incurrit ſecundùm omnes Doctores irregularitatis cenſuram. Quia tunc reus moritur,non autem quãdo eius decapitationi,vel morti eſt pręſens. Bis ergo crucifixus eſt Ieſus,ſemel in linguis Iudęorum clamantium, Crucifige, & hoc hora tertia contigit. Cui ſententię videtur accedere B.Ignatius,qui in epiſtola ad Trallianos ita ſcribit: *Die ergo paraſceues tertia hora accepit ſententiam à Pilato permittente Patre, ſexta verò crucifixus eſt; nona autem emiſit ſpiritum.* Auguſtinus verò lib. de Cõſenſu Euangeliſtarum poſt inſinuatum hunc ſenſum ſubiũgit: *Dixerunt ergo Iudæi: nobis non licet interficere quemquam. Quod ergo maximè videri feciſſe nolebant, hoc eos hora feciſſe tertia Marcus oſtẽdit; veriſſimè indicans magis fuiſſe Dominum necatricẽ linguã Iudæorum, quam militũ manus. Quiſquis autem dixerit non fuiſſe horam tertiam, cum hoc Iudæi primitus clamauerunt, inſaniſſimè ſe oſtendit inimicum Euangelij. Niſi fortè aliter potuerit eandem diſſoluere quæſtionem.* Hæc ille.

Marc. 15. Quomodo Marco dicente Chriſtum tertia hora crucifixum, ſexta hora dicat Ioannes.

I. ſenſus, duo patiens incommoda.

II. ſenſus. Aug. lib. 3. de Conſ. Euang. c. 13. ſub init. to. 4.

Actor. 3.

Iudæos potius quã ſatellites Pilati Deum in crucẽ egiſſe, vnde cõſtet apud Marc.

Autor Quæſt. noui & vet. Teſt. q 65. to. 4. operum B. Auguſtini.

Lib 3 Decr. tit. ne clerici vel Mon.

Clerici à quibus cauſis, & actis abſtinere debeant ſub irregularitatis pœna.

B.Ignat. ep. 9. circa med.

Matt. 27.

Aug lib. 3. de Conſ. Euang. cap. 13. ante med tom. 4

III ſenſus.

Tertiò putant alij abundè ſoluiſſe hunc nodum, ſi dicant, Chriſtũ infra tertiam & ſextam crucifixũ, & ab vtroq; extremo, vt media ſolent, horam mortis Chriſti fuiſſe ſignificatam. Crucifixio ergo Chriſti ſupra tertiam,& infra ſextam, & incepta & perfecta eſt,quia ſexta hora tenebrę factę ſunt ſuper vniuerſam terram.Sed reuera etſi dici valeat fieri hora ferè ſexta,quod fit quinta, vix tamẽ dicetur fieri ferè 3. hora, quod in quinta fit: benè tamen põt dici fieri ferè in tertia,quod in quarta fit, non tamẽ dicetur ferè fieri in ſexta. Alij alia dicẽdi ratione ſoluunt hoc ipſum. Nam vt noctẽ in 4. vigilias, ita diem diuidit Euangelium in 4. horas, ſiue ſtationes: quarum prima incipiat à diluculo,& duret vſq; ad horam diei tertiam, voceturque primum mane: ſecunda incipiat ab hora tertia, & duret vſque ad horam ſextam, voceturque hora tertia, quòd à tertia initium ſumat: tertia verò pars ſimiliter vocetur ſexta, & quarta itidem vocetur nona,vel veſpera. Ad hunc

Matt. 27.

IV. ſenſus.

Diem quomodo Iudæi partirentur.

enim

Matth. 20.

enim modum diem Iudæis diuidi ſolitum indicat Euangelium in parabola de patrefamilias operarios in vineam ſuam mittente. Et ita inuenimus rationem conciliandi Euangeliſtas. Nam quòd Ioannes ait fuiſſe horam ferè ſextam, cùm Pilatus ſederet pro tribunali, ſatis indicat nondum fuiſſe horam ſextam, ſed horam tertiam, ſiue ſtationem ſecundam; hoc eſt, eam partem diei, quæ eſt inter tertiam horam, & ſextam. Nihil ergo mirum, quod cùm Chriſtus crucifigeretur, non eſſet hora ſexta, ſed adhuc fuit hora tertia; quæ finienda non erat niſi hora facta iam ſexta. Reuera igitur Chriſtus à militibus fuit crucifixus, quia ſexta nondum aduenerat. Quod ex Matthæo & Luca etiam eſt apertum, qui cum Marco poſt deſcriptam Chriſti illuſionem, & alia quædam, dicũt à ſexta hora factas tenebras ſuper terram. Quibus exiſtentibus non eſt veriſimile, aut milites diuiſiſſe veſtimenta, aut variam illam Chriſto accidiſſe deriſionem: nam reuera Pilatus fermè circa ſextã horam pro tribunali ſedit, quia tertia iam tunc maiori ex parte fuerat elapſa. Atque hanc ſententiam etiam paſſionis hiſtoria confirmare videtur: quia in ea nominatim diluculi, tertiæ, ſextæ, & nonæ horarum fit mentio, cùm de reliquis inter illas horis omnino taceretur. Ex quibus patet, Chriſtum tres horas viuum pependiſſe in cruce, cùm ante horam ſextam ea Chriſto in cruce pendente contigerint, quę de militibus, & varijs Chriſtum illudentibus Euangeliſtæ ſcripſerunt. Deinde patet illud, quod Ioannes dicit, fuiſſe horam fermè ſextam, cùm Pilatus ſederet pro tribunali, aliud eſſe ab eo quod Lucas ait: Erat autem ferè hora ſexta; & tenebræ factæ ſunt in vniuerſam terram. Ioannes enim ait fuiſſe horam ferè ſextam, cùm proculdubio vna hora, aut paulò amplius abeſſet à ſexta: nam tantum temporis intercedere neceſſum erat, vt eo tempore intelligatur Chriſtus ad crucem iam antè damnatus, ad ſupplicium ductus, crucifixus, & irriſus in cruce pendens Lucas verò hic dicit, quòd iam omnino inſtaret hora ſexta, aut etiam quòd iam ſexta aliquãdiu prętetijſſet: vt horam fuiſſe quaſi ſextam dicat, non quòd circiter ſextã fuerit, ſed vltra. Quod ex Marco explicari videtur, qui ait: *Et facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt per totam terram*, id eſt, completa iam & exacta hora ſexta. Nam Philoſophis, & vulgo id dicitur factum, nõ quod inchoatum, ſed quod conſummatum eſt. Hæc omnia complectitur hæc ſolutio, cui nonnihil obijci poſſet. Nam in parabola operariorum in vineam miſſorum, pręter horas dictas fit

Matth. 27. Luc. 23.

Chriſti trium horarum ſpatium viui in cruce pendentis vnde colligitur.

Mar. 15.

Huius quarti ſenſus incommodum.

Matth. 20.

mentio vndecimæ horæ, & apud Ioannem fit mentio horæ decimæ, & item ſeptimæ horæ apud eundem, in qua Reguli filium febris reliquit. Etſi dici valeat hæc nõ conuincere: quia exprimitur in his duobus locis id, quod implicitè continebatur in hora nona: in tertio verò exemplo de hora ſeptima, qua reliquit febris filium Reguli, id, quod implicitè cõtinebatur in hora ſexta. Caietanus verò, alijs omiſſis, ex Hieronymo aliam adfert ſolutionem, & Marcum indocti librarij vitio corruptum eſſe contendit. Cùm enim Marcus ſcripſiſſet, *Erat autem hora ſexta*, quod elementum ſignum eſt ſenarij, permutarunt in γ. quod ſymbolum eſt ternarij: & hoc propter ſimilitudinem elementorum. Et ratio etiam idem demonſtrat: quia Chriſtus reuera in meridie eſt crucifixus, vt vulgo Chriſtianorum omnium eſt perſuaſum, & Eccleſia in Crucis precibus, & officio apertè teſtatur, & colligitur ex Ioanne, dicente quòd hora ferè ſexta ſedit pro tribunali Pilatus; ergo erat elapſa hora quinta, alias falsò hora ferè ſexta diceretur. Reliquum verò ſextæ horæ elapſum eſt in educendo Ieſu, & induendo, & in cruce ad locum Caluarię baiulanda, Simoneque angariando, & alijs. Scripſit ergo Marc. hora ſexta, ſicut Hieron. annotauit in Pſal. 77. Adhæc Theophylact. in hæc verba Ioãnis ſcribit: *Quomodo autẽ Marco dicente tertiam horam, quando Chriſtus crucifigebatur, Ioannes ſextam dicit? Igitur hoc ſoluunt quidam, quòd Scripturæ ſchema ſit. Nam litera quidem tertiam horam ſignificat, & eſt character eius talis γ litera autem quæ ſextam ſignat, habet characterem talem ſ. Veriſimile igitur literam γ. à deſcriptoribus non attentis ſcripſiſſe quibuſdam mutilatis, in characterem Epiſemi, quo ſextus numerus ſignatur, & ſic errorem hunc ortum. Quòd autem hoc veriſimile ſit ſic factum eſſe, & tertiam horam ſcriptam eſſe, etiam apud Ioannem, & non ſextam ſicut nunc, manifeſtum hinc eſt. Nam cum 3. Euangeliſtæ, Matthæus, Marcus, & Lucas conſonanter dicũt, quòd à ſexta hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſq; ad horam nonã; manifeſtum quòd Dominus noſter ante ſextam horã, prius quàm fierent tenebræ, crucifixus ſit, ſcilicet circa horam tertiam, ſicut Marcus prodit, & Ioannes ſimiliter: quamuis ſcribentium error mutauerit Gamma in Epiſema characterem. Et nõnulli quidem ſic dicunt. Alij autem aiunt, quòd Marcus quidem horam, qua lata eſt ſententia de crucifigendo Domino, manifeſtè & abſq; dubitatione ponat. Vtiq; quia crucifigere & punire ab eo tempore iudices dicuntur, quo ſententiã proferunt: eò quòd vis pœnæ, & mortis in linguis quoq; ſit. Eius gratia tertia hora Marcus crucifigi eum dicit, à qua Pilatus ſententiam expoſuit: Ioan. autẽ, cùm Marcus*

Ioan. 1. Infra 4.

V. ſenſus. Caiet. in Ioan. Hieronym. in Pſalm 77. prope init.

In meridie crucifixus eſt Dominus.

Hiero. tom 8. Theophyl. in Ioan.

In hanc ſententia n obijciuntur nonnulla.

d.xiſſet tempus ſententiæ,horam in qua Dominum crucifixerunt dicit.Hactenus ille. Verùm in hanc ſolutionem nonnulla occurrunt.Primùm,quia durum videtur,corruptam eſſe Scripturam in hac parte, & Patres minimè nos de eo vitio admonuiſſe. Deinde cur potius corruptus eſt Marcus, quàm Ioannes,& cur non potius Ioannes,quàm Marcus,vt ait Theophylactus, qui contendit Marcum eſſe integrum, & incorruptum? Tertiò validè vrgentur,quia non videntur Euangeliſtę vti elementis pro numeris,ſed integris dictionibus numeros ſignificantibus.Ait enim Marcus: ἦν δ' ὥρα τρίτη καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν,& Ioannes:ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη:nullum hic videtur elementum;ſed ſi qua fuit corruptio, in vocibus ipſis conſtituenda eſt. Quartò non vidit Caietanus, quòd ſi loco illorum verborum: Erat hora tertia,legendum eſſet,Hora ſexta,vt ipſe emēdat;quomodò paulò pòſt ſequitur in eodem Euangeliſta:Et facta hora 6. tenebræ factæ ſunt? Vnde & Hieronymus in Marcum,vel quiſquis fuit eorum commentariorum aùtor, eo loco annotauit : Hoc verè & propriè Marcus intulit. Nam ſexta hora tenebræ ſuffuderunt terram, vt non quis potuiſſet mouere caput. Præter has omnes ſolutiones Euthymius ſcribens in Marcū in illud: *Erat autem hora tertia:& crucifixerunt eum. Atqui,inquit,hora ſexta crucifixus eſt,ſicut dicit Ioannes.Quid ergo dicendum eſt? Quòd id quod dicitur : Erat autem hora tertia, non trahitur ad id quod additur. Et crucifixerunt eum; ſed refertur ad principium eorum,quæ paſſus eſt Saluator.Erat autem,inquit, hora tertia, quando videlicet pati cœpit à militibus Pilati Deinde quod ſequitur,per ſe legendum eſt.Et crucifixerunt eum,ſexta videlicet hora. Mentio ergo tertiæ horæ,quæ fit à Marco, principium manifeſtat eorum quæ paſſus eſt Dominus. Sexta verò,à Ioanne,finem oſtendit, qui fuit crucifixio* Hęc ille,cuius ſolutionem produximus, ne illam ignoraſſe videremur. Sed vt verum fateamur,paulò eſt durior,& minus literæ quadrans, licet non deſint qui eam approbent. Proinde ex tot ſolutionibus illa præſtantior videtur, quam producit Auguſtin.& vt firmiorem ſecundo loco adducit Theophylactus. Meminit eius Leontius,& ſequitur Heſychius Ieroſolymitanus Presbyter: & Victor Antiochenus in Marcum ſcribit illa hora damnatum Ieſum à populo:ſicut & illud Matthęi:*Videns Iudas quòd damnatus eſſet*(ſcilicet Ieſus) *à populo*. Atque hunc ſenſum confirmauit ſententia B. Ignatij,qui vicinus fuit illis temporib. quo hæc geſta ſunt, & potuit veritatem ab his, qui interfuerunt,penitius intelligere. Poſt hanc verò ſolutionem illa, quæ tertio loco adducta eſt de diuiſione diei in quatuor partes, minores ſcrupulos, aut certè magis ſolubiles habere videtur: quocunq; ergo illorum modorum nodum diſſoluas,rectè conciliabis Euangeliſtas. Et hactenus de hac quæſtione.

Elementis pro numeris minime vti conſueuerunt Euangeliſtæ, ſed dictionibus integris.

Hieronym in Marc to 9.

VI.ſenſus. Euthym. in Marc.16.

Ex his ſolutionibus omnibuſq; alijs anteponenda videtur Aug.lib.3. de conſenſ. Euang.c.13 ante med to 4. Leontius Epiſcopus. Hychius. B.Ignatius epiſt 6.

Et dicit Iudæis,Ecce Rex veſter. Adhuc mordebat eum conſcientia, auocabatq; ne damnaret innocētem, & hæc eſt vera ſententia,ex actis, & ex cōſcientia Pilati pronuntiata,quod ipſe eſſet Rex Iudæorum. Verū non acquieſcentibus Iudæis huic veræ, & iuſtæ ſententiæ, iniuſtam alteram damnationis in gratiam populi protulit: oſtēditq; quàm nō competeret in eum affectatæ tyrannidis crimen à Iudæis obiectum. *Ecce*, inquit,*Rex veſter*: flagellatus eſt,illuſus eſt, ſeipſum iuuare nequit,fruſtra eum timetis, ſi Regem ſe dixit, vel dici pertulit, nihil ab eo periculi vobis imminet: quid ergo decernitis? Eſtiſne ſatiati pœnis eius? vultiſne à malo propoſito reſilire? Vide quam inuito animo Pilatus Iudæorū furori obſequatur: atq; hoc dixit turbis,quia priorem contentionem habuit cum pontificibus,& miniſtris: talemq; in hodiernum vſque diem prædicant, & oſtendunt Iudæis Gentes, nempe Chriſtum Regem eſſe,& hunc crucifixum,ne Iudæi petant.

Vis conſcientiæ in Pilato.

Expenditur hoc verbum, Pilati ad Iudæos: Ecce Rex veſter.

Illi autem clamabant,Tolle,tolle,crucifige eum. Ab omnib.crucifigi petitur,qui pro omniū ſalute crucifixus eſt:verū illi infidelitate ſuæ nihil aliud egerunt,quā quòd Saluator ablatus eſt ab eis,& in hoc ſeculo,& in futuro, & ſimul ab eis ſublatus eſt Rex,Princeps & Sacerdos,ſicut per Oſeam dictum eſt: *Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, & ſine Principe,& ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine theraphim*. Et meritò,quia dixerunt: *Tolle Saluatorem, crucifige propitiatorem*; vel, tolle de medio per ſententiam damnationis;&,Tolle per ſententiæ executionē,quā volumus omnino Crucis eſſe ſupplicium.

Quid eſt quod Iudæi omnes clamauerunt: Tolle,tolle, crucifige eum. Oſe.3.

Dicit eis Pilatus, Regem veſtrum crucifigam? Tentat poſtremò pudore,& verecūdia Iudęos ſuffundere:erat enim non parua contumelia, vt eum, quem vellent, nollent, Principes Sacerdotum,& Scribæ Meſſiam eorum eſſe, ex Scripturis, & ſignis ablati ſceptri,& de hebdomadibus Danielis,quę iam complebantur, agnouerant,aut agnoſcere poterant,ad eorum furorem, & rabiē inſtantem tam ignominioſa morte punire.

Quorſum id: Regem veſtrū crucifigam.

Dan.9 & 12.

Reſponderunt pontifices, Non habemus Regem niſi Cæſarem. Pontifices,qui nihil dignum ſummo Sacerdotio habebant, & animos crudelis tyranni, aut ferarum induerant, quo maiores,eo impudentiores, ac nequiores, in hanc impiam vocem proruperunt. Vbi perpen-

Qua fronte Iudæorum pontifices dixerunt,Non habemus Regem niſi Cæſarem.

perpende,eos,dum confitentur Regem ex eorum gente non habere, Ieſum Regem eſſe,ac Meſſiam teſtantur,compellentibus prophetijs de nō auferendo ſceptro de Iuda, & Danielis dicentis, quòd quando venerit Sanctus ſanctorum, ceſſabit vnctio veſtra. Et qui dixit: *Non erit eius populus, qui eum negaturus eſt*. Deinde expende,quod Iudæorum gens libertatis appetentiſſima, & qui contra Dei voluntatem Regem tempore Samuelis expetebant, & nunc contra idem Dei beneplacitum Regē ad eos miſſum pernegant:tanta eſt vlciſcendi libido, vt ſeſe vltro in æternam ſeruitutem addicant, quo Ieſum libertatis autorem extinguant. Nam ſic etiam peccator,qui Ieſum iterum crucifigit, Satanam in Regem eligit. Quādo enim proponitur nobis voluntas Dei,& lex atque exemplum Chriſti,reſpondemus:Non habemus alium Regem, quàm mundum:nunc non ſic viuitur,tempus ſanctorum præterijt. Vide rurſus inſignem impudentiam,& inſolentiam pontificum:nam coram omni populo profitentur ſe Regem non habere niſi Cæſarem; quem tamen,vt tyrannum,& iniuſtum regni inuaſorem, atque oppreſſorem habebant,& odio proſequebātur. Hinc Euthymius in hæc verba ait: *Quia Chriſti regnum repellentes,Cæſaris poteſtatem elegerunt, poſtmodum diuina viſitatione,ac protectione nudati, traditi ſunt ad internecionem; idque rurſum ipſo Paſchæ die quo clamauerunt, Non habemus Regem niſi Cæſarem*. Hæc ille. Quare Iudæi, qui Chriſtum non ſequuntur,non habent Regem niſi Cæſarem: & alios Reges,ſub quibus tributarij miſerè viuunt per vniuerſum orbem diſſipati, humanis tantum viribus coërcentur, & iniurijs, vt quales tunc Cæſares erant,tales experiantur ſemper. At diuino illo, peculiariq́ue Rege carent, Regemq́ue habent,quem ipſi elegerunt, non à quo ipſi electi ſunt.

Gen 49.
Daniel 9.
Ibid.
1 Reg 12.
Iudæorum inſania vlciſcendi via.
Peccator Satanam eligit in Regem quando.
Iudæorum pontificum impudentia.
Euthym in Ioan. 9.
Iudæorum iuſta punitio.

Hoc loco inſerenda eſt hiſtoria de lotione manuum Pilati,de qua ſolus Matthæus in hunc modum ſcripſit: *Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret;accepta aqua lauit manus corā populo,dicens, Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius: vos videritis. Et reſpondens vniuerſus populus, dixit, Sanguis eius ſuper nos,& ſuper filios noſtros*. Animaduertit Pilatus, conatus ſuos in Chriſto liberando per verba nihil proficere, ſed magis tumultus excitari: tentauit facto abluendi manus coram omni populo innocentiam Chriſti,& ſuam teſtari, ſi fortaſſis tanto facto permouerentur, & ab inſania reuocarentur, adiungens etiam illa verba Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius. Euthymius ſcribit: *Manus aqua purgauit oſtendens quod purus eſſet, & non particeps cædis. Nam id Iudaici moris erat,hoc modo proteſtari eos,qui nollent alicuius cædi communicare. Ait enim & Dauid: Lauabo inter innocentes manus meas*. Idem Euthymius, atque Theophylactus in prædictum Pſalmi verſiculum docent. Origenes his antiquior hunc morem confirmat, dicens: *Pilatus autem videns quod nihil proficeret, Iudaico vſus eſt more, volens eos de Chriſti innocentia non ſolum verbis, ſed etiam ipſo facto placare, ſi voluerint: ſi autem noluerint, condemnare, faciens non ſecundùm aliquam conſuetudinem Romanorum. Accepit enim aquam in conſpectu omnium, & lauans manus ſuas, dixit: Innocens ego ſum à ſanguine huius;vos videritis. Et ipſe quidem ſe lauit, illi autem non ſolum ſe mundare noluerunt à ſanguine Chriſti, ſed etiam ſuper ſe ſuſceperunt, dicentes,&c*. Hæc ille. Quaſi diceret Pilatus, Ego quidem innocentem volui liberare, ſed quoniam ſeditio oritur, & perduellionis mihi contra Cæſarem crimen affingitur, innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius. Iudex, qui cogitur ferre ſententiam, non damnat oblatum, ſed arguit offerentes, iuſtum eſſe pronuntians, qui crucifigendus eſt. Vos ipſi videritis: ego miniſter ſum legum,veſtra vox ſanguinem fundet. Hæc conſuetudo lauandi manus ad innocentiam, & puritatem proteſtandam,originem accepiſſe videtur ab inſtituto Dei. Nam in Deuteronomio ita ſtatuitur: *Quando inuentum fuerit in terra,quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi,hominis cadauer occiſi,& ignorabitur cædis reus,&c*. Et infra: *Et venient omnes maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabuntque manus ſuas ſuper vitulam, quæ in valle percuſſa eſt, & dicent, Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi viderunt. Propitius eſto populo tuo Iſrael,quem redemiſti Domine, & ne reputes ſanguinem innocentem in medio populi tui Iſrael: & auferatur ab eis reatus ſanguinis*. Hæc ibi. Ex quibus facilè colligitur, morem hunc lauandi manus ad innocentiam declarandam apud Iudæos ſumpſiſſe ex illis verbis originem. Et fortaſſis Pilatus inter Iudæos agens,à Iudęis hanc didicerat cæremoniā. Alij verò,inter quos Beza eſt hęreticus,volunt non eò reſpexiſſe Pilatum Gentilem, ſed ad alium ritum,cui⁹ Triclinius Sophoclis interpres meminit in Aiace,dicens: *Veteribus mos erat in hominum cæde, alijſve mactationibus aqua abluere manus expiationis cauſa*. Sic ille. Vnde Virgilius.

Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti,
Attrectare nefas,donec me flumine viuo
Abluero.

Matth. 27.
Cur Pilatus accepta aqua lauerit manus coram populo Iudæorum.
Euthym. c. 27 in Matthæū.
Iudæi cum ſe ſu necem cu[illegible] minime conſentire indicare volebant,manus abluebant.
Pſal 25.
Idem in Pſ. 25
Theophylact. ibidem.
Orig tract. 35. in Matth. mul. ò poſt med. tom. 2.
Hæc conſuetudo Iudæorum manus lauandi ad innocentiam indicandā,vnde orta videatur.
Deut. 21.
Beza homo hæreticus noſtri ſeculi.
Triclinius Sophoclis interpres.
Virg. 2. Æneid. finem verſus.

Vtra ſententia probabilior.

Noua Pilati damnandi formula.

Prior tamen ſententia veritati magis acceſſit: quia lauando manus dixit: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.* Noua vtitur Pilatus damnandi formula: prius abſoluit, quàm damnet: nec apertè damnat, ſed ceu damnatum illorum libidini permittit: & palam teſtatur iuſtum, & innoxium, qui nulla ratione mortem promeruit; quo melius pateret, in eo damnata eſſe peccata noſtra. Ambroſius in Lucam ſic habet: *Lauit quidem manus Pilatus, ſed facta non diluit. Iudex enim nec inuidiæ cedere debuit, nec timori, vt ſanguinem innocentis addiceret.* Auguſtinus verò ſer. in feria 3. poſt Dominicam Palmarum: *Aqua manus lauat, dicens, Innocens ſum à ſanguine huius iuſti. Illuminatur per aquæ myſterium iudicis ſenſus, et Chriſtum pronuntiat iuſtum, vt populum faceret reum.* Hæc Patres de iſta lotione manuum teſtantur. Sedulius lib. Carminum lotionem hanc refert ad Baptiſmi Sacramentum, dicens;

Ambroſ lib. 10 in Lucam, c 16. tom 5.

Iudex qualis eſſe debeat, ſecundùm Ambroſium.

Aug ſer 121. de tempor. in fine tom. 10.

Sedul lib. 4. Carminum epigra. 4.

Heu facinus, Pilate, tuum quod geſſeris vno
Crimina iudicio, vigili ſi mente notares,
Nec ſolùs lauiſſe manus, ſed corpore toto
Debueras ſacrum veniæ ſpectare lauacrum.

Cur Pilatus coram populo lauerit manus.

Lauit enim manus in ſignum publicum innocentiæ Ieſu, & exonerationis propriæ conſcientiæ, & reiectionis culpæ in Iudæos: hæc enim tria explicant verba Pilati. Et ſubiunxit: *Vos videritis.* Scilicet quid continget vobis ob hoc peccatum; quod admittitis. Ego non habeo vllam culpam in eo condemnando, ne tumultus, & ſeditio aliqua oriatur: vos ſoli ſanguinem huius funditis. Sed profectò vniuerſa Iordanis aqua Pilati conſcientiam à lethali culpa lauare haud poterat: tùm quia agebat contra conſcientiam, cùm ſciret ipſum innocentiſſimum eſſe, & per inuidiam ſibi traditum: tùm quia è facili poterat via iuris accuſationes eorum repellere, vel ſi ſolùm petijſſet, vt illas Iudæi idoneis teſtibus probarent: tùm denique, quia ipſe dixerat Chriſto: *Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* Quantò fortius, & prudentius tribunus Lyſias noluit tueri Paulum, qui tamen minori præditus erat poteſtate quàm Pilatus? ita vt redditus ſit inexcuſabilis. Perpende eius verba: Iuſtum appellat, quem damnaturus erat; & ſeipſum innocentem qui damnabat. Tales profectò ſunt prudentiæ noſtræ, vt dum alios damnamus, nos ipſos iuſtificemus. Vide etiam Pilatum innocentiam prætexere. Nihil profectò iniuſtius iniquitate ſub larua iuſtitiæ deliteſcente. Nam quomodò Pilatus innocens eſt, ſi innocentem non probatum nocentem, vt nocentiſſimum damnat? Sed hæc eſt mundi innocentia, in cæremonijs externis & verbis, non in animo ſita, vt non tantùm videas hypocriſin, ac fucatum zelum in Sacerdotibus, ac ſcribis, ſed etiam inſignē hypocriſim, & imbecillitatem in Pilato. Attendant iudices, ne lauent manus ad innocentes damnandos: quia hoc eſt proteſtari, & contrarium proteſtationis teſtari. Videant iudices ne ſe à iudicando eximant, vbi ſenſerint contra amicos, & ſanguine iunctos proferendam ſibi eſſe ſententiam: hoc enim graue peccatum eſt, cùm negotium apud alium iudicem, qui eius cognitionem non habet, in dies plurimos delatum offertur, atque agitatur: quo fit, vt vna pars litigantium valde lædatur. Principes quoque, ac Reges nō decet à negotijs manus lauare, ſi ex hoc iuſtitiam regni peruertì conſtiterit.

Quid illud: Vos videritis.

Pilati lotio manuum coram populo quam vana, & inutilis.

Ioan. 19.

Act. 24.

Qualis ferè ſit humana prudentia. Iniuſtitia æquitatis prætextum inducente, nihil iniquius.

Qualis mundi innocentia.

Iudices quid cauere debeant.

Et reſpondens vniuerſus populus, dixit: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Vox eſt belluarum ſitientium ſanguinem: qua innuunt, quod nullum erat peccatum Ieſum condemnare. Et ſanguinem vocant condemnationē eius ad mortem, qua ſanguis eius fuſus eſt; quaſi dicerent: Mortis eius cauſa ſit crimen noſtrum, ſit noſtra, & poſterorum noſtrorum mortis cauſa. Ita apud Ezechielem dicitur de filijs per ſe peccantibus, quoniam ipſi ſunt ſuorum peccatorum autores, ac proinde mortis ſuæ rei, ait: *Sanguis eius in ipſo erit*: id eſt, ipſe erit cauſa mortis ſuæ, & luet culpam morte ſua. Et rurſus ſanguinem ouis perditæ de manu ſpeculatorum requirit: nimirum, mortis ſuæ cauſam illi imputabo. Atque hanc vltionem, neſcientes quid agerent, aut dicerent, imprecati ſunt non ſolum in ſe, ſed in omnes poſteros. Vnde Hieronymus ait: *Perſeuerat vſque in præſentem diem hæc imprecatio ſuper Iudæos, & ſanguis Domini non auferetur ab eis.* Vnde per Eſaiam loquitur: *Si leuaueritis ad me manus, non exaudiam vos. Manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine.* Optimam hæreditatem Iudæi filijs reliquerunt, dicentes: *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Chryſoſtomus quoque inquit, *Ieſus quamuis ipſi maximè, & aduerſus filios inſanirent; non tamen ex ſententia ipſorum ipſos condemnauit, ſed tam ex ipſis, quàm ex filijs eos ſuſcepit; qui pœnitentiam egerunt, milleq; bonis honorauit. Nam & Paulus ex ipſis erat, & multa illorum millia, qui ſe in Hieruſalem crediderunt. Conſidera enim (Iacobus ait) frater, quàm multa millia Iudæorum credentium ſunt, qui omnes ex illis fuerunt. Si autem aliqui renixi ſunt, ſibi ipſis imputent.* Hæc ille. Nos autem in alio ſenſu dicere debemus: *Sanguis eius ſuper nos,* id eſt, abluendos & ſuper filios noſtros, id eſt,

Quem Chriſti ſanguinem Iudæi à Pilato poſtulauerint ſuper ſe fundi.

Ezech. 18.

Quid illud Propheta, Sanguis eius in ipſo erit.

Infra 33.

Hieronym. in cap. Matth. 27. tom. 9.

Eſai. 1.

Chryſ. hom. 27. in Matthæum, tom.

Actor. 21.

Sanguis Chriſti opera noſtr

efficit Deo grata, & accepta.

eſt, ſuper opera noſtra; quæ alioqui grata non ſunt, niſi ſanguine eius purificentur. Hic ſanguis Chriſti, credentibus eſt ad ſalutem, & gloriam, incredulis autem ad ruinam, quia Filium Dei conculcant, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducunt. *Hebr. 10.* Sic ergo euenit Iudæis, quemadmodùm imprecati ſunt: nam ſuper illos, & filios eorũ, atque nepotes, & vniuerſos eorum poſteros peruenit ira Dei vſq; in finem, vt docet Apoſtolus. *1. Theſſ. 2.* *Eius imprecationis Iudæorum. Sanguis eius ſuper nos, &c. varia ſigna recenſentur.* Hinc multę decades myriadum Iudæorum deſideratæ ſunt in priori expeditione ſub Tito, & Veſpaſiano, & multò plures ſub Hadriano. *S Vincent.* Multa huius imprecationis ſanguinis Chriſti ſuper ſe, ſymbola traduntur. Nam quidam aiunt, paruulos Iudæorum vt plurimum naſci manu plena ſanguine ſuper caput, ſicut Zaram natus eſt filo rubro alligato digito. *Geneſ. 38.* Alij verò ſcribunt, Iudæos, tam viros, quàm fœminas, in die Paraſceues pati fluxum ſanguinis, & in totum pallidos effici. Alij verò, quod in omni plenilunio patiantur fluxum ſanguinis, & ideò communiter non eſſe bene coloratos. *Iudęi, vt plurimum cur pallidiores videantur minusq; bene ſint colorati.* Sunt qui illud Prophetæ dictum: *Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit eis*, ad literam exponant de Iudæis. *Hugo Card. Pſalm. 77.* Sed quoniam hæc ſolidis hiſtoricorum teſtimonijs non firmantur, aſſeuerare non audemus, eorum fidem prudentium lectorum arbitrio relinquentes. Illud certum eſt, hanc nationem Iudæorum toti mundo inuiſam, atque exoſam exiſtere, acerbaſque pœnas dare illius antiqui flagitij. *Iudæorum natio quam toti mundo inuiſa, atq; execrabilis.* Et vt in Cain homicida poſuit Deus ſignum, vt eſſet vagus, & profugus ſuper terram: *Geneſ. 4.* ita in Iudæis tremorem quendam, & pallorẽ videtur conſtituiſſe, vt vbicunque verſentur, amariſſimam vitam degant, omniq; honore, & dignitate, atq; adeò ſua Ieroſolyma, terreniſque opibus deſtituti exiſtant. *Iudæorũ quas paſſi ſunt in obſidione, ac deinceps calamitates, & incommoda cenſentur.* Quare multæ illorum myriades bello, & fame in obſidione interierunt, multi viliſſimo pretio venditi in theatra exhibiti ſunt, vt à beſtijs deuorarentur: alij deniq; per orbem totum diſperſi ludibrio, & oſtentui ſunt omnibus, miſeram, ac vilem vitam ducentes: de quibus Satyricus quidam ſcripſit:

Iuuenal. Satyr. 6 non procul à fine.

Implet & illa manum, ſed parcius ære minuto.
Qualiacunque voles, Iudæi ſomnia vendunt.

Quare qui inter Chriſtianos verſantur, cũ mitius cæteris tractentur, nullam tamen dominandi, aut iuris dicẽdi libertatem habere poſſunt (qua tamen nõ carent Mahumetani) quia illa abuſi ſunt. *Iudæi inter Chriſtianos ab omni honoris gradu prohibentur.* Ad hæc Iudęus non poteſt eſſe aduocatus, vt habes in l. finali. C. de aduocatis diuerſorum iudicum: quia eſt dignitas quędam. Ruſus nec aſſeſſor eſſe poteſt, vt probat textus in principio in authentico, Iuſiurandum quod præſtat. Non poteſt medicus eſſe Papæ, vel Principis, aut Chriſtianorum, cùm ſit gradus quidam. Rurſus nec notarius Papæ, aut Principis, nec procurator, eo quòd ſint dignitates quædam: vt l. 1. C. de mandatis principum habetur. Præterea Iudæus non poteſt habere mãcipium Chriſtianũ. l. vnica. C. ne Chriſtianũ mancipium. Adhæc Iudæus ex teſtamento clericorum conſanguineorum non poteſt aliquid conſequi: vt c. in eos, de hæreticis. Nec poſſunt nouas Synagogas ædificare, aut antiquas reficere, vel ampliare: vt c. conſuluit, de Iudæis. Non poſſunt, nec debent Chriſtiani illorum familiaritatẽ habere, vt confundantur Iudæi, & ne lepra illorum inficiantur: vt habetur in 3. par. Decretorum. *28 q. 1. cap. nullus.* Amplius, Iudæi in Chriſtianorũ ſeruitute ſunt propter mortẽ Chriſti: quod Conſtantinus Imperator indicauit: quẽadmodùm Gloſſa, & Panorm. explicarunt in c. conſuluit, de Iudæis. *Conſtãt. Imp. Gloſſa. Panormitan.* Quod ſic accipio, vt intelligantur incidiſſe in ſeruitutem peccati, de qua Dominus: *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati*: *Ioann. 8.* à qua donec Chriſto inſerantur per fidem, & Sacramẽtum, non liberantur. *Iudæi quatenus Chriſtianorum ſeruitute teneantur, vt dixit Conſtantin. Imp.* Non ſunt aũt in ſeruitute ciuili, niſi quatenus gradum aliquẽ iuris dicendi, aut dominandi habere nõ poſſunt: cùm enim Iudæi habeantur infames, certè illis portæ dignitatum patere non poſſunt. Item in Iudęorũ inuidiam indictum eſt, vt cogantur in vita ſua dare legitimam partem filio facto Chriſtiano: vt docet c. ſi Romanorum. *Diſtin. 29.* Præterea Iudæi, in eorum confuſionem, debent talẽ habitum deferre, vt tam mares, quã fęminæ eorum à Chriſtianis diſcernantur: vt habes c. in nõnullis, de Iudæis. Hinc pileum pallidum maſculi, fęminæ verò velum croceum geſtant Romæ, & Venetijs, in ſignum ipſius imprecatiõis ſanguinis Chriſti ſuper ipſos. Item in die Paraſceues clauſis foribus, & feneſtris debent latitare: vt habes c. quia ſuper his, de Iudæis. Nõ poſſunt eſſe teſtes inter Chriſtianos, vel Doctores: tit. de teſtib. in c. Iudæis, ſiue Saracenis. Iudęi nõ poſſunt vlla eccleſiaſtica immunitate gaudere: nec eſt tutus Iudæus ad Eccleſiã confugiens. l. 1. C. de his qui ad Eccleſiã confugiũt, etiamſi dicerent ſe velle ad Chriſtianã fidẽ conuerti: quẽadmodum Abbas Panormit. docet c. inter alia, de immunitate Eccleſiarum. *Abb. Panormita.* Sũt denique Iudæi peiores Ethnicis, & Gentilibus, ac Sodomæ ciuibus, quemadmodũ Dominus dixit Apoſtolis: *Iudæi quibus etiã deteriores Chriſti teſtimonio.* *Quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, &cæt. Amen dico vobis tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi* *Matt. 10.*

ciuitati

ciuitati. Ita vult tractari Deus populum Iudæorum, qui nondum ad fidem conuerſus eſt, vt his ſtimulis accendatur ad conuerſionem: At ille qui iam ſe per Sacramentum, & fidem Chriſto incorporauit, mundus eſt ab omni peccato, & gaudere debet omnibus priuilegijs: & honoribus, quibus cæteri gaudent: & tanquam frater agnoſcendus eſt, ac recipiendus. Qui verò ſecus ſentiunt, aut faciunt, nondum CHRISTVM agnouerunt, nec virtutem Euangelicam, quæ facit, vt credentium ſit cor vnum, & anima vna. Et obijcere alicui iam Chriſtum profitenti, quòd aut Ethniciſmo, aut Iudaiſmo, aut Saraceniſmo renuntiauerit, vt Chriſti fidem amplecteretur, aliud non eſt, quàm credere ſanguinem Chriſti, & aquã ſacri fontis, qua regeneramur, maculam illam nequaquam abluiſſe, neq; fidẽ Chriſti vires ſuas exerere, niſi in quodam certo hominum genere: vt miſſum faciam, quod ea ſtudioſa carnis obſeruatio facit, vt pacis Chriſtianæ ſit venenum, odiorumq́ue atq; contentionum ſeminarium.

Iudæus ad Chriſtum conuerſus qualis efficitur.

Actor. 4. Legis virtus Euangelicæ.

Impia quorundam obiectio.

Sed redeamus ad textum. Ait ergo Ioannes: *Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur.* Circa quæ verba primo loco inueſtigabimus, an aliquam ſententiam protulerit Pilatus, & quænam illa fuerit: Secundò an peccauerit Pilatus illam ferendo: Tertiò verba Euangeliſtarum circa hanc ſentẽtiam expendemus. Ad primum igitur, dubium non eſt, Pilatum ſententiam pronuntiaſſe: nam Lucas refert: *Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum*, ac pro ea extorquenda tantopere Iudæi laborarunt, cùm ille etiam ſederet pro tribunali, loco in quo ſententiæ ferri ſolent. Qualis autem extiterit ſententia, non ſatis eſt exploratum, poſtquam Euangelium eius non meminit, neque videtur admodùm ad ſalutem neceſſarium: dicã tamen quid aliqui ſentiant. B. Anſelmus libro de paſſione ſcribit hanc fuiſſe ſententiam: *Ieſum Nazarenum, abiudico vita, & adiudico morti ignominioſæ Crucis.* Euangelium verò apocryphum Nicodemi, ſi aliqua dignum fide cenſetur, tradit fuiſſe ſententiam: *Genus tuum comprobauit te Regem; propter quod ego Pilatus præcipio flagellari te ſecundùm ſtatuta piorum principum, & in eo loco, vbi tentus es, & duos malignos tecum, quorum nomina ſunt Deſmas, & Geſſas.* Paulus verò Sempronienſis libro de recta Paſchæ celebratione tradit, veterem Romanorum morem fuiſſe, vt iudices, & præſides per prouincias conſtituti omnes ſententias, & omnia acta publica Latino ſermone dictarẽt, quò Romanæ linguæ honos per omnes gentes venerabilior redderetur. Neq; Romani Græcis, aut Iudæis, aut Barbaris vnquam reſponſa niſi Latine dabant, cogebantuŕq; Græci, & Barbari loqui per Latinum interpretem non ſolum Romæ, ſed etiam in Græcia, in Syria, in Iudæa, in Ægypto, Africa, & Aſia. Deinde Pilati ſententiam ab eo Latinis verbis ſcriptam huiuſmodi fuiſſe docet. *Nos Pilatus, & deorum immortalium voluntate, & Romanorum Principum, ac Senatus autoritate, Præſes Iudæorum prouinciæ conſtituti: cupientes prouinciam fidei noſtræ creditam vacare malis hominibus, quemadmodùm, & grauis Præſidis intereſt: omni vi, omnique induſtria Romano Imperio propagando, & paci perpetuæ ſeruandæ conſulere geſtimus. Verùm quia in præſentiarum Ieſum Nazarenum hominem ſeditioſum atque ſeductorem inuenimus; qui vſque adeò in ſua temeritate confiſus eſt, vt non ſit veritus contra fas, legeſque imperiales regnum ſibi aſciſcere Iudæorum, eundem tanquam hominem factioſum, & bonorum vitæ, ac pacis moribus inſidiantem vltimis ſupplicijs deputamus, ne vel ipſe audeat tale aliquid poſthac, & cæteri ſint ad inuadenda imperia tardiores. Sed quia turpiſſimè degentes, turpiſſimo ſunt afficiendi ſupplicio, nefarium hominem quaſi latronem, & factioſorum principem patibulo Crucis addicimus. Romanorum verò, atque diui Cæſaris Imperium precamur maneat ſemper, & deorum immortalium pietate, et bonorum principum æquitate ſeruatum.* Hæc Pilatus. Sed vt verum fatear, nihil horum implet aures meas, nec videntur hæc mihi ſapere antiquitatem: nec moris tunc erat vt Principes dicerent in plurali: *Nos præſes*: quamobrem prudentiæ, & iudicio lectoris hæc cogitanda relinquimus.

An aliquam ſententiam protulerit Pilatus de Chriſto crucifigendo, & quęnam illa fuerit.

Luc. 23.

Quibus verbis Pilatus Chriſtum condemnauerit ſecundum aliquos.

Anſelm.

Euang. Nicodemi.

Paulus Sempronienſ. libr. 19. ca. vlt.

Romani quæ lingua exteris nationibus date reſponſa conſueuerant.

Ad ſecundum, certius reſponſum præſtare poſſumus, nam euidenter Pilatus grauiſſimum in proferenda in Ieſum ſententia delictum admiſit. In primis, quia nullus iuſtus iudex in quenquam ſententiam pronũciare debet, niſi ille per facti euidentiam ſit conuictus, aut ſponte confeſſus, aut per teſtes fide dignos, omniq́ue acceptione maiores accuſatus: at Ieſus nec fuit de aliquo opere malo cõuictus, aut ſcelus quodquam confeſſus, nec fuit per teſtes fide dignos, ſed per infames, & hoſtes eius capitales in iudicium tractus. Deinde iudex, ſi prudens ſit, & iuſtus, vt debet, teſtes propter antiquas inimicitias contra reum iure tenetur repellere, vt docet Canon. 3. quæſt. 3. teſtes. Conſtabat autem Pilato, quòd Iudæi erant hoſtes Chriſti capitales, & quod per inuidiã tradidiſſent eum. Tertiò, præcipuum accuſationis caput erat de vſurpatione regni Iudæę in Cæſaris præiudicium: ſed hoc iudici conſtabat eſſe falſum. Quia vt Dominus dixit: *Regnum meum non eſt de*

An peccauerit Pilatus in Chriſtum ferẽdo ſentẽtiam.

II. Ratio.

Matth. 27.

III. Ratio.

Ioan. 18.

hoc mundo: & *Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderet Iudæis.* At Pilato conſtabat illum non habere aſſeclas, non cõſcribere exercitum, non conflare pecunias, atque ita certus erat illum non eſſe Regem mundanum, qui quouis modo Cæſarem poſſet offendere.

IV. Ratio.

Quartò, debet iudex æquitatem ante oculos habere, & pro illa ſtrenuè, ac fortiter decertare, vt habetur in C. de iudicijs. l. placuit: hac autem virtute conſtantiæ, & fortitudinis Pilatus fuit deſtitutus, qui timore amittendæ Cæſaris amicitiæ, & captandæ gratiæ populi Iudæorum Ieſum innocentem morti adiudicauit. Hinc Philo libro de legatione ad Caium aſſerit Pilatum clypeos aureos in templo dedicaſſe: quod Iudæi non ferentes interminati ſunt de ea re ad Tiberiũ ſcripturos, Pilatus verò veritus ne, ſi mitteretur legatio ad Tiberium, cætera quoque detegeret eius crimina, venditatas ſententias, rapinas, iniurias, clades, tormenta, crebras cædes indemnatorũ crudelitatem ſęuiſſimam exaſperatus eſt, vt intelligas quanta infamia iniuſtitiæ laborarit Pilatus apud Iudæos. Quòd ſi obijcias, bonum iudicem debere ſententiam ferre ſecundùm allegata, & probata, vt habetur in cap. ſi ſacerdos, de officio iudicis ordinarij, reſpondemus ſecundùm ſententiam ſancti Doctoris, quòd iudex, ſi ſcit aliquem innocentem eſſe, qui falſis teſtibus conuincitur, debet diligentiùs examinare teſtes, vt inueniat occaſionem liberandi innoxium ſicut Daniel fecit. Si autem hoc nõ poteſt, debet eũ ſuperiori relinquere iudicandum. Si autem hoc non poteſt, non peccat, ſecundùm allegata ſententiam ferens: quia ipſe non occidit innocentem, ſed illi, qui eum aſſerunt nocentem. Pilatus verò non ſic egit: nam teſtes diligenter non examinauit, vt Daniel fecit: nec remiſit cauſam ad ſuperiorem, id eſt, ad Romanorum Imperatorem. Deinde etſi Pilatus iudicauit ſecundũ allegata: non tamen ſecundùm probata. Iudæi ſiquidem nec idoneè, nec iuridicè probauerant, quæ allegabant, & obijciebant in Chriſtum. Ad tertium ait Ioannes: *Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur.* Marcus habet: *Pilatus autem volens populo ſatisfacere.* Non inquit, Deo, non iuſtitiæ, & conſcientiæ propriæ, ſed inſtabili, & ignoranti populo. Hinc Leo Pontifex ſerm. de paſſione: *Poſt hanc*, ait, *damnationem Chriſti, qua excuſata eſt Pilati Præſidis ignauia magis, quàm poteſtas, qui lotis manibus, & ore polluto iiſdem labijs Ieſum miſit ad crucem, quibus eum pronuntiauerat innocentem.* Hæc ille. Lucas

Philonis de Pilato iudiciũ.

Philo part. 2. prope finem.

Quo ſenſu dicatur, Iudicem debere ſententiam ferre ſecundum allegata, & probata.

D. Tho 2 2. q. 64. art. 6. in ſolut. ad tertium.

Dan. 13.

Marc. 15.

Impia, & ſcelerata Pilati ſatisfactio.

Leo ſer. 9 de paſſione in fi.

Luc. 23.

autem addit: *Pilatus verò adiudicauit fieri petitiones eorum.* Non, inquit, iuſtitiæ debitum, aut cauſæ meritum, non legum decretum, ſed petitionem capitalium ſuorum inimicorum inuidia, & odio furentium: nec tantùm adiudicauit, ſed etiam præiudicauit omni æquitati, legi, gloriæ ſuæ, ac nomini Romano. Subdit Lucas: *Dimiſit autem illis eum, qui propter homicidium & ſeditionẽ miſſus fuerat in carcerem.* Matthæus, & Marcus aiunt: *Tunc dimiſit illis Barrabam; Ieſum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.* Hic eſt fructus mortis Chriſti, vt ſicut innocens traditus eſt loco Barrabæ nocentis, ita nos peccatores, ſeditioſi latrones, homicidæ, & malè audientes, liberemur per hanc in Chriſtum illatam ſententiam. Et ſubiungit Lucas: *Ieſum verò tradidit voluntati eorum.* Hoc eſt, morti crucis, quam optabant, & volebant Iudæi, vt exponit Euthymius, & explicat Matthæus, dicens: *Ieſum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur.* Quibus modis ſatis indicauit Euangeliſta, non legitimè à iudice condemnatum Ieſum, ſed furori, & gratiæ populari ſeruire voluiſſe. Iudicis enim non eſt adiudicare, & tradere reum voluntati poſtulantium, ſed pro cauſæ merito ſententiam ſupplicij iuxta leges irrogare. Diſcant igitur homines nõ ambire iudicandi poteſtatem, quòd magno, & conſtanti animo cumulatum eſſe oportet eum, qui iudicis poteſtate fungitur, ne timore Principum, aut amore cuiuſquam à recta æquitatis linea deflectat, in exitium animę ſuæ ſempiternũ. Vide quàm pulchrè Spiritus ſanctus loquatur: *Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortem extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua*; hoc eſt, ne alios ſcandalizes per leuitatem & inconſtantiam. Græcè tamen dicitur, ne ponas ſcandalum in æquitate tua: ita enim legitur ἐν εὐθύτητί σου, hoc eſt, Aliquid committas, per quod æquitas impediatur, vt non habeat ſuum progreſſum. Quæ verba videtur Spiritus ſanctus ad vniuerſos iudices, ſed peculiariter ad Pilatum dixiſſe, qui tanto tempore conſtanter pro tuenda CHRISTI cauſa decertauit: ſed tandem ſuccubuit. Diſcat igitur quiſque, nihil præſidij ponere in mundo, memineritque illius ſententiæ: Nolite confidere in Principibus, neque in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus. Ecce Pilatus, quem defenderat, tandem neci crucis addixit: Ecce Herodes, qui libenter audiebat Ioannem, & eo audito multa faciebat, eum tamen poſteà decapitauit. Nulla ergo ſalutis ſpes in mundo collocanda, ſed

Pilati Præſidis iniuſtitia.

Matt. 27. Marc. 15.

Fructus paſſionis Chriſti.

Euthy. c. 79. in Luc.

Boni æquique iudicis à Pilato neglectum officium in quo.

Qualem oportet eſſe eum, qui iudicis munere fungi debet, teſte Sapiente.

Eccl. 7.

Pſal. 145.

Marc. 6.

Quo in vno ſpes omnes defigẽdæ ſint, atq; collocandæ.

in vno Deo, qui neminem ad ſe confugientem deſerit: quem ſeriò, & inſtanter deprecari debemus, vt propter hanc iniuſtã ſententiam, quã proferri in vnigenitum ſuum permiſit, dignetur nos à iuſta, quam promerentur peccata noſtra, ſententia liberare, gratia, & meritis Ieſu Chriſti Domini noſtri, cum Patre, & Spiritu ſancto æternæ laudes decantentur, in ſecula ſeculorum, Amen.

TRACTAT. XXXIII.

De Chriſto crucem baiulante, Simoneque Cyrenenſi angariato ad ferendam crucem poſt eum: deque reſponſo mulieribus flentibus, ac lamentantibus exhibito, in illa verba: *Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt, & baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, &c.* Ioann. 19. & Luc. 23.

De Chriſto crucem baiulante, de amicis Chriſti, deque eius inimicis contemplatio.

PRONVNTIATA per publicum præconem à Pilato ſententia in Ieſum, vt moris eſt, Ingens inuaſit triſtitia, & dolor amicos Chriſti, & credentes diſcipulos occultos, qui aderant; æmulos autem Chriſti Iudæos magno, ac mirifico exhilarauit gaudio: vnde inuicem exultabant; manibuſque applaudebant, dicentes: Vicimus, euge euge animæ noſtræ, deuorauimus eum. Inter alios autem confeſtim Caiphas, qui ſupremo ſacro magiſtratu fungebatur, præconem per omnes vicos Hieroſolymæ deſtinauit, qui ſonitu tubæ præcedente admonerent de ſententia lata contra Ieſum ſeductorem: vt omnes certatim confluerent ad ſpectaculum Crucis in mõtem Caluariæ: maximè cùm eo tempore Hieroſolymæ eſſet multitudo innumerabilis ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, quæ ad diem ſolennem Paſchæ confluxerat.

Pſalm. 34.

Huius contextus ordinatio.

Ait igitur Ioannes: *Suſceperunt autem Ieſum, & eduxerunt.* Videlicet miniſtri ad executionem ſententiæ. Et textus ex diuerſis Euangeliſtis eſt concinnãdus, in hunc modum: *Et ſuſceperunt Ieſum, & exuerunt eum purpura, & induerunt veſtimentis ſuis: & eduxerunt eum. Et baiulans ſibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum.* Primùm igitur ſuſceperunt eum, vt reliqua, quæ ſequuntur poſtularent, id eſt, exuerent, & induerent, & educerent. Poteſtque CHRISTVS dicere; *Et eduxerunt me, ſicut leo paratus ad eſcam, & ſicut catulus leonis, habitans in abditis.*

Quomodo ſuſceperint Ieſum miniſtri.

Pſalm. 16.

Et exuerunt eum purpura. Illa enim, ſiue chlamyde de coccina indutus perſtitit vſque ad ſententiam: & iſtam veſtem, qua indutus fuit, reliquit nobis in hæreditatem. Si enim Dominus pro nobis illuſionẽ ſuſcepit, & gloriæ ſibi illam ducit; quidni nos gaudeamus, atque gloriemur in illuſionibus pro Chriſto Domino toleratis? Gloriari ſolebat Athanaſius in Pauli Eremitæ veſte palmis contexta, qua ille diebus ſolennioribus indui ſolebat, teſte Hieronymo in vita eius: nobis igitur multò magis gloriandum eſt in veſte hac illuſoria, quam nobis Chriſtus reliquit. De corona ſpinea nihil dicitur in Euangelio, an ſit ablata: Idcircò Origenes concludit, quòd ſi abſtuliſſent, aliquis ex Euangeliſtis dixiſſet: quare veriſimile eſt, illam geſtaſſe, vt victima in altare crucis eſſet coronata. Et id habet Chriſtus patiens Gregorij Nazianzeni, & oratio Gregorio Magno adſcripta, vbi dicitur: *O Domine Ieſu Chriſte, adoro te in cruce pendentem & coronam ſpineam in capite geſtantem.* Ad quod ferè alludens Tertullian. lib. contra Iudæos, c. de claritate Gentium in Chriſto, ait: *Inhærens cornibus crucis corona ſpinea in capite eius circundata.* Paulinus quoque epiſtola quadam ita ait;

De Ieſu quid nobis veſte purpurea ſentiendum.

Hier. to. 3.

An Chriſtus crucem baiulans, ſpineam coronam geſtaret.

Orig. tract. 35 in Matt. to. 2.

Greg. Naz.

Greg. Magn.

Tertull.

Paulin. ep. 12.

Cerne coronatam Domini ſuper atria Chriſti
Stare crucem.

Sed reuera hæc corona ipſius crucis erat, non Chriſti, & corona florigera erat, non ſpinea. Vnde ſubdit.

Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ,
Et Domini fuſo tincta cruore rubet.

Et induerunt eum veſtimentis ſuis. Quò poſſet ab omnibus agnoſci: quia in alijs veſtibus fuiſſet ignotus, præſertim quia non erat ei aſpectus, neque decor, totaque facies erat cruenta, ac deformata, & vt ait Propheta, quaſi leproſi. Non potuit autem exui, aut indui ſine renouatione plagarum, ob ſanguinem veſti adhærentem, & congelatum. Ex eo autem quod reliquit purpuram, & indutus eſt ſuis veſtimentis: docemur, in exitu vitæ nihil nos poſſe educere nobiſcum, niſi quæ verè ſunt noſtra, id eſt, bona opera, ſicut ille Sapiens in communi totius ciuitatis incendio dixit: *Omnia mea bona mecum porto.* Quantum ad myſterium, Herodes impoſuit illi veſtem albam, Pilatus purpuream: quia tam Iudæi, quàm Gentiles peccata ſua eius humeris impoſuerunt. Iudæi quidem albam veſtem, quia legis munditiam habebant; ſed eorum opera inſtar panni menſtruatæ erant in conſpectu Domini: vnde & lauari indigebant:

Cur miniſtri Præſidis induerunt Chriſtũ veſtimentis ſuis.

Matth. 27.

Marc. 15.

Eſai. 53.

Ibid.

Chriſtus exuens purpurã, induenſq; veſtimenta ſua, quid doceat nos.

Dictum Biantis.

Luc 23.

Quid ſignificetur in eo, quod Herodes alba, Pilatus verò purpurea veſte Chriſtum induerunt.

Gentes verò,ſiue Romani,qui iura imperij habebant, ſanguiniſque facinora admittebant, coccineam ſuã chlamydem præbuerunt. Ieſus autem ſua veſtimẽta pro Iudæorum,& Gentilium tulit indumentis: quia in eo cuncta vnum fiunt. Eaque vſque ad crucem portauit,ipſe verò nudus vt Adam ante peccatum remanſit, denotans innocentiam nudam ſibi conuenire. In crucem aſcendit, vt nos ad innocentiæ puritatẽ reduceret. *Et eduxerunt eum*, ſcilicet extra ciuitatem, tanquam blaſphemum, quia olim blaſphemiæ pœnas daturus, educebatur extra caſtra, vt de illo dicitur, qui collegerat ligna in Sabbato. Verbum illud Græcè eſt ἀπήγαγον, hoc eſt, abduxerunt, à verbo ἀπάγειν, ad pœnam adducere.

Genef. 3.

Cur Ieſum eduxerunt ex Hieruſalem.

Leuit. 24.

Num. 15.

Et baiulans ſibi crucem. Græcè habetur, baiulans crucem ſuam, id eſt, dilectam, atque charam, in qua eius regnum ſitum erat, de qua Propheta dixit; *Regnauit à ligno Deus*, & per quam nos facit regnare. Coegeruntque ad crucem portandam, vt etiam ij, qui ad ſupplicij locum accedere non poſſent, ſcirent tamen, eum eſſe crucis ſupplicio afficiendum. Teſte etiam Chryſoſtomo, lignum crucis vt profanum attingere recuſabant: quia maledictus omnis qui pendet in ligno; cùm neſcirent, ſe in ea re Scripturas maximè implere. Chriſtus enim baiulans crucem, eſt velut alter Abel, ductus in campum à fratre ſuo Cain, vbi lignô eſt interfectus. Eſt velut Noë fabricans arcam, à diluuio peccati mundum ſeruantem: Eſt velut Iſaac portans lignum ad holocauſtum, quo immolari debuit. Eſt vt Iacob videns ſcalam cœlo innixam: ſed illam dormiens vidit Iacob, Chriſtus vigilans. Eſt vt Eſau, portans arcum in manu, vt patri obediat, licèt ille arcus pondere careret. Eſt alter Moſes extendens virgam, vt faciat viam ſecuram populo Hebræo; etſi verò virga niteretur Moyſi, crux tamen ſuſtentabatur humeris Chriſti. Hic eſt ille hircus emiſſarius vniuerſis omnium populorum culpis onuſtus, qui extra ciuitatem ducebatur immolandus. Hæc crux lignum eſt illud, quod proiectum in aquas Marà, indulcauit eas. Vnde nos canimus: Dulce lignum, dulces clauos, Dulce pondus ſuſtinens. Hęc eſt illa virga Aaron, quę cum priùs ſicca eſſet, poſtquã accepta eſt in manu Aaronis, frondüit, floruit, fructiferauitque: ita crux, quæ priùs erat ſterilis, poſtquam hæſit corpori Chriſti ſacerrimo,

Pſal. 95.

Chryſoſt.

Leuit. 18.

Deut. 21

Crux Chriſti vbi repreſentata.

Geneſ. 4.

Infr. 6.

Infra 22.

Infra 28.

Infra 27.

Exod. 14.

Leuit. 16.

Exod. 15.

Infra 7.

Nulla ſilua talem profert
Fronde flore germine.

Hæc eſt illa virga Angelica, quæ cum tetigiſſet ſacrificium Gedeonis, igne cęleſti abſumptum in ſuperna euolauit: ita opera noſtra cùm à virtute crucis non tanguntur, frigida manent; vbi verò igne gratiæ cœleſtis inflãmantur, in cœlum efferentur. Origenes duo hîc rectè ponderat, alterũ, quòd coactus eſt Ieſus ſuum portare ſupplicium; quod de nullo interficiẽdo legitur; ſed nec de latronibus ſimul crucifixis cum eo. Ita etiam hodie furibus ſuſpendio damnatis, funis quo ſunt ſuſpendendi, circa collum inijcitur, tanquam torques. Alterum, quod ſecundùm Ioannem, qui Chriſti fortitudinem, ac diuinitatẽ deſcripſit, Chriſtus baiulat ſibi crucem at ſecũdùm alios tres, qui quæ humanitatis ſunt, perſequũtur, Simon Cyrenenſis illam portat. Eſt autem mors cruciaria grauiſſimùm morienti tormentum: vnde ἐμφατικῶς à cruciatu nomẽ accepit. Quare Plautus in amphitrione:

Iudic. 6.

Qualia opera noſtra virtute crucis Chriſti quando tanguntur.

Orig. ibidem.

Origenis documenta duo.

Crux vnde ſit dicta.

Plautus in Amphi. 14.

Ita ego te certò cruce, & cruciatu mactabo.

Alij verò dicunt, crucem dictam à verbo κρούειν, quod eſt ferire, vel pulſare, & cõcutere. Hinc illa dira imprecatio Romanorum; *Abi in malam crucem*; & Cicero act. 7. in Verrem: *Facinus eſt, vinciri ciuem Romanum: ſcelus verberari: propè parricidium, necari: quid dicam in crucem tollere? Verbo ſatis digno tam nefaria res appellari nullo modo poteſt*. Hæc ille. Hæc autem omnia flagitia Iudæi in Chriſto perpetrarunt. Et expendit Quintilianus verbum Ciceronis, *Propè parricidium eſſe in crucem tollere*: quia horrendior vox parricidio non eſt. Et Calliſtratus. ff. de pœnis: *Summum*, inquit, *ſupplicium videtur ad furcam damnatio*; vt rectè Paulus ad Philippenſes ponderat, quòd Chriſtus factus eſt obediens vſque ad mortem; mortem autem crucis: quæ viliſſima eſt, & contemptiſſima ſeruorum, vel latronum mors eſſet. Idem eſt enim furca, quod crux: Græci vocant crucem σταυρόν, id eſt palus ligneus in altum erectus, ἀπὸ τῦ ἰς τὴν ἀύραν ἵςασθαι, id eſt, ab eo quod in aërem, ſiue in auram ſurſum verſus erigeretur. Ad quod alludens Chriſtus, crucis mortem vocabat exaltationem: vnde dicebat: *Si exaltatus fuero à terrâ*. Dicitur ſecundò furca, Græcè, ξύλον δίδυμον, quia ex duobus lignis conſtabat crux: vnde in Ioſue dicitur, *Regem quoque eius ſuſpendit in patibulo*. Vbi Septuaginta Interpretes habent: *Et ſuſpendit Regem Hai in ligno gemino*, ἐκρέμασεν ἐπὶ ξύλου διδύμου. Quod Origenes expendens, trahit allegoriam crucis Chriſti, dicens illam fuiſſe geminam, nempe interiorem, & exteriorem. Plutarchus in vita Coriolani deſcribit crucem ſeruilem eſſe mortis genus, & ait; *Maxima verò hæc peccanti ſeruo inferebatur pœna, vt plauſtri lignum, cui nemo affigitur; ſpectante vicinia ferens,*

Cicero.

Quint. lib 8 c. 4 ſub initium.

Philip. 2.

Forma crucis quæ ſit.

Ioan 3. 8. & 12.

Ioſue 8.

Orig. ibidem.

Chriſtus gemina laborauit cruce, ſecundùm Origenem.

Plutarch.

circumageretur : quod vbi factum erat, inſidus à domeſticis, & vicinis exiſtimatus , furcifer appellabatur ; quod enim Græci ὑποτάτην ϗ γόργυνα. *hoc Romani furcam nominant.* Hæc ille, ſimul declarans, crucem eſſe pœnam ſeruorum; & ſimul formam crucis deſcribens , quæ ſimilis erat Thau Græco. Hinc Iuuenalis ait:

Crux ſeruorum pœna.

Iuuenal. Satyr. 6. multò ante med.

Pone crucem ſeruo; meruit quo crimine ſeruus
Supplicium:

Indi verò, atque Chaldæi, qui Chriſto hodie militant, crucem vocant משכל, quod interpretari poteſt eruditio , ſiue intellectus, & ſapientia, de qua Paulus dixit : *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum*: qui etſi Iudæis ſit ſcandalum, Gentibus autẽ ſtultitia ; nobis tamen virtus Dei eſt, & Dei ſapientia. Fertur autem lignum hoc fuiſſe quindecim pedum longitudine, & adeò craſſum, vt ſuſtentare in alto poſſet corpus procerum. Cùm igitur & maledicto infame eſſet, & pondere moleſtũ, ſaucius tamen ipſius humeris impoſitum fuit: quod mirum in modum ipſum iam plus ſatis debilitatum premebat. Sed quod modò durũ eſt, & portatu difficile, miteſcet poſteà, & ſuſtentabit ſuſtentantem. Erat & alia Chriſti crux ſpiritualis per illam ſignificata , quæ mentem pij Ieſu non minus amaritudine, quam dolore cõficiebat, atque cruciabat : hæc erant peccata noſtra, quæ in corpore ſuo ſuper lignum crucis portauit: talentũ illud plumbi onus graue, colligationes impietatis, faſciculi ſpinarum monte quouis plumbeo põderoſiores. Onus hoc peccati, cœli ſoliditatem, intermedijque mundi ſpatium, cęliq; ſtabilimentum perrupit, è cœlo ſtellas detraxerat, tam grauis eſt peccati ſarcina, vt quoties alicui dicatur in Scripturis : *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, ſignificetur peccati remiſſio facta , per hoc quòd à noſtris impotentibus humeris in validos Chriſti gigantis humeros imponatur, qui ait: *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores; prolongauerunt iniquitatem ſuam.* Hæc enim eſt illa Chriſti lex, de qua dixit Apoſtolus : *Alter alterius onera portate ; & ſic adimplebitis legem Chriſti*: nam lex mundi, quæ illi Chriſti eſt oppoſita, nihil aliud docet homines, quàm ſe ipſos exonerare , & in aliorum humeros onera ſua inijcere : vt fecit Adam in Euam, cùm dixit ; *Mulier quam dediſti mihi ſociam*; & mulier in ſerpentem; *Serpens*, inquit, *decepit me.* At lex Chriſti eſt, non tantùm ſua onera portare, ſed etiam aliorum imbecillitates ſuſtinere. Quicunque ergo vis leuiorem facere Chriſto crucis geſtationem, ingemiſce pro peccatis tuis, & funde lacrymas pro illis ; vt hoc modo fiat crucis portatio tibi, & Chriſto conſolatoria. Vt enim mater abortiens , tam dolet de infante mortuo edito, quàm de viuo , imò plus quam de viuo, qui ſentit ſinum matris, & guſtat lactis dulcedinem : ita peccator, qui de delictis ſuis pœnitentiam non agit , pro quibus tamen Domino quantũ ad ſe pertinet, ſatis fecit, maiorem Chriſto intulit dolorem. Nam qui ad Chriſtum redeunt, eius crucem ac dolores tanquam fructuoſos ſolantur. Prætulit autem Chriſtus nobis crucem dupliciter, & merito, & exemplo. Merito quidem, quia verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & factus eſt pro nobis maledictũ, vt à maledicto legis nos liberaret. Exemplo verò, quia Chriſtus paſſus eſt plus pro nobis, vobis relinquens exemplum , vt ſequamini veſtigia eius.

1. Cor. 2.

Suprà 1.

Ligni crucis longitudo, ex traditione, eius grauitas & pondus.

Interior Chriſti crux, quænam eſſet.

Zachar 5.
Pſalm 37.
Eſai. 58.

Peccati ſarcina quam grauis.

2. Reg. 12.

Pſal 128.

Prophetæ dictum illud: Dominus tranſtulit peccatum tuum, quid ſignificet.

Gal 6.

Quid doceat lex mundi.

Geneſ 3.

Chriſti lex quid doceat.

Rom 15.

Qualis Chriſti de peccatore non pœnitenti dolor atque triſtitia.

Crucem prætulit nobis dupliciter.

Eſai. 53.
Gal 3.
1. Pet. 2.

Sequitur iam hiſtoria de Simone Cyrenenſi. Ait enim Matthæus , *Exeuntes autem, inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius.* Marcus addit, *Venientem de villa patrem Alexandri & Rufi.* Lucas verò : *Et cùm ducerent eum , apprehenderunt Simonem quendam Cyrenenſem venientem de villa , & impoſuerunt illi crucem portare poſt Ieſum.* Pergebat Dominus Ieſus baiulans crucem ſuam incuruus corpore , lento gradu, vultu demiſſo, trementibus genibus, liuentibus oculis, facie deformi , ac dehoneſtata, comitatus duobus latronibus, illudentibus Iudęis, impellentibus carnificibus; plangẽtibus , ac querulas voces emittentibus deuotis, ac fidelibus fœminis. Et quia fortaſſis ob debilitatem virium, non ſemel cum ea conciderat, Simonem illum occurrentem , ac de agro venientem vi adegerunt, vt crucem Chriſti portaret: non quidem vlla Chriſti cõmiſeratione permoti, ſed in primis Iudęorum conſilio : timebant enim, ne debilitate virium confractus per viam moreretur, & ita euaderet crucis mortem , quam tantopere ſitiebat. Deinde viderant Pilatum quaſi inuitum ſententiam protuliſſe , verebãturq; ne aliquo nouo ſcrupulo ductus ſentẽtiam reuocaret, vt teſtatur Chryſoſtomus: ideò negotium vrgebant, quò optatis votis perfrui poſſent. Tertiò, cùm eſſet hora quaſi ſexta, ſiue meridies, milites vrgebant opus perficere, vt poſſent prandere : quia cùm toto die fuiſſent impediti , fortaſſis erant ieiuni. Non etiam , vt impius Baſilides Chriſto præſtigias tribuens , teſte Tertulliano, & ſicut Marcion, quaſi qui deluſis aſtantium oculis fecerit , vt illi Simonem, Ieſum eſſe putarent, & ad ferendam crucẽ

De Simone Cyrenenſi crucem Ieſu baiulante.

Matth. 27.
Mar 15.
Luc. 23.

Cur impij Iudæi Simonem Cyrenenſem impulerint crucem portare poſt Ieſum.

Secunda ratio

Chryſoſ hom. 87. in Matth. tom 2.

Tertia.

Quarta.

Tertul lib. de præſcrip. hære.

adege-

Baſilidis, Marcionilque non Chriſtum, at Simonem Cyrenæum à Iudæis crucifixũ mẽtientium, impia dogmata confutantur.

adegerint, & ſpectante Chriſto crucifigerent: quòd impij illi iactarunt, ne Chriſtum crucifixum profiterentur, & adorarent. Perpende à Matthæo dici: *Exeuntes autem, inuenerunt hominem Cyreneum, nomine Simonem*: quia Chriſtus de prætorio crucem baiulauit per ciuitatem: ſed vbi egreſſi ſunt portam Hieroſolymę, occurrerunt Simoni venienti de agro, vel villa ad prandium. Quod verbum etiam indicat, illum diem non fuiſſe Paſcha, quia illo die non liceret in villam, aut agrum ad laborandũ ire. Fuit autem hic Simon Cyrenenſis, ſiue Cyrenæus, ex ciuitate Africa Cyrene, vna ex illis quinque, quæ dicuntur Pentapolis: & fortaſſis ille Simon ſpectabat ad ſcholã Cyrenenſium Iudæorũ, de qua in actis fit mẽtio. Dicitur pater Alexandri & Rufi: vtpote qui adhuc viuebant, notique erant Domini diſcipuli, dum hæc ſcriberet. Aiunt enim, hos ſecutos eſſe Apoſtolos, cùm in Chriſtum credidiſſent, vt autor eſt Euthymius. Hieronymus verò in commentariolis ſuis in Marcum (ſi tamen eius ſunt) *Alij*, inquit, *per merita patrum ſuorum commemorantur, alij per merita filiorum ſuorum. Hic autem Simon, qui crucem in angaria portat, meritis filiorum ſuorum, qui erant diſcipuli, commemoratur.* Hæc ille. Non tamen intelligas, illos fuiſſe ex numero ſeptuaginta, vt quidã ſine graui docent autore. Quidam ſecuti ſententiam chronicorum Valæi & Antonij Beuter, tradunt, hunc Simeonem veniſſe cum B. Paulo in Hiſpaniam, fuiſſeque Dertolę Epiſcopum conſtitutum. Fuit autem angariatus ad ferendam crucem: quia ſponte nullus erat, qui ferre vellet, quod ignominioſum erat, & abominabile: quare repugnanter, & inuitiſſimè fecit, ignorans quid ferret, & cuius illa eſſet. Cæterum vehementer eſt veriſimile illum, dum inuitus geſtaret crucem, per viam illuſtratum à Deo, cognouiſſeq; crucis myſterium, vt Meſſiæ ſapientiã, ac charitatem; & non minus angariatum fuiſſe in ea relinquẽda, quam à principio in illa ferenda. Vt exclamare poſſimus; *Felix neceſsitas, quæ ad meliora compellit*. Multa profectò inuiti incipimus, quæ poſteà illuminati non niſi inuiti relinquimus: Deuſque excellentia quædam dona, pro ſua bonitate nobis inuitis plerumque conferre conſueuit, vt cum Lot, & filios eius vel inuitos Angelus de Sodoma exire compulit, ne cum infami ciuitate perirent. Quos veriſimile eſt, poſt egreſſum ex Sodoma videntes ſupplicia, quibus ciuitas euerſa eſt, gratias Deo egiſſe pro beneficio compulſionis familiæ per Angelum. Dumque Dominus in paſſione ab homine adiuuari

Exod. 12. & ſæpè deinceps.

Quis fuerit hic Simon Cyrenæus. *Act. 2 & 6.*

Hunc Simonem patrem Alexandri & Rufi cur dixerit Euangeliſta.

Marc 15. Euthym. c. 47. in Marc. Hiero. tom 9.

Cur Simon fuerit angariatus ad crucem ferendam.

In 1. parte Chronicorum Hiſpaniæ lib. 1 cap. 23

Arimathæus Simon, etſi initio quidem grauatè, poſtea tamen libenter, à Deo illuſtratus, vt creditur, Dominicam crucem portauit. Felix neceſſitas, quæ ad meliora compellit.

Geneſ. 19.

voluerit, ſe quodammodo debitorem facit ferendæ crucis pro homine in eius anguſtijs. O Simon, noli erubeſcere, noli pudefieri de cruce Chriſti, quam geſtas: quia quod tuis humeris portas, erit oſculis Regum adorandum, Imperatorumque brachijs reuerenter, & peramanter amplexandũ: nam Heraclius Imperator Crucem proprijs humeris circumtulit, vt habetur in hiſtoria Exaltationis ſanctæ Crucis. Quod videtur ignominia plenum, erit Apoſtolorum gloriatio, dicentium: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Hoc, quod videtur obſcurum, & infirmum, virtutem Dei, ac ſapientiam, iuſtitiã, ac gloriã, diuitiaſque, ac mundi reconciliationẽ cum Deo, cœlique reſtaurationem continet. Hæc crux Labarum eſt, quòd omnes Deo militantes ſequentur, ac proinde tu vexillifer: clauis eſt, qua aperiendi ſunt cœli, & præthereà tu clauiger: gladius; quo iugulandus dæmon, cuius tu es armiger: deniq; vexillum eſt, ſiue ſignum filij hominis, quo honorandus eſt Chriſtus, iudex vniuerſi orbis in die iudicij. O Simon, inuidemus equidem ſorti tuæ, & libenter, & pecunia, & vita, atque ſanguine hanc tantam gloriã compararemus. O Simon, gratias tibi agimus omnes electi, ac iuſti pro tanto beneficio Chriſto Domino impenſo; & propterea vbicunque fuerit prædicatum Chriſti Euangelium, nominis tui gloria per ora fidelĩu celebrabitur. Diſputant hîc nõnulli, an Simon ſolus crucẽ geſtauerit poſt Chriſtum, an ſimul cum Chriſto; ita vt Chriſtus priorem partem, Simon poſteriorem portaret; vt videtur innuere Lucas, cùm ait, impoſitum fuiſſe illi crucem portare poſt Ieſum: vbi Græcè habetur aduerbium ὄπισθεν, quod ſignificat, ponè, poſt, retrò. Erat enim à tergo proximè inſequens, & cõmune crucis onus ſuſtinens. Caietanus addit: *Compulerunt Simonem ad hãc ignominioſam ſarcinam: quam tamen non ſolus portabat, ſed poſt Ieſum, ne Simon videretur crucifigendus*. Accedit & Euangelium Nicodemi (ſi quę tamen fides illi eſt tribuenda) quod habet: *Vt tolleret crucem cum Ieſu*. Hoc idem veriſimilius cõprobant nonnulli ex eo, quòd ſi commune crucis onus Simon ſuſtinebat, & præcedentem Dominum iuuabat, elegantem habet, ac pulchrum ſenſum myſticum. Nã prior Chriſtus portauit crucem, deinde Simon: Chriſtus enim prior pro nobis paſſus eſt, nobiſque reliquit exemplum, vt ſequamur veſtigia eius; Et, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*. Etſi autem Simon non fuerit crucifixus cum Chriſto, nihil propter-

Heraclij Imperatoris in crucem Domini reuerentia.

Gal. 6.

Crucis Domini inſignia, & virtutes.

Simonis Cyrenenſis Chriſti in cruce portanda adiutoris felicitas.

Soluſne hic Simon Cyrenæus, an cum Ieſu crucem portauerit. *Luc. 23.*

Caietan. in Luc.

Euangelium Nicodemi apocryphum.

Cyrenæi Simonis cum Chriſto crucem portantis myſterium.

1 Pet. 2. Matth 16.

Cur Simon non fuerit crucifixus cum Chriſto.

Eſai.63.

eâ deperit illius gloriæ. Debebat enim & volebat Meſſias, torcular ſolus calcare: nolebat alterius, quàm proprium ſanguinem pro omnibus fundi. Veriſimile tamen eſt, Simonem per totam vitam ſuam, agnito Chriſto, & eius gratia deguſtata, Chriſti crucem geſtaſſe in corpore ſuo: quia creditur fuiſſe diſcipulus Chriſti occultus. Quãquàm autem hæc probabilia ſunt, & picturis cõfirmentur multorum, quibus Simon crucem geſtat cum Chriſto: probabilius tamen videtur, quod alij ſentiunt, nempe Chriſtum ſolum crucem à principio geſtaſſe: timentes autem, ne debilitatis, & exhauſtis viribus in via deficeret, & optata crucis morte priuarentur, conſilium eorum fuit alteri onus imponere, nec inueniẽtes quẽquam, qui vellet, angariauerunt Simonem illum, vt geſtaret illam poſt Chriſtum. Et hoc innuit Textus, cùm ait: *Apprehenderunt Simonem quendam Cyrenenſem veniẽtem de villa, & impoſuerunt illi crucem portare poſt Ieſum.* Expende verbum, Impoſuerunt ei crucem: ergo ab humeris Chriſti in Simonis humeros tranſtulerunt. Hoc ſentit Hieronym. & Leo Papa & Theophylact. picturæ quoque hoc ipſum demonſtrant, & Ambroſ. in Lucam: *Crux*, inquit, *ſuper humeros imponitur, vt trophæum, quod ſiue Simon ſiue ipſe portauerit, & Chriſtus in homine, & homo portauit in Chriſto.* Subdit: *Bonus ordo noſtri perfectus eſt, vt prius crucis ſuæ trophæum ipſe erigeret, deinde Martyribus traderet erigendum.* Sic ille. Nec vacat myſterio, quòd Chriſtus ſponte fert crucem, Simon verò non niſi quadam violentia tractus: quo facto prælusũ eſt in Eccleſia futuros, qui vltro ſe conijcerent in pericula pro Chriſti nomine, vt plerique Martyres; alios verò violentiam paſſuros à Chriſti hoſtibus: qui etſi ad crucem cogi videantur, de neceſſitate virtutem facientes in fide, & nomine Ieſu confitendo conſtantes ſunt. Significat etiam, Chriſti fideles naturali quadam auerſione crucem abhorrere, eam tamen ipſos vim ſibi facientes obediendo Deo ſuſcipere. Eſt in quouis homine Ieſus, & Simon, hoc eſt, ſpiritus, & caro: ille quidem promptus, caro autem infirma, cuius natura cruci repugnat. Vnde Dominus dixit ad Petrum: *Cum ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis.* Quòd ſi ſpiritus carnem vincat, etſi recalcitrantem ac expaueſcentem; crucem ferimus, quaſi Ieſum iuuantes. Ad hæc quia Simon Cyrenenſis Gentilis erat; prælusum eſt in hoc myſterio, fructum crucis Chriſti maximè in Gentiles deriuandũ, & de Gentilibus, & multos Martyres Chriſti crucem portaturos. *Iuxta anagogen verò*, vt ait Hieronymus, *crucem Ieſu ſuſcipiunt nationes, & peregrinus obediens portat ignominiam Saluatoris.* Hæc ille. Plus fructus ignoti fecit mors Chriſti, ac crux in Gentilibus ignotis, quàm in Iudæis notis: quemadmodum Ioſeph à fratribus venditus, honoratur in Ægypto, & Moyſes proiectus à parentibus in flumen, nutritur à filia Pharaonis. Sunt qui probabilius eſſe cenſent, fuiſſe Iudæum hunc Simonem, tùm quia Gentiles Romani non angariaſſent Gentilem ad tantam Crucis ignominiam geſtandam: deinde quia ſi Alexander & Rufus filij eius fuiſſent, Chriſtus hominis Gentilis filios non acceptaſſet in diſcipulos ſuos. Tertiò, quia Act.2. erant in Hieruſalem viri religioſi Iudæi ex partibus Libiæ, quæ eſt circa Cyrenem. Erat etiam ſchola, ſiue gymnaſium Alexandrinorum & Cyrenenſium, ſicut Iudæi libertini ex vrbe Roma. Adhęc Gentiles ſponte portarunt Chriſti crucem, non autem angariati: at Simon typum gerit eorum, qui coacti crucem Chriſti baiulant. Prætereà perpende, Chriſtum nõ velle portare crucem ſine te. Proinde partem crucis tibi porrigit geſtandam, quia qui fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. Proinde eſto Simon, id eſt, obediens porta crucem tuam: nam etſi in principio angariam ſuſtineas, poſteà tamen dulceſcet, reddeturque iugum ſuaue, & onus leue. Obſerua deinde, Chriſtum cœpiſſe ferre crucem, non tamen in finem vſque pertuliſſe, quia voluit te docere, vt incipias quædam bona opera, etſi per alios cõplenda, & perficienda. Non enim minoris meriti ſunt qui volunt, & impediti non perficiunt, niſi per alios: vt templum, quod voluit ædificare Dauid, impeditus à Nathan non perfecit: ſacrificium quod voluit Abraham facere, immolando filium ſuum Iſaac, ab Angelo impeditus non abſoluit. Præſta igitur quod potes, Deus perficiet, ſi volet. Adiungam verba quædam Simonis de Caſſia, egregiè de hac crucis geſtatione philoſophãtis. Ait enim: *Domine quo vadis crucis pondere preſſus, aridi ligni pondere prægrauatus? Ad quid portas? Quòve plantabis illud: Locus, quò duceris, ſaxoſus eſt. Quomodo plantabis? Quis irrigabit? Aridum eſt, radices non habet, ex quibus è terra ſumptus humor ſumatur in ramos. Terra ſitiens eſt damnatorum & interfectorum locus, nunquam virgulta fuerunt in ea, ligna conſueuerunt eſſe confixa in iuſtitiam damnatorum. Adulterinæ plantationes ſunt, non dant radices altas, non collocant ſtabile fundamentum, non extendunt ramos ad fructum, ſed ad tormentum; non habent folia pulchritudinis, ſed deſpectionis, atque dedecoris: non habent fructus ad eſum vtiles, ſed ad* veſcen-

Margin notes:

Altera opinio probabilior.

Hieronym. in Matth. to 9.
Leo Papa ſerm. 8. de paſſione ante medium
Theophylactus in Matt.
Ambr. lib. 1. in Luc. c. 9. initio to 5.

Quod Chriſtus ſponte, Simon verò non niſi coactus crucem, portauerit, quid ſignificet.

Matth. 26.

Ioan. 21.

In eo quòd Simon Cyrenæus Gentilis crucem geſtauit, quid figuratum ſit.

Hieronym.

Geneſ. 37. Infra 4. & ſeq. Exod. 2.

Quid probet Simonem illum fuiſſe Iudæum.

Quid eſt quòd Chriſtus initio fert crucẽ, Simoni deinde relinquit illam.

Matth. 21.

2. Reg. 7.

Geneſ. 22.

Simon de Caſſia lib. 13. de paſſione.

De Chriſto crucem portante pulchra meditatio Simonis de Caſſia.

Qualis terra damnatorum, & lignum.

Sap. 4.

reſcendam præ doloribus diſſuaues; non matureſcunt ad vſum, ſed vt vitam extinguant, penitus indureſcunt. Quare igitur defers Domine hanc lignorum ſarcinam? Nonne noſti quòd affigêris in eis, vt affigaris in omnibus membris corporis? En cruciaberis in eis, vt fias omni populo in deriſum, demum expirabis in eis. Sed porto lignum propter vetitum lignum, pœnale lignum propter vetitum pomum. Porto lignum, vt vincat in ligno inuiſibilem hoſtem, qui victus eſt in ligno. Porto lignum, vt propter humanas artes ex ipſo faciam gradus aſceſionis in cœlum. Porto lignum, ſuſpendendus in illo, vt omnia traham penitus ad me ipſum. Porto lignum mortis & vitæ, porto lignum experientiæ prædamnatæ. Hæc ille.

Cur portet lignum crucis Ieſus.
Gen. 3.
Ioan. 12.
Luc. 23.

Sequitur in Textu: *Sequebatur autem illũ multa turba populi, quæ plangebant, & lamentabantur eum, &c.* Multos moris eſt conſectari eos, qui ad ſupplicium ducuntur, aderant enim carnifices, Pilati milites, miniſtri Iudæorum, & Pontifices: aderant & deuoti Chriſti, quos interno pulſu ad ſe trahebat, quò teſtes eſſent oculati mortis Domini, charitatiſque ſuæ, quę animam exhalauit, & vt viderēt ſigna, quæ ad teſtandam eius innocētiam Deus editurus erat, agnóſceretur Pilati iniuſta ſententia, audiretur Chriſti ſeptiformis doctrina; comprehenderetur conſtantiſſima eius patientia; audiretur ex ore Centurionis Deitatis profeſſio; viderent quem, & quomodo commiſerarentur inſenſibilia elementa, in quem creatura ratione prædita ſic deſæuiret. In hac turba aderant & mulieres, quæ à Chriſto tot acceperant beneficia, quæ à ratione tenerioris ſexus, & ad lacrymas procliuioris, & memores beneficiorum ab eo acceptorum, & deniq; propter fidē, qua Chriſtum agnoſcebant, non poterant non lacrymis teſtari animos ſuos. Inter has autem mulieres erat B. Virgo, vt teſtatur Bernardus ſerm. de planctu Virginis. Et propter eam aſſociandam aliæ piæ fœminæ ſequebantur plangentes & lamentantes, hoc eſt, querulas voces emittētes. Veriſimile quoque eſt, cæcos à Chriſto ſanatos, ſurdos, claudos, & ſuſcitatos à Chriſto ægerrimè tuliſſe tam crudele ſpectaculum. Inſinuabat hæc turba populi, & mulierum, ſecundùm Theophylactum, quòd magna multitudo Iudæorum etiam poſt crucem credituta eſſet in Chriſtum, præſertim ex ipſo vulgo, primoribus Iudæorum ipſum perſeueranter perſequentibus. Meditantur quidam in tranſitu hoc, Chriſtum crucem geſtantem matrem aſpexiſſe Deiparam, ac ab ea fuiſſe conſpectum, ex taliq́ue mutuo aſpectu Virginem ſemimortuam cecidiſſe, præ doloris gladio à Simeone prophetato

Cur mul[i]e[res] Ieſum ſequerentur crucem baiulantem.
B. Bernard.
Quid hæc turba mulierum ſequentis Chriſtum ad crucem inſi[nu]aret.
Theophylact.
Ibid.
De Chriſto, & matre ſibi in tempo[re] tandem crucem [ge]ſtantibus, [o]pinio quorundā meditatum.

animam eius tranſeunte: atque in eo loco extructum ſacellum dictum S. Mariæ ſpaſmi: ac ex hoc matris & filij occurſu eleuaſſe filias Hieruſalem vocem ſuam planctus, & lamentationis. Nihil enim aliud poterant humiles, & imbecillæ fœminæ aduerſus coniuratam magnatum impietatem, quàm flere, & lamentabiles voces edere: hæc enim ſunt præcipua eius ſexus arma, quibus præter commiſerationem, qua Chriſti vulnera vngebant, & lauabant, ſaltem ſe non cōſentire cum maritis ſuis in necem Chriſti teſtabantur. Quod de ſpaſmo illo ex aliorum ſententia retuli, non eſt ſatis certum, nec exploratum. Nam cùm ſtatim Chriſtus in crucem actus fuerit, & Maria Virgo recenſeatur ſtare iuxta crucem Ieſu, ab ſpaſmo libera & immunis omninò fuit: niſi dicamus aut ſyncopin quandam, & breuiſſimi temporis fuiſſe deliquium, aut mortem ad tempus, vt lib. 3. diximus quoſdam ſenſiſſe. Cùm autem exiret Hieroſolymam, paruo interuallo à porta nonnihil Chriſtum ſubſtitiſſe quietis gratia ferunt, & hoc ſuper petram quandam, quæ adhuc peregrinis viſitantibus loca ſancta oſtenditur: vbi & fœminas eſt alloquutus.

Luc. 2.
Mulierum arma præcipua.
Quid de ſpaſmo B. Mariæ ad occurſum Filij crucem geſtantis, velut emortuæ ſentiendū ſit.

Conuerſus autem ad illas Ieſus, dixit, Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me. Inter has mulieres adfuit quædam Veronica, quæ videns faciem Chriſti tam impiè tractatam, ac deformatam, propiùs ad eum accedens, velo capitis ſui detracto ſudorem Dominici vultus voluit abſtergere, ac in velo triplicato faciem Chriſti fertur impreſſam ſuſcepiſſe, & qualis tunc erat remanſiſſe. Quorum vnum Romæ, alterum Gienenſi ciuitate Hiſpaniæ magna cum religione aſſeruatur, magna cum reuerentia, & ſancto quodam timore, atque horrore ſpectantium, populorumque celebritate, atque concurſu fidelibus ſpectādum proponitur. Tertium, quidam ferunt eſſe Hieroſolymis, quod an verum ſit, nondum habeo compertum: illud conſtat, has figuras piè, ac magna religione venerari. Simile neſcio quid narrat Linus in martyrio B. Pauli, qui cum Romę duceretur ad ſupplicium, in porta ciuitatis fertur vidiſſe Plautillā, ſiue vt alij vocant, Perpetuam, Apoſtolorum diſcipulam, atq; illi dixiſſe: *Plautilla, ſiue Perpetua, æternæ ſalutis filia, commoda mihi pannum, quo caput tegis. Ligabo enim mihi oculos vice ſudarij; & dilectationi tuæ amoris mei pro Chriſti nomine pignus ad illum pergens relinquam.* Quam cùm reprehenderent carnifices de panno amiſſo, in reditu eorum à ſupplicio oſtendit eis pannum ex ſinu extrahens, roſeo perfuſum ſanguine. Nicodemus in Euangelio ſuo

De velo triplici B. Veronicæ à fide digna traditio.
B. Lini traditio quædam de ſancta Plautilla memorabilis.
Euangelium Nicodemi.

lio ſuo tradit mulierem curatam à fluxu ſanguinis, de qua Matthæus meminit, vocatam fuiſſe Veronicam. An verò hæc eadem fuerit, quæ hoc officium Chriſto præſtiterit, mihi hactenus compertum non eſt.

Matth. 9.

Dignus qui ſit habere faciem Chriſti impreſſam in corde.

Quiſquis verò ſudorem Chriſti paſſi conſiderationis intimæ velo abſtergit, dignus eſt habere faciem Chriſti impreſſam in corde. Quidam etiam adhuc in corpore viuẽtes, vt B. Ignatius martyr, B. Franciſcus, & Catharina Senenſis, priuilegio peculiari habuiſſe creduntur. Quiſquis etiam vel minimum obſequium Chriſto patiendi impenderit, ampliſſimam mercedem accipiet: quemadmodum hæc mulier Domini patientis figuram impreſſam habuit; mulieres plangentes eum, conſolationem, & doctrinam acceperunt, Simon Cyrenenſis famã & nominis celebritatem; Maria vnctrix Chriſti in cœna prædicatur, & in Euangelio per totum orbem; latro qui eum defendit, obtinuit regnum & paradiſum; Ioannes cruci aſſiſtens, factus eſt filius Virginis, & frater Chriſti; Ioſeph, & Nicodem⁹ perpetuã, & glorioſam pij operis, id eſt, ſepulturæ Chriſti, memoriam cõſecuti ſunt.

Officioſi in Chriſtum patientem omnes quid præmij reportauerint. *Matth. 26. Luc 23. Ioan. 19. Ibidem.*

Mulieres ſe lamentantes ac flentes, cur filias Hieruſalem appellauerit. *Luc. 8.*

Vocat autem mulieres illas, filias Hieruſalem, licèt eſſent mulieres Galilææ, quæ ſecutæ ſunt eum de Galilæa, eique miniſtrabant de facultatibus ſuis: erant tamen inter illas multæ Hieroſolymitanæ, & religioſæ fœminæ, quæ in Chriſtum crediderant. Et ad has, quia numero plures erant, & quia vt teſtatur Simon de Caſſia, & Caietanus, ad excidium vrbis Hieroſolymitanæ ſpectabant, & non ad Galilæas; propterea ad eas conuerſus fuit, ac dixit: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros*: Quia ſi flebitis ſuper vos; poteritis vel in totum, vel in partem, mitigare iram Dei diebus illis terribilibus, qui venient: quia promiſſiones, ac comminationes Dei ſub conditione intelligendæ ſunt, vt apud Ieremiã, & Ezechielem docet Spiritus ſanctus: maximè verò quia habebitis meos miniſtros vocantes ad gratiam.

Simon de Caſſia. Caietan. in Luc.

Promiſſiones & comminationes Dei, ſub conditione quomodo intelligendæ ſint. *Ierem. 18. & ſeq. Ezech. 33. & ſeq.*

Plangite ergo ſuper vos, & ſuper peccata veſtra, & filiorum veſtrorum, præſertim verò de hoc peccato, quo me innocentem ad crucem adigunt, non cognoſcentes tempus viſitationis, quod peccatum Deus illis diebus punire volet; quo iſte veſter planctus diſponat vos ad pœnitentiam de peccato, vt ſic dicam, Deicidij perpetrato, & præparet vos ad amplectendam doctrinam meam, vt ſitis ex meis, quibus aduerſa non nocent: quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Sanè ſi Chriſti fletus, quo illacrymatus eſt ſuper Hieruſalem, & quem fecit in paſſione ſua, & quẽ ab intercedentibus ſeruis ſuis elicuit, iram Dei non impediret, Iudæi paterentur grauiora mala, quàm paſſi ſunt, & patiuntur, & multi eorum ab æterna damnatione liberati non eſſent: & qui damnantur, grauiùs, & acerbiùs quàm nunc cruciantur, puniti fuiſſent.

Luc 19.

Quare Chriſtus mulieres ad planctum ſit adhortatus. *Rom. 8.*

Luc. 19.

Chriſti fletus olim pro Iudæis quid conferat eiſdem etiam in præſenti.

Quare ad hunc fletum exhortatur, vt docet Leo Papa ſermone de paſſione. Fleſ⁹ itaq; bonus, & fecit ex parte tolli flagella, quæ paterentur. Ergo ſuper vos, & ſuper filios veſtros flete. Quare ſuper nos, & ſuper filios noſtros? nunquid quia te paſtorem amittimus, non licebit flere? Minimè verè: nõ enim me amittitis, ſed præmittitis: imò ego mea ſpõte, & iuſſu Patris vado immolari pro vobis. *Expedit*, inquit Apoſtolis Dominus, *vt ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eum ad vos.* Sed tantiſper flere poteſtis ſuper vos: vt mulier cùm parit, triſtitiam habet, ſed poſtquàm iam peperit, lætatur, quia natus eſt homo in mundum.

Leo Papa ſerm. 10. de paſſione, antè med.

Cur ſuper nos, & ſuper filios noſtros flere debeamus.

Ioan. 16.

Ibidem.

Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Vatem ſe Dominus exhibet, & in medijs calamitatibus Doctorem, quia ecce venient dies, in quib. cõtrariũ dicent homines, quàm modò dicere conſueuerunt: nunc enim dicunt; Maledictæ ſteriles, & ventres qui non generant; tunc verò beatas ſteriles, & ventres, qui nũquam generarunt: ſiue quòd ob magnam inopiam filios ſuos ſunt coctura ad edendum, teſte Ioſepho, vt felicius ſit, nõ habere filios, quàm habere; ſiue quia materna viſcera grauiùs crucientur in malis liberorum, quàm in proprijs. Idcircò Dominus interminatus eſt: Obſidionem patieris intra portas tuas, & comedes fructũ vteri tui. Dies iſti intra quadraginta annos venient, neq; adeò multũ abſunt, vt ſi quomodo fieri poſſet, Deus ab illo populo irã ſuã auerteret. Dies illi fuerũt à me prędicti, tũ apud Lucam, tũ apud Matthęũ.

Quando filiæ Hieruſalem dixerint beatas ſteriles, quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt.

Ioſeph. lib 7. c. 7. & 8. de Bello iudaico.

Luc. 19. Matth 24.

Extrema patientium quid proprium.

Eſt enim mos omnium poſtremè afflictorũ, qui tantũ iſtã, & non alienam vitam cogitant, eiuſmodi verba proferre: Vtinam nati penitus non eſſemus: & quia vndiq; anguſtijs premuntur, nec adeſt euadendi copia, beatos eos prædicant, qui mundi huius miſerias non ſunt experti. Dicent ergo illi, qui modò lætantes ad crucẽ me rapiunt, qui tunc præ anguſtia clamabunt. Beatę etiã ſteriles prędicantur, propter filiorum afflictionem, & cædem, & eſum, quos in tanta calamitate, fameq; mãducaturæ erant. Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos: & collibus, Operite nos. Quibus verbis exprimitur

Beatæ etiam cur ſteriles ſint dicendæ.

Iſai. 2. Oſe. 10. Apocal. 9.

Quorſum hæc: Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos, &c.

mitur animus præſentium calamitatũ magnitudine fractus, & imminentium pœnarum immunitate excruciatus, deſperationeque affectus, ita vt nullum præſentaneũ remedium excogitare valeant, quò euadãt, quàm per interitum, & vitam per montiũ, & collium caſum ſuper eos abrumpẽdam. Et quanquam hi dies poſſint extendi ad poſtremum illum, in quo fiet iudiciũ, quò in gehennam detrudentur vniuerſi Chriſti hoſtes: rectè tamen ad excidium, quo Ieroſolyma euerſa fuit, & grauiſſimas tanti ſceleris pœnas dederunt, referuntur. Quia ſi in viridi ligno id faciunt, in arido quid fiet?

Quid eſt. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt in arido quid fiet.

Græcè dicitur, in humido ligno, quod opponitur arido: ſed per vocem viridis, ſenſus non læditur, cùm lignum viride humidum ſit. Et metaphoricè alludit ad combuſtionem lignorum: qui enim fructifero, & viridi non parcit, ſed illud excindit, & comburit, quid fiet arido, id eſt mortuo infrugifero? Vult dicere; Si prætor Romanus non parcit mihi, qui tantum vtilitatis orbi adfero; nec vobis Iudæis ſterilibus, & ad incendium tantùm aptis parcet: in cuius typum ante aliquot dies maledicta arbor à Domino exaruerat.

Matt. 21. Eſa. 53. 1. Pet. 2.

Alter ſenſus.

Rurſus ſi ego, qui peccatum non feci, qui lignum vitæ appellor, & mundo duodenos fructus gratiç per ſingulos mẽſes adfero, ſine paſſione de mundo non exeo, quæ tormenta manent illos, qui fructibus ſunt vacui, & inſuper lignum vitæ flammis dare non verentur.

Apoc. 22.

Iudæus quare lignum aridum.

Eſt enim Iudæus verè lignum aridum, vita gratiæ carens, fructu iuſtitiæ, virtute conſtantiç, ſpei viriditate, patientiæ cortice, & conſolationis vmbra deſtitutum, de quo Eccleſiaſtic. *Non te extollas, ait, in cogitatione animæ tuæ velut taurus; ne fortè elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.*

Eccleſ. 6.

Chriſtus cur lignum viride.

Rurſus viride lignum Chriſtus eſt, de Spiritu S. conceptus; & virtutis radice, hoc eſt, Verbo æterno, cui inſitus eſt, deficere non valens; qui etiam morte mulctatus potenter reſurrexit; cuius fructus eſt dulcis, cuius folia, hoc eſt, verba in ſeculum ſeculi, nõ marceſcunt; cuius flores, ſunt fructus honoris, & honeſtatis, ſub cuius vmbra, qui carnalis concupiſcentiæ ardore æſtuat, refrigeratur.

Infra 24.

Deniq; hoc loco docemur, quale ſit futurũ iudicium, aut infidelium, aut fidelium, qui etſi fide, non tamen caritate, & fructibus eius Chriſtum amplexi ſunt. Et ſi iuſtus in terra recepit, quãtò magis impius, & peccator? Rectè proinde Magnus Gregor. in lib. Moralium ſcribit: *Dum beati Iob vulnera cruciatuſq; conſidero, repente mentis oculos ad Ioannem reduco, & non ſine grauiſſima admiratione perpendo, &c. Nunquid nam credimus aliquid fuiſſe, quod in eius vita illa ſic deſpecta mors tergeret?* Et infra: *Hinc ergo vnuſquiſque colligat, quid illi ſint paſſuri, quos reprobat; ſi hic ſic cruciat, quos amat. Aut quomodo ferientur, qui in iudicio arguendi ſunt: ſi ſic eorum vita premitur, qui ipſo iudice teſte laudantur.* Idem in Ezech. ait: *Si ipſe hinc ſine flagello non exijt, qui venit ſine peccato; quomodò flagellu digni non erunt, qui huc cum peccato venerunt?* Hæc Gregorius.

Prouer. 11. & 1. Pet. 4. Greg. lib. 3. Moral. ca. 4. tom. 1.

Reprobi quã acriter puniendi, teſte Grego. lo.

Idem ho. 18. in Ezech. circa med. tom. 11.

Sequitur in Luca: *Ducebantur autem & alij duo nequam, cum eo, vt interficerentur.* Fortaſſis tunc moris erat, vt circà Paſcha, vel alias feſtiuitates, cùm multa ex omnib. locis multitudo hominum conflueret, malefici inſigniores ſupplicio afficerentur, vt eſſent exempli cauſa multis ſpectaculo: vt etiam in quibuſdam ciuitatibus fieri ſolet, cum ob cauſam aliquam cõuentus exterorum in ea fuerit.

Diebus feſtis cur malefici in Iudæa ſupplicio affici ſolerent.

Ideò & nunc factum eſt, vt cum Domino ad crucem duo nequam ducerentur: quod fortaſſis ex conſilio & petitione Iudæorum accidit, quib. gratificari ſtatuerat Pilatus, vt nomen Ieſu magis denigraretur, & omnium animi ab eo magis abalienarẽtur.

Iudæorum in Chriſtum odium, atque maleuolentiã.

Verbum nequam, Græcè dicitur κακοῦργοι, id eſt, malefici, ſiue malefactores; & vt prima facie apparens abſurda Euangeliſtæ narratio enitetur, ne videatur aſſerere, Chriſtum fuiſſe maleficum, ſic legẽdum eſt: *Ducebantur & alij duo.* Et ibi punctus eſt ſtatuendus: poſtea legẽdũ, malefici: vel meliùs, ducebantur cũ eo, vt ibi ſit punctus, & ſequatur, alij 2. malefactores, videlicet, vt punirentur.

Quemadmodum hæc dictio ordinanda ſit, Ducebantur & alij duo nequam cum eo.

II ſolutio. *Epiſcopus Abulenſ.*

Epiſcopus Abulẽſis in Paradoxis aliter diſſoluit hunc modum aſſerens Euangeliſtam mentem Iudçorum expreſſiſſe, qui Chriſtum vt maleficũ, atq; omniũ maximum habebant.

Tertia.

Vel ſi hoc nõ probas bone lector, illud ſuccurrat, Chriſtum verè iuſtum, & innocentem, perſonam tamẽ peccatoris aſſumpſiſſe, vt pro omniũ hominũ delictis ſuppliciũ lueret: propterea nõ tantùm peccator, aut maleficus, ſed omnium peccatorũ ac malefactorũ maximus ea ratione haberi poteſt, quod ipſe omnium noſtrũ peccata portaret.

Eſa. 53. iuxtà 70. & 1. Pet. 2.

Hoc a. à Iudæis eo cõſilio factum eſt, vt Chriſtũ toti mũdo deſpicabilem redderẽt, & abominabilẽ ex publicorũ cõſortio latronũ, qui ad patibulũ ducebantur: Ex parte verò Chriſti factũ eſt ad maiorẽ ſuam humilitatẽ nobis indicandã, innocentiamq; ſuã magis declarandam: quia vt dici ſolet, Oppoſita iuxtà ſe poſita magis eluceſcunt.

Chriſti documenta.

Deus etiã id peculiariter voluit, vt oſtẽderet filiũ ſuum pati pro Iudæo, & pro Gẽtili, quorũ vterq; maleficus fuit, & latro gloriæ Dei, & filius Adæ latronis; & vt non ſolum in cruce ipſa, ſed in ductione ad cru-

ſai. 53.
uc. 22.
hriſtum
uomodò ſe
uemur.

cem impleret ſcripturam Eſaiæ dicentis: *Et cum ſceleratis reputatus eſt.* Nos igitur Chriſtum ferentem crucem conſectemur, crucem quiſque ſuam baiulando, peccatiſque noſtris renuntiemus, ac vitioſæ vitæ priori, ne noſtrum conſortium, Chriſtum innocentiſſimum aliqua infamiæ labe aſpergat, neque eum reddat contemptum, ſed illuſtrem & glorioſum ſcelerum condonatorem, & peccantium iuſtificatorem, ac glorificatorem; cui cum Patre, & Spiritu ſancto vna eſt diuinitas, par gloria, æqualiſque poteſtas, in ſecula ſeculorum, Amen.

TRACTATVS XXXIV.

De luctu, & lacrymis proſequēda morte Chriſti, contra eos, qui noſtra tempeſtate aliter ſenſerũt, aut docuerunt.

Eraſmus Roterodamus.

Ex his verbis: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros:* perperam intellectis, excuerunt noſtro ſeculo nouam quandam, & ab Eccleſiæ conſuetudine alienam ſententiam, qui mortem Chriſti non luctu, ac planctu, ſed lætitia, ac gaudio proſequendam eſſe docuerunt. Inter quos Eraſmus Roterodamus primus, quod ſciam, in ſua Paraphraſi ad hunc locum ſcripſit: *Ieſus ſuam mortem non lugubrem, ſed glorioſam eſſe voluit: nec eam deplorari voluit, ſed adorari, vt quæ ſponte pro ſalute totius mundi ſuſcipiebatur. Compeſcuit inde tot ãm mulierum illarum lamentationem, quamuis ab affectu pio proficiſcentem.* Hæc ille, qui citat pro ſe Bedam, in hæc verba Lucæ dicentem: *Ne me (inquit) moriturum lamentemini, cuius cita reſurrectio mortem ſoluere poteſt, cuius mors, & omnem mortem, & ipſum mortis deſtructura eſt autorem.* Theophylactum quoq; producit in hæc verba: *Mulieres quidem,* inquit, *genus hominum eſt facilè lacrymans, & plorans quaſi graue quicquam accidiſſet & Domino, plorant compaſsionem præſeferentes magnam, & iniuſtitiam lamentantes: At ille non approbat, ſed magis increpat illas: voluntariò enim patiebatur. Non decet autem lamentari eum, qui ſponte, & pro ſalute omnium patitur; ſed congruum eſt, vt ille magis laudibus efferatur, & celebretur! per crucem enim & mors deſtructa eſt; & infernus captiuus factus eſt. Lamentatio his, qui ſponte patiuntur, nullam conſolationem afferet. Proinde Dominus illas, quæ ipſum lugebant, increpat.* Producitur & Leo Papa, qui ſermon. de paſſione Domini ait; *Solet ſexus infirmior, etiam pro iis, qui morte ſunt digni, in lacrymas commoueri, & damnatorum exuiis pro natura communis*

raſmi ratio-
es & argu
menta ad ſu
m hanc ſen-
entiam tuen-
am ac pro-
ugnandam.
Beda lib. 6 in
Lu. c. 93. to. 5.
Oſe 3.
.Cor. 15.
& Heb. 2.
Theophyl. in
undem loc.
Fœmineum
genus ad fle-
um, & com-
miſerationem
ua natura pro
enſiſſimum.
Pſalm. 67. &
Ephoſ. 4.

eo Pap. 16.
e paſſ. ante
ned.

conſideratione miſereri. Sed iſtum ſibi planctum Dominus Ieſus dedignatur impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam. Denique conuerſus ad eas: Filiæ, inquit, *Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vosmet ipſas, & ſuper filios veſtros. Quia venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerant. Vbi eſt triſtitia crucifigendi? vbi formido morituri?* Non *terret paſſuri animum hora ſupplicij, & docens pro ſe flendi nullam eſſe rationem, inducit pœnitentiam, denuntiando vindictam. Non eſt,* inquit, *quòd dolere filiæ Hieruſalem in me debeatis: pro vobis plangite, & pro filijs veſtris eiulate. Super illos fundatur iſte ploratus, quòd tales viſcera veſtra pepererunt. Lugendum vobis planè eſt non de Saluatore credentium, ſed de impietate, & temeritate pereuntium. Ego crucem volens patior, & mortem in me, quam ſum perempturus, admitto. Nolite flere pro mundi redemptione morientem; quem in maieſtate Patris videbitis iudicãtem.* Hactenus Leo.

Notatus fuit Eraſmus, & admonitus à Sorbona, & ab alijs nonnullis: verùm ille pro verſatili ſuo ingenio vera falſis immiſcens, mirificè tergiuerſatus eſt, & ſemel emiſſum ſemper defendit verbum. Secutus eſt hunc errorem Lutherus, atque eius diſcipuli magno conſenſu; vſque adeò, vt in hebdomada ſancta, ipſoque die Veneris, quo Filius Dei noſtram redemptionem operatus eſt, nuſquam maiora lætitiæ ſigna edant: vacantque genio, compotationibus atque conuiuijs, carniumque ingurgitationi, vt acciderit interdum die ipſo ſancto Paſchę ob inopiam carnium illos fuiſſe coactos piſces eſitare. In quo ſe, quàm veri ſint Eccleſiæ filij, produnt. Atque hic error in multa Catholicorum loca ſerpere cœpit: nam dum ego apud Lutetiam Pariſiorum ſtudiorum gratia verſarer, Morinenſes hunc errorem publicè profiteri cœperant. Verùm enim verò quo hæc apertioribus rationibus confutentur, ſtatuendum in primis, fletum eſſe duplicem, alterum carnalem, alterum verò ſpiritualem. Is eſt fletus carnalis, quem poteſt elicere natura, ſiue caro, & ſanguis pro malo nobis, aut nobis coniunctis, quos tamen diligimus, inflicto, aut proximè infligendo. Hic autem vitioſus eſſe poteſt, ſi immoderatus ſit; aut ſuperfluus, aut irrationabilis, aut cum deſperatione coniunctus, de quo Apoſtolus: *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut & cæteri qui ſpem non habent:* taliſque fuiſſe videtur fletus ille Eſau, qui non inuenit pœnitentiæ locum; quanquam cum lacrymis inquiſiſſet eam. Poteſt etiam eſſe ſtudioſus, ſi ratione ſit

Eraſmi errorem eundem Lutherus ſecutus eſt, ac diſcipuli eius.

Fletus duplex, Carnalis, & ſpiritualis.

1. Theſſ. 4.

Gen 27.
Hebr. 12.

Luc 7. Ioan 11 2 Reg 1. 1. Reg 15.

temperatus, & humanitatis regulas non excedat: vt mater vidua lugens filium ſuũ, & ſorores Lazarum defunctum, & Dauid & Samuel lugentes Saulum Regem, & vt quidam dixit: *Quis matrem niſi mentis inops, in funere nati Flere vetat?*

Ouid. lib. 1. de remed. amoris ſub init.

Spiritualis autem fletus eſt, quem elicit Spiritus ſanctus per fidem, & gratiam ſuam in nobis lugentibus peccatum noſtrum, vel aliorum ex commiſeratione eorum, vel etiam damnum, & detrimentum alterius à nobis ex charitate dilecti: vt Paulus, qui lugebat Iſraëlitas, & viri timorati, qui fecerũt, planctum magnum ſuper Stephani mortem, vt habes in Actibus.

Rom 9. Act 8.

Quænam ſint in morte Chriſti plancta, & luctu digna.

Secundò præmittendum, quædam eſſe in Chriſti morte planctu, ac luctu digna, quædam verò lætitia, & gratulatione. Primi generis ſunt, quòd Ieſus innocens & iuſtus iniqua ſit ſententia peremptus, dilaceratus, & excarnificatus. Deinde quòd noſtra peccata in cauſa fuerint tam acerbæ, & indignæ mortis, quam ſuſtinuit. Ad hæc ingrati animi noſtri vitium, quo tantum redemptionis bonum, vel non cognoſcimus, vel non, vt par, & iuſtum eſt, condignis gratiarum actionibus proſequimur. His accedit, quòd Chriſtus ſit noſtrum caput, nos verò eius membra electa: ille ſponſus, nos verò ſponſæ virgines præparatæ ad nuptias: Ille ſit frater primogenitus, nos veluti fratres ſecundarij, atque adoptiui: ille Magiſter ac Dominus, nos eius diſcipuli, ac dilecti ſerui: ille paſtor, ac medicus, nos oues eius propriæ, atque ægroti eius opera indigentes: Denique ille, Pater futuri ſeculi, atque aduocatus noſter, nos verò filioli eius (ſic enim Apoſtolos vocat in Euangelio) atque clientuli. Cùm ergo tantæ exiſtant coniunctionis, & propinquitatis rationes inter nos: & Chriſtum, poteſt meritò, & cum fructu paſſio Chriſti à nobis defleri. Sunt & alia in Chriſti paſſione lacrymis minimè digna, ſed quæ cum gloria, & honore Chriſti, & cum gaudio, & lætitia à nobis recolantur, & commemorentur: vt, charitas illa Patris erga nos, qui etiam proprio Filio ſuo propter hominem non pepercit. Adeſt & ardentiſſima illa Ieſu charitas, & obedientia prompta, qua ſibi propter nos minimè pepercit, ſed per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo. Sunt præterea fructus mortis Chriſti ingentes illi, ac multi: nimirum, glorificatio Dei, exaltatio Chriſti, & nominis ſui, quod eſt ſuper omne nomen, amplificatio, atque illuſtratio. Præterea mundi redemptio, Gentium vocatio, peccatorum remiſſio,

Rom 8. Ioan 19. Suprà 10. Ibidem Matth. 9. Eſai. 9. 1 Ioan 2. Ioan 13.

Quæ ſint in Chriſti paſſione lacrymis minimè digna, ſed gaudio, & gratulatione. Rom 8. Philip 2. Heb. 8. Fructus Domi[nicæ] paſſionis qui les & q[uanti]. Philip. 2.

gratia, virtutes, ac Spiritus ſancti dona, eminentiſſimumque omnium virtutum exemplum, atque adeò gloria ipſa, & omnia adminicula, tùm ad fugiendum vitium, tùm ad amplectendam virtutem, tùm ad adipiſcendam gloriam, tùm denique adiuuandum, & inſeruiendum proximo, & ad ſubeundam pro illius ſalute æterna temporariam mortem.

Quod mors, & paſſio Domini lugeri à nobis poſſit, & debeat, oſtenditur multis argumentis.

Quod ergo pro his, quos primo loco enumerauimus, poſſimus, ac debeamus flere, ex ſcripturis facile eſt euincere, & Eccleſiæ conſuetudine, atque rationibus: facileque erit argumenta in contrarium facta diluere. Si ergo in primis conſulamus Scripturas, ait Dauid: *Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.* Cùm autem hic Pſalmus paſſionem Domini præcinat, deſiderabat Dominus habere eos, qui vno cum eo ſenſu afficerentur, & vicem eius ſentirent. Quod autem Propheta dicat, Et non fuit: vel ad homines referendum eſt, qui non leguntur Chriſtum crucem ferentem lacrymis proſecuti, ſicut mulieres, vel ſi qui fuerunt, pauci extiterunt, vt dici poſſint non fuiſſe. Non deſiderabat autem Chriſtus quicquam, quod non eſſet cum ratione, & charitate coniunctum. Deinde Apoſtolus voluit, nos gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Cùm ergo Chriſtus de ſe dixerit: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem,* & cum clamore valido, & lacrymis exauditus ſit pro ſua reuerentia; debemus nos, ſi Chriſtum ex charitate diligimus, cum Chriſto triſti contriſtari, & cum eo lacrymante collacrymari. Hæc eſt enim natura membrorum, teſte Apoſtolo, vt ſi quid patitur vnum membrũ, compatiantur omnia membra: ſiue gloriatur vnum membrum, congaudeant omnia membra. Cùm igitur Chriſtus Ieſus nõ ſolum ſit membrum, ſed caput omniũ membrorum, meritò illi pro nobis patiẽti debemus fletum, & lacrymas: qui non tantum pro nobis fleuit, ſed etiam guttas ſanguineas in horto profudit. Adhęc de Iob inter cætera præconia, de quibus commendatur, dicitur: *Flebam quondã ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi:* & Apoſtolus laudat Hebręos, quòd inter cętera pietatis opera vinctis compaſſi eſſent. Eſt igitur ſanctum & verum charitatis opus alienis calamitatib. tangi, illarumque ſenſum in corde ſuo percipere: contra verò, aliorũ malorum affectu non permoueri, arguit ſęua & crudelia viſcera: vt Paul. inter cætera vitia, quę initio epiſt. ad Rom. reprehendit, enumeret ἀστόργους. id eſt, homines ſine affectione, atq; cõmiſerationis

Pſal. 68.

Chriſtum patientem commiſerantium paucitas inſinuata à Propheta.

Rom. 12. Matth. 26. Heb. 5.

Membrorum humani corporis affectio. 1. Cor. 12.

Luc. 22. Iobi pietas & commiſeratio Iob 30. Hebr. 10.

Quorum nam viſcera feri na, ac lapidea. Rom 1.

Eccleſiæ vſus, & conſuetudo pietatis pleniſſima.

expertes, His ſcripturis accedit Eccleſiæ conſuetudo, quæ Spiritum ſponſi ſui habet, quæ in Hebdomada ſancta funebre officium inſtituit, & ieiunijs, & cantu, atq; officijs lugubribus, & atris veſtibus, lectionibuſque ex Threnis Ieremiæ Prophetæ deſumptis filios ſuos ad condigno fletu mortem Chriſti celebrandam excitat, & inuitat: & in perſona Domini canit: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Præterea ſi illa, quæ de morte Chriſti ſcripta ſunt, attendiſſent Hæretici, agnouiſſent proculdubio efficaciſſima lugendi exempla. Quod enim Sol lucem ſuam ſubtraxerit orbi, terra tremuerit, ſaxa ſciſſa ſint, monumenta aperta, ac velum templi diſciſſum, quod aliud nobis indicant, niſi ſe eo modo quo poterant, pullam veſtem induiſſe, mortemque Chriſti luxiſſe, nobiſque lugendam, ac deplorandam ſuo exemplo propoſuiſſe? Fleuit præterea ſanctiſſima Deipara Virgo, cuius animã pertrãſiuit gladius, ſi olim amiſſum puerum cum dolore quærebat: *Ecce, inquit, pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Fleuerunt & Apoſtoli, quibus Dominus ipſe dixerat: *Amen amen dico vobis plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini, &c.* Eoſque comparauit paulò pòſt mulieri parienti, & triſtitiam habenti, quia venit hora eius. Et Dominus de eis prædixerat: *Venient dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt*, id eſt, lugebunt, vt paulò ante ipſe expreſſit. Fleuit & Maria Magdalene, cui lugenti Dominus ſuſcitatus apparuit. Quomodò igitur nobis non liceat eum deflere, quem elementa ſenſu deſtituta ſuo modo planxerunt? quem plorauit & ſanctiſſima Deipara, & Apoſtoli, & Magdalena, & reliqui? Quid dicam de Prophetis, qui hunc luctum præcinuerunt futurum in his Iudæis, qui à peccato conuerſi ſunt, & errorem ſuum agnouerunt? de quo fletu dicitur apud Zachariam: *Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Hieruſalem Spiritum gratiæ, & precum, & aſpicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctũ quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti. In die illa erit planctus magnus in Hieruſalem.* Videtur enim Propheta reſpexiſſe ad illos, qui Chriſtum Crucis ſupplicio affecerunt, qui viſis ſignis in morte eius reuerſi ſunt percutientes pectora ſua: quia dicit, Et aſpicient ad me, quem confixerunt. Quis igitur neget, iſtos, qui agnito ſuo errore reuertebantur percutientes pectora ſua, multas quoque, & ſalutares, ac fructuoſas lacrymas profudiſſe: Illud quoque expende, Prophetam meminiſſe luctus vnigeniti, quòd ille ſoleat eſſe acerbiſſimus, quandoquidem per illius mortem homo hærede, & ſucceſſore deſtituitur. Quod verò adiungit de morte primogeniti, ſolet quidem & illa funeſta haberi, atque lacrymis digna mors: at conſolationem affert nonnullam reliquis fratribus, qui hæreditatis ſpem concipiunt. Talis profectò mors fuit Domini Ieſu hæredis vniuerſorum, vt teſtatur Apoſtolus: cuius merita, ac fructus in nos tanquam fratres ſecundarios deriuantur.

Threni. 1.

Vniuerſi in Chriſtum patientem commiſeratio.

Matth. 27.

Luc. 2.

Ibidem.

Ioan. 16.

Apoſtolorũ, ablato ab eis Sponſo Chriſto quale ieiunium fuerit.

Matth. 9.

Ioan. 20.

De fletu & lacrymis piorũ ſuper Chriſto patiente, vaticinium Prophetæ non obſcurum.

Zachar. 12.

Luc. 23.

Qualis ſoleat dolor eſſe ſolet vnigeniti atque primogeniti.

Hebr. 1.

Non agam pluribus rationibus in re clara, ac manifeſta, tantummodò eorum argumenta fideliter proponam, ac diluam. Primum igitur argumentum ex verbis Chriſti deducitur: *Filiæ*, inquit, *Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Sed in his verbis eorum tantùm luctum reprehendit, qui fortaſſis carnalis erat: lugebant enim eum tanquam hominem purum, ac minimè valentem ſe liberare, cùm tamen haberet poteſtatem ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam. Et homo ſolus non erat, qui filius Dei erat, & vno nutu poterat omnes inimicos deſtruere, & habere, ſi voluiſſet, pluſquam duodecim legiones Angelorum. Deinde nolite etiam me flere, quaſi hominem dignum morte ob ſua demerita pereuntem, aut quaſi talem ab alijs reputatum iuxta illud Prophetæ: *Et nos putauimus eum quaſi leproſum percuſſum à Deo, & humiliatum:* qui erat lignum viride, & fructiferum, & ſine peccato. Quia ſi nemo læditur niſi à ſeipſo, ego non ſum talis, qui à quoquam lædi poſſim, imò ex iniurijs ſumo occaſionem benefaciendi me afficientibus iniuria. Sed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Nam quod de ipſo putabant, in ſeipſas, & ſuos filios erat venturum iræ Dei flagellum quaſi in peccatores obſtinatos, & impœnitentes. Ita vt ſit ſenſus: Nolite tam propter me, quàm propter vos ipſas iniuſtam meã necem deflere, vt quæ vobis extremum exterminium, mihi verò ſummam ſit gloriam paritura. Vel, nolite flere quaſi coactum, & contra meam voluntatem patientem: quia ſponte venio ad Crucem, cum de me ſit ſcriptum: *Oblatus eſt quia ipſe voluit.* Non vult ergo hunc fletum carnalem Chriſtus, ſi quis talis fuit in eis, ſed vult agnoſci vt homo, ac Deus, innocentiſſimuſque, atque pro alienis peccatis mortuus, & ſponte oblatus: quod illæ fœminæ adhuc non præſtabant. Quòd ſi obijcias, ſanctiſſimam Deiparam fuiſſe cum eis, ac ſimul luxiſſe mortem filij: ſpirituali tamen ac ſancto planctu atq; in primis de peccatis noſtris, quæ illius mortis

Chriſti crucem ac mortem luctu, lacrymiſq. non proſeq. ẽdam aſſerentium argumenta diluuntur.

I argum.

Mulieres Hieroſolymitas ipſum plangentes cur Chriſtus flere prohibuerit.

Ioan. 10.

Matth. 26.

II. ratio.

Eſa. 53.

Nemo læditur niſi à ſeipſo.

Eorum verborum explicatio propria ac genuina.

Eſai. 53.

Quibus lacrymis Virgo mater ſit filium proſecuta.

mortis cauſa extiterunt. Reſpondemus vtique verum eſſe: ſed quia videri poterat illam pro filio ſuo, & non pro nobis contriſtatam lugere: hinc Chriſtus non eam quærebat, quæ ſecum contriſtaretur, ſed alias, quæ agnoſcerent peccatum mundi.

Altera ſolutio

Deinde dici poteſt, illa verba non vetare ſimplicem luctum, ſed prænunciare grauioris, & maioris luctus cauſam, vt Lyranus exponit:

Lyranus.

Dominus enim non probat luctum pro altero, ſi interim negligas animam tuã. Hinc Salomon ait: *Miſerere animæ tuæ placens Deo*, & Auguſtinus in libris Confeſſionũ luget errorem ſuum, quo olim mortem Didonis flebat, mortem verò animæ ſuæ non deflebat.

Eccleſ. 30.
Aug. lib. 1. Confeſſ. c. 13. tom. 1. init. ſpe.

Eſtq; hic loquendi modus: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros*, illi non abſimilis: *Infirmitas hæc nõ eſt ad mortẽ, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eum*, id eſt, non ſiſtit in morte, ſed tendit ad gloriam Dei: & illi: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſ. principes, & poteſtates*, & reliq.

Quomodo hæc verba, Nolite flere ſuper me.
Ioan 11.
Epheſ. 6.

Hoc eſt, non tantùm colluctamur cum carne, & ſanguine, ſed in illis agnoſcimus dæmones bellũ nobis inferentes. Ita dum ait: Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, ſenſus eſt: Fletus veſter, vt mihi gratus ſit, non tantùm in me ſiſtere debet, ſed debet tendere vlterius ad peccata veſtra, pro quibus extinguendis ego mortem patior. Grauior ergo, & maior eſt cauſa fletus mors propria ſpiritualis, quàm mors alterius corporalis.

Quæ mors fletu, & lacrymis digna.

Non ergo Ieſus ob aliorum erga ſe cõmiſerationem, & lacrymas pro ſe fuſas molliter in fletum, teneritudinem ve conuertitur, ſed vt ſingularis magiſter docet ſuper quo, & quare ſit flendum, ſicut & ipſe olim fleuit ſuper Ieruſalem: & in hoc fletu vult habere ſocios, beatoſq; prædicat eos, qui lugent, quia hic fletus terminatur in conſolationem.

Luc. 19.
Matth. 5.

III ſolutio.
Luc. 7.

Tertiò dici poteſt, quòd vt Chriſtus ſuſcitaturus filiũ viduæ matris dixit: *Noli flere*, quòd ſtatim eſſet filius eius à morte reuocandus: ita hic, nolite flere ſuper me innocente, & mox ad vitam immortalem ſuſcitando, vt exponit Beda: Non habetis iuſtam me plãgẽdi cauſam. Vobis ad mortem ire videor, cum tamen ad Patrem meum vadam, ad quem porta eſt mihi mors. Flete ergo ſuper vos, & ſuper filios veſtros: quia niſi pœnitentiam agatis, imminet vobis exitium ſempiternum.

Beda in Lucã tom. 5.

II. argum.

¶ Secundò producunt illos Doctores, nempe Bedam, Theophylactum, ac Leonem, quorũ verba ſuperius poſita ſunt. Sed dicendum eſt, quod ſi diligentius eorũ verba inſpiciantur, tantùm dicunt Dominum dedignatum mulierũ illarum fletum, quia putabant ipſum purum hominem inuitũ pro ſe, ac ſuis peccatis pati. Vult ergo mutari cauſam fletus: Flete, inquit, & contriſtamini, non quidem ſuper me, ſed mecũ ſuper vos, & filios veſtros, quos ego olim fleui, & nunc etiam flere non ceſſo, vt Dei ſempiternum flagellum euadere valeatis.

Luc. 19.

III. argum.
Gal. 6.

Tertiò obijcit Eraſmus Apoſtolum dicentem ad Galatas: *Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri: per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*: Cùm ergo Crux fuerit victoria, & triumphus Chriſti, nimirum de morte, peccato, diabolo, ac mundo, debemus nos gaudere de illa, ac Domino cõgratulari, minimè autẽ flere. Reſpõdemus, quòd etſi nobis gaudendũ ſit de fructibus, quos peperit mors Chriſti, debemus tamẽ de ea etiam dolere, quatenus pœnã intulit delicto, & noſtri cauſa fuit ſuſcepta.

De Cruce Chriſti dolendum nobis quatenus ſit.

Deinde Chriſtianum eſt gloriari in luctu, atque infirmitatibus: nunquid enim idcircò non erant infirmitates, ac tribulationes, quia in eis gloriabatur Paulus? aut nunquid lacrymæ illæ non erant, de quibus Propheta teſtatur: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte*? fortè ob id lacrymæ non erant, quia panes fuiſſe dicuntur?

2. Cor. 12.
Pſal. 41.

IV. argum.

Quartò obijcit, mortes Martyrum, & agones, cum gaudio in Eccleſia celebrari: cur nõ ergo magis, & mors primi, ac ſummi martyris, ſi illorum ſunt feſtiui dies natalitij, & palmæ eorum deputati? ſed non vidit quicunq; hæc obiectat, magnã eſſe inter Domini mortem, & Martyrum differentiam: quia Dominus nõ accepit in ſua morte vllam animæ gloriam, vt debeat tanquam feſtum celebrari. Non enim anima eius facta eſt magis beata, quã erat, & nihilominus corpore ſuo per triduũ caruit. Hinc ab Eccleſia non vt res feſtiua, ſed vt acerba & amara propter illum, atque idcircò luctuoſa recipitur, licèt fructus eius ſuo tempore celebrandus ſeruetur, nimirum in die reſurrectionis: at Martyres die mortis ſuæ acquirunt æternam gloriam, ac proinde feſtiuè celebratur ille dies, quia natalitius eſt eis.

Quare fideles Martyrum mortem, minimè autem Chriſti paſſionem & mortem feſtiuis gaudijs concelebrent.

Et nihilominus quia præceſſit paſſio, etiam hoc obſeruatur in nonnullis, in quorum vigilijs ieiunamus, & lugemus; ſiletque Alleluya, Gloria in Excelſis, cæteraque, quæ ſunt lætitiæ ſymbola. Docemur etiam non flere ſuper Chriſti Martyres, ſed ſuper nos ipſos, pro quibus Martyres aliquo modo patiuntur tanquam eorum conſeruis & commembris: peccatis enim noſtris fit, vt illi non ſint ſatis tuti inter nos.

Cur Martyrũ mortem non dolemus, lugemuſque.

Act. 8.
Quare ſuper Stephanum planctum magnum fecerunt viri timorati.

Obijcies, Super Stephanum viri timorati fecerunt planctum magnum. Verum eſt: ſed non ſuper eum, quaſi illi aliquid mali euenerit, ſed quia ipſi amiſerunt ſtrenuum Euangelij miniſtrum

ſtrum

ſtrum, & ad reuincédos impios, & ad conuertendos pios accommodatum. Quintò arguitur: Luctus eſt de malo præſenti nos vexante, atq; excruciante: cùm ergo Chriſti paſſio tot retro ſeculis præterierit, iamq; reſurrectione ſit deuicta, atque abſorpta, non videtur rationi conſentaneum, vt eam perpetuo luctu proſequamur, ſicut olim mulieres plangentes Adonidem. Quis enim probet eius luctum, qui tritaui mortem in bello pro patria cæſi poſt ducentos annos adhuc pullatus lugeat? Sed in hoc argumento planè hominis carnalis mentem detexit Eraſmus: nam ſi ſecundùm carnem cogitaremus, verè ſic ſe res haberet, vt aſſerit: quia caro præſentibus commouetur, parùm admodum ſentiens quod ante præceſſit. Et ad hoc probandum valet exemplum tritaui in bello glorioſe cadentis, & hoſtes profligantis: at nos de luctu loquimur, qui à ſpiritu excutitur. Spiritus enim aſſiduè nobis Christi mortem repræſentat, multiſque de cauſis dolendam eſſe docet: ideò dicit Dominus: *Hoc in mei memoriam facietis*: & Paulus: *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Hinc agnus præcipitur comedi cum lactucis agreſtibus; id eſt, cum amaritudine, & dolore: aſſiduè enim quantum ad affectum, pro nobis moritur Chriſtus.

V. argum.

Ezech. 8.

Eraſmum valde hominem carnalem poſſis agnoſcere.

Luc. 22.
1. Cor. 11.
Exod. 12.

Sextò argumentantur: Voluntariè Chriſtus paſſus eſt, oblatus eſt enim, quia ipſe voluit: cùm ergo ipſe mori voluerit, debet noſtra voluntas per omnia ſuæ conformari. Sed profectò falſum eſt, imò ob hoc ipſum debet augeri plangendi, lamentandique ratio, quod innocenter, ac libenter paſſus eſt propter eximiam ſuam dilectionem erga nos. Si enim poterat minimè mori, & voluit pro nobis nocentibus mori, plus illi debemus, & auget luctus noſtri cauſam. Ideò qui Chriſti dolorem pro ſe aſſumptum commemorans, non condolet ſpiritu, conuincitur eius doloris fructu indignus, vt vehementiſſimè ingratus. Et licèt mors Chriſti ex parte ſua fuerit voluntaria, ex parte tamen inferentium fuit violenta, & meritò propterea defleri poteſt: ſicut Stephanum viri timorati fleuerunt, licèt voluntariè, quòd in ipſo erat, ſit mortuus. Septimò arguit, quòd ſi mater doloris gladium ſenſit, affectu naturæ id fecit, ſed reluctata eſt ſpiritu ne ſentiret. Diſcipulos autem ideò conſternauit mors Chriſti, quia erant infirmi, & adhuc increduli. Reſpondemus; verum eſſe, matrem naturę affectu doluiſſe: ſed quod addit Spiritu eſſe reluctatam, falſum eſt: quin potius caro ipſa in ea reluctabatur volens illum dolorem; Spiritus autem promptus fuit. Sicut & in filio eius caro quidem reluctata eſt, ſecundùm quam reluctabatur Dominus, dicens; *Tranſeat à me calix iſte*: Spiritus autem promptus fuit, ſecundùm quem dixit: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, & rurſus: *Vt cognoſcat mūdus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio, ſurgite eamus hinc*. Diſcipuli autem non minus doluiſſent, ſi ſpirituales fuiſſent, de Chriſti morte agnoſcentes myſterium, quod & ipſi ſimul cū alijs, & ſua ipſorum peccata Dominum Cruci affixerunt. Vnde Chriſtus dixit: *Venient dies cum auferetur ab eis Sponſus, tunc ieiunabunt*.

VI. argum.
Eſai. 53.
Et ſi ſponte ſua, ac voluntariè Chriſtus paſſus ſit, dignum tamen eſſe luctu atque mœrore.

Act. 8.
VII. argum.
Luc. 2.

Eraſmi de dolore Virginis matris in morte filij error minimè ferendus.

Matth. 26.

Ioan. 14.

Matth. 9.

Octauò argumētum tale conficit: Mortis Chriſti annūciatio fit in Euchariſtia, nō luctus: & Euchariſtia potius eſt vox lætitię, quàm luctus. Sed certè nihil prohibet gratiarum actionem fieri cum luctu: fortè que putabat Eraſmus Chriſtianum luctum eſſe deſperationem, & quid inſaniæ proximum atque turbulentum? Sed non eſt ita. Paulus etiam, cùm dixit: *Mortem Domini annuntiabitis*: etſi non dixerit, lugebitis, nihil refert: ſatis enim includitur luctus in illa mortis annuntiatione. Quis enim annuntiare acerbiſſimam Chriſti paſſionem valeat, ac mortem, & non ſenſu doloris aliquo tangatur, ſi illum diligat? Nonò: Oppoſita circa idem eſſe non poſſunt, vt gaudere, & triſtari; ergo nec de Chriſti morte gaudium, & triſtitia. Reſpondemus, quod non ſunt oppoſita circa idem, & ob eandem cauſam: nam mortem Chriſti lugemus ob acerbitatem dolorum, quos pro nobis ſuſtinuit. Chriſtus enim, caro, & frater noſter eſt, & nemo vnquam carnē ſuam odio habuit: naturaleque eſt, non impium, morti alicuius indoleſcere, cuius nomine, & cauſa mortem ſuſcepit. Maiorem etiam flendi cauſam habemus, ſimulatque cogitauerimus, quòd nos eadem peccata quotidie repetimus, quæ illum ad Crucem adegerūt; ex alia verò parte lætamur de fructu Crucis. Et ideò non ineptè ſcripſit quidam: Non damnādus eſt affectus illorum, qui Chriſto vt homini dira patienti communi naturæ ſenſu condoleſcebant. Nec Chriſtus reprehendit lacrymas muliercularum, ſed admonet potius, atque illarum occaſione commouit poſteros, vt recolentes Domini mortem, ſe, ſuorumque peccata deplorent potius, quam illius mortem. Poſtremò contendit Eraſmus, cantus, cęremonias, & verba quæ dicuntur in Hebdomada ſancta; quibus Chriſti paſſio ab Eccleſia celebratur, luctuoſa nō eſſe. Reſpondemus: Quid ergo bone Deus nō negabit, qui hæc

VIII. argum.
1. Cor. 11.

De Chriſtiano luctu quid ſenſerit Eraſmus ſed inepte & ridicule.
Ibidem.

IX. argum.

Epheſ. 5.

X. argum. & vltimum Eraſmi ſanè riſu, ſannaſque digniſſimum.

qui hæc tam manifeſtè negat? Quorſum enim præcedunt quadraginta dierum ieiunia? quo tendunt cantus ipſi lugubres, atræ miniſtrorum veſtes, ſqualidus altarium ornatus? Nam exuuntur veſtibus aræ, imagines teguntur, campanæ ſonitum non emittunt, ſilet Alleluya, atque hymnus Angelicus, Omittitur illo mortis triduo doxologia, id eſt: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Sed obijcit: Eccleſia non luget mortem, ſed de victoria ex morte exultat. Canit enim: *Nos gloriari oportet in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, &,*

Gal. 6.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis myſterium.
Et rurſus:
Crux fidelis inter omnes,
Arbor vna nobilis,
Nulla ſylua talem profert
Fronde, flore, germine, & reliq.

Sed certè, vt diximus, hæc luctui non repugnant: nam Chriſtianum eſt in luctu gloriari. Canit quidem Eccleſia: *Vexilla Regis prodeunt,* &, *Crux fidelis inter omnes:* ſed gemebunda canit, ac luctu lugubri, admiſcens tamen cum luctu ſolatium, quia videt in paſſione triumphum. Alioqui negemus, Crucem fuiſſe Chriſti grauem pœnam ac dirum ſupplicium, quia fuit illi victoria: negemus etiam vllum Euangelicum luctũ, quia Euangelium gaudium annuntiat: derideamus contemplatores Eccleſiæ, qui in ea contemplantur Eccleſiam quaſi viduam gementem, quæ ablatum ſibi ſponſum deplorat, vſquequo tandem ipſe adueniens abſtergat ei lacrymam, ac redeat in cubiculum ſuum. Denique comedamus & bibamus, quia Ieſus reſurrexit gloria noſtra, ac de eius morte gaudeamus, quia illa nobis ſummopere profuit. Quod verò doluerit, & pro nobis doluerit, nullum nobis dolorem ſed ſemper gaudium pariat. Quis carnalium Epicureorum, qui ſummũ bonum in indolentia, & ſummum malum in dolore poſuerunt, non hęc malit? Sed profectò hęc hominis ſunt totius Chriſtianitatis expertis, & non valentis offerre turturem, & columbam gemebunda, & plorabunda animalia. In Concilio Toletano IV. contra quoſdam qui illis diebus ſoluebãt ieiunia, rectè ſtatuitur: *Quidam,* inquit, *in die euſdem paßionis Dominicæ ab hora nona ieiunium ſoluunt, conuiuijs abutuntur: & dum Sol ipſe eadem die tenebris palliatus, lumen ſubduxerit, ipſaque elementa turbata mæſtitiam totius mundi oſtenderint, illi ieiunium tanti diei polluunt, epuliſque inſeruiunt. Et quia totum eundem diem vniuerſalis Eccleſia propter paßionem Domini in mœrore, & abſtinentia peragit, quicunque in eo ieiunium, præter paruulos, ſenes & languidos ante peracta indulgentiæ preces ſoluerit, à Paſchali gaudio depellatur: nec in eo Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini percipiat, qui diem paßionis eius per abſtinentiam non honorauit.* Hæc ibi habentur. Quid igitur ſtatuiſſet illud Concilium, ſi commeſſationes, & ebrietates, quibus illo die vacant Lutheri & Caluini ſectatores, nouiſſet? quæ excommunicationis fulmina non intorſiſſet? quibus cenſuris eos non perculiſſet? ſi quæ tamen exiſterent tanto delicto condigna ſupplicia.

Epicuri ſummum bonum & ſummum malum vbi collocarent.

Concil. Toleta. IIII. cap. 7.

Matth. 27.

Nos igitur orationi noſtræ modum adhibeamus, quoniam putamus ad perſuaſionem dixiſſe, hæreticorumque fucata argumenta accommodatis reſponſis confutaſſe. Tantum mihi Catholici ſunt admonẽdi, vt Chriſtiano, & ſpirituali luctu Chriſti mortem commemorent, ab omnique carnali, atque imperfecto fletu abſtineant, à quali in Præfatione huius libri abſtinendum eſſe docuimus, vt hac ratione digni ſimus, qui de fructibus paſſionis Domini meritò lætari, gloriarique poſſimus: nam ſi compatimur, vt Apoſtolus dixit, & conglorificabimur, videlicet cum Chriſto Domino noſtro, qui cum Patre, & Spiritu ſancto perpetuò viuit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Catholicis de Chriſti Domini cruce, morteque Chriſtianis dolendũ quatenus, & contriſtandum.

Rom. 8.

TRACTATVS XXXV.

De eductioni Domini in montem Caluariæ, de myrrhæ, & aceti, atque fellis potatione, deque eius inter duos latrones crucifixione, in illa verba Matthæi: *Et venerũt in locum qui dicitur Golgatha, quod eſt Caluariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum: & cũ guſtaſſet, noluit bibere, &c.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19.

PEruenimus tandem Deo adiutore, ad montem Caluariæ, locum eminẽtem, quaſi mõticulum quẽdam nõ longè à ciuitate, vt dixit Ioãnes, in quo prædones, homicidæ ac ſcelerati, quique pœnas ſuorum ſcelerum luere ſolebant, vt mors Chriſti omnibus ignominiæ rationibus plena eſſet. Et dicitur Caluariæ locus, quòd oſſibus ac caluarijs interfectorum, ac decollatorum eſſet refertiſſimus, quem Vlpianus iuriſcõſultus appellat locum capitalem. Sed tanto magis emicuit Chriſti virtus, maledicta ac funeſtiſſima quæque loca ſanctificantis,

Caluariæ locus cur ita diceretur: eius ſitus vbi delineatus.

Vlpianus.

ac benedicentis. Eratque ſitus extra ciuitatem in Ælio monte inrer Occidentalem, & Septentrionalem partem montis Sion: vt videatur in eo egreſſu Dominus tanquam alter Abel à Cain ductus in agrum, vbi percuſſus d.ē clauſit extremum. Ita ferebatur Iſaac in agrum, vt holocauſtum Domino immolaretur; & vt Dauid à filio Abſalon ciuitate pellitur, & regno, cũctis fidelibus, qui eum ſequebantur, plangentibus; & vt Naboth à falſis teſtibus accuſatus, extra vineã ſuam eiectus eſt, vt mortem ſuſtineat. Et vt Paulus ponderauit, extra portam paſſus eſt Dominus noſter, vt figura de vacca ruffa pro peccatis populi extra portam immolata adimpleretur? oſtenderetur, Chriſtum eſſe hoſtiam illã, cuius ſanguine ſanctificãdus eſſet Dei populus. Nam illa immolatio ita impura habebatur, vt miniſtri illius aliquandiu haberentur immundi; & ideò extra portam, & non in templo abſoluebatur hoſtia. Puniendi vero vt plurimum extra ciuitatem eijciuntur etiam hodie, & in vias quę magnam patiuntur hominum frequentiam. Vnde Quintilianus declamatione quadam: *Quoties noxios cruci affligimus, celeberrimæ eliguntur viæ, vbi plurimi intus, & plurimi foru hoc metu commoueri poſſint.* Sic ille. Et Deus in lege præcipiebat: *Educ blaſphemum extra caſtra, &c. & lapidet eum omnis populus.* Tractabat itaque Dominum vt leproſum, blaſphemum, & excõmunicatum, ac membrum putridum & execrabile dignum præciſione, & indignum populi conſortio: & vt Dominus oſtenderet per ſuam mortem totum mundum ſeruari. Er non tãtum vt Iudęus extra portã paſſus eſt, quẽadmodum nec in Bethleem natus, ſed extra: nec ex Bethania aſcẽdit in cęlum, ſed ex monte Oliueti: quia pro omnibus eſt natus, & pro omnib. immolatus, & pro omnib. cęlos cõſcendit. Proinde nõ miremur, ſi odio nos mundus, vel eijciat nos de gremio & conſortio ſuo quemadmodum cæcum natum extra ſynagogam eiecerunt Iudæi. Deinde perpẽde quòd Gulgoleth Hebraicè ſignificat cranium, vel caluariam, ob eius volubilem rotunditatem, à verbo Galal, quod voluere ſignificat. In pleriſq; codicibus Græcis legitur γόλγοθα pro γολγολθᾶ cum ſimplici litera Lambda, cum duplici in alijs & Græcè Latinè ſcribatur. Munſterus verò aſſerit eſſe Chaldaicam vocẽ Gulgotha, & ſic ſe inueniſſe in vetuſtis exemplaribus Latinis. Siquidem Chriſtus vſus eſt lingua vulgari inter Hebræos, quæ tunc erat Chaldæa, ſiue Syriaca, quæ nõ multũ diſtat à puro Hebraiſmo. Atque ita ſcribit Hieronymus in interpretatione Hebraicorum nominum, in Matthæum, Gulgotha vocem eſſe Syriacam: quanquam illæ voces more Scripturæ dicuntur Hebrææ, vt alibi diximus. Deinde obſerua, dictum locum tunc temporis extra portam Ieroſolymæ conſtitutum fuiſſe, diſtabatque à loco ſepulchri interuallo quinquaginta paſſuum: at poſtea Imperator Hadrianus cum amplificari præcepiſſet ciuitatem ex parte Occidentali & Aquilonari, vtrumque locum & montis Caluariæ & ſepulchri vrbis mœnibus circumſcripſit. At poſteà ex Chriſtianorum eleemoſynis ac peregrinorum conſtructa eſt Eccleſia miræ longitudinis; vno, & eodẽ tecto vtrunq; locum ambiente, atq; complectẽte: & prior dicebatur Eccleſia S. Crucis, alter verò S. Sepulchri. Atq; ex hac parte eſt Chorus ſphœricæ ac rotũdæ figuræ: in cuius diuerſis ſitibus varia Gentium genera, quæ Chriſti fidem profitentur, diuina officia, atq; laudes Chriſto Domino ſua lingua decantant, vt impleatur dictum Eſaiæ: *Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* Atq; hic ſanctiſſimus locus principatum & dignitatem obtinet inter omnia loca ſancta mundi, maximamq; virtutẽ compungẽdi, ac deuotionẽ excitãdi ex memoria Dominicę paſſionis, ac ſepulchri habet vt meritò omnibus in eũ intrãtibus, & illuc vndequaq; peregrinantibus, modo ſint verè contriti, atque confeſſi plenaria omniũ delictorũ remiſſio cõcedatur. Et intra primam Eccleſiam adhuc extat rupes ſedecim gradibus eleuata à pauimento reliquæ terræ, in qua rupe Crux Saluatoris fixa fuit: atque ibi deſuper Græcè ſcriptum carmen, quod redditum Latinè ſic habet: *Hic Deus ante ſecula operatus eſt ſalutẽ in medio terræ.* Tertiò obſerua, traditionem eſſe antiquorum Patrum magno poſterorum conſenſu receptam, olim Adam ſepultum fuiſſe in mõte Caluarię. Hoc enim docent Euthymius, Theophylactus, & Chryſoſtomus: adde Epiphanium dicentem, montem Caluariæ dictum, quòd ibi eſſet Caluaria magna Adæ: & Baſilium in Eſaiam: *Obtinuit*, inquit, *fama quadam, in Eccleſia memoriam conſeruans non quidem ſcripto proditam, quæ & talis eſt, quod prima vtique Iudæa hominem habebat incolam, nimirum Adam, ſimul atq; excidit delicijs paradiſi, in hac terra collocatum ad mitigandam iacturã bonorum; quibus fuerat exutus. Prima igitur etiã mortuum hominem excepit, qui & illic eã cui addictus erat, ſententiam condemnationis plenè eſt executus. Itaque inſolens eſſe, ac nouum videbatur illius ætatis hominibus ſpectaculum os capitis defluente carne nudum. At illi recondentes cranium, loco illi nomen indidere κρανίον, id eſt, Caluariam. Probabili ratione potuit Noe non ignoraſſe ſepulchrũ*

Margin notes (left): *Gen. 4.* *Infra 22. & ſeq.* *2. Reg. 15.* *3. Reg. 15.* *Heb. 13.* *Num. 19.* Quare Chriſtus extra portam paſſus ſit. *Quintil.* *Leuit. 24.* Qualis Chriſtus Iudæis, perfidis, & ingratis. *Luc. 2.* *Infra 24.* *1. Ioan. 3.* *Ioan. 9.* Gulgoleth Hebraice quid ſignificet. *Munſterus hæreticus.* Syriaca lingua ſiue Chaldæa vſus eſt Chriſtus. *Hieron. 10. 3.*

Margin notes (right): Gulgotha quæ vox ſit. *Lib. 1.* Sepulchri Domini gloria ab Eſaia prædicata. *Eſa. 11.* Ingredientes ſanctum ſepulchrum pietatis ergo, quid illi conſequuntur. *Pſalm. 73.* *Euthym. c. 67 in Matthæ. Theophylact. in Matthæ. Chryſoſtom. homil. 84. in Ioan. Epiph. hær. 46 in fin. Baſil. in ca. 5. Eſaiæ. circa medium.* De Adæ ſepulchro Hebræorum opinio. *Gen. 5.*

Principis huius, & mortalium omnium primigenij: ſiquidem hac de re fama à diluuio mox per orbē propagata eſt ab ipſo, & damnauit, eoq; Dominus excuſſa origine humana mortis, in loco, qui κρανίον dicitur, id eſt, Caluaria, paſſus eſt, vt quo in loco corruptio, ſiue mors hominum initium accepit, illic vita regni ſuum ſumeret exordium. Et quemadmodum mors inualuit in Adam; ita & in Chriſti morte inefficax redderetur, & peſſum iret. Hæc Baſilius. His accedũt & alij, Athanaſius in Paſſione Saluatoris. *Quapropter*, inquit, *non alibi patitur, neq; in alia regione crucifigitur, niſi in Caluariæ loco, quem Hebræorum Magiſtri dicunt Adami ſepulchrum fuiſſe: ibi enim, poſt maledictionem humatum eſſe aſſeuerãt.* Et Origenes in Matth. & Irenæus, *qui aſſerit, quòd Chriſtus primùm liberauerit Adam cum prole. Qui enim vult ſoluere aliquorum captiuitatem, non tantùm filiorum qui nati ſunt in ea, ſed autorum vel parentum, qui ingreſſi ſunt in captiuitatem, diſſoluit.* Paula & Euſtochium in Epiſtola ad Marcellam, eãdem hiſtoriam, tanquam habitantium ſermone celebratã enarrant, & eam vt minimè dubiã referũt. Habes prĉtereà ex Latinis multos, qui huic hiſtoriæ ſubſcribunt; inter quos eſt Auguſtinus ſermon. de immolatione Iſaac. Ambroſius ſuper Lucam; Cyprianus ſermo. de reſurrectione Chriſti initio: *Creditur*, inquit *Adam Caluaria, qui ſub loco, quo crux Domini fixa eſt, humatus traditur ab antiquis.* Solus Hieronymus, quod ſciam, & Iſidorus, ac quidã alij, qui eum ſecuti ſunt, huic traditioni ſe opponunt: tùm in cap. 27. Matthæi, tùm in ca. 5. ad Epheſios: vbi quaſi fabulam ridet. Nam enarrãs Hieronymus illa verba Pauli: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis; & illuminabit te Chriſtus*, à quodam cum applauſu populi prædicatũ fuiſſe tradit, quòd Chriſtus crucifixus ſuper ſepulchrum Adę dixerit: *Adam, ſurge qui dormis, & exurge à mortuis: & continget te Chriſtus.* Vbi Græcè haberi dicebat, ἐπιψαύσει, nõ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός: id eſt, Continget te Chriſtus, nõ, illuminabit te, vel Orietur tibi Chriſtus: quia videlicet, inquit, tactu ſanguinis ipſius, & corporis dependentis, viuificetur, atq; cõſurgat, & tũc typum quoq; illũ veritate cõpleri, quando Heliſæus mortuus mortuum ſuſcitauit. Et ſubdit: *Hæc vtrum vera ſint, nec ne, lectoris arbitrio derelinquo.* Sic ibi. Tamen in priori teſtamento ſuper Mat. 27. impugnat eam vt fabulam: quia apud Ioſue in Cariatharbe dicitur magnus Adã conditus. Sed certè non erat cauſa tam vrgens, cur Hieron. hanc hiſtoriam iam à pijs omnibus creditam vt fabulam traduceret, prĉſertim cũ in eius fide nihil ſit periculi, & teſtimonium ex Ioſue pondus ad vrgendum nõ habeat: quia nomen Adam in eo loco non eſt propriũ, ſed commune. Dicitur enim: Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe: adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt. Reddit enim ſcriptura rationẽ his verbis, cur ciuitas illa, quę dicta eſt Hebron, ante Cariath-Arbe, id eſt, ciuitas Arbea dicta ſit: non à 4. Patriarchis ibi ſepultis, nimirum Adam cũ Eua, Abraham cum Sara, Iſaac cũ Rebecca, Iacob cum Lea; ſed ab Arbea, vel Arba cõditore: de quo Arbea 70. ſic habent: Homo inter gigantes magnus ibi fuit: ſic enim Hebræi omnes teſtantur: licèt Hieron. videns in Hebrĉo vocem vtroq; modo accipi poſſe, reliquit in Latina editione vocem integram, Adam ſcilicet, cùm vertendum eſſet homo: & Arba, eſt æquiuocum ad nomen proprium gigantis, & ad ſignificandum 4. Qui ſenſus de nomine proprio, præterquã Scripturæ contextui optimè & aptè iungitur (ſicut à Chaldeo interprete, & à Pagnino, & alijs doctis viris, qui ex Hebræo verterunt, expreſſus eſt) inde etiam facile probari poteſt, quod cap. 15. eiuſdem lib. Ioſue Arbe, pater dicitur Enac; vt facilè intelligas Arbe nomen proprium fuiſſe gigantis, à quo Cariath Arbe nominata ſit, & Arbe patrem primum fuiſſe illius terræ gigantem 70. interpretes etſi magnitudinem nõ ad Arba, ſed ad ciuitatem retulerunt, vt ea vrbs metropolis diceretur, ſatis tamen indicatur, Arbe nomen eſſe proprium gigantis, vnde ciuitas ſit dicta. Et licet neque ex illo, neq; ex alio loco Scripturæ colligatur. ſepulchrum primi parentis eſſe in Arbe; tamen probabilius eſt, quod veterum patrũ memoria prodidit, ibi videlicet Adam iacere conditum, vbi ſecundus etiam ſepultus eſt Adam. Et confirmatur ſententia Origenis in Matth. vbi ait: *Venit ad me traditio quædam talis, quòd corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum eſt, vbi crucifixus eſt Chriſtus; vt ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificentur: vt in loco illo, qui dicitur Caluariæ locus, id eſt, locus capitis, caput humani generis reſurrectionem inueniat cum populo vniuerſo per reſurrectionem Domini Saluatoris, qui ibi paſſus eſt, & reſurrexit. Inconueniens enim erat, vt cùm multi ex eo nati remiſſionem acciperent peccatorum, & beneficium reſurrectionis conſequerentur, non magis ipſe pater omnium hominum huiuſmodi gratiam conſequeretur.* Hæc ille. Recens quidam autor, neſcio quibus teſtimonijs, aut rationibus ductus, aſſeruit locum Caluarię à capite Saulis primi Regis vocatum, quod legitur fuiſſe in templo Dagon affixum. Nam vt dicitur in 1. Reg. volum. corpus Saulis ſuſpenſum fuit in muro Bethsã, & caput in templo Dagon. Sed vanum vi-

Athan. tom 3.

Orig. tract. 33 in Matt to. 2. Iren lib. 3 c. 33. & 34.

Hier epiſt. 71. tom 1.

Aug. ferm. 71. in fin. tom. 10. Ambr lib. 10. in Luc. Cyprian.

1. Opinio. *Hieron. Iſidorus.*

Epheſ 5.

1. Reg. 28.

Ioſ 14.

Notatur Hieron ſupradictam hiſtoriã vt fabulam traducens.

Hebron cur olim Cariath-Arbe dicebatur.

Pagninus.

Eadem traditio de Adæ ſepulchro in monte Caluariæ quam ſit rationi conſentanea ſecundũ Origenem. *Orig ibid. 1. Cor. 15.*

III. Opinio de montis Caluariæ appellatione. *Ant. Honcala in lib. Stauricon. 1. Reg. 31.* **Ea opinio refellitur.**

detur hoc cõmentum, niſi prubet templũ Dagon fuiſſe prope mœnia ciuitatis Ieroſolymæ: nunc autem conſtat templum Dagon ſitum eſſe inter ciuitates Palæſtinorum.

Vti conſonet Matthæus cũ Marco, dum hic acetum, alter verò vinũ cum felle myſtum Chriſto ait fuiſſe porrectum.

Hilar. Can. 33. in Matth. ante med.

Iudæorum rabies & furor in Chriſtum.

Pſalm. 68.

Magnetes antiquus autor.

Sequitur in textu: *Et dederunt ei vinum bibere cum felle miſtum: & cùm guſtaſſet, noluit bibere.* Pro his habet Marcus: *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit.* Tria ex his verbis dubia inſurgunt. Primũ eſt, quia vbi nos habemus apud Matthæum, *Vinum cum felle miſtum*, quomodo etiam legit Hilarius Græci codices habent acetum cum felle miſtum; quam lectionem Græci autores communi ſenſu ſequuntur. Et videtur rationi magis quadrare; ad indicãdam rabiem, & furorem Iudæorum, qui omnia quæ excruciare poterant, excogitabãt tormenta. Et hoc magis accedit ad Prophetã dicentem: *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto:* vbi nulla prorſus vini mentio. Quamquam Magnetes quidã antiquus autor producitur & Græcus, qui in Apologia in Euang. contra Theoſtenem tuetur lectionem Latinam apud Matthæũ, eò quòd ſecutus ſit vulgi iudiciũ, quòd in illo tumultu aderat. Nam quidam dicebãt porrectum vinum, vt Matthæus; alij acetũ, vt Marcus, & Ioannes ſcribunt: facileque vox οἶνος in vocem ὄξος vicinam mutata eſt. Sæpè etiam nomen vini ad acetoſum vinũ extenditur, quod paulò ante corruptũ eſt, vt poſſit etiam aliqua ratione lectio noſtra ſuſtentari. Præterquã quòd vinum corruptum in myſtico ſenſu magis repræſentat, animos eorum odio corruptos, & felle amaritudinis deprauatos.

De potu aceti quomodo inter ſe omnes Euangeliſtæ conueniant.

Myrrathum vinum olim quo loco haberetur.

Secũdum dubium eſt: quia Marcus ait, non dediſſe illi acetum cum felle, ſed vinũ myrrhatum, quod erat præſtantiſſimum vini genus. Dicendũ eſt, (quicquid alij aliter reſpondeant) domino cùm peruenit in montem Caluariæ, & antequam crucem aſcenderet, duo pocula fuiſſe oblata; alterum quidẽ vini myrrhati; alterũ verò aceti cũ felle, quorum ſeparatim quiſque Euangeliſta meminit. Illa autem fuiſſe diſtincta pocula, non ſolum diuerſa arguit materia ſed etiã quã de poculo aceti cum felle miſto dicitur, quòd cùm guſtaſſet, noluit bibere. De vino verò myrratho dicitur, quòd dabant ei bibere myrrhatum vinũ, & non accepit. Longè autem diuerſum eſt, nõ accepit, ab eo, quod dicitur, *Cùm guſtaſſet, noluit bibere.* Atq; hæc videtur præſtantior ſolutio, quam ſequitur Euthymius & Theophylact[9], & magis probabilis quàm illa Auguſtini, qui libro de Cõſenſu Euangeliſtarũ exiſtimat, vnũ poculũ fuiſſe aceti cum felle ac myrrha ſimul admiſtis; aut fel potuiſſe pro amaritudine, vt ob id dictum ſit à Marco myrrhatum vinum, id eſt, amariſſimũ.

Euthym. cap 67. in Matth.

Theoph in Marcum.

Euang. c. 17. tom. 4.

Quomodo Matthæu[s] Marcus c[onſen]tiant cum [Io]anne, ap[ud] quem Do[mi]nus bibit, [a]pud illos nihil acce[pit].

Tertium dubium eſt, quomodo vterque Euangeliſta, tam Matthæus, quam Marcus, dicant Chriſtum hoc poculum nõ accepiſſe, aut guſtatum non bibiſſe, cùm Ioannes Euangeliſta apertè ſcribat Chriſto ſitienti porrectum acetũ fuiſſe in ſpõgia, atque illud ſumpſiſſe? Reſpondeo, Dominum bis fuiſſe potatum, ſemel ante quàm crucẽ cõſcẽderet: & tunc ſunt permiſta illa duo pocula, alterum vini myrrhati, alterum aceti cũ felle; quæ Dñs recuſauit: at verò poſtea Domino in cruce poſito, ac ſitiẽti, potumque quodammodo poſtulanti, in ſpongia porrectum eſt acetũ; quod ille iam inſtante morte accepit, vt tradunt quatuor Euangeliſtæ. Vt ita nulla ſit diſſonantia, quod hic nõ ſumpſerit, illic verò ſumpſerit: quia eſt ſermo de diuerſis poculis diuerſo tempore porrectis. Quartum dubium ſequitur, Cur Domino potum non petenti, antequã crucifigeretur, data ſint illa duo pocula? Reſpondemus in mandatis Hebræorum contineri, vt damnatis ad mortem daretur thuris & myrrhæ granum, vt ſurriperetur eis vſus rationis, quatenus ſemiebrij & ſpumis myrrhæ, & vini minus dolorem ſentirent. Ita enim habes inter præcepta affirmatiua Num. 98. Ita etiam confirmari poteſt ex ſententia Salomonis Prouerb. 21. vbi habes: *Date ſiceram mœrentibus* (Hebraicè eſt pereunti) *& vinum his qui amaro ſunt animo.* Hic autem mos ab Ægyptijs ad filios Iſraël cum eis diu verſatos perueniſſe dicitur: quia vt tradit Euſebius Cæſarienſis ex Homero, Helena potionem dedit Telemacho apud Menelaũ hoſpitẽ; quo factũ vt calamitatum ſuarum obliuiſceretur. Et tradit Poëta hoc accepiſſe Helenam à Polymneſtre quadam Tanais Regis Ægypti vxore. Sed ſi rectè rem expendamus, vbique & apud omnes gentes fuit hæc humanitas ad eos qui ad mortẽ dãnati ſunt, exhibita, vt potum vini alicuius præſtantis illis nõ denegarent. Eo autem poſito, quod aliud fuit poculum vini myrrhati, aliud aceti cum felle, obſeruandum eſt, vinũ myrrhatum nõ eſſe illud idem, quod Nonnus Marcellus Murinum, vel Murinolã vocat, non à myrrha, ſed à myro, quod eſt odoramẽtũ quoddã. Murinũ igitur, apud antiquos vinum erat laudatum, dulce, & aromatibus conditum, atque odoratum, quo Romanæ mulieres, teſte Gellio, plurimum delectabantur. Erat etiã vinũ ex mirrha in delicijs, de quo Plinius: *Lautiſſima*, inquit, *apud priſcos vina erãt, myrrhæ odore condita, vt apparet in*

Cur Domi[no] potum nõ [pe]tenti priuſq[uam] crucifigeret[ur] duo pocula fuerint por[re]cta.

Prou. 21.

Vnde hic m[os] ad mortem damnatos p[o]tandi profl[u]xerit

Euſeb. Cæſ. lib.

Myrrhatum [vi]num à Murin[o] Murinolave diſtinguatur.

Nonus Marcellus.

Myrum quid

Gellius li. 10. cap. 23.

Myrrhatum vi[n]ũ in delitijs olim habebatur teſte Plinio.

Plin. lib. 14. ca. 13.

Plauti

Plautus.

Plauti fabula, quæ Perſa inſcribitur, quamquam in ea & calamum addi iubet. Ideò quidam aromatite delectatos maximè credunt. Et infra: *Aromatiten quoque inuenio factitatum tantum non vnguentorum compoſitione, primò ex myrrha, vt diximus, mox e nardo Celtico, calamo aſpalatho* (veteres codices, *betumine* legunt) *offis in muſtum, aut dulce vinum defectis.*

Plin. ibid. cap. 16 circa medium.

Galen lib. 8. de ſimp. medicam. facul. Myrrhæ vires. Cur vinum myrrhatum quare Chriſtus recuſauerit.

Galenus lib. de ſimplicium medicamentorum facultate, myrrham vehemẽter prodeſſe vulneribus capitis conglutinandis & deſiccandis tradit. Hoc ergo vinum myrrhatum exhibitum, vt pium eſt credere, à pijs, & religioſis fœminis ex charitate, per milites ad corroborandum Dominum, vt Marcus tradit, Chriſtus nec accepit, nec guſtauit: tũ quia voluit ſentire amaritudinem mortis; tùm ne ebrius pati, & loqui in cruce iudicaretur; tùm vt ſtaret dicto ſuo: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis vſq; in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum, in regno Patris mei.*

Matth. 26.

Licebat autem refutare illud, quod in eius fauorem dabatur, tum deniq; reliquit vinũ myrrhatum ex charitate, vt latrones biberent, & vt nos bibamus, & inebriemur, & corroboremur ad patiendum pro illo. Vinum verò, ſiue acetum cum felle miſtum, quod Iudęi ex odio porrexerunt, cũ guſtaſſet, noluit bibere: quia acetum aptum erat ad accelerandam mortem, at ipſe adhuc ſuperuiuere & pati volebat: Idcirco huic fauori renunciauit. Sed iã moriturus accepit illud, vt Ioannes ait: fel tamen non erat in fauorem ſuum, datum tamẽ vt puniret, & amaricaret os, ſiue linguam, quę dulcia æternę vitæ verba propoſuerat, illoſq; redarguerat. Et ideò veriſimile eſt guſtaſſe, vt vel ſic pateretur; verùm à bibendo abſtinuit, ne illi, qui longè erãt, cogitarent quòd biberet vinum myrrhatum, tãquam perſona mollis, & mortis timida; & quia ad breue tempus mortuus, intra triduum reſurrecturus erat; vt ait Hieron. & ad ſignificandum quòd opera cum felle peccati admixta, nõ acceptat, nec bibit Dominus. Quamquam illis poſſet dicere: *Ego plãtaui te vineam electã, omne ſemen verum: quomodo ergo conuerſa es in prauum vinea aliena?* & illud Moyſi: *Vua eorũ, vua fellis, & botrus amariſſimus.* Et qui propetabat ſanguinem ſuum exprimere, in quo nõ fuit fel peccati, vt nobis vitę ęternæ poculum propinaret, illi dabãt acetum cũ felle miſtum. Sed quid eſt, quòd acetum ſolum accepit poſtea in cruce; acetum verò cũ felle modò tantum guſtat? Dicendum, quòd acetum illud eſt, quod ex vino ſenſim corrupto fit abſq; admixtione alterius. Significat autẽ eos qui ex infirmitate & ignorãtia naturali peccant; à quibus tamen Dominus nõ ita abhorret, ſed illos ad ſe trahit, vt in vinum bonum per pœnitentiã reformet: peccata verò ex malitia non ſanat, ſed tãtùm guſtat, quia velut guſtus quidã ſunt iſti, qui per malitiam peccantes pœnitentiã agunt, quia rarò ſolent eſſe ex illis qui reſipiſcant. Qui verò ex infirmitate, & ignorãtia offendunt, acceptantur, & bibuntur à Domino, qui orauit pro his, qui neſciũt q̃d faciunt. Adhęc ſi cum cœperis peccatũ guſtare, Dominus poculũ ab ore tuo amouerit, gaudeas, & gratias agas Deo tuo Chriſto, qui cũ guſtaſſet, noluit bibere. Hinc Auguſt. li. Confeſſionum de hoc ipſo gratias agit Domino in hęc verba: *Inhiabam honoribus, lucris, cõiugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amariſſimas difficultates, te propitio tanto magis, quanto minus ſinebas mihi dulceſcere quod non eras tu.* Sic ille.

Acetum cum felle miſtum Iudæi quare porrexerint; & cur Dominus id noluerit bibere.

Ioan. 6.

Hieron. in Mat. tom. 9.

Ierem. 2.

Deut. 23.

Quare Dominus acetum ſolum poſtea in cruce acceperit, acetum vero cum felle modo tantũ guſtauerit.

Acetum quomodo fiat.

Peccata quæ bibat Dominus, & quæ nõ bibat, ſed guſtet tantummodo.

Luc. 23.

II. Ratio.

Augu. lib. 6. Confeſſ. c. 6. ant. tom. 1.

Exiſtimat Simon de Caſſia, lib. de Paſſione, Centauram herbã, quæ fel terræ propter inſitam amaritudinẽ à pleriſq; vocatur, ad augendã amaritudinem aceto permiſtã fuiſſe, ac Domino propinatam: quæ ſordidius inuenta fuit, quàm fel cuiuslibet animalis quomodolibet trucidati. Sed quocunq; modo ſit illi fel propinatum, guſtauit Chriſtus fel, ſed non vinum: quia nõ pro furore ac rabie Iudæorũ paſſus eſt, ſed pro voluntate Patris, ac ſua. Et guſtauit omnes paſſiones, ſed nõ abſorbuit, quin reliquias nobis poſteris ſuis propinauerit: nã mortẽ peccati originalis fructum, & reliquas pœnas, quæ naturã deſtitutam, conſequũtur, & cum quibus aſſiduè conflictamur, & meritũ & humiliationem nobis reliquit. Guſtauit præterea, ſed non bibit; ne Chriſtum à paſſionis tormẽtis intelligamus abſorptum, ne etiam bibendo videretur Iudæorum ſæuientium, ac lædẽtium malè acta approbare; nec etiamſi ad pœnitentiã, ipſi cæteriq; iniqui venire diſponunt, irrogata opprobria, & peracta hominum ſcelera traiecit in odium. Tu ergo ſi quippiam moleſtum à proximo pateris, velut ſaporem quendam acerbum guſtui duntaxat appoſitum ſic agnoſce; non autẽ vt in ventrem mentis per recordationem ad odium retinendum traijcias.

Simon de Caſſ. lib. 13. de Paſſione.

Centaura herba cur ſic dicta.

III. Ratio.

Subiungit Matthęus: *Poſtquam autem crucifixerunt eum, diuiſerunt veſtimenta eius, ſortem mittentes; vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem, &c.* Lucas verò, & Ioannes aiunt: *Vbi crucifixerunt eum.* Admiratur in primis Simon Caſſianus, quòd tantum & tantæ crucifixionis myſterium, omni ſerie ac modo in eo ſeruato prætermiſſo duntaxat dicitur factum: vel quia prę teneritudine cordium, & commiſeratione tam audax & tam horrendũ facinus deſcribere nolue-

Simon Caſſ. Ibidem.

De modo crucifixionis Dominicæ cur Euangeliſtæ nihil præſcripſerint.

runt Euangeliſtæ; vel quia vulgata notitia, qua ſic damnati exitio tradi ſolent, manu ſcriptorum temperauit, ne inſererent in Euangelio crucifigẽdi modum; vel quia Spiritus S. ita voluit, vt conſideratio non expreſſa per additamentũ piæ meditationis ad meritum fideliũ remaneret; vel deniq; quia quædam ſunt myſteria tam profunda, vt Spiritus S. factum ipſum, nõ modum explicari voluerit. Quemadmodum in incarnatione factum eſt, dum nihil dicitur de eo apud Luc. & Ioannes tantum ait: *Verbum caro factum eſt*, & in natiuitate: *Peperit*, inquit, *filium ſuum primogenitum*; in reſurrectione: *Surgẽs Ieſus mane prima Sabbati, &c.* Ita etiam de paſſione cogitandum; quam ſimplicibus verbis factã deſcribunt Euangeliſtę; modum verò eius ſuppriment. Nos igitur quædam circa rationem ac modum huius facti meditabimur, quę cum ratione & pietate cõiuncta eſſe duxerimus; reliqua verò, quæ talia non ſunt, aut ſilentio prætermittemus, aut vno & altero verbo refellemus. In primis igitur carnifices Dominũ exuerunt: nudus ſiquidem crucifixus eſt, poſtquam conſtat miniſtros diuiſiſſe inter ſe, ac ſortitos fuiſſe. Quare illæ Crucifixi imagines, quę Chriſtum veſtibus indutum, & crucifixum repræſentant, etſi laudandæ ſint ob honeſtatem, veritati tamẽ propiùs accedunt, quę ipſum nudum, vt fuit, depingunt. Exuitur itaq; Ieſus, qui cœlum ſtellis terram floribus veſtit: quod fieri nõ potuit ſine ſpinea corona detracta, & iterũ appoſita; nec rurſus veſtis detrahi, quæ vulneribus impacta hærebat. Et quia violenter & feſtinanter Iudæi agebant, ita eſt detracta, vt pellis ab ariete auelli ſolet: quæ matri, ac fidelibus qui aſſiſtebant, oſtenſa eſt ſanguinolenta, vt quidam meditantur, & dicere poterant illud, quod dixerunt filij ad parẽtem ſuum Iacob: *Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui ſit, an non.* Nudus ergo, & ſanguinolentus coram omnibus ſtetit noſter Ieſus, vultu, & oculis in terram defixis: & qualis primus homo in paradiſo habitauit, talis in Paradiſum ſecundus homo ingreſſus eſt. Expoliari ſe permiſit, vt innocentię veſtem in Adam perditam nobis recuperaret: coram omnibus nudari non horruit, ne nos nudi coram Deo inueniremur: confuſionem tantam ſuſtinuit, vt conſcientiæ noſtræ reatum tergeret: beatus enim vir, cui tecta ſunt peccata. Altiſſimam etiam paupertatem in ſeipſo oſtendit Dominus, qui cùm diues eſſet, propter nos egenus factus eſt: docuitque nos, quanta nuditate ab hoc mundo ſit nobis egrediendum. Poteratque vel hæc ſola ſpoliatio pro redemptione mundi ſufficere, quia violẽter à corpore tenerrimo, vulnerato, & dilacerato, veſtis detracta eſt, & nudum frigori, & ventis exponebatur. B. Brigitta de hac nuditate Chriſti ita ſcribit: *Stante autem Filio meo, ſicut natus erat, vnus accurrens apportauit ſibi velamen, quo ipſe exultans intime velabat verenda ſua.* Rurſus alio loco ſic habet: *Peruento igitur ad locum crucifixionis, & ecce malleus, & quatuor claui acuti in promptu ſunt, & mox iuſſus veſtes ponit, paruumq; linteum verendis prætexit: quod & ipſe inde quaſi conſolatus adiuuit ad ligandum.* Sic illa. Sindon etiam munda, qua fuit ſepeliendus Dominus, & inuoluendus à Ioſepho ab Arimathia, quæ etiam hodie Nicæ oſtenditur, reliquit integram Chriſti figuram, in qua tam pars anterior Domini, quam poſterior oſtendit huius veli ſigna apertiſſima. Anſelmus tamen in lib. de paſſione Domini teſtatur, ſanctiſſimam, Deiparam velamen capitis ſui in hoc obſequium exhibuiſſe. Ratio autem huic fauet ſententiæ: tùm ne ſeipſos impudentiæ, & procacitatis damnarent milites; tùm quia honeſti & graues viri, qui veniebant, & reuertebantur illudentes, nõ auſi fuiſſent ſtare in conſpectu Domini; tùm etiam quia mulieres honeſtiſſimæ, & verecundæ tali ſpectaculo non aſtitiſſent. Qui ergo per viam ſudarium accepit à religioſa fœmina, ad tergendam faciem, accepit & velum ad ſe tegendum. Et ſicut nudus Dauid, indutus tamen ephod lineo, & ſaltans coram Arca, deriſus eſt ab vxore Michol, ita & Chriſtus nudus à Synagoga, cum ſaltaret, & reduceret ad nos arcam fœderis Domini, & nos Patri reconciliaret. Locus autem, in quo crucem ipſam erexerat, teſte Gregorio Nazianzeno in Chriſti patientis Tragœdia, editus, & ſaxoſus fuit. Ait enim circa ferè initium:

Poſtquàm vrbe Solymorum relicta, in editum
Venere ſtratum plurimis ſaxis locum,
Regem trahentes impiæ turbæ meum.

Et infra:

Sic cùm omnium rerum potentem, altam in
crucem
Illi impuliſſent, ſaxea mole editum
Locum occupantes, & reliqua.

Deinde circa modum crucifigendi tres inueni ſententias. Prior eſt B. Gregorij Nazianzeni in Tragœdia Chriſti patientis, & Bonauenturæ, qui in ſuis meditationibus ſcribit, quòd cùm peruentum eſſet ad locum crucis, crucem terræ ſtantem fixerũt; deinde applicarũt duas ſcalas duobus crucis brachiis, & altera à tergo longiori, & altera breuiori vſque ad pedum locum. Aſcendit ergo tremens Dominus, & tandem

Luc. 1. *Ioan. 1.* *Luc. 2.* *Marc. 16.*

De modo crucifixionis Domini agitur. Chriſti nuditas in cruce.

Iudæorum feritas in Ieſum.

Gen. 37.

Supra 3.

Cur Chriſtus nudari ſe permiſerit.

Pſal. 31.

2. Cor. 8.

B. Brigitta lib. 1. c. 10. poſt med.

Eadem lib. 4. cap. 70 ſub init.

Sindon Chriſti corpus contegens in ſepulchro, quo miraculo inſignita eadem vbi aſſeruetur. *B. Anſelm.*

Dauidis ante Arcam Domini ſaltatio eiuſque deriſio ab vxore, Saulis filia, Michol, quid præſignificauerit. *2 Reg. 6* *Greg. Naz.*

Quomodo fuerit Dominus crucifixus. 1 Opinio. *Greg. Naz.* *B. Bonauent. in faſcic. 3.*

dem ſe ad populum conuertit, & vna manu confixa per carnificem, corpus totum contractum eſt, magnaque cum violentia brachiũ tractum, vt altera manus figeretur, & ablata ſcala pepẽdit corpus. Deinde pedibus chorda violẽter tractis, ita vt vniuerſa oſſa dinumerari poſſent, cruci configuntur. Secunda ſententia eſt B. Birgittæ, quæ libro reuelationum ſuarum refert, quòd crux à Iudæis figebatur, & firmabatur fortiter in foramine petrę montis, cuneis malleo circumquaque impreſſis, quò crux ſolidiùs ſtaret, ne quouis modo in aliquã partẽ inclinaret: ſtatim adaptabantur tabulæ ligneæ in circuitu ſtipitis crucis per modum graduum vſq; ad locum, vbi debebant crucifigere pedes, vt poſſent per illos tabularum gradus tam ipſi, quàm crucifixores aſcendere, & ſuper tabulas illas commodè ſtare ad explendum crucifixionis miniſterium. Tertia ſententia eſt, quæ tribuitur à quibuſdam B. Hieronymo, quã multi poſteà ſecuti ſunt, inter quos eſt B. Antoninus in prima parte Hiſtoriali, & Anſelmus libr. de paſſione circa finem, quòd crucẽ Chriſti in terra iacentem terebra perforauerunt in his locis, ad quę credebant & manus & pedes attingere poſſe: nam aliter claui craſſiores ac hebetiores lignum minimè penetrare poſſent. Et idcircò in die Veneris ſancti ad huius rei memoriam, crucem in terra proſtratam adoramus: agnumque nudum & ſanguinolentum ſuper lignum durum proſtrauerunt: quod cùm eſſet indolatum, vt quidam tradunt, non potuit eſſe eius contactus ſine magno dolore. Tunc igitur arrepta manu ſiniſtra, illam priori loco affigere tentarunt, quæ ex parte cordis erat, vt citiùs, & magis doleret. Eua enim ex illa parte corporis formata fuit, quæ prima peccauerat. Manus igitur volam ex parte qua craſſior eſt, ita confixerunt, vt clauus qui pollicis craſſitudinem æquabat, & tantæ erat longitudinis, vt longè vltra crucis ſtipitem protenderetur, teſte B. Brigitta, partem carnis intra foramen raperet, vt non tam affixam, quã ferruminatam crederes. Pari immanitate ad dexteram procedunt; quæ cùm longiùs diſtaret à foramine propter neruos, vt fieri ſolet, ad mutua ſubſidia contractiores redditos; idcircò alijs ſæuitiæ inſtrumentis contendunt, vt funibus hinc inde ligatis alij ſiniſtram manum vinculis retinerent, ne diſcerperetur; alij verò dexteram trahebant, donec loco perforato, ac parato accomodari poſſet. In hac autem mutua traditione, harmonia oſſium pectoris diſſoluta eſt: & in his omnibus manſuetus agnus

II. Opinio. *B. Brigitta li. 7. c. 15. inst.*

III. Opinio. *B. Hieronym. S. Anton. 1. p. hiſtor. ti. 5. ca. 6. ante med.*

Vtra manus Domini prius fuerit confixa dextrane, an ſiniſtra. *Geneſ. 2.*

B. Brigitta l. 2. cap. 21.

Chriſti manſuetudo patientia. *1. Pet. 2.*

nec clamabat, nec conquerebatur. Tunc totum corpus mirabiliter contractum fuit, vſque adeò, vt pedes non poſſent attingere ad locum deſignatum clauorum. Quare immanes miniſtri funem per humeros circumducunt, validè corpus alligando, vt pedes ac crura quoad poſſent, extenderent, abſque eo quod manus confixæ diſcerperentur. Pedes autem cancellati duobus clauis ad ſtipitem, vt ait. B. Birgitta, fixi ſunt, quò plus illum excruciarent. Cùm tamen crucifigendis omnibus moris eſſet, paruum lignum ſupponere, in quo pedes recti nitebantur, & configebantur: at Chriſto, & ſuſtentaculum pedum ſubſtractum eſt, & pedes non niſi cancellati ad ſtipitem confixi. Sic igitur extenduntur eius viſcera, pedes clauis penetrantur, non ſine poplitum, compagumq; ſolutione, nerui cùm venis, & arterijs rupturam paſſi ſunt, plagæque flagellis inflictæ detectæ, ac renouatæ, ita vt poſſent omnia dinumerari oſſa. Atq; in corpore ita extenſo nulla ruga permanſit, ſed prophetica Dauidis cithara: & cordę eius extenſæ ſunt, quo ſuauem, & altum ſonum redderet Deo, & hominibus. Extenſuſq; eſt Chriſtus, vt pellis agni hinc inde, & caro eius tanquam pannus texentium in ligno diſtenta, & impletum illud: *Foderunt manus meas, & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea*, id eſt, numerabilia facta ſunt. Poſteà abſciſſis funibus factum eſt, vt penderet totus ex clauis: magnoque impetu, & clamoribus crucem eleuantes, dimiſerunt eam in locum paratum, vt ſuſtentaretur; deinde adhibuerunt foramini crucis ligna, & lapides, vt fixa permaneret, nec in aliquam partem propenderet. Qua in re rurſus omnia vulnera, & plagas Domini renouarunt, fuitque hic ſummus, & maximus dolorum, quo corpus Chriſti fuit excruciatum, atque afflictum, vt ratio ipſa pręſcribit, quòd iam non ad externam tantùm carnem, ſed ad neruos, intimam medullam, oſſiumq; compaginem, in quibus dolor eſt vehementiſſimus, ac intenſiſſimus, peruentum ſit. Hinc Eccleſia hunc dolorem conſiderans, canit:

Flecte ramos arbor alta,
Tenſa laxa viſcera;
Et rigor lenteſcat ille,
Quem dedit natiuitas;
Vt ſuperni membra Regis
Miti tendas ſtipite.

Quòd ſi arbor illa ramos ſuos non vult flectere; ſaltem vos fideles flectite duritiam cordium veſtrorum, & intra illa recipite Ieſum totum pro vobis cruentum; vt vel ſic aliquam rationem ſolatij, ac refrigeratio-

Crucifigentiũ miniſtrorum immanitas.

B. Birgitta l. 4. c. 10.

Qualis cithara Chriſtus iuxta Prophetam.

Pſalm. 56. Qui verum illud, Dinumerauerunt omnia oſſa mea.

Pſal. 21.

Summus & maximus Chriſti dolor in cruce quis.

Brachia, pedeſque, ac totum corpus, in cruce cur

Chriſtus extenderit.

nis illi præſteris. Extendit igitur brachia Dominus, vt oſtendat, quanta cum charitate hæc omnia pro nobis patiatur: pedes fodicari permiſit, quò indicaret ſe non deſtiturum, donec plenè diuinæ iuſtitiæ pro nobis ſatisfaceret, neque diſceſſurum à nobis, niſi priores nos ab illo diſceſſerimus: totum deniq; corpus obtulit, quò nos Patri reconciliaret; noſque omnia membra noſtra in obſequium Chriſti offerre doceret. Deniq; probabile eſt, miniſtros omnē crudelitatem in eo cruci ſuffigendo adhibuiſſe, tùm quòd ipſe eſſet vir dolorum, & ſciens infirmitatem, voluitque dolorum omnium exceſſum deguſtare: tùm quia caput noſtrum erat, & cauſam communem omnium peccatorum agebat; & ne fortè tentari valeamus, quòd non ſit plenè pro nobis ſatisfactum; neue eius exemplo vllos, quantumuis diros, ac grauiſſimos horreremus dolores. Grauiſſimeq; peccarunt in hoc miniſtri, licèt Ethnici, & Gentiles: tū quod ſæpè audiſſent Chriſti doctrinam, vidiſſentq; ne eius miracula; tùm quod ſæpè ex ore Pilati accepiſſent eius innocentiam, etiam vxoris eius nuntio teſtificatam; tùm quòd in gratiam Iudæorum pecuniam, aut pretium proponentium, vt grauiùs Ieſum affligerent, demùm excedebant animo, & modo, quia fortaſſis odio concepto in eum ſæuiebant.

Quàm vere Chriſtus ab Eſaia nominetur vir dolorū, & ſciens infirmitatem. *Eſai 53.*

Quàm grauiter Iudæorum miniſtri deliquerint Dominum crucifigendo.

Circa lignum verò Crucis, quale illud extiterit, non eſt ignorandum, multa à varijs autoribus tradita eſſe: quibuſdam referentibus illam ex quatuor lignis nobiliſſimis confectam fuiſſe, nempe cedro, cypreſſo, palma, & oliua; alijs verò ſcribentibus ex duplici ligno conſtitiſſe, recto illo, & tranſuerſo. Sed cùm hæc ſolidioribus argumentis, vel Scripturis, vel ex traditione Patrum, non probentur, neque veriſimile ſit, Iudæos tā pretioſam materiam lignorum Chriſti neci deſignaſſe, cùm in reliquis animi ſui acerbitatem, & odium indicarent: proptereà illa quorundam ſedit ſententia, crucem vnicum tantùm fuiſſe lignum, rude, impolitum, ac indolatum: in cuius ſummitate duo erigebantur brachia, in quibus crucifixæ ſunt manus, & caput manſit pendulum, nulliique rei innixum: & inter duo illa brachia funiculis appenſa pendebat tabella titulum continens: vt tradit B. Birgitta. Atque hoc videtur confirmare Cyprianus Epiſcop. in carmine illo de ligno Crucis, vbi ſic ait.

De ligni crucis figura triplex ſententia.

Secunda opinio, nō minus probabilis.

Tertia opinio probabilior, & certior.

B. Birgitta eodem loco.

S Cyprian.

Eſt locus ex omni medio quem cernimus orbe.
Golgatha Iudæi patrio cognomine dicunt,
Hic ergo ſterili ſucciſum ex arbore lignum
Plantatum memini fructus genuiſſe ſalubres.
Arboris hæc ſpecies vno de ſtipite ſurgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos.

Idem videtur ſentire Gregorius Nazianzenus, qui in Chriſto patiente ait:

Greg. Naz. Quot clauis Chriſti corpus fuerit in cruce ſuffixum.

Statim caterua molis ingentis crucem.
Cœlo minantem egere ſurſum perditè,
Egēre ſurſum, & ſuſtulēre vltimum.
At ille clarum rectum os in æthera
Eſt actus, vno item altero ramo arboris
Dextram, & ſiniſtrā extenſus, & fixus manus
Clauis acutis, parteq; infima pedes.

B. Brigitta l. 1. c. 10 & 4. c. 70. initio ferè, itē li 7. c. 15. ſub initiū. Rurſus in extrauag. reuelat. 51.

Tertiò notandum eſt, circa clauorum numerum aliquam eſſe controuerſiam, B. Brigitta: *Ecce*, ait, *malleus & quatuor claui acuti in promptu ſunt*: & ſæpiùs aſſerit, *quòd cancellatis cruribus, vno ſuper altero, pedes duobus clauis ſint confixi*. Idem docet Gregorius Turonenſis in hiſtoria ſua de gloria ſanctorum: *Vnum*, inquit, *ex quatuor clauis deponi iubet Conſtantinus in pelago*; & Innocentius III. de vno Martyre: *Quatuor*, inquit, *claui, ſunt quatuor principales virtutes*. Cyprianus quoque ſerm. de paſſione Domini, clauis ſacros pedes Domini terebratos fuiſſe tradit. Scribit Bonauentura, D. Franciſcum in manibus & pedibus habuiſſe ſigna clauorum capitibus rotundis, & nigris in interiore parte manuū, & ſuperiore pedum apparentibus, & acuminibus exiſtentibus ex aduerſo. Ex quo colligitur, quatuor fuiſſe clauos. Denique idem Gulielmus Duran. tenet in Rationali diuinorum officiorum. Idem prætereà antiquæ picturæ huic veritati fauere videntur, q̄ ligno recto trāſuerſum paruum lignum ſupponunt, quò pedes cruci ſuffixorum ſuſtentabantur, & ſingulis clauis configebantur: vt oſtendit ſtatua Crucifixi per Nicodemum condita, quæ habetur Lucæ ciuitate Italiæ, & imago Crucifixi argentea antiquiſſima, quę habetur Romæ apud S. Petrum, & Crucifixus ille apud S. Ioannem Lateranenſem, & alter Louanij in Eccleſia S. Michaelis, & alter in Eccleſia Burgenſi in Hiſpania, & permulti alij in varijs prouincijs. Ad hæc ratio ipſa accedit: quia difficile eſt conijcere, qua ratione duo pedes ſtantis vno clauo cōmodè configi poſſent. Quare Irenæus lib. aduerſus Valentinum meminiſſe videtur illius ſuſtentaculi, quod in vetuſtis imaginibus Chriſti pedibus ſupponitur: ſic enim habet: *Ipſe habitus crucis fines, & ſummitates habet quinque, duos in longitudine, & duos in latitudine, & vnum in medio, vbi requieſcit, qui clauis affigitur*. Lege Lindanum in ſua Panoplia. Non negauerim tamen, quin B. Ambroſius in oratione de obitu Theodoſij non meminerit niſi tantùm trium, vt Ruffinus, & Hiſtoria Tripartita Gregorius

Vnde quatuor fuiſſe conſtet.

Grego. Turonenſ lib. 6. hiſtor.

Innocen. III.

Claui quatuor quid denotēt. *Cyprian.*

B. Bonauen.

Durandus

Antiquę picturæ, & imagines Crucifixi.

Ratione idem probatur. *B. Irenæ. l. 2. 4. 42 initio.* Crucis habitus qualis ſecundum Irenæum.

Lindan. li 4. Panoplia, ca. 97. B. Ambr. tom 2. Ruffin li. 10. Hiſtor. Tripar. libr. 2.

118. circa medium. Gregor. Naz.

gorius vero Nazianzen. in Chriſto patiente meminit Ioſephi deponentis Chriſtum ex ligno τριήλῳ, id eſt, tribus clauis inſigni:

Vos (inquit) *me ſequimini, deferamus grauiter.*
Onus beatum mille poſt preces mihi
Vix impetratum principis dono, tribus
Quod habet clauis edita fixum in cruce, nudumque:

Et de clauo quidem proiecto in mare Adriaticum ad ſedandam tempeſtatem, loquitur Gregorius Turonenſis. Nicephorus refert inuentionem Crucis per Helenam matrem, quæ partem Crucis miſit ad Imperatorem, & ex ſacris clauis quoſdam, quos tùm ad monumentum repererat, quorum alterum poſuit pro amuleto in galea, alterum frænis equi inſeruit, vt etiam Cyrillus in Zachariam Prophetam tradidit. Et hoc de numero clauorum. Illud verò perpende, quòd B. Brigitta ſcribit: *Erat autem crux,* inquit, *fixa, & brachia eius eleuata, ita vt nodus crucis inter ſcapulas eſſet, nec vllum capiti reclinatorium crux præbebat, & tabula tituli vtriq; brachio ſuper caput eminenti affixa erat.* Hæc illa. Ex quo habes, lignum fuiſſe indolatum, & nodum illum ſummum cruciatum Chriſto attuliſſe.

Nicep. lib. 8. c. 29 prope finẽ.
Cyr. in c. vlt. Zachar.
Traditio B. Brigittæ de cruce Dominica.
B. Brigit. lib. 4 cap. 70. ſub init.

An duo latrones ſimul cum Chriſto in crucem acti, clauis fuerint ſuffixi, necne.
Primum argumentum pro priori parte.

Quartò perpende, circa latrones cũ eo crucifixos dubitatum fuiſſe à quibuſdã, an clauis fuerint confixi, an verò tantùm funibus alligati. Sed reuera de hac re amplius dubitare non licet. Nam textus Euangeliſtarũ quatuor aſſerit duos latrones eſſe crucifixos cum Chriſto, & vtitur eodẽ verbo, cùm de illis eſt ſermo. Conſtat autem, Dominum clauis perforatum fuiſſe quemadmodum Thomas dixit: *Niſi videro in manibus eius fiſſurã clauorum*; & Propheta: *Foderũt manus meas, & pedes meos.* Item Iudæi de latronibus alligatis duntaxat non putarent, quòd tam citò morerentur: quia cõfracti in Germania, & rotis expoſiti, per plures horas, & dies aliquando viuunt. Adhæc crura latronum fregerunt, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato: & niſi Chriſtus iam vita functus fuiſſet, idem tormentum tuliſſet. Prætereà conſtat, Helenam inueniſſe Crucem Chriſti, nec niſi miraculo, & Crucis titulo potuiſſe diſtinguere Crucem Dominicam à crucibus latronum, quòd omnes eſſent ſanguine litæ, & clauis perforatę: ergo eodem genere mortis extincti ſunt latrones, atque Chriſtus. Deniq; Auguſtinus in Ioannem: *Clauis,* ait ſcilicet, *confixi latrones diu cruciabantur, infirmitati non dominabantur.* Idem docet Gregorius in libr. Moral. & Ambroſ. in oratione de obitu Theodoſij Imp. ſub finem, & Paulinus in epiſt. ad Seuerum Sulpitium. Quòd ſi obijcias pictores, qui latrones funibus cruci alligatos, & non clauis ſuffixos depingunt: reſpondendum, magis eſſe ſtãdum veracioribus & antiquioribus pictoribus, vel dicemus illud Poëtę:

Ioann. 20.
Pſalm. 21.
Secundum argumentum.
Tertium. Ioan. 19.
Quartum.
Quintum.
Aug. tract. 37 in Ioann. ſub finem, tom. 9.
B. Greg. li. 28. Moral. ca. 25. tom. 1.
Ambr. to. 2. Paul. epi. 11.

Pictoribus atque Poetis,
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Hora. in Arte, initio.

Nam virginem cum aurata veſte, & Magdalenam cum laſciuo habitu, & alabaſtro vnguenti depingunt, quaſi ſemper geſtaret pixidem in manu. Non ergo licet ampliùs in dubium reuocare, an latrones clauis fuerint confixi.

Duo latrones cum Chriſto crucifixi cuius nominis fuerint.
Chriſtus cur in medio latronum ſit poſitus.

Quintò obſerua, latrones illos, iuxta Nicodemum, vocatos fuiſſe Dimam & Geſtam, infames prorſus illius ætatis latrones. Poſuerunt autem IESVM medium inter eos, quò magis eius cauſam grauarent, & maiori infamia aſpergerent, quaſi maximus eſſet omnium malefactorum, atque eorum Rex. Sed Chriſtus hoc fieri permiſit, vt ſanctificaret eos, alterum quidem ad fidem conuertendo: alterum verò per alterum ſanctificare tentando, quò ſe oſtenderet pro peccatoribus pati, ac mori, & vt Marcus ait, *vt impleret Scripturam Eſaiæ: Et cum iniquis reputatus eſt,* imò cum iniquiſſimis: non ſolùm enim vitam, ſed etiam honorem & famam, quæ ex virtute oritur, & virtuti debetur, ac proinde vitæ noſtræ non ſine ratione præfertur, pro nobis poſuit. Voluit etiam hoc ſolamen reis, qui ad mortem damnantur, præbere, videntibus quòd ſecum etiam innocens Ieſus moritur, qui ſaluat credentes. Voluit item ſciri, ſupplicij quoque locum officinam ſalutis eſſe poſſe. Adhæc vt nos rei noſtri ſupplicij obliuiſcamur, & ad comites, qui nobiſcum affliguntur, conuertamur, eiſque quibus poſſumus modis, opem, & conſolationem adferamus. Voluit ſummus Pontifex in altari Crucis ad ſacrificium Deo Patri offerendum nõ accedere, niſi Diacono ac Subdiacono miniſtrantibus, ſuoque lateri aſſiſtentibus. Adhæc impleuit aliam figuram Dominus Ieſus. Nam Ioſeph Patriarcha totus innocens in carcerem incluſus eſt cum duobus Pharaonis miniſtris, qui in Dominum ſuum peccauerant: quorum vnus ſeruatus eſt à morte, alter verò illam non euaſit. Eodem modo vnus ex latronibus ſeruatus eſt, alter perijt. Significat etiam, quòd CHRISTVS pro latronibus crucifigitur: nam latro eſt, qui ea, quæ ad Deum pertinent, vſurpat. Omnes ergo latrones ſumus, & in medio noſtri crucifigitur Ieſus, & nemo noſtrum ſine cruce eſt: verùm ſicut latronum vnus damnatur, ita non omnes qui crucem gerunt, ſaluantur. Duo etiam

Eſai. 53.
II. Ratio.
Tertia.
Quarta.
Quinta.
Geneſ. 40.
Ibid.
Sexta.
Latro qui merito cenſendus, ac dicendus.

latro-

Latrones qd denotent.

latrones, duo populi ſunt, vetus, ac nouus: quorum vnus blaſphemijs Chriſtum appetens, mortuus eſt, hic verò tandem Deum agnouit, ac ſeruatus eſt. Non ſolùm ergo contenti fuerunt Iudæi Chriſtum in loco turpiſſimo, ac turpiſſimo mortis genere occidere, ſed etiam ad maiorem ignominiam addunt duos latrones, vt videretur crimen eſſe commune, quibus erat pœnæ commune conſortium, famaque ſpargeretur, tres vno die latrones Ieroſolymis fuiſſe cruci ſuffixos; quò ita nos æternis ſupplicijs cum diabolo & Angelis eius deputatos, inter iuſtos ac pios, imò inter ipſos Angelos deputari poſſe ſperemus, gratia, & meritis Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre, & Spiritu S. ęternę reddantur gratię, laudes, & imperium in ſempiternis ſeculis, Amen.

TRACTAT. XXXVI.

In quo peculiariter agitur de maximo, & ſacroſancto Crucis Domini noſtri myſterio ad vitam terminandam electo.

Cur Dominus Ieſus hoc genus mortis, nempe crucis delegerit.

HOc Loco tractandum occurrit, cur Dominus Ieſus ſapientia Patris, hoc genus mortis per crucem cæterorum omnium teterrimum, fœdiſſimum, & atrociſſimum elegerit. Noluit enim iugulari cum innocentibus, noluit præcipitari à Nazarenis, noluit lapidari à Phariſæis; ſed benè in crucem exaltari. Dicendum ergo eſt, hoc genus mortis in primis fuiſſe viliſſimum, ac contemptiſſimum: vnde Paulus exaggerando dixit: *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Erat enim ſeruorum ſupplicium, vnde & ſerui dicebantur furciferi, mittebanturque in malam crucem. Et in libro Sapientiæ dicitur: *Morte turpiſſima condemnemus eum*; quòd tantùm deceret ſeruos. Et in Deuteronomio maledictus à Deo omnis qui pendet in ligno vocatur. Vnde Romæ Paulus vt ingenuus, & nobilis, ac ciuis Romanus gladio, Petrus verò vt vilis & contemptus piſcator, cruce peremptus eſt. Vnde Cicero in Verrem, in crucem tollere ciuem Romanum, inexpiabile crimen, & vllo ſatis digno nomine vocari poſſe negauit. Et idem in oratione contra M. Antonium: *Vt quam damnatis*, inquit, *crucem fixeras, hanc indemnatis ciuibus Romanis reſeruares.* Adde Lactantij verba, qui libr. de vera ſapientia, exaggerans crucis ſupplicium ait: *Non enim Gauianam crucem deſcribimus, quam M. Tullius vniuerſis eloquentiæ ſuæ neruis, ac viribus, velut effuſis totius ingenij fontibus proſecutus eſt, facinus indignum eſſe proclamans, ciuem Romanum contra omnes leges in crucem eſſe ſublatum, qui quamuis innocens fuerit, & illo ſupplicio indignus, mortalis tamen, & ab homine ſceleſto, qui iuſtitiam ignoraret, affectus eſt. Quid de huius crucis indignitate dicemus, in qua Deus à cultoribus Dei ſuſpenſus eſt, atq; ſuffixus? Quis tam facundus, & tanta rerum, verborumque copia inſtructus exiſtet? Quæ oratio tanta affluentia vbertate decurrens, vt illam crucem meritò deploret, quam mundus ipſe, & tota elementa luxerunt?* Hactenus ille. Erat etiam ſupplicium latronum, vt publicorum prædonum. Vnde apud Horatium in epiſtolis:

Matth. 2. Luc. 4. Ioan. 8 & 10.

Philip. 2. Crux quale ſupplicium erat, & cur ſerui furciferi appellabātur.

Deut. 21.

Cic. act 7. in Verrem.

Idem Phil. 7.

Lactan. l. 4 c. 18. ante med.

Supplicij crucis exaggeratio ex Lactantio.

Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat
Seruus, Habes pretium, loris non vreris, aio
Non hominem occidi: non paſces in cruce coruos.

Hora. li. 1. epiſt. 15. circa med.

Ex quibus habes, crucem pœnam eſſe ſeruorum latrocinantium, & occidentium. Cùm ergo Dominus formam ſerui induerit, vt nos in libertatem aſſereret, & ipſe præterea inter duos latrones poſitus, quæ non rapuit, id eſt, debita Adæ latronis, exoluerit; idcircò magna ratione ſeruorum, & latronū mortem amplexus eſt. Accedit ignominiæ eius cauſa doloris, quod nimirum vehementer affligeret, ac iuxta nomen ſuum cruciaret, ob neruorum concurſum in manibus & pedibus, & quòd ſenſus tactus in illis maximè viget; ideò illis læſis vehementiſſimus dolor percipitur. Adde corporis totius violentiam, extenſionem, verecundam, ac deformem nuditatem, ſanguinis euacuationem, & ardētem ſitim, quam generat. Hinc Iudæi inſtanter ipſum crucifigi voluerunt; nec proinde alio mortis genere erant contenti, atque iſto, quod eſſet omnium ignominioſiſſimum, Gentibus, & Iudæis ſummè execrandum. Secundò, conueniebat hæc forma moriendi, vt ſatisfaceret peccato primi parentis, qui contempto Dei mandato, ſumpſit fructum ex arbore, & per eius contumaciam plantata eſt mors in ligno: at Chriſtus exoluens quæ non rapuit, fructum ſalutis in ligno poſuit. Quod Eccleſia conſiderans, rectè in Hymno cecinit:

Pſalm. 68.

II. Ratio.

Geneſ. 3.

De parentis protoplaſti
Fraude facta condolens:
Quando pomi noxalis
Morte morſu corruit,
Ipſe lignum tunc notauit,
Damna ligni vt ſolueret.

Et ſubdit:

Hoc opus noſtræ ſalutis
Ordo depopoſcerat,

Multiformis proditoris
Ars artem falleret:
Et medellam ferret inde,
Hoſtis vnde læſerat.

Cant. 8. Chriſtus pro nobis crucis mortem oppetere, quid fecisse videatur. præclara Athanaſij ſententia de crucis efficacia.

Et ſponſus in Canticis hoc innuens, ad Sponſam ait: *Sub arbore malo ſuſcitaui te: ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Non aliter faciens quàm filius, qui honorem offenſi patris ſui zelans, lignum quo pater eſt verberatus, ſeruat, vt illo ipſo vindictam faciat parentis. Hinc Athanaſius ſerm. in ſanctam Paraſceuen: *Miſertus ipſe Deus*, inquit, *remedium ad tollendum errorem intulit, crucem videlicet proferens diuinæ notitiæ inſtrumentum, omni natura potentius. Siquidem efficax non fuit cœlum ad impietatem corrigendam. Erubeſcebat quidem Sol, ſed homines detinere non poterat, quominus illum adorarent. Terra corporibus medicamenta ſuppeditans, ægrotanti animæ remedium ferre nequibat; Mare quoque verecundabatur, cùm diuinos honores hominibus ſimili errore detentis, immeritò ſibi offerri videret. Ita miſeri homines cæcutientes fouebant creaturam, & quotquot in promptu erant, adorantes, inter ea Deum ipſum inuenire non poterant, vel vniuerſa prædicam naturæ ad eius vnius doctrinam, ac notitiam homines adducere non valuit. Sed quod non potuit cœlum, potuit Crux: quem Sol non docuit, Crucis fulgor ingens reuelauit: lignumque illud, quod vile habebatur, cum eſſet iam plantatum, ex impietate ad pietatem transferens, quæ excoluit orbem terrarum, lignum, quod erat damnationis inſtrumentum, damnatis hominibus libertatis fructum produxit.* Hæc ille, celebrans lignum Crucis.

Signi crucis virtus quanta.

Tertia ratio.

Tertiò per hoc genus ſupplicij Chriſtus inter cœlum, & terram poſitus, & exaltatus eſt, ac inter duos latrones conſtitutus; quò verum ſe oſtenderet Dei & hominum mediatorem, qui reconciliatione ſua, atque interceſſione mundum Deo placaret, & omnia traheret ad ſe ipſum. Hinc Leo ſermone de paſſione Domini: *Meritò igitur*, inquit, *priuſquàm traderetur, dixerat Dominus: Cùm exaltatus fuero, omnia ad me traham; id eſt, totam cauſam humani generis agam, & olim perditam in integrum reuocabo naturam. In me omnis infirmitas abolebitur, in me omnis plaga ſanabitur. Exaltatum autem Ieſum ad ſe traxiſſe omnia, non ſolùm noſtræ ſubſtantiæ paſſione, ſed etiam totius mundi commutatione monſtratum eſt. Pendente enim in patibulo Creatore, vniuerſa creatura congemuit, & Crucis clauos omnia ſimul elementa ſenſerunt. Nihil ab illo ſupplicio liberum fuit. Hoc in communionem ſui & terram traxit, & cœlum, hoc petras rupit, monumenta aperuit, inferna reſerauit, & denſarum horrore tenebrarum, radios Solis abſcondit. Debebat hoc teſtimonium ſuo mundus autori, vt in occaſu conditoris ſui vellent vniuerſa finiri. Sed potentia Dei ſeruat rebus, atque temporibus ordinem ſuum, noſque in illum potius vocat affectum, vt eorum ſalutem petamus, quorum crimen horremus.* Hactenus Leo.

Ioan 12. Leo ſerm 6. paulò pòſt medium. Quid illud Cùm exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum.

Quarta ratio. De Chriſti cruce variæ figuræ & Prophetarum vaticinia recenſentur.

Quartò videtur, hoc necis genus multipliciter fuiſſe prophetatum, vt Eccleſia canit:

Pſal 95.

Impleta ſunt quæ concinit
Dauid fideli carmine,
Dicens in nationibus,
Regnabit à ligno Deus.

Ex quo enim lignum notauerat, fecit illud depingi, figurari, ac ad perpetuam rei memoriam publicari: imò lignum notaſſe, fuit cœpiſſe tunc lignum habere figuram crucis. Conſtat enim quòd Deus non veniſſet, ſaltem moriturus, niſi Adam peccaſſet: ſequitur ergo, quod ante peccatum non erat lignum figura crucis. Tunc ergo ſignata eſt Crux in arbore vitæ, & in illa, ad quam Adam confugit, quaſi remedium inuenturus ſub arbore, qui in arbore deliquerat. Genes. 3. Ad hoc igitur ſpectat, quòd Abel palo occiſus eſt à fratre Cain. Infr. 4. Hæc eſt arca Noe, in qua omne ſemen gratiæ ſeruatur. Infra 6. Hoc eſt tabernaculum, in quo Noë nudatus iacuit, Infra 9. & à bonis filijs fide, & commiſeratione vult tegi. Hæc eſt arbor, ſub qua Abraham inuitabat Angelos, vt quieſcerent, & panem comederent. Infra 18. Hîc enim Chriſtiani & ſaturantur, & quieſcunt. Hæc eſt ſtrues lignorum, Infra 22. in qua Abraham, id eſt, Pater excelſus, & cœleſtis dilectum filium Iſaac immolabat, atq; hoc ligno debes incendere holocauſta tua. Hic eſt arcus, & pharetra Eſau, in quo Infra 27. capta præda, ac deguſtata, benedicat pater filio ſuo. Hæc eſt ſcala Iacob, cui verè Do- Infra 28. minus innixus eſt: per quā aſcendunt Angeli offerētes noſtra deſideria, & deſcendunt reportantes gratiam: quia nec exaudimur niſi per Chriſtum, nec quicquam dat Pater, niſi propter Chriſtū. Hic eſt ille baculus Iacob, de quo dicebat: *In baculo meo trāſiui Iordanem:* Infr. 3. & quiuis Chriſtianus cruci nixus ſecurus tranſit in terram cœleſtem. Hæc etiā Crux ſignificata eſt in illis virgis decorticatis, quibus poſitis in canalibus, oues concipiebant varia & maculoſa: quia ſi virtus Crucis interior ablato exterioris vtilitatis cortice penſetur, & videatur in ſancta canalibus, ſiue fontibus Saluatoris, fiet anima ad Solis radios grauida varietate virtutum, & pertinebit ad Iacob, id eſt, Chriſtum, & nō ad Laban, id eſt, dæmonem. Hæc eſt illa terebinthus, ſub qua Iacob infodit deos alienos: quia extincta eſt omnis idololatria virtute Crucis, de qua dicitur: *Ego*

Quid quòd virgis Iacob decorticatis, & poſitis in canalibus oues concipiebant fœtus varios, & maculoſos. Suprà 30.

Infra 35.

Eccli. 24.

quaſi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ. Hæc eſt illa trium propaginum vitis, in qua ſignata eſt reſtitutio pincernæ: quæ ſymbolum erat redemptionis hominum, & quæ protulit vinum ſanguinis Chriſti à fidelibus in myſterio potandum. Hæc deſignatur in illis compedibus Ioſeph quibus ligatus fuit, quando ferrum pertranſijt animam eius: ſed poſteà factus eſt Princeps Ægypti. Ita Dominus poſt crucem à Deo accepit poteſtatem in cœlo, & in terra: noſque Cruce Domini quaſi compedibus retineri debemus, ne peccemus. Hæc eſt illa virga Aaron, quæ vertitur in ſerpentem edentem alios ſerpentes magorum, & qua flagellatur Ægyptus, & aperitur mare rubrum Baptiſmi, & pœnitentiæ, & ſubmergitur exercitus Pharaonis, nimirum noſtra peccata. Hæc virga percuſſit petram, & fluxerunt aquæ largiſſimæ, & bibit populus & iumenta: quia afflixit Chriſtum, cuius morte ſatiantur iuſti & peccatores. Hac tanquam ligno aloës miſſo à Moſe, indulcatur aqua Marà, id eſt, tribulationes noſtræ, vt poſſimus eas ſuſtinere, ac bibere. Et vt de Amalech victoria obtineri valeret, opus fuit Moyſem cum virga manus extendere, quibus laben tibus, vincebatur Dei populus, ſtantibus verò Amalech vincebatur, non enim, vt ait Iuſtinus in Tryphonem Iudæum, propter preces Moyſis ſuperior euadebat populus, ſed quia nomen Ieſu verſabatur in prima acie, & vates ſignum Crucis repræſentabat. Ita ergo virtute crucis Chriſti nos dæmones, & vniuerſos hoſtes noſtros ſuperamus. Hæc eſt illa rubus ardens, & incombuſta, in qua fuit Deus quaſi ignis in ſpinis. Ardet enim Crux Chriſti igneæ charitatis meritis; ſed non conſumitur, quia ſemper viuunt illa merita Crucis ante Deum. Ardet item igne doloris & pœnæ; ſed non conſumitur Chriſti innocentia igne peccati. Eſtque egregium ſpectaculum, quòd rubus ardeat, nec comburatur, id eſt, cur in Cruce ſit tanta pœna Chriſto innocenti inflicta. Ex hac rubo fit promiſſio liberationis Iſraël, quia rubus ſoli agno, vel oui grauis eſt, & lanam tondet, ſed alijs animalibus etiam venenatis feris eſt perfugium. Hæc Crux ſignificatur in ſuperliminaribus agni ſanguine tinctis, quibus viſis tranſibat Angelus percutiens: vtrumque crucis Chriſti cornu ſanguine tinctum fuit vt domus Eccleſiæ in Chriſtum credens ſeruetur. Hæc eſt lignum, in quo exaltatus æneus ſerpens à Moyſe, ac viſus, læſos à ſerpentibus ſanat. Ita Ieſus fide conſpectus, & in cruce pro nobis pendens, nos à veris ſerpentibus infeſtatos ſanitati reſtituit. Hæc eſt illa pertica, in qua verus botrus cipri eſt aſportatus, vt geſtemus dulcedinem terræ promiſſæ. Hæc eſt virga Aaron, quæ ſupra naturæ facultatem floruit, cùm eſſet adeò ſterilis, & maledictus eſſet omnis pendens in ligno. Hæc ita refloruit, per hoc quòd Chriſtum florem ſuſtinuit, vt nulla benedictio abſque illa à Deo concedatur; nam ſigno crucis omnes benedictiones in Eccleſia conferuntur. Hæc eſt arca cedri lignea, in qua tabulæ Teſtamenti, & vrna mannæ, atque virga çontinetur: quia in hoc crucis myſterio potentia, ſapientia, atque dulcedo diuinæ miſericordiæ tanquàm manna continetur: vt notat Auguſtinus ſermone de paſſione Domini. Hanc arcam duo Seraphin hinc inde exornabant, id eſt, Maria, & Ioannes, qui cruci adſtiterunt. Et ſicut Deus exiſtens in arca populum per deſertum trahebat in odorem thymiamatis; ita Eccleſia trahitur à Chriſto in cruce. Quam etiam ſignificabat cedrinum lignum cum hyſſopo, quibus Dominus iubebat multa conſpergi ſacrificia ſimul cum cocco bis tincto Nam virtute mortis Domini, & charitatis ſuæ & in Patrem, & in nos oſtenſæ, ſacrificia noſtra grata redduntur Deo. Hæc eſt clypeus ille, quem Ioſue eleuauit contra ciuitatem Hai: quam & obtinuit: & nos hoc clypeo ſumus tegendi contra mundum, vt illum ſuperemus. Hæc eſt illa virga qua tetigit Angelus ſacrificium Gedeonis, vt illud ignis è cœlo conſumeret, in ſignum diuinæ acceptationis. Nihil dicam de vomere Samgar iudicis, maxilla Samſonis, gladio Gedeonis, lapide percutiente ſtatuam Nabuchodonoſoris, horologio Achaz, in quo Sol retroceſſit per decem lineas; claue Dauid ſuper humerum: quia tantùm mens eſt de lignis quæ crucem apertiùs repræſentabant, verba facere. Hæc eſt quercus in qua ſepulta eſt Debore nutrix Rebeccę, id eſt, Synagoga, & quercus, in qua occurrunt tres viri Sauli: in quo omnes ſaluandi occurrentes Chriſto ſignificantur. Hoc eſt lignum, quod fecit natare ferrum ſub aquis ſubmerſum tempore Heliſæi, id eſt, quod fecit animas educi de limbo. Hic eſt baculus, in quo cum funda Dauid pugnauit cum Goliath. Hic eſt verus thronus Salomonis, in quo diuina ſedit ſapientia. Hæc eſt virga vigilans Ieremiæ vigilantes nos reddens, & lignum illud Prophetæ miſſum à Iudæis in panem eius, id eſt, corpus Domini, qui ſe vocat panem vitæ, & panem de cœlo verum, vt Iuſtinus martyr in Tryphonem, & Tertullianus, & alij veteres Patres expo-

Margin notes (left): Geneſ. 40. — Pſalm. 104. Geneſ. 41. & ſeq. Matth. vlt. — Exod. 7. — Infra 14. — Infr. 20. Pſalm. 77. — Exod. 15. Aquæ Marà quid denotẽt. Infra 20. — Iuſt. Martyr. — Crucis virtute fideles vniuerſi de hoſtibus ſuis triumphant. Exod. 3. Rubi ardentis non aduſtæ myſterium. — Ibid. — Infra 12. — Num. 21. Ioan. 3.

Margin notes (right): Num. 13. — Infr. 17. — Deut. 27. — Num. 17. Hebr. 9. — Auguſt. ſerm. 130. tom 10. — Ioan. 18. — Suprà 12. — Leuit. 14. — Ioſue. 8. — Iudic. 6. — Supra 3. Infra 15. Daniel 2. 4. Reg. 20. Eſai. 22. — Geneſ. 35. 1. Reg 10. — 4. Reg. 6. — 1. Reg. 17. 3. Reg. 10. — Ierem. 1. Infra 11. — Ioan 6. Ibidem. D. Iuſt. Martyr. Tertull. lib. 3.

nunt

Marrio poſt med.
Ezech. 9.
Vincens, ſecundum Lactantium, aduerſus tartareas poteſtates
Lactan. lib. 4. c. 27. in meo.

nunt. Hoc eſt ſignum Thau ſacræ configurationis apud Ezechielem, apud Dominus iuſſit poni ſuper frontibus gementium ſuper idola: quia ſub hac terebintho, vt diximus, ſepulta ſunt vniuerſa idôla, & vt teſtis eſt Lactantius, cùm Gentes immolabant, ſi aſiſtebat aliquis ſignatus ſacra Cruce frontem, nullo modo litabant, nec reſponſa poterat conſultus reddere vates: ob quam cauſam gentes, ac Reges, noſtros perſequebantur. Ob has tantas victorias vocatur Crux Palma, in quam Sponſa vult aſcendere. Ait enim: *Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius*: quæ etſi horrida ſit, & ſpinoſa, habet tamen præſtantiſſimos, & ſuauiſſimos fructus, & ibi quaſi in ficu fatua, ſiue in arbore ſycomoro videt Zachæus Ieſum prætereuntem ex hoc mundo ad Patrem, & ſe in illorum corda tanquàm ad hoſpitium, ac domum inuitantem. Quintò, hæc crucis Chriſti figura optimè repræſentat victoriam Chriſti, & gratiam eius in Eccleſiam diffundendam: nam ille modus expanſionis brachiorum conueniens eſt, ad omnia dona à Paterna pietate impetrãda, ad omnia ſua bona in electos largiter effundenda, ad omnia ad ſe redeuntia plena remiſſione amplectenda, ad omnia corda ad ſe trahenda, inſtar Solis, humores deuotę mentis, vt in pluuias lacrymarum diſſoluantur, exaltantis; more etiam magnetis per occultum ſpiritum ferrea corda ad ſe trahentis; inſtar etiam vacui ad ſe homines trahentis: nam ob eam cauſam tantopere ſe euacuauit, vt ſitiat: nec extinguitur illius ſitis, niſi dederis illi cor tuum. Trahit præterea funiculo triplici, nimirum corporis, animę, ac diuinitatis: qui etſi ruptus ſit cum magno dolore, quod attinet ad animam, & corpus, manſit tamen fortiſſima Deitas cum vtroque coniunctiſſima; vt anima ſeparata traxerit vinctos de lacu in ſanguine ſuo, & corpus exangue, quod manſit in cruce, præſentes qui reuertebantur percutientes pectora ſua, ad ſe attraxerit. Trahit etiam per naturam ſimilis: nam erat Chriſtus in ſimilitudine carnis peccati, vt ita in illum inclinemus omnia peccatorum noſtrorum pondera, & nos ſuis virtutibus conuenienter induat. Ipſe etiam moriendi modus in cruce figuram balliſtæ gerit, qua ancipiti affectu & in cœlum, & in terram emitti iaculum poteſt. Vt illinc quidem transfigat Pater durum cor noſtrum, atque emolliat; nos verò è terra in cœlum iaculamur, ne Pater nobis remiſſionem deneget delictorum, aut gratiam, aut cœleſtem gloriam. Vide ergo arcum fœderis, anima mea, & benedic Deo; qui fecit illum: nam &

Crux palma cardicta.
Cant. 7.
Luc. 19.
Similitudines Chriſti crucifixi ad ſe omnia trahentis.
Zachar. 9.
Luc. 23.
Rom. 8.
Apta comparatio morientis in cruce Domini cum balliſta.

ipſa penetratio clauorum, ſignum eſt confixionis cordium dilectorum ad memoriã tanti beneficij, quemadmodùm conſeruatio omnium membrorum, & oſſium ſuorum pulchrum fuit ſymbolum, quod ſeruauit omnes ſuos electos, qui nôn peribũt, etiamſi ad tempus affligantur. Hinc, teſte Chryſoſtomo, non caput ei amputatur, vt Ioanni, neque ſectus eſt, vt Eſaias; vt corpus integrum & indiuiſibile mortis ſeruet, & non hat occaſio volentibus Eccleſiam diuidere. Sextò, hoc ſignum mortis competebat vniuerſali ſaluti, quàm Chriſtus operabatur. Nam ſecundùm Gregoriũ Nyſſenum, figura crucis à medio contactu in quatuor extrema partita, virtutem eius ſignificat, qui in cruce pependit, in quatuor mundi partes diffuſa; quò communis, ac generalis redemptio repræſentetur. Hinc Apoſtolus dixit: *Vt poſsitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum.* Vt exponit Auguſtinus lib. de gratia Noui, & Veteris Teſtamenti. Conueniebat enim, eo mortis genere Chriſtum decedere, quò ſanguis eius in peccatorum ablutionem, & viuificum animæ potum valeret: non vt caput ei amputaretur, vt Ioanni, aut medius ſecaretur, vt Eſaias, ſed corpus eius integrum & indiuiſum erat ſeruandum, ob reſurrectionis eius fidem aſtruendam & ne quiſquam occaſionem ſumeret ſcindendi Eccleſiam, quæ vnum Chriſti eſt corpus. Quamobrem non tantùm extra ciuitatem voluit pati, ſed etiam in aëre, vt à nidore ſacrificiorum idololatrarum purgaretur, & à fœtore peccatorum ſanctificaretur, & ab immundis ſpiritibus in aëre habitantibus, & vt aſcenſum verum nobis pararet in cœlum: maximè tamen vt ſe oſtenderet mediatorem cœli, & terræ, ex eo quòd aër elementum eſt commune. Eſt enim Chriſtus Dei & hominum reconciliator, hominum & Angelorum, Iudæorum & Gentilium, iuſtorum & peccatorum mediator. Honorauerat ſiquidem Dominus terram, in ea ipſe conſeruando; aquam mare calcando, & in Baptiſmo in ea inſtituto ſanctificando: ignem honorificaturus erat, in eius ſpecie mittendo Spiritum ſanctum: ita aërem quoque in eo moriendo illuſtrare voluit, in quo etiam, tanquam in proprio loco debellaret aëreas poteſtates. Eſt enim illa eleuatio ſignum glorioſæ victoriæ ſuæ, in quo & Luciferum confixit, & chirographum decreti deleuit, deque hoſtibus glorioſum reportauit triumphum. Adhęc in eminẽti loco exaltatus eſt, vt facilè ab his, qui eum perdiderant, inue-

Chryſoſt.
Matth. 14.
Sexta ratio.
Greg. Nyſſ. de vita Moſeos, circa med.
Cornua crucis quatuor quid denotent, ſecundũm Gregorium
Epheſ. 6.
Auguſt. epiſt. 20. de gratia Noui & Veteris Teſtamenti ca. 26. iuxta finem tom. 2.
Matth. 14.
Coloſſ. 1.
Cur Chriſtus non extra ciuitatem modò, ſed in aere etiam mori voluit.
Hebr. 13.
Epheſ. 5.
Coloſ. 6.
1. Tim. 2.
Baruch. 3.
Matth. 24.
Act. 2.
Coloſ. 2.
Ibidem.
Cur Dominus edito in lo-

inueniri poſſet. Solent enim in alto loco à viris bonæ fidei ea, quæ caſu amiſſa ſunt, & obiter inuenerunt, ſuſpendi, vt facilè domino reſtituantur. Hinc Dominus Ieſus, quem cuncti ſuis ſceleribus amittunt delinquentes, in alto collocari voluit, iuxta illud Deuteronomij: *Et erit vita tua quaſi pendens ante te, timebis nocte, & die & non credes vitæ tuæ.* Ita enim hunc locum interpretantur nonnulli Patres, & præſertim Leo Papa ſerm. de paſſione. In ipſis quatuor crucis cornibus detegitur generalis fructus Dominicæ paſſionis. Nam cornu ſuperiore cœlum reſpiciente, ſignificatur, quòd per paſſionem reparata eſt ruina Angelica, apertumque nobis cœlum: cornu inferiori, quòd per eam redempti ſunt Patres ex limbo: cornu dextero, quòd per eam collecti ſunt filij Dei, qui erant in mundo diſperſi, ſiue Iudæi legis diuinæ cognitione præditi: cornu ſiniſtro, quòd per eam etiam inimici reconciliati ſunt, ſiue Gentiles, veræ diuinitatis ignari. Hinc Auguſtinus epiſtola ad Honoratum, de gratia Noui Teſtamenti: *Non fruſtra igitur,* inquit, *tale genus mortis elegit, niſi in eo quoque latitudinis huius, & longitudinis, & altitudinis, & profunditatis magiſter exiſteret: Nam latitudo eſt in eo ligno, quod tranſuerſum deſuper figitur: Hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo, quod ab ipſo ligno vſque ad terram conſpicuum eſt. Ibi enim quodammodo ſtatur, id eſt, perſiſtitur, & perſeueratur; quod longanimitati tribuitur. Altitudo eſt in ea ligni parte, quæ ab illo, quod tranſuerſum figitur, ſurſum verſus relinquitur, hoc eſt, ad caput* Crucifixi: *quia benè ſperantium ſupernæ expectatio eſt. Iam verò illud ex ligno quod non apparet, quod fixum occultatur, vnde totum illud exurgit, profunditatem ſignificat gratuitæ gratiæ.* Idem in Ioannem ſcribit: *Lignum illud, vbi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuit magiſtri docentis.* Huc vſque Auguſtinus. Septimò in illa crucis figura, quæ fit è ligno recto, & tranſuerſo, omnes redimendi, & gloriandi eleganter denotantur in duplici natura, Angelica, & humana. Angelica natura ſignificata eſt in ligno recto, in cuius fractura appoſitum eſt lignum tranſuerſum, hoc eſt, natura humana à filio ſummi fabri, illius qui fabricatus eſt auroram, & Solem. Et ita cruce indiget cœlum, & terra, illaque pacificatur, atque coniungitur: nec ſolum Chriſtus eſt Redemptor communis in terra, ſed etiam reparator in cœlo. Et hoc figuratum eſt in duobus lignis quæ vidua Elaiæ colligebat, vt pararet cibum animæ ſuæ. Eſt & alia notabilis figura, quæ habetur apud Ezechielem, cui Dominus iuſſit ſumere lignum vnum, & ſcribere ſuper illud: *Iudæ, & filiorum Iſrael ſociorum eius*: & poſteà alterum ſumere, & ſcribere ſuper illud: *Ioſeph lignum Efraim, & cuncta domus Iſrael, ſociorumque eius*: & iuſſit ea coniungi, vt eſſet vnum. Quòd ſi, vt quidam volunt, duo ligna miraculo in vnum lignum coaluerunt; ſignificatur, quod per vnionem duorum lignorum crucis Chriſti coibunt in vnam Eccleſiam Angeli, & homines, vel magis ad literam, Iudæi, & Gentiles, ſiue potiùs, duodecim tribus, quæ erant diſperſæ. Nam vt ait Apoſtolus: *Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum.* Accedit octaua egregia ratio B. Thomæ, quam ille ex Auguſtino producit. Ait enim Auguſtinus libr. quæſtionum. 83. *Sapientia Dei hominem ad exemplum, quo rectè viueremus, ſuſcepit. Pertinet autem ad vitam rectam, ea, quæ non ſunt metuenda, non metuere. Sunt autem homines, qui quamuis mortem ipſam non timeant, mortis tamen genus horreſcunt. Vt ergo nullum genus mortis rectè viuenti homini metuendum eſſet. illius hominis cruce oſtendendum fuit: nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius, & formidabilius.* Hæc ille. Demum crucifigi voluit, vt nos etiam totum corpus extendere in obſequium Dei, ac proximi ſalutem, carnemque noſtram crucifigere doceret. Dixit enim Paulus: *Chriſto crucifixus ſum cruci*; Et, *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs.* Rurſus: *Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto.* Hinc enim Chriſtus tanquam verus Dei, & hominum mediator, coram Deo aſſiſtit, vt ſummus Sacerdos, & Pontifex, ſeipſum pro nobis offerens, ac dicens illud Dauidis: *Sacrificium, & oblationem noluiſti; corpus autem adaptiſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: tunc dixi: Ecce venio. In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Ac ſi diceret; Nulla alia ſacrificia te homini reconciliare potuerunt: en ego vnigenitus filius tuus me ipſum pro homine tibi offero; & me ab hominibus offerendum tibi exhibeo, vt habeant quò peccatorum remiſſionem, & alia omnia beneficia impetrare illi abs te valeant. Nos igitur frequenter oculis fidei ſacrificium hoc intueamur, illudque aſſiduè Patri æterno pro noſtris infirmitatibus ſubleuandis offeramus, ac illi dicamus: Reſpice ſancte Pater de ſanctuario tuo, & intuere hanc ſacroſanctam hoſtiam, quam tibi offert magnus Pontifex noſter, & Filius tuus Ieſus pro peccatis fratrum ſuorum: & eſto placabilis ſuper multitudinem malitiæ noſtræ. Ecce vox ſanguinis fratris noſtri A-

Marginal notes (left): *Deut. 28.* — *Leo Papa ſerm. 8 de paſſion poſt medium.* — *Ioan 11.* — *Aug. ibidem id eſt c 26.* — *Epheſ. 3.* — Longitudo & latitudo quid que altitudo, & profundum apud Apoſtolum, teſte Auguſtino. — *Auguſ. tract. 119 initio, tom 9.* — Septima ratio. Crucis figura ex recto, & tranſuerſo ligno conſtans, quid inſinuet. — *Pſal 73.* — Chriſtus non Redemptor ſolum, ſed eſt etiam reparator. — *3. Reg 27.*

Marginal notes (right): *Ezech 37.* — Duo ligna crucis coniuncta, quid myſtice ſignificent. — *Epheſ. 2.* — Octaua ratio. — *B. Tho. 3 p q 46. art 4.* — *Aug. lib 83. quæſt 25. in princ. tom 4.* — Mortis contemptores, quid tamen illi reformident. — Nona ratio, ac poſtrema. — *Gal 2.* — *Infra 5.* — *Infra 6.* — *1. Tim 2.* — *Heb. 7.* — *Pſalm 93.* — *Hebr. 10.* — Chriſti oblatio pro nobis vna ſalutaris, iuxta Prophetam. — Cur illam Patri Deo ſacroſanctam Chriſti hoſtiam cruentam offerre debeamus. — *Geneſ 4.*

bel

Eſa.53. *1.Pet.2.* *Philip 2.*

Vel clamat ad te de terra: ecce agnus, qui coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum: & qui peccatum nõ fecit peccata tamen noſtra tulit. Reſpice in faciem Chriſti tui, qui tibi vſque ad mortem obediens factus eſt: nec recedant cicatrices vulnerum eius ab oculis tuis, vt agnoſcas quãtam ſatisfactionem pro nobis pependerit. Reſpice in eum, qui patitur; & reminiſcere benignus eorum, pro quibus patitur. Vide redemptionis ſuppliciũ, & remitte redempti hominis peccatum. Sed & tu miſer peccator vide hoſtiam, qua reconciliatus es; ſanguinem, quo ablutus es, ac redemptus; vincula, quibus abſolutus; vulnera, quibus ſanatus; ſupplicium, quo amplè pro te factum eſt ſatis; nuditatem, qua veſtitus. Et quid aliud, quàm charitatẽ in Chriſto crucifixo cernis? Vides, caput inclinatum ad exhibendum tibi pacis oſculum; brachia extenſa ad amplexandum; manus perforatas, ad tua liberaliter largienda; pedes confixos, ad te expectandum; latus vulneratũ, ad te amore ſuo alliciendum; coronam ſpineam, ad te æterna gloria coronandum, ſpiritum emittentẽ, ad te vita gratiæ, & gloriæ animandum. Caue, ne de te poſſit conqueri, ac dicere: *Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*: & rurſus, *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi.* Diſce ergo exemplo Chriſti à terra eleuari: diſce crucem portare, atque in ea mori. Vt ergo ibi duo latrones cum Chriſto crucifixi ſunt, ſic & iuxta ſpiritum in nobis tria ſunt crucifigenda, nimirum caro, & mundus in latronibus deſignati, & ſpiritus noſter medius, qui in Ieſu adumbratur. Caro, tanquàm latro dexter cruci affigitur: nam teſte Apoſtolo, qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs, & concupiſcentijs: atque hæc in ſpiritu ſaluatur tandem, quia in reſurrectione ſua glorificabitur. Hinc latroni dextero, cui comparatur, dicitur: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Eſt autem crux carnis, rigor diſciplinæ: cuius quatuor brachia ſunt abſtinentia, aſperitas veſtium, linguæ repreſſio, ac ſomni parcitas. Denique crucifigendus eſt mũdus, tanquàm ſiniſter latro, de quo Paulus, *Per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Qui tamen minimè ſeruatus eſt, nã permanſit in ſua perfidia, & ſemper blaſphemat Dominum: ita etiam mũdus etiãſi in nobis crucifigatur, manet tamen in peccatis ſuis, nolq; ſuã lingua violẽta petit. Eſt autem crux mũdi, paupertas ſpiritus: cuius quatuor ſunt brachia; nimirũ contemptus gloriæ, pecuniæ, patriæ, & ſanguinis: vel, vt Bernardus ait, ſpernere mundum, ſpernere

Officium peccatoris erga Deum in eius memoriam beneficij.

Prouer.1. *Eſai 65.* *Rom.10.*

Tria in nobis crucifigenda. Latrones duo, eorumque medius Ieſus quid ſignificet. *Gal.5.*

Luc.23.

Crux carnis.

Mundi huius ingenium.

Gal.6. Crux mundi quænam ſit.

Bernard.

nullũ, ſpernere ſeſe, atque ſpernere ſe ſperni. Tertiò crucifigendus ſpiritus, vt poſſimus dicere cum Apoſtolo; *Chriſto crucifixus ſum cruci. Viuo autem, iam non ego; viuit verò in me Chriſtus.* Eſt autem crux ſpiritus, feruor fidei, cuius quatuor brachia exiſtunt, dolor à ſiniſtris, amor à dexteris, ſurſum ſpes diuinæ gloriæ, & infra timor gehennę. Hæc autem ſi aſſequamur, pulchrè crucem meditati ſumus, & facile erit de Satana triumphare, quemadmodum & Chriſtus de illo egregium retulit triumphum. Erant enim in hac morte Domino inferenda tales Satanæ cogitationes, atque conſilia: Conclauentur manus venefici, & ampliùs eas non extendat ad ſanitates hominibus conferendas, & ad eis benedicẽdum cuiquam. Configantur pedes, ne pertranſeant benefaciendo ad hominum ſalutem: guſtet fel, & acetum os, illud quod tot nomina ſalutis communicauit: aperiatur lancea pectus quod tam multa conſilia cõtra me habuit: pereat morte turpiſſima, vt nemo ampliùs ex eo auxilium ſperare valeat, neq; decens, aut tutum putet abs tali fauore poſtulare: volo tantũ, vt habeat aures liberas, ad contumelias & conuitia excipienda; linguam ſolutam, ad regerenda conuitia, & ad maledicendum; oculos minimè impeditos, quò indigna multa cernat contra ſe fieri, quò indignatione in homines cõcepta, nũquam eis amplius benefaciat, quos tam ingratos eſt expertus: tollatur de medio oneroſus reprehenſor, & ſcelerum detector, ne mihi moleſtus ſit amplius. Pretio vendatur Iudæis, qui mei ſunt, vt nullum ſit ei vltra ius ad liberandum ſeſe, dominis, atque emptoribus inuitis: poſtponatur latronibus & homicidis, illi magis euaderent, quàm ipſe, qui dicebat: *Publicani & meretrices præcedent vos in regno Dei*: medius inter latrones cruci affigatur, vt quilibet ipſum horreat, & erubeſcat, reprobuſque appareat coram Deo, & hominibus, qui eius cum honore meminit. Volo vt ipſe quoque Ieſus erubeſcat conditionem ſuam, & confundatur, ita, vt nũquam amplius audeat vel oculos attollere. Adeò vt ſi maximè velit, vt ipſe ſe iactat, tamen confuſus, ſemetipſum abſcondat, ac pro alio ſe gerat; aut certè ſi offenſus à ſuis ſit omnibus, indignetur in eos; vt qui antea pertranſibat benefaciẽdo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, in futurũ pertranſeat malefaciẽdo, percutiatque omnes gladio oris ſui, fiatq; implacabilis omnibus, ſicuti eſt offẽſus ab omnibus: in quo ego eum adiurabo, nã faciet cauſam meam. Ego quoque Barabbã, & ſimiles homicidas immittã in hũc populũ, vt fruatur

Gal.2.

Crux ſpiritus quænam illa?

Satanæ cogitationes atq; conſilia in nece Domini inferenda, quæ fuerint. *Actor.10.*

Ioan.19.

Sap.2.

Matth.26.

Matt.21.

Act.10.

Matth.27.

uo Barabba, quem elegit in vita; viuant in eis homicidia, latrocinia, & omnia mala, ſublato de medio omnium amatore & doctore Ieſu. Voloq́; hæc fieri per Pontifices, & Præſides, & Populū, & per omne cōciliū, ne vnquā aperire oculos poſſint, aut reſcindere ſententiam audeant, ſed putent ſe obſequium præſtaſſe Deo, cum omnes, qui in-
Luc.21. uocauerint nomē Ieſu, interficiā. Et quāuis ius Barabbæ in eos ſæuiat, & captiui ducantur in omnes gentes; putent tamē ſe id pati propter peccata huius, & eorum, qui illum colunt. Tantaq́; cæcitate à Domino percu-
Ioan. 9. tiantur, vt videntes non videant, eò quòd Ieſum doctorem à ſe repulerint, eiuſq́; fa-
Luc.22. ciē velauerint, vt omnino factus ſit eis inuiſus: fruſtraq; alium Meſſiam expectent: ſiquidem hic Ieſus Meſſias eſt, & Filius Dei: aut ſi hic Meſſias non eſt, vel ſaltem non eſt Filius Dei, tamē vir bonus eſt, & Propheta Dei iuſtus. Vt Iudæi in ipſum inſurgentes irritent iram Dei, ac prouocent ſuper ipſos interfectores viri iuſti, ac nuntij Dei, ac propterea tradātur in reprobum ſenſum, auferaturq́; promiſſio, & benedictio Meſſiæ ab eis, aut ſaltē vt in longiſſimum tempus differatur. Quod etiā conabor, vt ſi fieri poſſit, nunquā adueniat, prouocans hunc populum ad maiora indies perpetranda flagitia, quibus Deus irritatus totum hūc populū perdat: vt ea ratione omnis vera religio ex orbe auferatur, mihiq́; vniuerſa terra cedat, habeamque ſocium damnationis meæ orbē terrarum. Volo ipſum damnari à Principibus Sacerdotum, & à toto concilio, ne quid illegitimè actum putetur: volo etiam & à toto populo cōdemnari. Et quamuis à Pilato pluries defendatur, ex eo tamen appareat conſtantior ſententia primorum, & populi in ipſo damnando: & vt ipſe tanquā conuictus nihil reſpondeat, nulluſque pro eo reſpondere audeat, tanquam ab eo de-
Matth 26. cepti, non adiuti appareant. Volo Iudam
Infra 27. qui vendidit ipſum, laqueo ſe ſuſpendere, ne vnquam teſtificari valeat ſe hominē iuſtum vendidiſſe: ſed id illis tātùm fateatur,
Infr. 28. qui emerunt, & qui celatum eſſe volent. Hunc etiam, ſi reſurgat, conabor abſcōdere, vt nulli ſit vſui; ſicut theſaurus abſcōdi-
Eccleſ. 20. & 41. tus prodeſt nemini. Et ſi quidē prædicabitur ab aliquo; dabo operam vt nō inueniat fidem, ſed ei ab omnibus contradicatur, vt maiori ſcelere obſtringant ſeſe homines: & ipſi qui prædicant, prædæ pateant, necíque dedantur terribili, & indecoræ. Hæc erant antiqui ſerpētis, ac veteratoris conſilia, atq; molimina. Verū hæc omnia reciderunt in caput eius, de quo pulchrè ait Leo Papa ſer. de paſſ. Exaltatus autem Chriſtus Ieſus in

Vniuerſas Satanæ artes atque conſilia vt Chriſtus eluſerit.

Leo Papa ſer. 10. de paſſ. poſt medium.

ligno, retorſit mortem in mortis autorem, & omnes principatus, aduerſaſq́; virtutes *Coloſ. 2.* per obiectionem paſſibilis carnis eliſit, admittēs in ſe antiqui hoſtis audaciam, qui in obnoxiam ſibi ſæuiēdo naturam, eti...m ibi exactor auſus eſt eſſe debiti, vbi nullum potuit veſtigium inuenire peccati. Euacuatū eſt igitur illud generale venditionis noſtræ, & lethale chirographum, & pactum captiuitatis in ius tranſijt redemptoris. Claui illi, qui manus Domini, pedeſque transfodetāt, perpetuis diabolum fixēre vulneribus, & ſanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio poteſtatum; ſic ſuam Chriſto cōſummante victoriam, vt in ipſo, & cum ipſo, omnes, qui in eum crederent, triumpharent. Hæc ille ſatis accommodè. Incidit ergo dæmon in foueā, quàm fecit, *Pſal. 7.* & vt alter Aman in patibulo, quod præpa- *Eſther. 7.* rauerat Ieſu tanquā alteri Mardochæo, ſuſpenſus eſt. Vult quidē Ieſus vendi: ſed alio cōſilio, quàm Satanas, qui volebat ne Ieſus *Act 10.* liber pertranſiret benefaciendo, & ne Sata- *Luc.11.* nam liget, & ſpolia eius diſtribuat. Dominus etiam voluit vēdi, qui dixit Iudæ: *Quod* *Ioan.13.* *facis, fac citius*; hoc non vt coarctetur, ſed vt latius pertranſeat benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, vt pro ſeruitute breuiſſima habeat perpetuā & ampliſſimam libertatem à Deo, nec contineatur terminis terræ Iſraël, vel legis præſcripto. Voluit itē venditus, & emptus omnes emere in ſeruitutē Regiam. Quemadmodùm Ioſeph Ægyptum emit, cùm ipſe antè ab his emptus fuiſſet, qui & fratres ſuos à *Geneſ. 47.* quibus antè venditus fuerat, redemit: ſed in hoc ipſum, vt eos paſceret & viuificaret. Similiter vult ipſe omnes emere in ſeruitu- *Supra 37.* tem Dei, vt Deo viuamus. Et ita ipſe eſt no- *1. Cor. 6.* ſtra redemptio: non ſumus ergo noſtri: ne- *1. Pet. 1.* mini ergo poſſumus iure nos dedere, nemo nos poteſt ſibi vendicare. Voluit item Chriſtus vendi, emique vt genus humanum haberet victimam idoneam, quam offerre poſſet Deo; etiamſi illi eo animo non redemerint vt immolarent, ſed arbitrarentur obſequium ſe præſtare Deo, ſceleſtum ho- *Ioan 16.* minem de medio auferendo. Sed Chriſtus vt Sacerdos conſtitutus à Deo, immolauit ſemetipſum, vt nobis ſe traderet in hoſtiam offerendam Deo. Deinde voluit etiam dæmon capi Chriſtum, vt non ſuam, ſed emptorum faceret voluntatem: nec iret quò vellet, aut liber prædicaret, & prodeſſet quibus vellet, neue impediret opera ipſius Satanæ. Dominus quoq; Ieſus ligari voluit, & capi, non alterius virtute, ſed ſua ſponte, prius eos repellens, & retrorſum cadere fa- *Ioan. 18.* ciens: neque ſeipſum prius illis permiſit,

Diabolus in cruce victus.

Aman & Mardochæus quorum typum gerunt.

Quare Chriſtus vendi, emique voluerit.

Secunda ratio

quàm ſuos faceret liberos: quia ſcilicet ligari aliter nolebat, quàm ſuis in libertatem relictis: quibus poſtea ligandi, ſoluendiq́; poteſtatem reliquit, non tantùm in Iudæa, ſed per totum orbem, vt ſoluerentur quos Satanas ligaſſet; & ligarentur, quos ille liberos eſſe volebat. Ita nobiſcum Chriſtus facit, quia liberat nos à vinculis propriæ & vitioſæ voluntatis, ac ſubdit diuinæ: ligat cor, & manus, & membra noſtra, ne ad vetita procedant, & liberos nos faciat ad bonum. Voluit tertiò Satanas Chriſtum examinari, atque conſtanter damnari à Pontificibus, Doctoribus, & à Præſide Romano, & populo. Idem voluit Ieſus, qui ſeſe propterea non defendit, ſed patienter tulit nihil reſpondens, vt ipſe fieret omnium ordinum iudex, qui ab omnibus fuiſſet iudicatus, & conſtituere mereretur iudices ſuper omnia. & vt ſuos doceret ferre iniuſta iudicia, ne Reſpublica ſeditionibus agitetur, & expectare iudicium Dei: quia idem ſentire debemus in nobis quod & in Chriſto Ieſu. Quartò voluit Satanas Ieſum morte turpiſſima, infamia, ac doloribus plena condemnari, quo detineret homines à nomine Ieſu profitendo, quòd ſimilia ſupplicia eos maneant, qui Ieſum honorificarent. Idem voluit & Ieſus, vt ſuos ad mortem ferēdam animaret, faceretque mortem non modò non timendam, ſed amandam, & exoptandam: quoniam pretioſa per ipſum fieret mors Sanctorum eius apud Deum, & carnem & ſanguinem maceraret, peccatumque, & Satanam deuinceret, & Spiritum viuificaret, granumq́ue frumenti multiplicaretur. Quintò voluit Satanas omnes eo ſcelere inquinari, vt nemo amplius auderet ſperare miſericordiam Dei: vnde & Iudam adegit ad laqueum. Sed hoc etiam Ieſus voluit, pro omnibus videlicet condemnari, vt gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem, & conſummaret omnes. Hinc latroni regnum ac paradiſum præſtitit: & cùm lata eſt ſententia mortis contra Chriſtum, Barrabas liberatur. Itaque vt docet Athanaſius oratione in ſanctam Paraſceuen, in ipſis primordijs crux ipſa reis libertatem largitur. Poſtremò voluit Satanas conclauari manus, & pedes, aperiri latus, ſepeliri ſub magno lapide, apponi fidos cuſtodes, vt etiam reſurgens rurſus occidatur, aut in ſepulchro rurſus mori miſerè cogatur. Quòd ſi inde euaſerit, conabor vt ſit occultus, ſubornabo teſtes idoneos, qui dicant non reſurrexiſſe, viſuſq́; dicatur phantaſma eſſe, neque tangi ſe permiſiſſe. Sed & id voluit Ieſus, quò certior eſſet atque euidentior ſuæ reſurrectionis triumphus, indeq́ue fides confirmatior, ac teſtatior apud omnes redderetur, vbi inſidiæ Satanæ detegerentur, & mendacium pecunia redemptum manifeſtum redderetur, & omnes diaboli conatus, & molimina infecta atque inania redderentur, & gloria Domini noſtri illuſtrior, & magis conſpicua per vniuerſum orbem eius fide & religione propagata ſplendeſceret, atque eluceſceret, cui cum Patre & Spiritu ſancto perpetuus ſit honor & gloria, ac imperium ſempiternum. Amen.

Infra 20. — *A quibus nos Chriſtus vinculis ſoluat.* — *Quemadmodum nos liget Chriſtus.* — *Philip. 2.* — *Pſalm 115.* — *Ioan. 12.* — *Hebr. 2.* — *Luc 23.* — *Ibidem.* — *B. Athanaſ.* — *Matth. vlt.*

TRACTATVS XXXVII.

De impoſitione tituli ſuper crucem, in illa verba: *Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucē. Erat autem ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt; quia prope ciuitatem erat locus vbi crucifixus eſt Ieſus. Et erat ſcriptū Hebraice, Græcè, & Latinè. Dicebāt ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli ſcribere Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi.* Ioan. 19. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

QVEMADMODVM Pſalmis præfiguntur tituli, quibus argumentum, quod in eis canitur, intelligatur, & vt picturis & ſtatuis excellentium heroum aut ſupponitūr, aut ſuperponitur eorum nomen, quò cognitæ ſuauius ſpectentur, legēſque difficiles gloſſa explicante indigent: ita etiam damnatis ad mortem non ſatis erat viua præconis vox, ſed addebatur titulus, quo continebatur crimen, ob quod quis eſſet pœnæ, aut neci datus. Quod etiam in hodiernum vſq; diem Romæ aſſeruatur: nam omnes qui puniuntur, ſcripturam geſtant, quæ cauſam ſui delicti complectitur. Et Quintilianus in quadā declamatione meminit crucis cuiuſdam inſcriptæ hoc modo: *Seruo danti venenum domino.* Commendaturq; illa lex Romanorum, eiuſmodi inſcriptiones ſuper damnatis apponi mandans, quò iudici neminem immerentē damnare poſſe conſtaret: deinde vt omnibus pateret, quàm eſſet à iudice iuſtè lata ſententia: vt docet Chryſoſtomus. Circa hūc igitur titulum, obſeruandū inprimis, fuiſſe à quatuor Euangeliſtis notatum, licèt nō in

De titulo crucis Dominicæ. — *Quintilian. declamat.* — *Quam ob cauſam Romani olim damnatorum patibulis titulos adhibere conſueuerant.* — *Chryſoſt. ho. 84. in Ioan. tom 3.*

dem loco: nam Ioannes tradit titulum poſitum quamprimum crucifixus eſt, & deinde mentionem facit de diuiſione, & ſortitione veſtimentorum: Matthæus verò & Marcus prius enarrant diuiſionem veſtimẽtorum, deinde tituli inſcriptionem: Lucas verò nõ ſolùm poſt diuiſionem, ſed etiam poſt illuſiones factas, & acetum oblatum. Tamen reuera probabilius eſt, prius milites miniſterio ſuo explendo vacaſſe, in crucifigendo, titulo apponendo, vt ait Ioannes; deinde verò diuidendis veſtibus ac ſortiundis attendiſſe: vt reliqui tres de hoc titulo locuti videantur per figuram recapitulationis; Ioannes verò, qui aliorum vidit Euangelia, ſuo loco propriè locutus eſt.

In deſcriptione tituli crucis Dominicæ inter quid varient Euangeliſtæ.

Deinde obſeruandum Ioannem Græcè ſcribentem, vocem Latinam tituli vſurpaſſe, dum ait: ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλάτος; cùm Matthæus dicat: *Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam*, vbi Græcè dicitur αἰτίαν, hoc eſt, cauſam, ſiue accuſationem, id eſt, crimen, de quo Iudæi accuſarũt Ieſum, nempè, quòd ſe Regem faceret: & Marcus: Et erat titulus cauſæ eius inſcriptus, Rex Iudæorum, vbi Græcè ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας, Lucas verò ſolum ait: Erat autem & ſuperſcriptio, id eſt, ἐπιγραφή. Et Marcus quidem tantùm habet, *Rex Iudæorum*: Lucas, *Hic eſt Rex Iudæorũ*: Matthæus. *Hic eſt Ieſus Rex Iudæorũ*: Ioãnes verò, qui poſtremꝰ ſcripſit, & Dominicæ crucifixioni interfuit, ita ſcripſit, vt Pilatus voluit, & tabella illa, in qua fuit ſcriptus titulus hic, qui Romæ aſſeruatur, oſtendit illum fuiſſe verum titulum. Reliqui verò Euangeliſtæ non tam verba, quàm ſenſum expreſſerunt. Putauit autem Euthymius in Matthæum, nomen tituli apud Latinos ſignificare cauſam. In quo ſe parum linguæ Latinæ peritum oſtendit: nã titulus dicitur à tuendo, quaſi tuitulus, eò quòd libro, vel ſtatuæ, vel alteri rei appoſitus, autorem eius tueatur à plagiarijs quibuſuis: nam multi ſunt, qui libenter aliorum labores, ac fœtus ſibi vſurpant. Hic autem titulus, vt Chryſoſtomus hoc loco annotauit, cùm inuentæ eſſent tres cruces humo defoſſæ, nec facilè poſſet diſcerni quæ eſſet illa Chriſti; indicauit, ac tunc etiam Domini crucem tueri viſus eſt.

Euthy. ca. 67. in Matth.

Titulus vnde ſit dictus.

Chryſ. ibid.

Hic titulus vbi fuerit affixus.

Lyranus.

Titulus Crucis vbi aſſeruetur.

Pſal. 59.

Tertiò obſeruandum, hunc titulum nõ in charta aliqua tabulę affixa fuiſſe conſcriptum, vt putat Nicolus Lyranus: quia vt oſtendunt reliquiæ tituli Romæ aſſeruati in templo ſanctæ Crucis in Hieruſalem nuncupato, literæ erant impreſſæ atque inſculptæ in ipſo ligno ad diuturniorẽ retentionem, ne facilè corrumperentur, iuxta illud Dauidis: *Ne corrumpas tituli inſcriptionem.* In quo etiam illud peculiariter aduerti, quòd vt Hebræi literas ſcribunt, ac legunt à dextero in ſiniſtram pergendo, in eandem rationem Græca Latinaq; inſcriptio ſe habet; cùm tamẽ Hebræi ſoli à dextera in ſiniſtrã & legant & ſcribant, Græci & Latini è contrario. Erat autẽ hæc tabula inter duo cornua crucis funiculo hincinde alligata: nam caput in medio manebat abſq; vllo ſuſtentaculo; vt ſicut in vita ob eximiam paupertatem non habuit vbi caput ſuum reclinaret, ita nec in morte. Quartò aduertẽdum, titulum hunc ſcriptum fuiſſe trib. linguis, vt non ſolùm ab indigenis Hebræis, ſed & à Græcis, & à Romanis, qui religionis ergo ad templum aduentabant, cauſa mortis eius intelligeretur, atque ita in ore duorum, vel trium ſtaret omne verbum. Iulius Capitolinus in vita Gordiani iunioris tradit, Gordiano in Syria tumulum extructum, & elogio Græcis, Latinis, Perſicis, Iudaicis, & Ægyptijs literis inſculpto ornatum fuiſſe, nimirum vt laus tanti principis ad multorum notitiam perueniret. Ita neque maius, neq; certius vllum innocentiæ Chriſti potuit dari teſtimonium, quàm quòd aduerſarij criminis loco impenderunt: quòd tamen reipſa non crimen, ſed veritas ipſa de prophetia deprompta fuit. Quia verò Iudæi tunc religione excellebant, ſicut Græci ſapientia, Romani verò imperio & poteſtate; oſtenſum eſt his tribus linguarum generibus Crucifixi regnum ſuper vniuerſum orbem extendendum: quod poteſtate, ſapientia, atque religione plenum eſt, vt rei docuit euentus. Etenim in nomine Ieſu omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confitetur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris. Sanctificata eſt in Chriſti cruce triplex illa lingua, in qua ſcriptum eſt vetus & nouum Teſtamentum; vt ſtudioſi ſacrarum literarum intelligant, tribus illis linguis ad diſcendis ſibi eſſe incumbendum, quò verbi Dei intelligentiam faciliùs aſſequantur. adhæc obſerua ordinẽ à Ioanne annotatũ, vbi primùm Hebraicè, deinde Græcè, poſtremò Latinè tradit ſcriptum: & illum ordinem ſernat tabula illa, quam diximus Romæ aſſeruatam: quoniam religio Chriſtiana primum ab Hebræis ad Græcos profecta eſt, deinde à Gręcis ad Latinos prædicatio Chriſti crucifixi per Apoſtolos peruenit. Lucas verò poſt Græcos & Latinos poſtremo loco poſuit Hebræos, quia reſpexit ad Hebręos vltimo tẽpore ad Fidẽ conuertẽdos. Nam cùm plenitudo Gẽtium intrauerit, tunc omnis Iſraël ſaluus fiet: vt Apoſtolus inquit. Sexto loco obſeruãda eſt cauſa hu-

Aliter Hebræi ſcribunt, aliter Græci, & Latini.

Luc. 9.

Cur hæc inſcriptio fuerit tribus linguis expreſſa.

Deut. 17.

Iuli. Capit.

Tituli crucis trilinguis inſcriptio quid denotet.

Philip. 2.

Ordinis trium linguarum inſcriptione poſiti myſterium.

Rom. 11.

Quæ cauſa fuerit huius tituli impoſitionis. Rupert. Tuit. lib. 13 in Ioan. Ioan 11. Geminus ſenſus Ruperti Tuitien. qui multis rationibus refellitur. Matt. 12. Matth. 2. Caietanus in Ioan Luc. 23. Prima ratio. Secunda ratio Tertia ratio. Quarta ratio. Quinta ratio. Sexta ratio. Septima ratio.

ſa huius tituli impoſitionis. Exiſtimat enim Rupertus Tuitienſis, quòd vt Caiphas in illis verbis: *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*, alium ſenſum habuit, & alium Spiritus ſanctus; ita hunc titulum alio ſenſu impoſitum ab Spiritu ſancto, & alio à Pilato. Nam hic ob ludibrium & iocum poſitum eſſe voluit, & putabat ſe gloriari poſſe apud Cæſarem, quòd pro eius fide hominem affectatorem regni, & quem multa illius gentis turba cũ ramis palmarum receperat. Regiaſque illi laudes acclamauerat, ſupplicio crucis affeciſſet: credens ſe prudentius feciſſe, quàm fecit Herodes, qui Regem natum Magis illudentibus interficere non potuit. Caietanus verò in eandem ferè ſententiam deueniens, aſſerit Pilatum, ſicut & Herodem illum, qui Dominũ illuſit in veſte alba, quaſi ſtultum Chriſtum habuiſſe; ac proinde titulum irriſoriè appoſitum. Sed hęc etſi prima facie plauſibilia videantur; veritati tamen minimè ſunt cōſentanea. Nam in primis ex illis verbis: *Non haberes poteſtatē aduerſus me vllam*, elicuit Caietanus ſingulariſſimam Chriſti innocētiam, quam etiam cognouit Pilatus, & ſtatim voluit dimittere eum; quomodo ergo ſtultum putat, quem ſic docentem & mirabiliter loquētem credit? Secundò, cur toties ait Pilatus: *Nullam cauſam inuenio in homine iſto ex his in quibus eum accuſatis*? Si enim regnum vel diuinum, vel humanũ ſibi arrogaſſet, etiam per ſtultitiam, iam cauſa eſſet in ſe, licèt per ſtultitiam, excuſabilis. Pilatus igitur nō dixiſſet, Non inuenio in eo cauſam, ſed dixiſſet: Inuenio quidem cauſam; ſed illa dementia, ſeu ſtultitia excuſabilis eſt. Tertiò, Pilatus dixit, Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius; quomodo ergo putat ſtultum, quē iuſtum vocat? Nec enim cum tanta ſtultitia vſurpandi ſibi regnum poteſt conſiſtere iuſtitia. Quartò, Euāgelio docemur, Pilatum nouiſſe quòd per inuidiam eum tradidiſſent: inuidia autem nō eſt ſine virtute eius, in quem eſt inuidia, niſi etiam fatuos Pontifices putaſſet, quos videbat malignos: nā in hominem fatuum magis commiſeratio, quàm inuidia cadit. Quintò, Pilatus verè putauit Chriſtum, Regem Iudęorum, ſicut & Chriſtus ipſe confeſſus eſt; vnde: & flagellatum Chriſtum, & illuſum oſtendens, dixit: *Ecce Rex veſter*: &: *Regem veſtrum crucifigam*? quomodo ergo fatuum potuit cogitare, quem Regem confitetur. Sextò, Euangeliſta probat Pilatum ad verba illa Iudęorum: quia filium Dei ſe fecit, magis timuiſſe; quomodo ergo timet, quem fatuum putat? Septimò, an non audierat Pilatus miracula de cœco nato, quē illuminarat, & Lazaro ſuſcitato? nō poterat ergo fatuum cogitare operum tam mirabilium effectorē. Octauò, legimus Pilatum admiratum cùm Dominum tacentem videret contra accuſationes calumniantium: at locus admirationi nō poſſet eſſe, ſi illum putaſſet ſtultū. Nonò, ex quatuor cauſis principalibus, de quibus accuſabatur, videlicet, de prohibitione cenſus dandi Cæſari, de blaſphemia, qua filium Dei ſe fecit, deq; populi cōmotione ac ſeductione, atq; Regiæ dignitatis vſurpatione, aſſerit Caietan^o has duas cauſas poſtremas Pilatum conſideraſſe, pręſertim verò cōmotionem populi. Sed reuera manifeſtè Euangeliũ repugnat huic annotationi, in quo Pilatus dixit: *Obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi auertentem populũ: & ecce, ego coram vobis interrogans, nullam cauſam inuenio in homine iſto ex his in quibus eum accuſatis*. Ecce quòd omnes illorum cauſas reijcit, & pręſertim illam de cōmotione populi, ergo euidēs erat Pilato quòd ad bonum omnes prouocabat, nō ex regni ambitione, ſed ex charitate, docens nequaquam repugnare Cæſari, aut magiſtratui, ſed illi ſubditi. Decimò, tradit Caietanus Pilatũ cenſuiſſe leſum flagellis corripiendũ, vt vtriuſq; fatuitatis (de vſurpata ſcilicet Regia dignitate, & diuinitate) quam credebat, & malitiæ, quam illi obiectabant Iudæi, ratione habita, punit^o Ieſus dimitteretur. Sed hoc apertè eſt cōtra Euangelium Marci, teſtantis Pilatum hoc feciſſe vt populo ſatisfaceret, & expleret eius furorem: qui tamen niſi cruce & morte ſatiari non potuit. Vndecimò, quòd Pilatus Ieſum nō habuerit pro fatuo, teſtantur literæ, quas illæ miſit Romam ad Tiberium Imperatorem, eius admiranda opera, ac diuinitatem atteſtantes: vt Eccleſiaſtica refert hiſtoria, ex Tertulliano in Apologetico verba recenſens. Alia porrò cauſa Herodes, quia expectabat ſigna fieri, & perpetuo illũ mutum coram ſe intuitus eſt, ſpreuit illum, & dimiſit: neq; tamen ait Euangelium, quòd Herodes fatuum putauerit, de quo tanta audierat, ſed ex animi indignatione quaſi ab eo ſpretus ſua taciturnitate, & quaſi nō dignus habitus corā quo ſigna ederet, eũ contra ſpernere voluit, atq; eo modo illudēdo indigne tractare. De Pilato autem multo veriùs & accōmodatiùs ad Euangeliũ eſt, & ad ſenſũ Patrũ, præſertim verò Chryſoſtomi & Auguſtini, ſi dicamus, quòd Domini innocentiā agnouerit, & ſapientiam à reſponſorum eius prudētia corā fuerit expertus: nam & inuidiam non ignorabat Pontificum; diuinitatem verò, regnumque eius facilè ſuſpicari poterat

Ioan. 9. Infra 11. Octaua ratio. Matth. 27. Nona ratio etiam contra Caietanum. Luc. 23. Ioan 19. Luc. 23. Ibidem. Luc. 23. Decima ratio contra eundem Caietan. Marc. 15. Vndecima ratio. Eccle. hiſt. lib. 2. c. 2. Tertul. Luc. 23. Vnde planum fiat, Pilatum Chriſtum non vt fatuum & ſtultum habuiſſe, verum eius innocentiā agnouiſſe.

verum eſſe,& de cœlo eſſe;tùm ex miraculis, quæ nota illi fuiſſe ſatis eſt probabile; tùm ab eo quòd ab vxore acceperat,&longè magis ab eo, qui intus veritates Chriſti ſui inſpirabat, ſcilicet omnipotenti Patre: vnde Chryſoſtomus in Ioannem rectè ait: *Scripſit autem & titulum Pilatus, tùm vt Iudæos vlciſceretur,tùm vt Chriſtũ excuſaret. Nam cùm tanquam prauum tradidiſſent,& ſententiam hãc latronum ſocietate confirmare vellent,ne quis iam turpem mortis notam inurere, & tanquam malũ & perditum accuſare poſſet, vt calumniantium os obſtrueret, in Regem ſuum inſurrexiſſe denuntiat, & tanquam tropbæo cuipiã literas inſculpſit,clara voce & victoriam,& regnum profitentes,quamuis non perfectè.* Auguſtinus verò item in Ioannem ſuper id verbum: *Quod ſcripſi,ſcripſi*: *O ineffabilem* (ait) *vim diuinæ operationis, etiam in cordibus ignorantium? Nonne occulta vox quædam Pilato intus quodam,ſi dici poteſt,clamoſo ſilentio perſonabat, quòd tanto antè in Pſalmorum literis prophetatum eſt: Ne corrumpas tituli inſcriptionem? Ecce tituli inſcriptionem non corrumpit,quod ſcripſit, ſcripſit.* Hæc illi Patres.

Chryſoſt. ho. 48 in Ioãn. init. tom 3.
Titulum Pilatus cur ſcripſerit ſecundum Chryſoſt.
Auguſ. tract. in Ioan poſt. med. tom 9.
Pſalm. 59.

Hic ergo titulus verè teſtatur, & iuxta nominis etymon tuetur Chriſti innocentiam: quia nullum crimẽ eſt eſſe Iudæorum Regem,ſed Dei donum,& gratia,de qua: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Siòn montem ſanctũ eius,prædicans præceptum eius.* Et con firmatur: quia natus eſt Rex Iudæorum: vt Magi in eius natiuitate dixerunt. Secundò tuetur Chriſtum à latronum conſortio, & latrocinij perſuaſione. Tertiò oſtendit Pilati cõſtantiam, qui rogatus à Pontificibus noluit titulum delere; vt ſaltem eius innocẽtiæ ac dignitati atteſtaretur Regiæ,& per talem,ac tantam Pilati confeſſionem confirmaret Deus Scripturam Pſalmi 56.57.58. in quibus ponitur pro titulo: *Ne corrumpas tituli inſcriptionem,* qui tres Pſalmi, teſte B. Ambroſio,de paſſione Domini intelliguntũr,&titulum à Pilato poſitum non delendum deſignant. Quartò totum crimen in Iudæorum malitiam, & inuidiam reiecit, ac proinde in eorum dedecus, & infamiã, qui in Regem,ac Meſſiam proprium inſurrexerunt ad Crucis vſque necem:vnde grauati Iudæi illo titulo, dicebant, vt teſtatur Ioannes,Noli ſcribere,Rex Iudæorum;ſed quia ipſe dixit:*Rex ſum Iudæorum*,id eſt,falſo ſeſe de regno iactauit, coronam ambiuit, regiamque ſibi vſurpauit dignitatem. Ac ſi dicerent;Hic nõ eſt Rex noſter,quia ſi Rex noſter eſſet, tu non potuiſſes eum crucifigere:cùm Rex noſter aderit,nihil erũt Romani in cõſpectu eius:interim dum ille venit,nõ habemus Regem niſi Cæſarem.Sed Pilatus conſtanter teſtitit,dicendo: *Quod*

Prima ratio, vera & legitima poſitu tituli ſuper crucem Ieſu.
Pſal. 2.
Matth. 2.
Secunda ratio
Tertia.
B. Ambroſ. to. 4.
IV. ratio.

ſcripſi,ſcripſi; id eſt, quod ſcriptum eſt,non immuto. Non vult mutare titulum,qui verum Chriſti continebat Euangelium, quo ſcilicet prædicabatur verus ille, & indubitatus Meſſias olim Iudæis promiſſus, ac tãdem poſt multa ſecula ad eos deſtinatus,& iam Præſes illud futurum hac præludebat Scriptura,vt Chriſtiani profeſſio nominis, quã extinguere nitebantur Iudæi, ad Gentes credulas,quæ oliuæ pingui,id eſt, Chriſto inſererentur,demigraret. Sed illud pulchrum contemplare,quibus diuina prouidentia vtatur inſtrumentis ad complenda opera ſua. Nam quoniam mors Chriſti omnibus Hebræis,Græcis,& Latinis prædicanda erat, & quod Chriſtus omnium hominum veniſſet ſeruator;Pilatus veluti primus Chriſti Apoſtolus hoc tam admirabile myſterium prędicauit,& ſcripto in titulo prodidit: quemadmodum etiam eodẽ die latro ille,ad quem dixit: *Hodie mecum eris in Paradiſo,* primus viſus eſt eſſe Chriſti martyr;& Centurio,qui exclamauit: *Verè Filius Dei erat iſte,* primus eſt Chriſti ſanctus cõfeſſor. Vſque adeò ſtulta videntur opera Dei, vt confundat ſapientes. Vide etiam Ieſum in media morte cœpiſſe ad gloriam exaltari,& regnum ſuum à nece auſpicari, vt verbũm illud impleat Prophetæ: *Dicite in Gentibus,quia Dominus regnauit à ligno.* Ita enim Eccleſia in hymno ſuo canit, & Pſalterium Romanũ habet. Iuſtinus Martyr in dialogo contra Tryphonem Iudæum diſputans,aſſerit,eraſum eſſe verbum ab Hebræis, ἀπὸ ξύλου,id eſt,à ligno. Ita etiam legit Tertullianus libro aduerſus Marcionẽ: *Age nunc,* inquit, *ſi legiſti penes Dauid Dominus regnauit à ligno,expecto quid intelligas niſi forte lignarium aliquem Regem ſignificari Iudæorum,& non Chriſtũ, qui exinde à paſſione ligni ſuperata morte regnauit.* Et Arnobius in hunc Pſalmum: *Vnus,* inquit, *Dominus regnat à ligno Crucis,quia per lignum concupiſcentiæ regnum Dei ab hominibus receſſerat,modo per lignum Crucis regnum reuerſum eſt Dei,* & reliqua. item Leo Papa ſer. de paſſione: *Et ne ſceleris,* inquit, *tantum veſtri videatur ordo prædictus,nulla autẽ potentia prænuntiata crucifixi,non quidẽ legiſtis,Dominus deſcendit de Cruce,ſed legiſtis,Dominus regnauit à ligno.* Hæc illi. Quam lectionem, & alij quoque ſequuntur,& literæ congruit: *Tunc exultabũt omnia ligna ſiluarum à facie Domini,* nimirum peccatores vt ligna ſyluæ, & apti ad ignem vt Hieronymus interpretatur:qui exultant in primis,quia venit ad redimẽdum, deinde veniet ad iudicandum. Ad hæc aduertẽdum, inſcriptionem ad caput Chriſti poſitam,& non ad pedes: quia regnum Chriſti non erat terreſtre ac humanũ, ſed cœleſte, ac di-

Deut. 18.
In titulo Crucis Dominicæ perſpicuè cernitur diuina prouidentia.
Primus Chriſti martyr, primuſque Chriſti confeſſor qui nam illi fuerint.
Luc 23.
Matth 27.
1. Cor. 1.
Pſal 95.
Iuſtinus Martyr. tom 2.
Iudæorum hæreticorumque corruptela verbi Dei hoc loco
Tertull. lib 3. aduerſus Marcionem. multo poſt med.
Arnobius in Pſalm. 95.
Leo Papa ſer. 4 de paſſ. circa med
Peccatores cur lignis ſiluæ in Scripturis comparantur, teſte Hieronymo.
Hieronym. in Pſalm. 95. tom 8.
Inſcriptio ad caput Chriſti & non ad pedes cur ſit poſita.

Quale regnũ Chriſti ſit, & quibus dominetur.

Luc 15. Supra 10.

Beda in Luc. ca. 94. tom. 5. Quid eſt, quod Chriſto immolato titulus fuit ſuperpoſitus, teſte Beda.

Hebr 9.

Act 14. Ambroſ. in Luc. l. 10. Titulus cur ſupra, non infra Crucem Chriſti poſitus ſit, ſecundum Ambroſ.

Eſai. 9.

Rom. 1.

De titulo Crucis Dominicæ conſideratio.

Tituli varius uſus apud Veteres.

ac diuinum, & ſuper eos, qui ex cœlo, & à Deo vocati ſunt. Et non eſt regnum tyrannicum, aut violentum, vt eſt omnium illorum, qui ſubditos pedibus calcant, ſpoliã, atq; diripiunt, ſed regnum charitatis, quo Rex ſuos portat, vt paſtor ouem errantem ſuper humeros, & vt Samaritanus geſtans ſuper iumẽtum ſuum vulneratum, & ſemimortuum. Annotauit quoq; Beda Venerabilis, Chriſto immolato ſuperpoſitum titulum, vt cunctis credere volentibus pateat, quòd per Crucem non perdidit, ſed corroborauit imperium ſuum; & ad ſignificandum quod Pontifex futurorum bonorum, neminem ad regnum ſuum probaturus eſt, nec ad glorioſos ordines Angelorum eleuaturus, niſi prius habeat titulum pœnitentiæ, ac tribulationis pro Chriſto perpeſſæ, iuxta illud: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Ambroſ. in Lucam inquit: Scribitur autem titulus, & ſupra Crucem ponitur, non infra Crucem: quia principium ſuper humeros eius: principium autem quid eſt, niſi ſempiterna virtus eius, atque diuinitas? Et hactenus quidem de titulo hoc ad literam meditati ſumus. Iam verò quædam contemplanda altius de ratione tituli, & ſingula eius verba diligentius inſpicienda, atque attendenda.

Geneſ. 35.

Actor 17.

1. Reg 15.

Ambroſius.

Quam multis rationibus hic titulus Chriſto conuenit.

Quod ad titulum igitur attinet, moris erat olim, titulum præponere ſepulchris, vt ex Geneſi conſtat, vbi Iacob, cùm periclitata eſt vxor eius Rachel, & in partu mortua, erexit titulum ſuper ſepulchrum eius: *Hic eſt titulus*, inquit, *monumenti Rachel vſq; in præſentem diem.* Adhibebatur etiam titulus aris, ſiue altaribus: vnde Paulus Athenis inuenit aram cum inſcriptione ignoti Dei, & Moſes erexit altare cum duodecim titulis. Adhibebatur & arcubus triumphalibus, quo intelligeretur victor triumphans de hoſtibus: vt cõſtat ex fornicibus Romanorum Imperatorũ, & de Saule legitur, quod reuerſus à cæde Amalec, erexit ſibi fornicem triumphalem. Et Ambroſius in Lucã: *Solet etiam titulus ſubiugatarum gentium numerum deſignare. Sit in illis triumphis ordine quodam digeſta miſerabili deuictarum præeuntiũ contumelioſa captiuitas nationum: hic redemptarum gentium vernat gratia.* Hæc Ambroſius. Adhibetur præterea titulus libris, vt de dignitate argumẽti, quo de agitur, & autoris cõſtare queat. Deniq; reis, & raptis ad ſupplicium applicabatur, quo de crimine & ſupplicij cauſa cõſtaret. His omnibus rationibus ſi dixerimus titulum poſitum Chriſto crucifixo, non errabimus. Nam eius Crux dici poteſt ſepulchrũ, vbi tenebris eclipſis quodammodo conditus fuit. Chriſtus enim

Rachel qualis Chriſti typus.

I. ratio.

Gen 35.

Ben oni, & Ben iamin quid.

quatenus homo eſt, ſancta eſt illa Rachel, quæ in partu laborans extincta eſt: & quidẽ verno tempore, quemadmodum Chriſtus in vere Paſchali. Verùm priuſquam exhalaret ſpiritum, peperit filium, quem ipſa vocauit Ben-oni, id eſt, filium doloris; pater verò appellauit eum Ben-iamin, id eſt, filiũ dexteræ. Quia potentia Verbi, & infirmitate ſanctæ humanitatis natus eſt fideliũ populus, quaſi filius doloris, ſi reſpicias ad humanitatem: quaſi filius dexteræ, ſi reſpicias ad Verbi diuinitatem: atq; vt agnoſcamus nihil boni nos parere, niſi cum dolore debilis carnis, & virtute Spiritus. Quadrat ſecundò hic titulus Cruci, quatenus altare eſt ſanctiſſimum verè ignoti mundo Dei, qui

II. ratio.

Act. 17.

1. Cor. 1.

Crux quid ſit.

Ioan. 1. & Luc. 1.

Infra 2.

Infra 6.

Infr. 22.

Chriſtum, aut ſcandalũ, aut ſtultitiam exiſtimat. Non eſt enim aliud Crux, niſi ara ignoti Dei, in qua Ieſus quaſi Summus Põtifex, vt orator, Deum deprecatur; vt magiſter, de cathedra homines docuit; & vt Sacerdos, ſacrificium obtulit, Miſſamque ſanctiſſimam in hac ara celebrauit. Cuius introitus fuit per Incarnationem: hymnus Angelicus decãtatus eſt in Natiuitate. *Gloria in altiſſimis Deo:* Orationes dixit, cũ pernoctabat orando in deſerto: epiſtolam explicauit, declarando legem, & Prophetas; Euangelium, quando Euangelizabat: tandem confecit, dum ſe conſecratum in cœnaculo morti obtulit: Hoſtiam verò eleuauit, dum ſe exaltatum in Cruce, toti mundo oſtendit: compleuitq; ſacrificium, cùm dixit: *Conſummatum eſt.* Eſt autem Chriſtus

Ioan 19.

Summam, & compendium omnium ſacrificiorum legis Veteris Chriſtum eſſe.

Exod. 12. & ſeq.

Eſai. 53. & Actor. 8.

1. Pet. 2.

Rom. 8.

Hebr. 5.

ſumma, & compendium omnium ſacrificiorum Veteris legis. Eſt enim agnus educens de Ægypto, propter innocentiam: ouis, propter manſuetudinem, in cuius ore non eſt inuentus dolus, nec cùm maledicetur, regerebat maledicta: aries fortiſſimus, propter ducatum gregis Chriſtiani: vitula rufa, ob effuſionem ſanguinis ſui extra Ieruſalem: bos laborioſus, qui ararro crucis cordis noſtri terram proſcindit: hircus, ſiue hœdus, propter ſimilitudinẽ carnis peccati: Colũba ſine felle meditans in nido Crucis, quę noſtrę ſalutis ſunt; turtur caſta & gemebunda, quia cũ clamore valido, & lacrymis preces, ſupplicationeſq; pro nobis offerẽs, exauditus eſt: paſſer ſolitarius, quia ſolus, & nudus relictus eſt in ligno Crucis: ſal propter ſapientiã: oleum, ob cõmiſerationem, quã ad nos habuit: ſimila, propter intentionẽ puriſſimã: azyma, ob immaculatas carnes: vinũ propter amoris ebrietatẽ. Eſt hoſtia, pro delẽdo peccato: pacifica victima, ac coronata, pro donis impetrandis, ac gratijs agẽdis: holocauſtũ perfectiſſimũ, totũ igne charitatis incẽſum. Hæc omnia iuxta ſpiri-

III ratio. *Geneſ. 9.*

tum in ara Crucis obtulit Chriſtus. Eſt prę-tereà Crux Chriſti, arcus triumphalis in arcu, quo Dominus pepigit de non amplius immittendo diluuio in mundum: & Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi de nō ſumenda amplius vindicta peccatorum, quæ in Chriſto vindicata abundanter fuerunt. In arcu erat nomen victoris proprium, & patria, ac dignitas ſeu officium. Quod ſatis explicant illa verba: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Non nominatur prouintia debellata, vt in alijs fieri ſolebat: nam dicebantur, aut Africani, aut Parthici, aut Germanici: quia latiſſimè patet Chriſti victoria, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Nunc, inquit, iudicium eſt mūdi: nūc princeps huius mundi eijcietur foras. Sunt autem eius hoſtes potiſſimi cacodæmones aſtuti, & verſipelles; mundus ipſe omnes alliciens, & ad ſe trahens, mors hoſtis ſæuiſſimus, & quem nemo poteſt euadere; caro dominans ſpiritui, & in ſeruitutē trahens; peccatum regnans in mūdo, & in noſtro mortali corpore, & mortem generans, dæmoneſq; delectans. Fuit autem mirabilis victoria Chriſti, eo quod hoſtes ſui erant in ſummo ſuæ potentiæ vigore, & quo magis ſuam vim exerebant, eo plus debellabā-tur. Nunquam enim tantum facinus extitit, quantum occidere iuſtum, & innocentem Filium Dei. Nam quòd in cæteros omnes homines ſæuirent, id qualicunq; ſuo iure faciebant: at quòd mors auſa fuerit agere in vitam, & peccatum cōtra iuſtitiā, & mundus contra eius conditorem, ac carnifex Satanas in proprium dominum, id non fuit niſi audaciſſimum, ac horrendum facinus. Quare meritò factum eſt, vt quo plus ſæuierunt in Chriſtum, eo amplius ſint debilitati, atque confracti: & eo magis, quo Chriſtus non alijs armis certauit, quàm virtutibus humilitatis, patientiæ, obedientiæ, & charitatis. Habet quoque Crux quaſi liber titulum ſuum, quo nomen autoris, & argumentum libri comprehenditur: titul9 profectò nouus, ac pulcher inuitans homines ad emendum, ac legendum, atque de eo diſputandum. Eſt autem Chriſtus liber ſcriptus intus, & foris: quia Deus eſt, & homo, vel quia intus ſcriptus eſt in animo, & extra in corpore, quem nemo nouit legere, niſi fuerit ei datum de cœlo: & qui ſemel illum legerit, nihil poteſt ignorare. Liber hic qui Deus eſt, & homo, dictatus fuit ab æterno, dum Patris omnipotentis decreto conſtitutum eſt, vt Verbū caro fieret; Scriptus digito Dei, id eſt, per Spiritum ſanctū, per quem conceptus eſt, publicatus, & in

2. Cor. 5.

Regni Chriſti, & imperij fines ampliſſimi.

Philip. 2.

Ioan. 12.

Quibus de hoſtibus, & quā glorioſam victoriam reportauerit.

Rom 6.

Summum omnium facinus atque ſacrilegium quod.

Quibus armis hoſtes ſuos Chriſtus debellauerit.

IV. ratio tituli Cruci ſuperpoſiti.

Apocal. 5.

Chriſtus liber ſcriptus intus, & foris, quo modo.

Ioan. 1.

lucem editus per natiuitatem, rubricatus per circumciſionem, diſputatus in templo, cum duodecim eſſet annorum, ablutus baptiſmo, approbatus à Deo dicente: *Hic eſt Filius meus dilectus*: expoſitus in prædicatione, confirmatus ſignorum multitudine, illuminatus in mōte Thabor, inauratus charitatis operibus, furto ſublatus, ac venditus à Iuda pro triginta argenteis, reprobatus vt falſus, ac mendax à pontificibus, correctus flagellis Pilati, dicentis: Corripiam ergo illum, & dimittam; interpunctus vulneribus, poſitus in pulpito Crucis, vt ab omnibus euitetur, & in abominatione habeatur, annotatus, & ſcholijs illuſtratus per clauos, lanceam, & coronam ſpineam: ſolutus, ac diruptus per mortem ſeparantem animam à corpore, ſed fortiſſimè religatus in reſurrectione. Explicatus fuit de integro Apoſtolis per diuerſas apparitiones: in cœlum ſublatus, vt in eo legentes beentur: interpretatus in die Pentecoſtes quo venit Spiritus ſanctus de quo dixit: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* O librum ſuper omnem librum: hic ſit nobis charus ac pretioſus liber, hūc expedit nocturna verſare manu, verſare diurna, qui deſiderio progrediendi in via ſalutis tenentur. Hic ſit noſtrum enchiridion, iſagoge ad ſapientiā, verbum abbreuiatum, contemptus mundi, ſoliloquium, ſtimulus diuini amoris, itinerariū mentis in Deum, ſumma totius Scripturæ, & quod dici ſolet: *Vade mecum & dormi ſecurè.* Hic liber non eſt vt ille, de quo Plinius ait: *Non eſt liber adeò malus, quin aliquid boni contineat*: quia hic nihil mali complectitur, & omne bonum, & verum, & nobis ſalutare cōprehendit. Hic liber æquiualet omnibus libris, quorum faciendi, & legendi nullus eſt finis. Continētur in hoc libro in primis nomina omnium electorum: nam in Chriſti diuinitate, tanquam in libro vitæ omnes prędeſtinati ſcripti ſunt: deinde sūt etiam in anima Chriſti ex tempore atramēto triſtitiæ iterum ſcripti ab inſtanti incarnationis, vt mortem ſuam pro eis Deo offerret, & iterum in corpore per rubrū ſanguinis atramentum, & duras pennas clauorum in corpore deſcripti ſunt, ſicut per Eſaiam dictum eſt: *Ecce in manibus meis deſcripſi te.* Vides quàm ſimus conſcripti in libro diuinitatis, animæ & carnis ſanctiſſimę Chriſti? Nam ſicut in libro Epiſcoporum illi ſoli annotantur, qui digni ſunt vt ad ordines promoueantur, & in libris Principum, eorum nomina militum, qui ſtrenuè pugnauerunt, aut vitam ſui tutati ſunt Principis, vt de Mardochæo vitæ Aſſueri cuſtode legimus: ita Dominus in libro ſuo omnes

Luc. 1. *Infra 2.* *Ibid.* *Ibid.* *Matth. 3. & 17.* *Infra 10.*

Luc 23.

Act. 1.

Ioan. 16.

Quo loco nobis habendus hic liber.

Rom 9 & Eſai. 10.

Non eſt liber adeò malus, quin aliquid boni cōtineat, teſte Plinio.

Quid ſcripti ſit in hoc libro Dei.

Eſai. 49.

Simile.

Eſther 6.

euehen-

2 Tim. 2.

euehendos ad ordines Angelorum, & cum Martyribus coronandos, vt qui legitimè certauerunt, ſcriptos habet; reliquos verò,

Quod non ſcribit Deus in lib. ſuo, aut deleri iubet.

qui nihil egregium pro Dei gloria præſtiterunt, aut ſi quid præſtiterunt, ceſſatores tamen fuerunt, aut non ſcribit, aut deleri iubet, iuxta illud: Deleantur de libro viuentium; & cum iuſtis non ſcribantur,

Pſalm 68.
Ierem. 17.

Recedentes, inquit Ieremias: *à te, in terra ſcribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum.* Deinde continentur in hoc libro omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ

Coloſ. 2.

Dei, ita vt Paulus non glorietur ſe aliud ſcire, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.

1 Cor. 2.

In hoc libro quinque Vocales, ſunt latiores plagæ; Conſonantes verò, reliqua omnia membra afflicta, & excruciata. Ex quibus coniunctis fiunt ſyllabæ, dictiones, orationeſque, quæ nos diſcere, & imitari in hoc pulchro debemus libro.

Libro vitæ, qui Chriſtus eſt, quid doceatur.

Docemur enim in hoc lib. artem Amandi Deum ſuper omnia: *Vt autem*, inquit, *ſciatis quia diligo Patrem; & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio; ſurgite, eamus hinc.*

Ioan 14.

Bellandi artē contra carnem, mundum, ac dæmonia: à quibus perſequendis non eſt deſiſtendum donec vicerimus. Tradit documentum caſtigandi peccata, & celandi dona Dei in nobis.

Rom. 4.

Erudit de danda, & impendenda vita in ſalutem proximi; non enim Chriſtus pro ſe, ſed pro nobis mortuus eſt. Illuminat de exaltanda, & extollenda à nobis Cruce; quam Chriſtus propterea & ſuis, & alienis

Matth 27.

Cyrenæi humeris geſtari voluit. Docuit, famam omnino pro Dei honore, & gloria contemnendam. Expreſſit gratiam Deo, quanto pretio ſit empta, & quàm chara nobis eſſe debuit. Aperuit humanam gloriā,

Supra 22.

quàm ſit vana ac vilipendenda; cùm honor ei exhibitus in die Palmarum, in tanta ignominia ſit terminatus. Significauit, iuſtitiam, & innocentiam ita amplectendam, vt nullis calumnijs inquinari diu poſſit. Oſtendit, lacrymas pro aliorum peccatis, ac pro ſuis fundendas: & liberalitatem in miſeros exercendam exemplo ſuo, quo latroni pollicitus eſt Paradiſum.

Luc 23.

Rationem quoque moriēdi ſanctè, ac rectè nos egregiè inſtituit, dum nudus omni præſidio, & libenter patiens, & conformis diuinæ voluntati, & commendando ſpiritum Patri mortuus eſt. Monſtrauit non negandum

Matth. 26.

Chriſtum vllo mortis timore, vt Petrus fecit, ſed confitendum in finem; vt Chriſtus confeſſus eſt bonam confeſſionem coram

1 Tim. 6.

Pilato. Docuit orationes, ac preces etiam pro inimicis capitalibus, actuq; perſequentibus ad Deum fundere exemplo ſuo, cùm dixit: *Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid*

Luc 23.

faciunt. Explicat perſeuerandum eſſe in obedientia vſq; ad mortem Crucis: *Opus*, inquit, *conſummaui, quod dediſti mihi, vt faciam*:

Ioan. 17.

quam ad ſtabilitatem indicandam, pedes ſuos configi voluit. Admonuit, quinq; ſuis vulneribus, noſtros quinq; ſenſus coercendos eſſe, ac reprimendos. Monuit, Regnū verum, ac perpetuū acquiri Crucis, ac tribulationum ignominia. Indicat ſuperbiam declinandam in eo quod capite inclinato longe à titulo receſſit. Tradit taciturnitatis armis pugnandum eſſe ad victoriam, ſicut ſcriptum eſt: *In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra.* Vocandum eſſe Deum in tribulationibus noſtris, votaq; noſtra Deo reddenda detexit.

Eſai. 30.
Pſal. 49.

Deniq; docet zelandum eſſe nobis pro gloria Dei, & ſalute animarum, cum diſpendio etiam propriæ vitæ. Poſtremò titulus affigebatur reis, quo cōſtaret & ſupplicium illi conueniens: de quo ſuperius ſatis diximus.

V ratio, & poſtrema.

¶ Iam ſingula verba diligentius inſpiciamus. Primò dicitur, Ieſus, quod eſt nomen proprium; deinde Nazarenus, à patria; Tertiò Rex Iudæorum, à dignitate, vel officio. Ieſus ergo ſignificat Saluatorem.

Luc. 2.
Ieſus quid.

In quo diuinitas ei* indicatur: *Ego ſum*, inquit, *ego ſum Dominus, & non eſt abſq; me Saluator*: & in alio loco: *Dominus petra mea, & robur meū, & Saluator meus*, & Paulus: *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri.*

Eſai 43.
2 Reg. 22.
Tit 2.

Et vt Angelus inquit, ſic dictus eſt, *Quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Eſt autem factus nobis autor ſalutis per condignam ſatisfactionem, & pretij ſolutionem: tanti enim Deus me facere voluit, tamq; me tibi carum hoc pretio oſtendit, vt me relinqui ab eo perſuaderi nequeam, ne perdat quæ tam carè emit, niſi per me illi obſiſtentem impedimentum præſtitum fuerit.

Matth. 1.
Ieſus vt factus ſit autor ſalutis noſtræ.

Voluit quoque tanti me fieri ab Angelis, vt glorię ſibi ducant, quòd mihi ad ſalutem miniſtrent: mali verò Angeli timeant me attingere, ne mihi incōmodent, ne videantur impedire vel opus Filij Dei, ne tantæ dent pœnas audaciæ. Alijs quoq; paſtoribus ac fratribus tam cōmendatum me eſſe voluit, vt pro ſuo munere cogātur pro mea ſalute ſeruanda ſanguinem profundere. Ego quoq; mihi ipſi non debeo nec audeo incommodare, & tantum mihi beneficium inuidere, ita vt à Domino meo, & Chriſto Deo audeā petere, ne derelinquat me mihi, ſed tanti me à ſe factum cuſtodiat quia niſi magna eſſet inſania mea, nec à me medicabilis, ipſe pro me redimendo non tam multa, nec tam indigna tuliſſet.

Quantæ illi cura ſit atque prouidentia noſtræ ſalutis.

Dicit ergo Chriſtus de Cruce: Vide quid in me feceris, quid pro te paſſus ſum: amplectere, & oſculare paſſionem meam, & me ipſum:

Quid dicat nobis Chriſtus de Cruce.

nam

nam nec me pœnitet vnquam hæc pro te ipſo paſſum. Dicet aliquis Deo; Quid in me vidiſti Domine, vt hæc tu pro me paterere? Reſpondere poteſt Dominus, Quid ad te; num inuides tibi ipſi? an non licet mihi facere quod volo de meo? an dedecet me honeſtare quemcunque ego velim? Eſt ne aliquid tam indignum, quod à me dignum effici non poſſit? Si tibi aliud ſufficeret, nihil mihi, & amori meo ſufficiebat. Quis enim terminos diuino præſcribat amori? Ieſus igitur Saluator eſt, id eſt, habens habitum, & artem ſaluandi: *Deus noſter*, inquit Dauid, *Deus ſaluos faciendi*. Impoſitum eſt hoc nomen in circunciſione, qua fudit ſanguinē in myſterium præſignatum fundendi totum ſanguinem in Cruce, ad ſalutem totius mundi. Eſt autem potētiſſimus Saluator vt eius miracula oſtendebant: & ſapientiſſimus, quia doctrina ſua oſtendebat ſe optimè noſſe ſcientiam ſaluandi mundum, volens etiam ſaluare, ac ſitiētiſſimus ſalutis noſtræ: quia honor Saluatoris eſt ſaluos facere, vt medici ſanare infirmos, & aduocati vincere cauſſam clientis, & artificis opera ſuæ artis præſtare. Cœpit etiam iam noſtram ſalutem operari per fidem & baptiſmum. Dixit etiam, & promiſit ſe perfecturum in nobis, quod cœpit; eius propterea eſt, qui fallere nequit, ſtare promiſſis. Dedit etiam pignus Spiritus in cordibus noſtris, quò confirmatiores nos redderet. Fecit inſuper expenſas ſanguinis ſui, adhibuit inſtrumēta Sacramentorum, & adminiſtros Sacerdotes, & Angelos, qui mittuntur propter eos, qui hæreditatē capiunt ſalutis. An quicquam poteſt deſiderari in hoc potētiſſimo Saluatore? an quicquam illi addi poteſt? Secundum verbum eſt Nazarenus, id eſt, floridus vel florigerus, quia per florem virginitatis in ſe ipſo, & in matre ſua ſplendeſcentem, ac per florem conſummatæ virtutis nobis in exemplum nobiliſſimæ conuerſationis eſt poſitus, & per odorem, & fragantiam ſuam fit ſacrificium pro nobis Patri oblatum in odorem ſuauitatis: in cuius odoris repræſentatione odoratus eſt ſacrificia Abel, Noë, & Abrahæ, & aliorum Patrum, id eſt, ea grata habere voluit. Et præterea ſpes æterni fructus, nam fruemur aliquando dulcedine diuinitatis ipſius. Et bene hic flos campi poſitus eſt in ligno Crucis, quod eſt arbor bona, & tanquam roſa odorifera de ſpinis egreditur. Tertio dicitur Rex, & quidem natus Rex, ac proinde plenus Sapientia, iuxta id: *Regnabit Rex, & ſapiens erit*: cumulatus prętereà poteſtate, & virtute, non egens ſatellitio, vel exercitu alio à ſeipſo, qui eſt omnis potentia, & virtutis inſtitia refertus quoque, iuxta illud: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem*. & vt Metellus Romanus magnam vim auri miſſam à Pyrrho ſpreuit, dicens: *Malo habentibus aurum, quam auro imperare*: ita Chriſtus etſi pauper & omnium rerum præſidio deſtitutus, Rex eſt tamen, etſi eius regnū non ſit de hoc mundo, & habentibus aurum diuitiiſq; huius mundi imperat. Rex prætereà incipiens regnare à morte, in qua omnium aliorum, quod profectò eſt admirandum, regna finiuntur. Diciturq; Rex, quia nouit ferre legem Euangelicam: & homines dirigere per vitam gratiæ, vt poſſint peruenire ad æternam vitam, poteſt etiam rebelles per pœnitentiam punire, vel in gehennam detrudere impœnitentes. Quartò dicitur Rex Iudæorum, hoc eſt, confitentium, & laudantium: quo nomine gloriantur Chriſtiani, & Paulus illud abſtulit à Iudęis, ad Romanos ſcribens, & illud donauit Chriſtianis. Ioannes quoque in Apocalypſi: *Ecce dabo*, inquit, *de Synagoga Satanæ qui dicunt ſe Iudeos eſſe, & nō ſunt, ſed mentiuntur*. Confitentur verò Chriſtum, qui agnoſcunt peccata ſua, quemadmodùm latro bonus agnouit, & intelligunt propterea Chriſtum eſſe Cruci confixum, & propter illum Sacerdoti tanquam Vicario Chriſti cōfitentur peccata ſua. Laudant prætereà Chriſtum, confitenturque illum Regem eſſe, ac beneficum, qui eius opera, verba, Sacramenta, conſilia, miniſtros magnificant in corde ſuo: quiq; eius infirma, & ignominioſa, vt crucem, ſpinas, clauos, flagella, cineresq; ſuorum Martyrum exaltantes amplexantur, exoſculantur, atque proſtrati venerantur, & in Cruce ferēda & in flagellis atq; illuſionibus propter Chriſtum gloriantur, non tantùm corde, & verbo, ſed etiam operibus cōfitentes. Hi enim ſunt veri Iudæi.

Perpende, in his quatuor verbis tituli ad indicandam cauſſam mortis eius ſcriptis, quatuor innui rationes, propter quas Chriſtus non quidem morte, ſed vita dignus erat. Nam in primis ſi Ieſus eſt, & Saluator, quæ ratio vult, vt pater patriæ, doctor ſuauiſſimus, & medicus beneficus moriatur? Arbor inutilis fructum non ferens, digna eſt igne, & ſecuri, ne terram occupet: at plāta vtilis, & frugifera, digna eſt vita ſuper omnes alias. Chriſtus erat ſalutaris & vtiliſſimus, docebat ignorantes, ad viam Dei reuocabat peccatores, ſolabatur afflictos pauperū inopiā ſubleuabat. Si tangebat aquā, ſanctificabat illam; ſi lepram, eam fugabat; ſi panes, eos multiplicabat; ſi tangebatur fimbria veſtis ſuę, ſiſtebat fluxum; ſi loquebatur,

Matth. 20.

Nullus poteſt terminos diuino præſcribere amori.

Pſalm. 67.

Quid Ieſum eſſe Saluatorem.

Luc. 2.

Sanguis fuſus in circunciſione quid præſignaret.

Philip. 2.

2. Cor. 1.

Hebr. 1.

Nazarenus quid ſignificet.

Gen. 4.

Infra 8.

Infra 22.

Qualis Rex ſit Chriſtus.

Matth. 2.

Ierem. 23.

Pſal. 44.

Metelli dictū ad Pyrrhum Regem præclarum reſponſum.

Ioan. 18.

Chriſtus cur Rex dicatur.

Iudæorum Regem eſſe quid ſit.

Rom. 2. & 9.

Apoc. 3.

Chriſtum qui confitentur.

Luc. 23.

Qui laudent Chriſtum.

Veri Iudæi qui ſint.

Rationes quatuor ex titulo deſumptæ, quibus Chriſtus probatur vita digniſſimus extitiſſe. 1 ratio.

Ioan 15.

Luc. 13.

Matth. 3.

Infr. 8. & Luc. 17.

Matth. 14. & 15.

Supr. 9. Luc 4. Matth. 8. Sup. 4. Inf. 9. Ioann. 9. I. Ratio. Eſa. 53 & 1 Pet. 2. Rom. 5. Matt. 27. Ioan. Luc 23. Matt. 27. Luc 23. Ibid. Mat. 27.

batur, admirabantur omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipſius. Si præcipiebat, quieſcebant & venti, & mare; ſi diſputabat, diſputantibus ſilentium imponebat; ſi vocabat diſcipulos vno verbo à naui, & retibus, & à telonio illos ad ſe trahebat: ſi clamabat, mortui de inferno redibant: ſi preces fundebat, omnia à Patre impetrabat; ſi ſpuebat in terram, luto oculos amiſſos inūctos reſtituebat. Erat ergo Ieſus vtiliſſimus; ac proinde vita digniſſimus, nō morte. Deinde ſi erat Nazarenus, id eſt, floridus, vel ſanctus, quę cauſſa poſtulabat, vt innocens, & qui peccatum non fecerat, moreretur? Nam per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors. Eius autē innocentiæ ſubſcripſit Pilat⁹ iudex cum vxore, illam teſtati ſunt Iudas, & latro in Cruce, & Centuriō exclamans: *Verè Filius Dei erat iſte*: illam in veſte alba innocentiæ inſigni delineauit ignarus Herodes, illam profeſſa eſt turba percutiēs pectus: cælum ipſum Sole obſcuratum, & terra tremore ſuo, & mortui, qui apertis ſepulchris ſuſcitati ſunt. Si ergo Nazarenus eſt, minimè morte, ſed diuturna vita extitit dignus. Tertiò, ſi eſt Rex, quę ratio patitur, vt Rex mortem ſubeat turpiſſimam. Reges enim ſunt ſupra leges communes; Principes ſoluti ſunt legibus. Ionathas quia filius erat Saulis, cùm contra patris mandatum guſtaſſet de melle, adiudicatus erat morti: & tamen priuilegio totius populi petentis à morte ereptus eſt. Solet nobilitas in bello hominem à morte liberare; quare ergo fons totius nobilitatis Chriſtus extinguatur? Quartò, ſi Rex eſt Iudæorum, debebat inter ſuos à nece immunis exiſtere. Solet enim conſanguinitas fauorem præſtare, & liberare ab omni incommodo, nedum à nece: at Ieſus omnibus rationibus erat coniunctiſſimus Iudæis. Erat enim ex eorum ſanguine, & ex familia Regia Dauid: erat etiam eis indulgentiſſimus pater, amantiſſimus frater, fideliſſimus amicus, ſuauiſſimus magiſter, benigniſſimus medicus, & auguſtiſſimus Imperator. Viuat ergo, viuat Ieſus, viuat Nazarenus, viuat Rex, & viuat Rex Iudæorum, ne iacturam faciamus ſalutis, ſanctitatis, regiminis, & propinquitatis. Nam ſi pereat ſalus, quo modo ſaluabitur quiſquam? Si ſanctitas, quomodò quis ſanctificabitur? Si Rex, quis reget nos? Si Rex Iudæorum, quis agnoſcet nos vt ſuos, & confitentes.

III. Ratio. 1 Reg. 14. IV. Ratio.

Quatuor quoque rationes ex parte Dei, propter quas expediebat mori Chriſtum, aſſignantur.

Verùm in his quatuor verbis continentur totidem rationes ex parte Dei, propter quas expediebat Chriſtum mori. Nam inprimis ſi Ieſus erat, hoc eſt, Saluator, oportebat eum ſummum ſaluationis exercere actum, quo conſtaret eum eſſe ſummum Saluatorē. Non eſt autem maius argumentum, quàm ponere animā pro amicis, imò pro inimicis actu vitam eripientibus. Vt enim Ieſus eſt ſummus Saluator, & à ſummis malis ſaluat, id eſt, peccato, ac dæmone: ita oportuit eſſe ſupremum modum, ac rationem ſaluandi: nō corruptibilibus, auro, vel argento, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati. Deinde ſi eſt Nazarenus, i. floridus, vel ſanctus, mortem oppetere debebat. Eſt enim propriū virorum fortium, ac ſanctorum ponere vitam pro alijs: quòd & ratio naturalis docet virum fortē pro patria tuenda debere mortem ſuſtinere. Hoc ſpiritu ductus Moſes dicebat; Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi nō facis, dele me de libro tuo, quē ſcripſiſti, & Paulus: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis*, Legimus in externis hiſtorijs, Damonem vadē ſe præſtitiſſe pro Pythiæ vita, ſed vterque euaſit: Ieſus, qui pro nobis fideiuſſor eſt factus, non euaſit. Propheta Ionas, *Tollite me*, inquit, *& mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis*: Quanto maiori charitate præditus Ieſus, in cuius vnius ſanguine ſita erat ſalus mundi, hoc feciſſe credendus eſt? Adhæc ſi Nazarenus eſt, hoc eſt, floridus pro illuſtrandis, ac exornandis virtutum ſuarum floribus morti ſe debuit exponere: vt pro honore Dei reſtituendo, pro charitate aduerſus proximum iudicanda. Nam præceptum eſt: *Qui habuerit ſubſtātiam huius mundi, & viderit fratrē ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo; quomodò charitas Dei manet in eo?* Cùm ergo in maxima, & extrema neceſſitate verſaretur gen⁹ humanum, vt in æternum gloria Dei priuaretur: ſolus Ieſus, qui poterat noſtræ neceſſitati ſuccurrere, illamque nouerat ſolus præſtare, ex charitate debebat ſuccurrere. Adhæc pro humilitate & obediētia oſtendenda, mortē amplecti æquum fuit, & rationi conſonum, ſi Abraham pro illa voluit immolare filium ſuum, ne obediētia Filij Dei vinceretur ab Abrahæ obedientia. Debuit prætereà pro veritate, q̄ prædicabat, tuenda, mortem ſubire, vt nobis illam certiſſimam, atque confirmatiſſimā redderet, & ne vinceretur à Martyribus, qui ꝑ ea defendenda ſanguinem profuderunt. Poſtremò pro fidelitatis virtute debuit mori, vt quod ꝓmiſerat per Prophetas, impleret, & mortem, quam comminatus erat peccati Adæ, qui cauſſam hominum tuebatur, contra cacodæmonem, dicētem: *Nequaquam morte moriemini*, in ſe ſuſciperet. Quòd ſi Attilius Regulus pro vmbra quadam virtutis redire

I. Ratio. Ioan. 15. 1. Petr. 1. II. Ratio. Proprium virorum fortiū ac ſanctorum quid ſit. Exod. 32. Rom. 9. Damonis in Pythiam charitas, Ionæq; in Niniuitas, cū Chriſti charitate nullo modo conferēda. Ioann. 1. III. Ratio. 1. Ioan. 3. Geneſ. 22. Geneſ. 2. Infr. 8.

Atilij Reguli fortitudo animi.

ad Carthaginenſes, & acerbam mortem ſuſtinere, glorioſum ſibi eſſe duxit: quid de innocentiſſimo, & fideliſſimo Dei Filio cogitandum? Tertiò ſi ipſe etiam eſt Rex, eius erat pro defenſione populi vitam morti exponere, ſi Codrus Athenarum Rex, audito oraculo, diſſimulato habitu ne agnoſceretur, in prælium ingreſſus eſt, & ad certam mortem ſe prælio ingeſſit, quo patriam ſuam liberaret: vt ex externis teſtatur Valerius, ex noſtris Auguſtinus. Poſtremò, ſi Rex eſt Iudæorum, mori profectò debuit: tùm quia in lege Iudæis promiſſus eſt Rex, qui morte eos redimeret, & à ligno regnaret; tùm quia teſtamentum non eſt validum, ſine morte teſtatoris; tùm quia hoc multis figuris erat adumbratum. Nam niſi morte Summi Pontificis non licebat ex ciuitate refugij cuipiam in patriam reuerti ſuam: Achab etiam Rex Iſrael cum mutato habitu in bello contra Syros exiſteret in curru ſuo, ſagitta percuſſus eſt inter pulmonem, & ſtomachum, & ſero mortuus eſt: & ſanguis effluxit in curru ſuo, & præco inſonuit in vniuerſo exercitu: *Vnuſquiſque reuertatur in ciuitatem, & in terram ſuam.* In qua hiſtoria pulchrè depicta eſt Chriſti in curru Crucis cæſi victoria in Syros, id eſt, dæmones inſidiatores, eorumque miniſtros, qui inſidiabantur Chriſti ſanguini: nam in habitu aſſumpto humanitatis noſtræ pugnauit contra eos. Currus autem, pulchrè Crucem repræſentat: quæ à quatuor equis portata eſt, id eſt, charitate Patris, obedientia Filij, deſiderio Angelorum, & à noſtra miſeria, ſiue neceſſitate. Percuſſio illa fuit Longini in latere dextro: & ſtabat, quia mortuus eſt ſtans, & vt dixit Romanus quidam Imperator, ſtantem Imperatorem mori oportere, hoc eſt non victum. Sed inſonuit præco: *Vnuſquiſque reuertatur in ciuitatem, & in terram ſuam*: quia Centurio exclamauit: *Verè Filius Dei erat iſte:* quod perinde eſt ac dicere: Vnuſquiſque reuertatur in patriam ſuam: vnde latroni, & in illo omnibus pœnitentibus, cœlum eſt apertum. Adiungit hiſtoria: *Mortuus eſt autem Rex, & perlatus eſt in Samariam: ſepelieruntque Regem in Samaria. Et lauerunt currum eius in piſcina Samariæ, & linxerunt canes ſanguinē eius.* Quia CHRISTVS ductus eſt in cuſtodiam ſepulchri, ita enim interpretatur Samaria, cuſtodita. Et lotus fuit currus in piſcina: quia baptiſmus habet virtutem Crucis, & ſanguinis Chriſti ad abluenda, & expianda omnia peccata. Et canes linxerunt ſanguinem currus: quia Gentiles in canibus repræſentati, lingua animæ, ac pia fidei meditatione vulnera Chriſti lingere, ac ſanguinem eius pretioſiſſimum adoratum deguſtare debent. Habes igitur quatuor rationes ex eiſdem verbis elicitas, ob quas Chriſtus ad extinguenda mundi peccata, & genus humanum ſanctificandum pro ſua incomparabili charitate mori debuit. Supereſt igitur, vt hunc titulum non tantùm parietibus inſcriptum, ſed etiam in mentibus habeamus infixum, eoq; in ſalutem noſtrā vtamur. Si ergo peccator es, ac damnari times, vide Ieſum pro te in Cruce pati, vt te liberet. Si graui odore malæ famæ laboras, vt ſtudium virtutum conſecteris; reſpice Ieſum Nazarenum tibi adeſſe ſocium. Si afflictione, aut infortunio vexaris; cogita Ieſum eſſe Regem, ac vindicem tuum regnumque cœlorum tribulatis promiſſum, Chriſtumque regnare per Crucem, dando ſubditis partem Crucis ſuæ portādam, quo glorioſius ſecum in cœlo regnare, & triumphare valeant, in gloriam Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quibus æternus debetur honos, laus, & imperium in ſecula ſeculorum, Amen.

Margin notes: III. Ratio. — Codri Regis in patriam amor. — *Val li 2. c. 4. Aug. lib. 8. de Ciuit. Dei. c. 19. tom. 5.* — IV. Ratio. — *Pſalm. 95. Hebræor. 2. Num. 35.* — *3. Reg. 22.* — Achab in bello contra Syros occiſus: apte Chriſti victoriam in Cruce repræſentauit. — *Ioan. 15.* — Dictum Romani cuiuſdā Imperatoris moribundi. — *Matth. 27.* — *Luc. 23.* — Samaria quid interpretetur. — Canibus in Scripturis, Gentiles deſignantur.

TRACTAT. XXXVIII.

De diuiſione veſtimentorum Chriſti & tunicæ inconſutilis ſortitione, deq; illuſionibus Domino in cruce factis, in illa verba: *Milites ergo cum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius: et fecerunt quatuor partes: vnicuiq; militi partem & tunicam. Erat autem tunica incōſutilis, deſuper cōtexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. Vt Scriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem.* Ioan. 19. Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Lictorum mos atq; carnificum.

MORIS etiamnum eſt, vt veſtes reorum damnatorum cedant in vſum lictorum, etiam ſi veſtiti morte plectantur, quanto magis ſi nudi patibulo exponātur, vt in Chriſto factum fuit? quod fortaſſis alijs facere in vſu non erat, vnde nec legimus latrones veſtibus ſpoliatos Cruci fuiſſe ſuffixos. Verum in CHRISTO vniuerſa cruciatuum genera Satanæ opera, & Iudæorum miniſtrorum induſtria, qui ad erant, & opus vrgebant, excogitata ſunt, atque adhibita. Notandum præterea, hanc hiſtoriam de veſtibus à quatuor Euāgeliſtis enarrari: ſed tres priores breuiſſimè illam

De diuiſione veſtimentorũ Chriſti pleniùs quàm cæteri Euangeliſtæ Ioannes edidſerit.

mè illam abſoluunt. Ait enim Matthæus: *Poſtquam autem crucifixerunt eum, diuiſerũt veſtimenta eius, &c. Et ſedentes ſeruabant eũ:* & eodẽ modo Marcus. Lucas verò ait: *Diuidentes verò veſtimenta eius miſerunt ſortes. Et ſtabat populus expectans.* Ioannes verò prolixius hæc, & apertius eſt perſecutus; quare poſt Ioannem, vtpote diſtinctiùs loquentem, veniunt alij Euangeliſtæ explicãdi, vt docet Auguſtinus libro de conſenſu Euangel. Nam quod illi dicunt indiſtinctè, & præſertim Marcus: *Et crucifigentes eum*, inquit, *diuiſerunt veſtimenta eius mittẽtes ſortem ſuper eis, quis quid tolleret*: explicandum eſt per Ioannem, ſortitionem tantùm fuiſſe de tunica inconſutili, & non de omnibus veſtibus. Quanquã nihil contra rationem diceret quis, ſi aſſereret veſtimenta diuiſa eſſe in quatuor partes, & ſorte fuiſſe definitum, quæ pars cuiq; contingeret: vt inſinuat Auguſtinus in Ioannem, & aliqui probabilius id eſſe putant propter verba Marci, quæ apertè id dicere videntur: & poſteà tunicam inconſutilem indiuiſam fuiſſe ſortitam. Itaque ſi præter incõſutilem tunicam vna fuit veſtis, dicendum, illam in quatuor partes fuiſſe diuiſam, vt cederet in vſum quatuor militum, qui carnificum munus præſtabant: & neceſſe erat in quatuor partes ſcindi veſtem, quia præcipitur in Deuteronomio, vt Iudęi aſſuant fimbrias per quatuor angulos pallij, quo operiuntur. Si verò duę erant veſtes illæ, diuiſæ erant in quatuor partes, ita vt quælibet veſtis ſcinderetur in duas, & ſic fierent quatuor partes. Vocat autem Scriptura ſortem, ludum militibus conſuetum, quia cadunt ſorte taxilli, vt ita Chriſtus ludatur, & illudatur. Vel ſortem vocat diuiſoriam in ſimilibus licitam, de qua Salomon ait: *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat.* Præterea obſeruandum eſt, Chriſti veſtimenta magni pręt ij nõ fuiſſe, & fortaſſe, illis latronum erant viliora, vt ait Euthymius; & tamen de illis nihil dicitur quod fuerint diuiſa, vel ſortibus data, vt Dauidica Prophetia loquens de Chriſti veſtibus impleretur. Poterant autem cum lucro vænundari, non enim vilia putabantur, de quorum contactis fimbrijs virtus exire cõſueuerat: vt Paulus Burgenſis Epiſcopus annotauit. Et ante eum Procopius Gazæus in c.28. Geneſ. ἱμάτιον inquit, *eſt veſtis, qua ornamenti gratia vtimur, ea ſupra tunicam velati. Quapropter mulier illa, quæ attigerat fimbriam veſtis Saluatoris, ſanata eſt. Nimirum ob eãdem cauſam inter ſe contendebant milites ſinguli, cupientes ea diuiſa habere partem; quaſi vtilis foret non ad induendum, ſed, quia vis quædam medicata in ipſa eſſet.* Sic ille. Nec in illo ſpectaculo multi deerant, qui ſe certatim ad emendum ingererent; vt mater eius, & aliæ ſanctæ fœminæ, & Ioannes, & alij noti eius qui procul ſtabant. Adeò tamen proſcriptus eſt Dominus tanquam reus, vt nec veſtimenta ſua charis ſuis pro magno theſauro ſeruaturis, legare ſibi licuerit; ſed in corpore ſaturatus opprobrijs, ſuas quoque veſtes in mercedẽ vidit cedere interfectoribus ſuis. Et ſecundùm Euthy. diuiſerunt veſtimenta irridentes, quaſi magni alicuius Regis diuiderent ſpolia: ſed ignorabant, quàm eſſent illa nobis indumenta pretioſa. Adhæc vidit diuiſionẽ, & ſortitionem veſtium, vt pœnam peccatorum ferret, ac deguſtaret: quæ eſt, vt hæreditas eius vertatur ad alienos, vt diripiant alieni bona ipſius tanquam ipſe eſſet inimicus Dei. Item, vt prophetia de partiẽdis, & ſortiendis veſtibus impleretur: nam Prophetæ, omnes ferè ſingulares Chriſti actiones prædixerunt. Quod verò ait Euãgeliſta: *Vt impleretur, &c.* intellige particulã, *Vt*, ſignificare nõ cauſã directã: nec enim illi huc ſpectabant vt ꝓphetiã implerent, ſed ſignificat id, quod ex illorũ facto conſecutum eſt. Detractis verò veſtibus, ac tunica, Chriſtus nudus pependit in Cruce, ſicut nudus in Paradiſo peccauit Adam, & ſua ignominioſa nuditate abſtulit ab eo, & poſteris cõfuſionem nuditatis, in quam per peccatum inciderat; ſuarũ verò veſtium amiſſione innocentiæ, & immortalitatis nobis veſtimenta reſtituit. Nudus deniq; in Cruce Satanam peruincens docuit nos ſic optimè hoſtem noſtrũ capitaliſſimũ poſſe ſuperare ſi omnibus reiectis ſuperuacaneis nudi & expediti cũ illo decertemus. Meritò hoc loco inueſtigandum eſt, quot veſtes Chriſtus haberet; deinde quæ nã eſſet illa veſtis inconſutilis, deſuper cõtexta per totum. Ad primũ reſpõdet Euthymius, nullum Euangeliſtarum numerũ Chriſti veſtiũ explicaſſe: quoſdam tamen ſenſiſſe, illum habuiſſe quatuor veſtes diuiſas in quatuor milites, qui carnificium miniſteriũ præſtabant; pręter tunicam inconſutilem ſortitam. Videtur autem incredibile dictum, ait, eo quod indecens Saluatori fuiſſet: nemo enim, ne aliorum quidem hominum, tot veſtibus induitur. Coniectantes ergo dicimus, nec procul fortaſſe ab eo, quod congruum eſt, tria fuiſſe vniuerſa: vnũ quidem fuiſſe tunicam corporis applicatam, in modũ ſubuculæ: dico ſanè tunicã hanc inconſutilem; alterum autem, quo ſuper primum veſtiebatur, & tertiũ exterius indumentũ. Quæquidẽ opinio probatur, quia dicitur in textu: *Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi*: ergo ad minimum duę erant veſtes,

Margin notes (left):
Aug. lib. 3. de conſen. Euang. ca. 12. n. 4.
De veſtium Chriſti partitione, quorũdam ſententia non inepta.
Aug. tract. 118 in Ioan. tom. 9.
Deut. 22.
Ludum militibus conſuetum, ſortem Scriptura cur nominet.
Prouerb. 18.
Chriſti veſtimenta an eſſent pretioſa, necne.
Euthy ca. 67. in Matth.
Pſal. 21.
Luc. 6.
Paul. Burg. Epiſc. Procop Gaz.
Ἱμάτιον Græce quid.
Matth. 9.

Margin notes (right):
Thren. 3.
Euthy. ibid.
Pœna peccatorum.
Thren. 5.
Pſal. 21.
Illud: Vt impleretur: quomodo accipiendum ſit.
Gen 3.
Chriſtus nudus in Cruce quale nobis exemplum præbuerit.
Quot veſtes Chriſtus habuerit?
Euthy. ibid.
I. opinio, minimè probabilis.
II. opinio.

Deinde ratio id etiam porrigit, vt ſuper tunicam haberet veſtem, quæ honeſte eam tegeret, deinde verò pallium exterius. Has ergo duas externas veſtes diſſecarunt in 4. partes, pro numero carnificum, quamlibet veſtem in duas partes partiendo.

Si Chriſtus plures veſtes habuit, cur Apoſtolis prohibuit, ne niſi vnicam tunicam poſſiderent. *Matth.10. & Luc 9.* 1. ſolutio. *Euthymius.* χιτὼν Græcè quid ſignificet. Tunica vnde ſit dicta, & longa.

Sed quidam dubitant, quomodò Chriſtus, qui legem tulit Apoſtolis, ne pluſquam duas veſtes poſſideret, ipſe plures induētus eſt poſſidere? Ad hoc reſpondet Euthymius: Chriſtum vnicam tātùm tunicam habuiſſe, quæ corpori adhærebat: cæteræ enim tunicæ nō erant, hoc eſt, induſia, ſeu ſubucula, ſed toga, vel pallium. Propriè enim χιτὼν, quod tunica vertitur ab interprete, veſtem intimam, & carni adhærentem ſignificat. Dicitur autem tunica à tuendo, quòd videlicet à turpitudine nuditatis tueatur, ſicut toga à tegendo. Quod verò tunica carni eſſet intima, probatur ex cap. Ioan. 21. vbi Petrus cum audiſſet quod Dominus eſſet, tunica ſubcinxit ſe; erat enim nudus. Et Ouidius idem etiam indicat, cùm ait:

Ouid. lib. 3. amor. eleg. 3.

Sic etiam tunica tangitur illa ſua;

Et iterum,

Idem 1 amor. eleg. 5.

Pugnabat tunica ſe tamen illa tegi.

Actor. 9. 1. ſolutio.

Et in Actis pauperes viduæ oſtendebant tunicas Petro, quas Dorcas illis faciebat. At ille nodus aliter quàm ab Euthymio ſolui poteſt, dicendo, per duas tunicas intelligi ſuperfluum, & non neceſſarium numerum tunicarum, ſiue veſtium: & propterea vt in aliquo quadruplices veſtes eſſent neceſſariæ, ita in altero geminæ eſſent ſuperfluæ. Atque hoc modo melius nodus diſſoluitur.

Quænam fuerit veſtis inconſutilis deſuper contexta per totum. *Euthy. ibid. Chryſ. ho 84. in Ioan. to. 3.*

Ad ſecundum reſpondet idem Euthymius: *Hanc tunicam è traditione Patrum accepimus opus fuiſſe Dei matris, veluti ſunt apud nos capitis, aut pedum hyemalia operimenta, id eſt, pileoli, & caligæ, quæ tùm ex lana, tùm ex bombice fiunt ad arcendum frigus,* Chryſoſtomus in Ioannem ſuper hæc verba: *Deſuper contexta,* ita ſcribit: *Quod autem dicit, Deſuper contextam; non ſimpliciter ponitur, ſed alij allegoriam id ſignificare dicunt, quod non ſimpliciter homo eſſet crucifixus, ſed deſuper habuerit diuinitatem.*

Tertia quorundam ſententia. In Palæſtina veſtes quemadmodùm texerentur.

Alij dicunt per illud genus veſtis, Euangeliſtam hiſtoriam narrare. Nam in Palæſtina ex duobus pannis veſtes contexunt: quod ſignificans Ioannes, inquit, deſuper contextam. Quod mihi dicere videtur, vt veſtimentorum vilitatem oſtenderet: nam quemadmodùm in alijs omnibus, ita in habitu vilem ſpeciem præferebat, & milites hæc faciebant.

Theophyl. in Ioan.

Hæc eadē refert Theophylactus, ſed adiungit: *Alij autem dicunt, quod in Palæſtina contexantur Licia, non ſicut apud nos. Nam ſupra quidem eſt filum, infra autem contexitur panno, & ita regreſſio fit, ſed contrario modo: infra enim ſunt fila, in ſummo autem contexitur contextus, & talis quoque fuit tunica Domini.*

Greg. Nyſſ.

Gregorius Nyſſenus in Cantica Canticorum ſcribit, olim textores ſolitos texere veſtes ab inferiori parte ad ſuperiorem, vel à ſuperiori ad inferiorem, & per latera cum figuris.

Illud: Deſuper contexta per totum, quo ſenſu dictum. *Theoph. ibid. Nonnus Paraphraſt. in Ioan.*

Illud ergo verbum, Deſuper, quod Græcè dicitur ἐκ τῶν ἄνωθεν, non ſignificat ab Angelis contexta, ſed vt Theophylactus notat, & Nonnus Paraphraſtes, illud ἄνωθεν referendum eſt ad κάτω id eſt, à ſupernis ad inferna.

Veſtis Chriſti inconſutilis, opus Dei Virginis matris fuiſſe perhibetur, idque quam admirabile. *Deut. 8. & 9.*

Hæc igitur tunica, quia opus reticulatum, nihil diuiſum valeret, indiuiſum permanſit. Dicitur autem proprijs manibus à beata matre fuiſſe elaboratum opere textili, quod Chriſto exiſtenti paruulo mater confecerat: quæ eo creſcente creſcebat, ſicut veſtes filiorum Iſraël egredientium de Ægypto per 40. annos illis auctis augebantur.

Vbi aſſeruetur inconſutilis veſtis.

Hanc dicunt quidam Treuiris aſſeruari, alij verò in oppido Argentolio non longè à Lutetia Pariſiorum diſſito, vbi magna veneratione peregrinis ſpectanda proponitur, nec ſine magnis interdum ſignis.

Chriſti paupertas quam integra atque perfecta.

Ieſus igitur nudus, & facultatibus, & habendi propoſito, egreſſus eſt de terra, ſicut etiam fuit ingreſſus, & Omega rediit ad Alpha; id eſt, qua ratione pauper natus eſt, & nudus, eadem & nudus & pauper egreditur. Hæc autem diuiſio veſtium, ac ſortitio, magnis certe myſterijs non caret.

Simonis Caſſiani de partitione veſtium Chriſti pulchra meditatio. *Simō de Caſ. lib 13. de paſ.* Veſtes Filij Dei quæ ſint.

Audiamus in primis quid Simon Caſſianus dicat: *Veſtes Filij Dei, aſſumpta humanitas eſt. Quatuor partes factæ ſunt quatuor militibus diſtributæ. Etenim in quatuor mundi partes humanitas Chriſti per fidem diſtributa eſt, & non omnibus ipſa, ſed duntaxat qui militauerunt in militia noui Regis. Tegebant Chriſtum veſtimenta, ſed expoliatus eſt, vt eius omnino nobis ſint patefacta myſteria, & amor, quo ab æterno dilexerat. Diuiſa ſunt, vt nunquam in velamentum vltra conueniant. Nam neque vlterius cooperiendus eſt Chriſtus, ſed peramplius in gloria reuelandus. Nouimus ex fide omnia opera, & myſteria eius, mores, atque doctrinam, & totus patefactus in aere expirauit.*

Veſtimenta Chriſti quæ & quomodo diuidantur.

Veſtimenta Chriſti, Scripturæ ſunt Veteris Teſtamenti & Noui, quæ his quadrifariè diuiduntur, in legem, hiſtoriam, doctrinam ſimpliciter docentem, & prophetiam. Ad legem, Moyſi tempus. Ad hiſtoriam, Ioſue, Iudicum, & Regum. Ad doctrinam, Codices Salomonis, Ad prophetiam omnes Prophetæ. In nouo autem Teſtamento, & huiuſcemodi diuiſio reperitur. Ad legem, Euangelium. Ad hiſtoriam, Actus Apoſtolorum. Ad doctrinam, Epiſtolæ Pauli, atque Canonicæ. Ad prophetiam, Apocalypſis Ioannis. Harum partium vnuſquiſq; pro ſuo captu partem accepit; vt etiam in vna magis, quàm in alia quiſque reperiatur edoctus. Et etiam pro tempore iſta nouimus eſſe diuiſa, ſecundùm quòd homines ſuis tēporibus Domino cœli ſtrenuè,

aut te-

Vtriuſque Teſtamenti Scripturæ in quos ſenſus diuidantur.

aut tepidè militarunt. Aliter autem Scripturæ vtriuſq; Teſtamenti diuiduntur quantum ad ſenſus, quibus ipſæ diſertè tractantur, in ſenſum hiſtoricum, allegoricum, anagogicum, & moralem. Et velut veſtimẽta corpus ſic iſta obtegunt Chriſtum. A quibus cum exigitur, typicè diſuelatur. Iterum non obtegitur, cùm ſcinduntur, vt vnuſquiſque pro ſua capacitate intelligat, diuiduntur, & iuxta illam Chriſtus Dei Filius intelligatur. Et infra: *Tunica verò inconſutilis, quæ diuidi nõ potuit noſtræ fidei arguit vnitatem. Vnitas autem omnino indiuiſibilis eſt, nec non & ſignificat charitatem, quæ diuiſionem omnino non recipit. Vnitas ſiquidẽ noſtræ fidei ſcindi nequit. Poteſt nẽpe homo à Fide reſcindi, ſed Fides non poteſt vllo modo perſcindi. Non eſt fides & fides, nec quamuis ex ipſa multa credamus, ipſa diuiditur. Vnica eſt in vnico Deo, & in vnica Eccleſia orthodoxa. Vna etiam protinus charitas eſt, quamuis multi ab ipſa progrediantur effectus. Nam ſi à fide, & à charitate vna effectus multi procedunt: neutra tamen diuiditur. Velut Solis radij, qui numeroſitate ab ipſo refulgent, ſeruant tamen in origine vnitatem, non enim Sol diuiditur, &c. etiamſi radij. Vnum eſt corpus luminis, etiamſi multiplicentur radij lucis. Hæc tunica fides videlicet eſt Chriſti, ſed multis, non omnibus prouenit in ſorte. Apoſtolus namque dicit: Non omnium eſt fides. Similiter & charitas, quæ Chriſti eſt poteſtate donandi multis, non omnibus prouenit in ſorte. Vtraque tamen deſuper eſt contexta per totum. Hanc contexturam meritò appellauerim Martyrum, & Eccleſiæ paſſiones, & cuncta opera, quæ fidei, & charitatis conſtituunt pulchritudinem, aſtruunt firmitatem.* Adde his quod Euthym. ſcribit: *Commodè,* inquit, *de ea* (ſcilicet tunica) *allegoricè loquuntur, qui dicunt ſolum id, quod à Dei matre ſumptum eſt corpus, deſuper fuiſſe contextum hoc eſt, à cœlo coaptatam ſibi habuiſſe diuinitatem, vel à Deo fuiſſe in rerum natura productum, & non à ſemine humano.* Hęc ille, innuens Spiritum ſanctum qui ſuperuenit in ſanctam Virginem, ſanctiſſimum Chriſti corpus formaſſe. Hanc inconſutilem tunicam, id eſt, Eccleſiæ vnitatem, fruſtra ſemper hæretici ſcindere conati ſunt: à cuius ſorte excluduntur, quia ſorte prouenit, vt vnus eam poſſideat.

Tunica inconſutilis indiuiſa, quid denotet, eodem amore.

2 Theſſ. 3.

Euthy. ibid.

Tunicæ inconſutilis alter ſignificatus. Luc. 1

Domini inconſutilem tunicam qui conentur diuidere omni tempore.

Egregium facinus Chriſti crucifixorum.

Subiungit Ioannes poſt diuiſas, & ſorte datas veſtem; *Et milites quidem hæc fecerunt.* Pro ſua inſipientia, & carnificum more, neſcientes tamen ſe implere Scripturã. hac enim ratione perfectum eſt illis ignorantibus, quod de eo prædixit Scriptura. Ad cuius gloriam etiam facit, quòd nec hæc quidem, quæ minuta videtur, de eo ſiluit Scriptura, ob quam cauſſam omnes Euangeliſtæ hoc factum commemorarunt. Pulchrè autem milites illi, qui Chriſtum crucifigũt, & veſtes eius ſibi vſurpant, illos Pontifices, ſeu Epiſcopos deſignant, qui veriùs milites, quàm Sacerdotes ſunt: omiſſis namq; ſacris codicibus precandi, & ſacrificãdi ſtudio & cura animarum ſibi creditarum, quibus ex officio incũbere debebant, pro tuenda ſua opulentia, & ſplendore, pauperum ſanguinem ſugunt, ac litibus, & proſcriptionibus bonorum Chriſti veſtes vſurpant, & Chriſtum crucifigunt in membris, Eccleſias, & beneficia, quæ bonis, ac doctis debẽtur miniſtris, inter ſe partiuntur; vt iam non vnicuiq; militi cedat pars vna, ſed interdũ binæ, ternæ, ac denæ interdũ Eccleſiæ, abbatiæue contingant. Deinde ſortiuntur, dum mutuo permutant, aut propinquis, aut ſeruis diſtribuunt, aliaq; portenta huiuſmodi faciunt infinita in ſubuerſionẽ ſacrorũ Canonum, ac deſtructionẽ iuſtitiæ Euangelicę, Chriſto interim vidente, ac diſſimulante, quaſi non videret. Sed ſua die non tacebit, quando iudex toti orbi cõſpicuus à cunctis viris Eccleſiaſticis de veſtibus ſuis, ac de bonis Eccleſiaſticis diſpenſatis ſeueram rationem repoſcet. Sequitur in Matthæo: *Et ſedentes ſeruabant eum.* Ex more hoc Romanorum fiebat: nam dum viuebat adhuc ad mortem damnatus, obſeruabatur, ne de loco deponeretur. Vnde Petronius Arbiter, & Poëta, in illa ſua hiſtoria ſiue fabula ait, obſeruari ſolita corpora damnatorum à carnificibus, donec ſpiritum extremum redderent. Seruabant quoq; eum timẽtes ne ſe occultè ſubtraheret, vt aliàs fecerat. Sed ignorabãt infelices, quòd ideò ſe ſubtraxit, vt ſeruaretur morti crucis. Obſeruabant etiã eum, vt ait Origenes, milites ſubmiſſi à Principibus Sacerdotũ, ne ab amicis vel diſcipulis deponeretur, & furto ſurriperetur corpus: non enim ita pauper amicorũ putabatur, aderant enim noti & amici, licèt à longinquo. Lucas vero ſubiungit: *Et ſtabat populus expectans,* an ſcilicet aliquod ſignum ederet; nouerant enim & audierant hominem eſſe prodigioſum. Sed quia Græcè dicitur θεωρῶν, hoc eſt, ſpectans, ita credendum eſt vertiſſe interpretem, & vitio ſcribarum corruptum in expectans. Chriſtus etiã dedita opera morabatur eos, quo videlicet ſpectatores fierent ſuæ mortis, & ſignorum mirabilium, quæ eo animam exhalante, edita ſunt, vt poſteà redirent domum percutientes pectora ſua, vt factũ eſt.

Milites iſti Dominum crucifigentes; & eius veſtes ſibi vſurpantes quos referant.

Romanorum ritus magiſtratuum.

Petronius.

Milites quare ſeruarent Chriſtum in cruce.

Ioan. 8

Orig. tract. 35 in Matth. tom. 2

Cur ſtaret populus expectans, ſpectansve Chriſtum crucifixum.

Luc 23.

Sequitur apud Matthæum de illuſionibus: *Prætereũtes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua, & dicentes; Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalua temetipſum: Si filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant; Alios ſaluos*

Ioan. 2.

Pſal 21. *fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere: Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credemus ei.* *Sap 2.* *Confidit in Deo, liberet nunc eum ſi vult: dixit enim; Quia filius Dei ſum. Idipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Eadem ferè, ſed paulò conciſius narrat Marcus. Lucas verò ait: *Stabat autem populus ſpectans, & deridebant eum Principes cum eis dicentes: Alios ſaluos fecit, ſe ſaluum faciat, ſi hic eſt Christus, Dei electus. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, ſaluum te fac.* Ioannes verò de illuſionibus nō meminit, cùm vidiſſet eas exactè ab alijs enarratas. Illud tantùm notandum eſt, B. Lucam per anticipationem deſcripſiſſe has illuſiones, & ſubſannationes: nam prius ab eo narrantur, quàm narretur tituli ſuperpoſitio; cùm tamen cōſtet ex Matthęo & Marco titulum prius fuiſſe præfixum, & poſtea milites vacaſſe illuſionibus.

Illuſiones Domino in cruce factæ quomodo enarrentur à Luca.

Incredibilis autem fuit rabies Iudæorum in Chriſtū, & acerbitas qui Chriſtum moribundum, & animam agentem inſolentibus atque inauditis conuitijs proſcindebant, deridendoq; ac ſubſannando inſultabant, amarulētiſq; verbis pungebāt. Quod qua ratione ſit factum, longè eſt ab omni æquitate alienū; niſi quod cum manibus eum amplius offendere nequirent, ſaltem verbis quoad eius fieri poſſet, excruciarent, atq; illi illatum ſupplicium hac ratione ſibi placere teſtarētur. Fortaſſis autem & Satanas eò tendebat, vt per organa Iudæorum animam Ieſu ad deſperationem ageret, vel ad iracundiam concipiendam in eos concitaret. Cumq; naturale ſit omni homini alterius ſupplicio, ſiue neci aſſiſtenti illum commiſerari, & affectu quodam, ſenſuq; doloris tangi, interdum collacrymari etiam: Iudæi autem ita omnem humanitatis, ac rationis naturam exuerant, vt eſſent feris ipſis truculentiores, & immaniores. Nam vide, obſecro, quid poſſit humanitas in homine, vt ſpectata hoſtis ſui vel capitalis cædes, eum ad dolorem inuitet, & lacrymas excutiat. Quare Dauid audita morte Regis Saulis, qui ſe odio pluſquam Vatiniano proſequebatur, ſcidit tamen veſtimenta ſua, fleuit, & ieiunauit vſq; ad veſperam, canticoq; pulchro eius mortem, funuſq; celebrauit; viriſque Iabes Galaad, qui piè ſepelierant corpus eius, gratias egiſſe legitur. Quis neſciat quāto lacrymarum profluuio mortem filij ſui Abſalonis, qui illum & vita & regno ſimul ſpoliare tētauerat, proſecutus ſit, & quàm querulas voces emiſerit? *Fili mi Abſalon*, inquit, *Abſalon fili mi: quis mihi tribuat vt ego moriar pro te Abſalon fili mi fili mi Abſalon?* Ac ne quis cauſetur Dauidem fuiſſe virum ſanctum; ecce tibi propono Iulium Cęſarem: ad quem in Ægypto cùm allatum eſſet caput Pompeij Magni, hoſtis ſui acerrimi, in lacrymas prorupit: tā benigna eſt, ac prona natura, vt ad alienas miſerias, & calamitates affectu doloris tangatur. Solus tamen Ieſus Filius Dei inuentus eſt, qui cùm ad omnes homines viſcera ſuæ miſericordiæ ſemper aperuerit, ac pro illis ſubleuandis non tantùm lacrymas, ſed & ſanguinem profuderit; ei tamen agenti animam non ſolùm aliquis nō condoleſceret, iuxta illud; *Et ſuſtinui qui ſimul cōtriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur & non inueni;* ſed etiam omnes moriētem cachinnis exciperent ac deriderent. Ita enim ſcriptum erat: *Omnes videntes me, deriſerunt me: locuti ſunt labijs, & mouerunt caput.* Et completum eſt in Chriſto illud Pſalmi: *Quoniā quē tu percuſſiſti, perſecuti ſunt: & ſuper dolorem vulnerum meorū addiderunt.* Senſit autē Chriſtus has contumelioſas ſubſannationes ac deriſiones, pluſquam flagella, clauos, ac ſpinas: quia illa tātùm corpus, hæc autem animam penetrabant. Nobilis quippe ac generoſus animus plus angitur, quod hoſtis delectetur de dolore & afflictione ſua, quā ipſum vexet ipſa paſſio, & afflictio.

Quanta Iudæorum in Chriſtum iam in cruce moribundum rabies & amaritudo animi.

Quantum in homine humanitas poſſit.

2. Reg 1. *Dauidis in Saulem Regem hoſtem ſui capitaliſſimum miſericordia.*

2 Reg 2.

Euſdem in filium ſuum Abſalonem rebellem & impium commiſeratio.

Infra 18.

Iulij Cæſaris in Pompeium pietas.

Chriſti miſeria in cruce ſumma. *Pſal 68.*

Pſal 21.

Pſal 68.

Illuſiones in cruce factæ Chriſto non erant, quantum ei dolorem & cruciatum attulerint. Proprium generoſi ac nobilis animi quod.

Ait ergo Mat. *Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua.* Ex Euangeliſtis quatuor hæc minū genera inſultaſſe Chriſto elicimus. Primi erant prætereuntes: ſecundi Principes Sacerdotum cū Senioribus, Scribis & Phariſæis: tertio loco milites & verbis & factis, quia acetum offerebant: quarto loco latrones, qui crucifixi erant cum eo. Primi igitur erant prætereuntes, id eſt, qui ingrediebantur Ieroſolymam, & egrediebantur: qui tamen ſoliti erāt ſupplicio crucis affectos cōmiſerari, atq; pro eis orare. Iſti autē videntur Iudæi plebeij, ac vulgares: qui dicuntur Chriſtū blaſphemaſſe, hoc eſt, maledixiſſe, maledicentiam pro blaſphemia intelligendo, id eſt, genus pro ſpecie: omnis enim blaſphemia maledicentia eſt, at nō contrà. Vel proculdubio, quod verius eſt, reſpiciēs Euangeliſta ad Chriſti dignitatem, ac diuinitatē, verba maledica declarat fuiſſe blaſphema, præſertim quòd ex his, quæ ei improperabant, cogitabant ſe idoneè probare ipſum nō eſſe Deum, quod eſt ſummum blaſphemię genus. Ex hoc enim quòd ſe nō ſaluabat, & de cruce non deſcendebat, argumentabantur eum filiū Dei nō eſſe, atq; animi atrocitatem, capitis cōmotione demonſtrabant, qua, non ſolū voce, ſed ſigno corporis indignationem, atq; acerbitatem animi inſultando præ ſe ferrent, de qua alibi Propheta ait: *Ego factus ſum opprobrium illis: viderunt*

Chriſtus in cruce à quatuor generibus hominum contemptus eſt lacessitus. *Qui nam illi prætereuntes blaſphemabant Chriſtum.* *Blaſphemia & maledicentia differunt.*

Summum blaſphemiæ genus quod.

Pſalm 108.

viderunt me,& mouerunt capita ſua: Et Eſaias *Deſpexit te,& ſubſannauit te, virgo filia Sion: poſt te caput mouit filia Ieruſalem.* Vt plurimum enim ſubſannationes geſtibus,& motu corporis fiunt:queadmodum genua flectebant ad irriſionem. Iſti dicebant: *Vah qui deſtruis templum Dei,& in triduo illud reædificas.* In Græco codice Matthæi non eſt Vah,ſed, Tu:Marcus tamen habet Vah, & potuit vtrunque dici, Vah tu qui deſtruis. Eſt autem Vah, irridentis & ſubſannantis aduerbium : & hęc obijciebant illi quaſi mendaci inſultantes,& ſibi plaudentes, quaſi eum detexiſſent non eſſe quē ſe faciebat, vel irritatum eum in magnum aliquod edendum miraculum prouocarent.Sed ſignum non erat eis dandum, niſi ſignum Ionæ Prophetæ viui de ceto exeuntis: ita Chriſtus mortuus de ſepulchro ad vitam prodire debebat,non de cruce viuus deſcēdere.Sed hoc patienter ferēdum fuit Chriſto,vt cum omnē iuſtitiam impleret, & ex tota teſta frangeretur, ne fictum ſupplicium videri,aliquādo potuiſſet; ad mortem vſque progredi voluit, & ſepulchrum diligenter cuſtodiri; vt tunc an in Deo fruſtra ſperauerit,conſpici poſſet. Non enim Medici ſuſcitant mortuos,diuinum opus ſit oportet, vt de ſepulchro viuus redeat. Addebant:*Salua temetipſum: ſi filius Dei es, deſcende de cruce.* Quaſi diceret,ſi teipſum nō ſaluas, quomodo in triduo reædificares tēplum? Et vt veri filij diaboli vocē eius imitantur: ipſi enim dixerat:*Si Filius Dei es, mitte te deorſum.* Si enim de cruce deſcenderet,nobis nihil omnino prodeſſet : nam maiora,& diuiniora opera eius vidiſtis,neque propterea crediditis. Præterea humano generi plurimum obeſſet:quod non de cruce deſcendendo, ſed in cruce moriendo redimi oportuit. Crucē ergo fert Chriſtus ad mortem vſque, vt ſciamus non tantū quòd eſt Filius Dei, ſed quod tantopere nos amat, vt velit pati,& pretium noſtræ redemptionis perſoluat,quo fides noſtra in Deo ſit,ac vt habeamus quod pro peccatis noſtris Deo offeramus, & pro gratia impetranda donemus. Poterat ergo reſpondere: Ne feſtinetis,negotium veſtrum nunc agitur: expedit vobis,vt ego moriar,& non deſcēdam de cruce:libenter patior, neque ſi me detrahere de cruce velitis, ſum permiſſur^9. Volo habeatis pluſquam ſperare vnquam poſſitis. Ac amāter tanquam eorum amore captus reſpicere ſuos deriſores videtur, ac ſi eis dicat:Nunquam vincetis,quin vobis vſque in finem benefaciam:quòd ſi poſtea vti nolueritis dono ac munere meo; certè nolo,vt quicquā ex parte mea à vobis deſiderari poſſit : abſit, quin ego faciam omnia pro ſalute veſtra, quæcunque mandauit mihi Pater meus.

[Margin: *Eſai.37.* — Subſannationes ſere vt fiant. — *Ioan. 2.* — Vah dictio quid. — *Matth.12. & 16.* — *Iona 2.* — Chriſti patientia illuſorum. — *Matt. 27.* — Cur noluerit Chriſtus de cruce deſcendere. — *Matth. 4.*]

Similiter & Principes Sacerdotum illudentes, &c. Tantus erat in Principibus Sacerdotum in Chriſti necem ardor,vt non erubeſcerent ſpectaculo crucis intereſſe, & crucifixo inſultare; qui tamen timebāt ingreſſu prætorij contaminari: tam bella erat illorum religio.Secundo ergo loco enumerātur Chriſtū ſubſannaſſe Principes Sacerdotum, quos penes erat autoritas legis & religionis:Seniores, apud quos erat poteſtas iudicandi: Scribas,qui literis,ac peritia legis explicandæ eminebant. Et Græcè additur in Matthæo,cum Phariſæis, qui arcē ſanctimoniæ & religionis tenebant; vt videas omnes Iudæorum optimates coniuraſſe in Chriſti mortem, nec ab inſultandi vitio morituro,quod horrendum eſt facinus,abſtinuiſſe.Iſti autem dicebant: *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere.* Iſti dicebant ad alterutrum, vt ait Marcus; non quidem ad Chriſtum,vt priores, ſed ad ſeſe mutuo colloquentes.Hoc prædixerat Ieſus Iudæos ſibi obiecturos: *Medice cura temetipſum* . In quo videntur miracula Chriſti calumniari,tanquam pręſtigijs fuerint facta, quaſi dicant:Falſum eſt,ex quo non potes teipſum ſaluum facere? Aut ſanè fatentur Chriſtum ſeruaſſe alios: quid enim Saluator poteſt niſi ſaluos facere;præſertim ſi mente reuoluerent quot, & quos, & qua ratione ſaluos fecerit. Et cur ex hac veritate non infertis: Ergo tanquam malefactor puniri minimè debuit, ſed beneficus laudari. Cur non infertis,Ergo multò magis ſeipſum, ſi velit,poteſt ſaluum facere; cùm reſurrexerit è ſepulchro, & regnauerit à ligno, cur non Rex Iſrael erit. Sed queadmodum Iudæis in more eſt ex bonis praua elicere,ita ex veris falſa colligere.

[Margin: Iudæorum acerbitas in Chriſtum. — *Ioan.18.* — Principes Sacerdotum, Seniores,& Scribæ quæ muneris obirent. — Phariſæorum ſanctitas apud Iudæos. — Iudæorum ſacrilega de miraculis Chriſti ſententia. — *Luc.4.* — Saluatoris officium. — Iudæorum ingenium.]

Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credemus ei. Hoc dicebant, vt ait Euthymius, propter tituli inſcriptionem. Cum enim non potuerint eam ſubuertere,falſam nituntur illam arguere. Et talem videntur expectaſſe, ac tam potentem Regem Iſrael vt etiam à cruce deſcēdere potuiſſe ſit creditus.Quod autē aiunt; *Et credemus ei*, apertè mentiebātur:nam maiora fecit,quando cæco nato oculos perſpicaces reddidit, & quando Lazarum quatriduanum à morte reuocauit,nec propterea crediderunt. Et Scripturę non dicunt ; Dominus deſcendet de cruce,ſed; *Regnauit à ligno Deus.* vt eleganter Leo Papa ſermo.de paſſione Iudæis obiecit. Item Gloſſa ordinaria pulchrè ait: *Fraudulenta eſt,ô Pontifices , promiſſio veſtra:*

[Margin: Quorſum id: Si rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce. — *Euthymius Ibidem.* — Impudens Iudæorum mendacium. — *Ioan. 9.* — *Infra 11.* — *Pſalm. 95.* — *Leo ſerm. 4. de Paſſ. ſub initium.*]

De cruce Chriſtus cur minime deſcenderit.

manus enim fecit Chriſtus quando reſurrexit de ſepulchro; nec tamē tunc credidiſtis ei. Hæc illa in ſenſu. Non ergo Dominus deſcendit de cruce, quia nouerat illos non credituros, ſicut nec reſurrectioni ſuæ à mortuis crediderunt: imò ſi deſcendiſſet, parati erant manibus proprijs penitus illum conſicere. Nec debebat aliud ſignum dare à ſigno Ionæ Prophetæ: & multò maius eſt mortuum è ſepulchro viuentem redire, quam viuentem è cruce deſcendere. Si ergo Rex Iſrael eſt, non relinquat ſceptrum regni, id eſt, crucem, nec regni titulum capiti ſuo proximum. Si Filius Dei eſt, impleat præceptum Patris, & perſeueret vſque ad mortem, & inſultet morti, & dicat: *Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne.*

Matth. 12.
Ionæ 2.
Quodnam ſit ſceptrum regni.
Oſeæ 13.

Confidit in Deo: liberet nunc eum ſi vult; dixit enim: Quia Filius Dei ſum. Implent Dauidis Prophetiam in his illuſionibus dicentis: *Sperauit in Domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniam vult eum.* Exprobrant fiduciam in Domino, & implent verbum Prophetæ: *Conſilium inopis confudiſtis: quoniam Dominus ſpes eius eſt.* Errant quoque in eo, quod liberationem à malis volunt neceſſariò conſequi rectam in Deum fiduciã. Reprehendunt quòd confidit in Domino, quaſi Deus nolit eum liberare, qui in ſe cõfidit; cùm tamen ſcriptum ſit: *Reſpicite filij nationes hominum; & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt*, & Apoſtolus: *Spes autem non cõfundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* Deindè malè argumentantur *Si Filius Dei eſt, liberet nunc eum*, quemadmodum in libro Sapiētiæ colligebant: *Si enim* (inquiunt) *eſt verus Filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit illum de manibus cõtrariorum.* In quos egregiè Chryſoſtomus in Matthæum inuehitur: *O inſani*, inquit, *ſceleſtiq; homines: an Prophetæ non erant Prophetæ, & iuſti quos occidiſtis, iuſti nõ erant, quoniam eos Deus à periculis non eripuit? imò verò erant, etiamſi à vobis iniuria vexabantur. Quid igitur huic amentiæ veſtræ æquale excogitari poteſt? Nam ſi exiſtimatis, quod illorum apud vos propter pericula nomen perijt: ſed erant Prophetæ quamuis torquerentur, multo magis non debebatis in hoc ſcandalizari, qui & rebus ſemper & verbis falſam hanc repulit opinionem: nihil tamen nec in ipſo tempore paſsionis, aut dicendo, aut faciendo aduerſus exiſtimationem Chriſti efficere valuerunt.* Hæc ille. Voluit igitur Filius Dei, quemadmodum Prophetæ pro gloria Dei, morti temperariæ ſuccumbere, & Ieſus peculiariter omni humano auxilio ſe abſtinuit, ſoliuſque Dei præſidio niti, & verbis, & factis ſemper teſtatus eſt, vt ſi euentum res non haberet, appareret Deum ei non adfuiſſe: at verò ſi haberet euentum, nemo poſſet dicere ab alio, quàm à Deo profectum: vt qui in Ieſum credimus, non ab eo, ſed à Deo decepti dici valeremus, ſi fraus vlla in eo eſſet, quod nullis humanis auxilijs res acta eſſet, ſed contra pugnantibus omnib⁹, & per omnes infirmitates à ſe ſuſceptas ad victoriam rem eſſe deductam: quod tamen illi nunc Iudæi inſanè improperant. Sed Ieſus, quia poterat aliquid adhuc humani auxilij videri ſupereſſe, ad mortem ire vult: inferna quoque adire, vt cùm redierit, non fruſtra Deo cõfidere videri poſſit. Nam ſi ſeipſum ſuſcitauerit, quis hic eſt, qui mortuus etiam tantum poteſt, vt non alios modo, ſed ſeipſum vitæ reſtituat? Si ergo Deus eum ad vitam reſtituerit, non ergo impius; non indignus vita. Suppliciũ quoque totum iniuſtum quid fuiſſet, indigni quoque atque ſceleſti, quid illud intulerunt. Et cum Propheta prædixerit: *Sperauit in Domino, eripiat eum: ſaluum faciat eum, quoniam vult eum*: Matthæus ſcribit eos dixiſſe: *confidit in Deo: liberet nunc eum ſi vult.* Græcè tamen habetur εἰ θέλει, id eſt, ſi vult eum, vt habet Pſalmus: & velle, more Hebræorum, tantundem valet, ac diligere; vt ſenſus ſit: Liberet nunc eum, ſi diligit eum. Alioqui ſecundum noſtram lectionem, cõuitium videretur non in Chriſtum modò, ſed & in Deum recidere, quaſi illi exprobarent impotentiam ſaluandi. Tertio improperabant illi milites iuxta Lucam, illudentes, & acetum ei offerentes, *Dicentes; Si tu es Rex Iudæorum, ſaluum te fac.* Milites quoque qui carnificis miniſterio vſi ſunt, infame, truculentum, ac contemptiſſimum hominum genus, etiam Chriſto illudebant & verbis & facto porrigendi acetum. Sed vt arbitror, Lucas quod addit de aceto, per anticipationem dixit: nam paulò pòſt, vt alij Euangeliſtæ narrant, Chriſto ſitienti à militibus porrectum eſt acetum in ſpongia, vbi iam mortem ſibi aduentare voluit. Quarto loco illudebãt latrones: quod qua ratione intelligendum ſit, infra explicabitur, vbi de latrone regnum à Chriſto poſtulante erit ſermo. Interim diſcamus, has illuſiones longè antè à Prophetis fuiſſe præcognitas: *Omnes*, inquit Pſaltes, *videntes deriſerunt me: locuti ſunt labijs* (ſcilicet deriſoriè) *& mouerunt caput*; & iterum *Tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione, frenduerunt ſuper me dentibus ſuis*; rurſus: *Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt in vnum, dicentes; Deus dereliquit eum: perſequimini, & comprehendite eum, quia nõ eſt qui eripiat.* Præterea dixerunt: *Euge, euge, viderunt oculi noſtri:*

Iudæorum exprobrationes in Chriſtum ſacrilegæ.
Pſalm. 21.
Sapient. 2.
Pſalm. 13.
Iudæorum imperitia, blaſphemia.
Eccli. 2.
Quanta benignitas Dei.
Rom. 5.
Iudæorum ratiocinatio perabſurda.
Sapient. 2.
Chryſ. ho. 88. in Matt. to. 2.
Chryſoſtomi animaduerſio in Iudæos.
Chriſti in Deo fiducia ſingularis.
Pſal. 21.
Quid eſt: Liberet eum Deus, ſi vult, more Scripturæ.
Lictorum atq; carnificum illuſiones viliſſimæ.
Domini illuſiones in cruce vbi olim prænuntiatæ.
Pſalm. 21.
Pſalm. 34.
Pſalm. 70.
Pſalm. 34.

id eſt,

id eſt, bene actum eſt, placet ſupplicium quod cernimus, & quod tantopere deſiderauimus.

Chriſtus perſeuerans in cruce quæ nobis documēta ſuppeditet.

Diſcamus ex Domino, à bono opere propter deriſiones aut iniurias eorum, quibus benefaciamus, nō eſſe reſiliendū: quia ſæpè ſerui Dei maius meritum ſibi comparant patienter ferendo deriſiones & conuitia, quàm in abſtinentijs & precationibus. Rogatus quidā ſanctus Pater à Gentilibus illum miris modis deridentibus, quem fructum à lege & fide Chriſti perciperet: ſatis reſpondit, amplum, ac magnum, poſtquam non reſpondeo ad tot mihi illatas iniurias, ſed rogo Deum, pro eas inferentibus.

Ex lege Chriſti ac eius fide quid addiſci quidam vir ſanctus affirmauerit.

Nequaquam etiam à pœnitētia, vel pœnitentiæ cruce pro peccatis noſtris ſuſcepta propter irriſiones aliorum & maledicta deſiſtendum eſt, nec à martyrio, nec à monaſterio ob tædium, aut fratrum moleſtias. Nam ſi Chriſtus nō perſtitiſſet in cruce, quis martyr perſeueraſſet in tormentis; quis Chriſtianus in bonis operibus perſiſteret?

Secundum documētum.

Ad hæc diſcamus, dæmones in fine vitæ nobis illudere ac laborare vt Euangelium in dubitationem à nobis adducatur: vt etſi credamus Chriſtum eſſe mundi iuſtitiam, dubitemus tamen an noſtra velit eſſe iuſtitia. Vt ergo de magnitudine virtutis eius non eſt dubium, ita de bona eius voluntate benignè eſt nobis confidendum, poſtquam mortuus eſt pro nobis.

Tertium.

Addiſcamus æquo animo ferre contumelias, & conuitia, quæ in faciem nobis iactantur: Quomodo inquies, ferre potero? Crucis ſigno ſtatim pectus ſignato: recordare omnium, quæ tunc in Chriſtum iactata ſunt conuitia: & ante omnia Deum timeas: nam hæc cogitatio citò te modeſtum ac manſuetum faciet. Præterea à tuis quoque famulis documentum ſuſcipias, conſideraque nonnunquam te vituperante illos ſilere, vt intelligas nō eſſe hanc Philoſophiam difficilem.

Chryſ. ho. 88. in Matth.

Et vt ait Chryſoſtomus in hæc verba: *Cogita quia non eſt in ſe qui vituperat, & non moleſtè feres contumelias eius. Nam & dæmoniaci plerunque nos verberant, nec ſolum non mouemur, verum etiam eos deflemus. Ita igitur etiam tu facito, miſereat te contumeliatis.*

Quartum documentum.
Matth. 4.

Quartò addiſce, dæmonem olim dixiſſe Chriſto: *Si filius Dei es, mitte te deorſum*, & nunc per organa ſua dicit; *Deſcende de cruce.* Ita in fine ſcrupulum inijcit morituris, an ſint prædeſtinati, an Dei gratiam habeant, an pœnitētiam egerint condignam.

Quid illudentibus in morte nobis dæmonibus liberè & intrepidè reſpondendū.
Dan. 3.

Sed reſpondendū eſt cum tribus pueris in fornacis ignem conijciendis. Cùm enim diceret Rex impius: *Quis eſt Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Reſponderunt, *Non oportet nos de hac re reſpondere tibi. Ecce enim Deus noſter quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod ſi noluerit, notum ſit tibi, Rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.*

Puerorum trium in fornace Babylonica planè virilis vox.

Non debemus ergo à fide Deo data, & ab ſpe in eo collocata decidere, etiamſi à præſentibus periculis minimè nos eripiat: neque illud profundum prædeſtinationis myſterium perſcrutari, ne opprimamur à gloria, ſed noſtrum eſt ſentire de Domino in bonitate, & præceptis eius per omnia parêre, illiuſque gloriam illuſtrare, quia ipſi erit cura de nobis. *Iacta*, inquit Propheta, *ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*: quemadmodum hoc ſuo exemplo nos docuit, dum illuderetur, ac minimè reſponderet Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui cum Patre & Spiritu ſancto omnis gloria deferatur ab omni creatura ratione prædita, honor quoque & imperium in ſempiternum, Amen.

Prouerb. 25.
Sap. 1.
1. Petr. 5.
Pſalm. 54.

TRACTATVS XXXIX.

De primo verbo Chriſti in cruce ad Patrem in illa verba: *Ieſus autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Lucæ 23.

Verborū Domini in cruce dictorum quæ cauſæ.

QVANQVAM paulò antè iturus Dominus ad Patrem per aſperam & ſpinoſam viam crucis iucundiſſimo ac prægnantiſſimo omnium quos habuit ſermone Apoſtolos ſalutauerit, illo, inquam, qui in cœna habitus eſt: nunc efficaciſſimo epilogo repetit, & inculcat, ne quid videlicet per obliuionem è memoria effluxiſſe ſibi videretur, paucíſque verbis illum replicat, plura eum loqui vel immenſis doloribus prohibentibus, vel hebetudine noſtra, atque imbecillitate plura ferre non valente, vt vel ſic melius memoria retineri, & profundius noſtris animis atque pectoribus poſſent inſcribi.

Quid inſitum omni homini à natura.

Siquidē apud omnes gentes naturæ conſenſus docuit mandata, quæ à parētibus, amiciſque noſtris extremè laborantibus traduntur, & à nullis temerari, & à cunctis obſeruari oportere, tanquam diuina magis, quàm humana. Nemo ergo hæc ignoret, ne ignoretur: nemo ſpernat, ne ſpernatur: nemo deliramenta morituri alicuius, ſed tanquam vera ac cœleſtia Dei oracula amplectatur.

Verba Domini Ieſu in cruce dicta quanti facienda.
1. Cor. 14.

Nam ob id in altum eleuari voluit, vt ab omnibus videretur: ob id quaſi tuba exaltauit vocem ſuam, qua cœlū penetrauit, terramque tremore con-

cuſſit

Quid fecerit Chriſtus, nemo vt paſſionis ſuæ myſterium ignoraret.
Matth. 27.
Pſalm. 18.

cuſſit, ac petras dirupit: ob id Ieroſolymam totius Orientis clariſſimam ciuitatem, ad tanta ſelegit myſteria, vt inde in omnem terram exiret ſonus eius, & in fines orbis terræ verba eius: ob id denique in die Feſto Iudæorum, in loco extra vrbem patentiſſimo, in conuentu tot ciuium, & frequentia tot alienigenarum, totque idiomatum paſſus eſt, ſeptemque verbis paſſionem ſuam exornauit, vt nemini tantùm paſſionis celatū eſſet myſterium. Qui igitur in aulis Caiphæ, Herodis, ac Pilati tacuerat, iam ex loco crucis eminenti, aperto ore cœpit agere cauſam noſtram apud Patrem: *Ego* (inquit tanquam aduocatus) *qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum.* In ſex prioribus verbis, quaſi in ſex diebus creationis, laborauit agendo cauſam noſtram; & in ſeptimo quaſi in Sabbato emiſit ſpiritum, & requieuit. Iſtæ ſunt ſeptem illæ voces, de quibus Dauid, *Vox Domini ſuper aquas*, & quæ ſequuntur, vbi ſepties vox reperitur. Dicuntur autem voces, quia docent, & dici poſſunt ſeptem tonitrua Apocalypſis, quia perterrefaciunt; & ſeptem candelabra aurea, quia illuminant tenebras noſtras; & ſeptem ſtellæ, quę ornant cœlum Eccleſiæ militantis; ſeptem tubæ, quæ excitant ad bellum ſpirituale; ſeptem panes, qui ſuccurrunt fami noſtræ ſpirituali; ſeptem columnæ, quæ ſuſtentant doctrinam Euangelicam. Ad hæc ſeptem verba, conſecuta ſunt ſeptem miracula, nimirum tenebrarum per vniuerſum orbem, terræ commotæ, petrarum ſciſſarum, veli templi rupti, monumentorum apertorum, ac corporum ſuſcitatorum, denique confeſſionis Centurionis cum Iudæis percutientib⁹ pectora ſua. Cùm igitur Dominus grauiſſimis iniurijs laceſſitus, quas durius ipſa morte erat perferre, & ingente vulnerum dolore, ac corporis pondere vexaretur; omnium tamen dolorum ac pœnarum oblitus ſuarum, paternæ iræ, ac indignationi in crucifigentes concitatæ, precibus ſuis occurrit, officiumque boni Sacerdotis, ac mediatoris, protectoriſque, & aduocati exorditur. Seque ipſum totum opponit murum pro domo Iſrael, dicens, *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Neque vacat myſterio, quòd ſoli Lucæ Euangeliſtæ hoc primum verbum enarrare datum ſit: quia enim Lucas in vituli typo Sacerdotium Chriſti deſcribere conatus eſt, rectè apud eum Dominus, & pro perſecutoribus ſuis iure Sacerdotis interpellat: eodemque tempore, ac eodem munere latroni confitenti Paradiſi ianuam pandit: vt rectè docet Beda. Nec enim putandum eſt,

Vnde primum Chriſtus pro nobis cœperit apud Deum patrocinari.
Eſai. 63.
Pſalm. 28.
Septem verba Domini in cruce prolata quibus ad aptentur.
Apoc. 10.
Supra 1.
Ibidem.
Ioſue 6.
Matth. 27.
Luc. 23.
Mira Chriſti manſuetudo & clementia.
Ezech. 13.
Primum verbum Chriſti in cruce cur Lucas ſolus enarret.
Beda in Luc. lib 6. cap. 4. tom. 5.

has preces fruſtra Chriſtum ad Patrem fudiſſe, ſed in eis nimirùm, qui poſt paſſionē eius crediderunt, quod orabat impetrauiſſe. Quidam tradunt, Dominum dixiſſe hæc verba, cùm illuderetur à prætereuntibus, Scribis, & Sacerdotibus, vt redderet bonū pro malo, & benedictionem pro maledictione, & oraret pro calumniantibus, & perſequentibus ſe. At verò quia apud Lucam poſt hoc verbū Chriſti dicitur. *Et ſtabat populus ſpectans, & deridebant eum Principes cum eis,* videtur quod non fuerit dictum ad illudentes, præſertim cùm inter eos eſſent Sacerdotes & Scribæ, qui ſciebant, vel ſcire poterant, quem crucifigerent: ſed potius videtur poſtquā crucifixus fuit, & poſitus in medio latronum, tunc oraſſe pro militibus Romanis, vt ait Euthymius, qui verè ignorabant quid facerent. Commodaque eſt hæc interpretatio, ſed præſtare videtur prior. Inſpiciamus iam ſingula Domini verba, & more noſtro illa expendamus. In primis igitur nota præteritum imperfectum, *Ieſus autem dicebat:* quia fortaſſe pluries illa verba inculcabat, vt probabile eſt credere, quò maiorem ſuum affectum ad remiſſionem illorum impetrandam indicaret. Cùm enim illi malitia ſua charitatem Chriſti vellent vincere; contra Chriſtus Dei ſapientia vincere malitiā decertabat, quò plus Deus ad ſe Sacerdotem offerentē ſacrificium pro populi ignorantia, ac pro eis deprecantem, quàm ad eorum clamores, maledicta, inſanaſque voces attenderet.

Pro intelligentia huius precationis obſerua, Chriſtum Dominum his verbis indicaſſe ſe quidē innocentem eſſe, iuſtum, & pœna omni indignum; at cruci, ac neci eum tradentes peccatores eſſe, ac miſericordia Dei, ac venia indigere, pro quibus ipſe, & non pro ſe preces funderet. Et fortaſſis, vt aliqui meditantur, non defuit aliquis, qui audiens Chriſtum ſic precari, diceret: Iſte pertinaciter eſt arrogans, qui nec in morte ipſa confitetur ſe dignum ſupplicio, quod patitur, ſed quaſi ipſe eſſet iuſtus, & ſanctus, Iudæi verò Sacerdotes & Seniores, qui iudicium officio fungebantur, peccatores eſſent, pro eis deprecatur, cumque ſit reus, facit ſe aduocatum. Et fortaſſis conuerſus ad Chriſtum, dicebat; Ora miſer pro te, & ne addas peccatum peccato: veniam pro te poſtula: confitere quod tu neſcis quid facis, & tibi Deus ſalutem pœnitenti ignoſcat. Quamobrem quidam non credentes, putarunt quod Chriſtus propter hæc verba ſit mortuus obſtinatus, ac condemnatus, eò quod diceret, Pater dimit-

Quando pro crucifigentibus ſe Dominus rogauerit ſecundum aliquos.
1. Petr. 2.
Matth. 5.
Altera ſententia.
Euthym. c. 81. in Luc.
Expenditur dictū imperfecto tempore: Ieſus autem dicebat: Pater ignoſce illis, &c.
1. Cor. 1.
Leuit. 16. & Hebr. 9.
Eo verbo: Pater ignoſce illis qualem ſe Chriſtus declarauerit, quales verò ipſum crucifigentes.
Quorundam non inepta certè meditatio.
Rom. 12.

Quid doceat nos Chriſtus, veniam ſuis crucifigentibus implorãs.

dimitte illis. Ieſus Igitur volens vincere in bono malum, accepto clypeo non contra ictus proprios, ſed ſuper illos, qui deſuper venturi erant ab ira Dei in offenſores, pro eis preces fundit, docens nos, quid in ſimilibus cauſis ſit faciendum, ne videlicèt ob noſtrum dolorem, vel infirmitatem excuſemur, quòd pro alijs precari non poſſumus, & quod ſatis ſit, ſi nonnihil pro nobis oremus: contra quod Chriſtus pro crucifixoribus orabat, plus illorum peccata ſentiens, quibus Deum offendebant, quàm vulnerum ſuorum dolores. Nam ęgroti de eo, quo acerbius dolent, prius lamentantur, ac querulas voces edunt: & plus Chriſtus doluit de offenſa Patris, quã de pœnis ſui corporis. In hac autem voce impleuit Chriſtus figuram Moyſi, qui olim dixerat; *Aut dimitte eis hanc noxam; aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Impleuit & Eſaiæ vaticinium, dicentis: *Et pro tranſgreſſoribus rogauit.* Eamque Chriſtus, quam in vita ſua tradiderat, doctrinam impleuit, qua videlicet docuit, diligendos eſſe inimicos, illis benefaciendũ, qui nos oderunt, & orãdum pro perſequẽtibus, & calumniantib. nos. Vt igitur Chriſtus amorem ſuum erga offenſores teſtatum redderet, & benefecit odio ſe proſequentibus, cùm ſanauit vulnus Malchi, & orauit pro ſe actu, publiceque calumniantibus, ac maledicentibus: neque decebat tantũ legis Euangelicæ magiſtrum à ſeruis ſuis, hoc eſt, Prophetis, & diſcipulis ſuperari. Conſtat autem & Moyſen pro populo lapidare volente precatum fuiſſe, ac Dauidem pro filio ſuo Abſalone ſe regno ſpoliare machinante, non ſolùm oraſſe, ſed etiã pro illo lacrymas profudiſſe. Vt interim ſileam, quòd Stephanus genu flexus orauit pro lapidantibus, & B. Iacobus Domini frater, vt teſtis eſt Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorũ, cùm pręcipitatus de pinna templi, confractis cruribus, adhuc ſemiuiuus tendens in cœlum palmas, dicebat: Domine ignoſce illis, quod enim faciunt, neſciunt. Et Paulus pro ſe, ac cæteris Apoſtolis dicebat; *Perſecutionem patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, obſecramus.* Fuit autem illa tam efficax oratio apud Patrem, vt innumeri propter Chriſtum ſint conuerſi, qui reuertebantur percutientes pectora ſua: & omnes illi, qui conuerſi ſunt ante diem Pentecoſtes, fructus ſunt tam diuinæ miſerationis. Semper enim Ieſus pro ſua reuerentia exauditur: nec poſſunt illi perire, pro quibus Ieſus orat Patrem, ne pereant, & pro quibus Pater dedit filium in mortem. Hinc Gloſſa ordinaria in illud Eſaiæ: *Et pro tranſgreſſoribus rogauit*, ait, *Pater ignoſce illis, ad hanc vocem ſecũdùm Euangelium Nazaræorum, multa millia Iudæorum aſtantium circa crucem crediderunt.* Hæc ibi Gloſſa. Addunt nonnulli, hac oratione impetratũ à Deo ſpatium quadraginta duorum annorum ad pœnitentiam Iudæorum poſt Ieroſolymitanum excidium. Non tantùm ergo oſtendit ſe ad ignoſcendum paratum, ſed & ipſe offenſus apud diuinę iuſtitię tribunal pro illis fit aduocatus, quaſi iam ſibi ſatisfactum eſſet; cùm tamen nondum ille vel peccatum ſuum agnoſcerent. Proinde ſi pro illis pertinaciſſimis hoſtibus, qui velut ſerpentes venenati acuebant linguas ſuas in eum, & velut leones rugientes, ac rapientes aperiebant in eum os ſuum, ita Chriſtus apud Patrem precibus ſuffragatus eſt, quomodo dolentes de peccatis ſuis contemnet? Nam & latronem ad hanc vocem ſpem concepiſſe de Dei miſericordia veriſimile eſt; aut quomodò Chriſtus in gloria aduocatus noſter exiſtens obliuiſci poterit amicorum ſuorum, & filiorum in hoc mundo contra peccatum decertantium. Adhæc perpende vocem hanc non tantùm cum clamore valido, & lacrymis, vt teſtatur Apoſtolus, ſed etiam cum ſanguinis profuſione coniunctam, quò fortior eſſet apud Patrem, & efficacior apud nos. Vt ſinamus nos ab eo perſuaderi, vt etiamſi mortis eius extiterimus autores, non tantum non deterreamur à grauitate noſtræ culpæ; quantum alliciamur à magnitudine charitatis eius. Deinde expende verbum. *Pater*, id eſt, ô Pater, propter dulcedinem huius nominis, & propter amorem, timorem, & obedientiam, quam tibi Patri vt obſequentiſſimus filius impẽdo, etiamſi illi ſint ingrati, inobedientes, ac rebelles, in me reſpice, ac meam obedientiam, & ſatisfactionem ex charitate præſtitam. Pater, qui deſideras habere plures filios, & vis me primogenitum inter multos fratres, parce illis, vt habeas illos pro filiis, vt me habes, & ego eos habere poſſim pro fratribus: & erit tantò maior gratia, quantò illi ea digni minus exiſtent, & erunt eò magis grati, quò viderint ſe minus dignos, qui tantam dignitatem & dignationem Dei experiantur. Cogita Pater, quòd quantò plus me tormentis & iniurijs onerant, tantò obedientiorem me tibi apparere facient, tuique honoris zelantiorem, & in cauſa erunt, vt perfectius relinquam exemplum te honorificandi vſque ad mortem: quod tibi, ac mihi longè grauiſſimum eſſe debet. Audi igitur, mi pater, vocem ſanguinis mei clamantis miſericordiam, & veniam pro fratri-

Chriſti zelus gloriæ Dei.

Exod. 32. Moyſes Chriſti typus.

Eſa. 53.

Matth. 5.

Luc. 22.

Quinam in veteri teſtamento, ſiue in Nouo pro ſuis inimicis orauerint.

Exod. 17. *Infra 32.* *2. Reg. 18.* *Actor. 7.*

Hier. tom. 1.

1. Cor. 4.

Quam efficax Domini oratio fuerit pro inimicis Patrẽ deprecantis.

Luc. 23.

Hebr. 5.

Gloſſ. ord. in Eſa. ca. 53.

Alter effectus illius Chriſti precationis.

Quales Iudæi Chriſti hoſtes, teſte Propheta. *Pſal. 139.* *Pſalm. 21.*

Luc. 23.

Quid efficaciſſimam reddiderit eã Chriſti orationem pro inimicis. *Hebr. 5.*

Expenditur primum verbum huius petitionis, Pater.

Rom. 8.

fratribus, non voces illorum exigentes vindictam.

mitte illis. Secundum verbum eſt, *Ignoſce, vel dimitte illis.* Olim magna ratione dicebaris Deus alm. 91. vltionum, vix enim peracto peccato exige- n. 3. bas pœnam, vt in primos paretes feciſti, & ſeq. in Cain fugientē in facie tua, mūdū quoq; fra 4. peccantē diluuio ſubmerſiſti, infames illas fra 7. ciuitates igne de cœlo dimiſſo ſuccendiſti; fra 19. Pharaonem cum ſuis exercitibus demerſi- cod. 14. ſti in Mari Rubro, & multa vindicandi delicta exempla frequenter præbuiſti; vt meritò vocareris Deus vltionum. At nunc hęc Cor. 1. tempora, hæc ætas aliud poſtulant, vocandus es Pater miſericordiarum, & Deus to- att. 9. tius conſolationis: & ſicut hactenus Publi- c. 7. canum reddidiſti Apoſtolum, peccatricem n. 8. in pace dimiſiſti, adulteram iuſtificaſti, Sa- pr. 4. maritanam ad fidem vocaſti, Petroque ter atth. 26. neganti dimiſiſti; ita par eſt, vt maximum hoc, & horrendum crucifixionis delictum à tua ingenti clementia remittatur. Ignoſce igitur, mi Pater, quia ego atroci iniuria affectus ignoſco, & nondum ab aliquo rogatus parco. Ignoſce etiam tu Pater, qui partem magnam huius iniuriæ ſuſtines: quia in Filium tuū à te deſtinatum in mundum iſti impiè ſęuiunt. Non ergo dixit, Pater, ego illis ignoſco, quia poterat Pater iuſtè pœnas exigere de morte: quia Chriſtus pluris fecit iniuriam factam Patri, quàm propriam mortē. Neque dixit: Ignoſce illis poſt mortē meā: quia in vita remittendum a quorūdam eſt. Piè ſatis hoc loco quidā meditantur, ad ediꝫatio. hanc clementem Ieſu vocem aures præſti- an. 19. tiſſe ſanctam Deiparam Virginem, quæ iuxta Crucem ſtabat, & vt quàm primùm filio ſuo, & precationi ſuæ conformatam ſe redderet in genua prouolutā fuiſſe, cumque lacrymis, & ſanctis charitatis deſiderijs, hoſtibus Chriſti, ac ſuis ignouiſſe; nam & hęc iniuria ad eam aliquo modo ſpectabat. Vnde B. Bonauent. ſcribit in lib. de ſti- . Bonauent. mulo diuini amoris, his verbis Ieſum Patrem rogaſſe, vt ignoſceret delinquentibus: corde autem Matrē rogaſſe, vt & ipſa quod ad ſe attinebat remitteret. Et quamuis ipſe ſua vtens autoritate potuiſſet dicere: Remittantur illis peccata: quoniam Deus erat, tamē quia & Sacerdotis, & Pontificis perſonam gerebat, quorum eſt proprium ſupplicare, ac Deum placere: proptereà ille, qui imperare poterat, atq; omnino peccata remittere, ſupplicans orat, vt impetret propitiationem à Patre, cui delicta competit cōdonare, ipſa propitiatione interueniente, quæ in ſanguine Chriſti facta eſt: imò illud ipſum, quod iā ſanguinis ſui effuſione promeruerat, id ipſum inquā nunc precationis ſuę voce efflagitat. Perfectiſſimum ergo exemplum ignoſcēdi dedit, quia vt aduocatus intercedit apud diuinæ iuſtitię tribunal pro his, qui iniuria eū affecerunt, & remiſſionem firmam vóluit in Euangelio quaſi inſtrumento quodam conſcribi, quò intelligent per eū fore nunquam reuocandum, niſi per illos ſteterit. In quo multi aliquando peccāt, qui dicunt ſe quidem remittere, ſed nolle quoque pacto magiſtratui, aut iudici notum facere, aut ſcripto aliquo manu ſua firmato id patefacere. Nam iſti occultum odium plerūque in corde gerunt, Deumque volunt eſſe ſuum carnificē, qui illos aut puniat, aut de medio tollat. Adde illud, quod abſolutè ait, ignoſce, ſeu dimitte, nō ait, ſi vis, aut ſi poſſibile eſt, vt in horto orando dixerat: tùm quia conſtabat ſibi de potentia, & voluntate; tùm etiā quia hoc ex parte noſtra eſt pręſtandū, etiāſi offenſores peſſimi ſint, atque obſtinati, vt & nos ſoliciti ſimus non tam noſtri, quia ſatis nobiſcum actum eſt, cū offendimur, ſed ipſorū qui & nos offenderunt, & ſe ipſos grauiter lęſerunt, pro eorum ſalute deprecari, vt Chriſti imitatores efficiamur.

Quale nobis Chriſtus clementiæ documentum præbuerit.

Quinam illud aſpernari videantur.

Cur non dixerit: Pater dimitte ſi vis. *Matth. 27.*

Tertium verbum eſt, *Non enim ſciunt quid faciunt.* Neſciunt enim ſe crucifigere Filium Dei, verumq; Iudæorum Regē: ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum glorię crucifixiſſent. Vt bonus aduocatus culpam clientis extenuat: ſolent enim peccata ex ignorantia, & fragilitate admiſſa faciliùs obtinere remiſſionem: vnde Propheta, *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*; & Apoſtolus de ſe ipſo, *Miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate*: & Petrus ad Iudæos, *Et nunc fratres ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.* Et non eſt ſermo in verbis Domini de ſimplici ignorantia, & inuincibili, quam vocant, quæ propriè peccatum eſt. Nec rurſus de voluntaria & affectata ignorantia, quæ grauiſſimum ſolet eſſe delictum, ſed de craſſa & ſupina, quā homo vincere potuiſſet, ſi diligentiam adhibuiſſet: hęc tamen ſi peccatum ſit: diminuit tamen rationem volūtarij, ac proinde rationē peccati; neſciunt ergo tales quid faciunt, nā ſi ſcirent vel cępti facinoris eos pœnituiſſet, & reuerterentur percutientes pectora ſua, & paſſionis Chriſti progreſſum impediuiſſent. Sed ſi ita factum fuiſſet, Ieſus crucis infamiā minimè ſubijſſet; & ita minor fuiſſet ipſius dolor, nec nos tam euidens haberemus infamiæ triumphatę exemplū. Adde, quòd infamię exemplum nos promerebamus, quam ipſe

In illud: Non enim ſciunt quid faciunt. *1. Cor. 2.*

Chriſtus quaſi aduocatus.

Pſal. 24. *1. Tim. 1.* *Actor. 3.* In ijs Chriſti verbis: Non enim, &c. quæ de ignorantia ſermo ſit.

Debitam nobis infamiam Chriſtus pertulerit pro nobis in cruce.

pro

pro nobis aſſumere, & ſuſtinere voluit, cũ vel notum, vel quem noſſe poterãt, ac debebant, & noluerunt, impiè Iudæorũ proceres cruci affixerunt. Ignoſcit ergo illis, quia neſciunt quid faciunt: & gratificatur omnem pœnam remittens illis, qui ſcientes quid agant, acceptant hoc beneficium, & offerunt ſemper Deo, illudque obijciũt diuinæ iræ, vt nos in tranquillo ſimus. Dicamus hoc in omnibus gentibus, vt infamia Chriſti quantum in nobis eſt, minuatur, & reliqui ſeruentur.

[...]am Chriſti [...]iam vt [...] m oucre [...]beamus in gentibus.

Neſciunt rurſus quid faciunt, neſciunt quãti, quamq; pretioſi ſacrificij ſint miniſtri, quot virtutum mearum vt exſplendeſcãt, ſunt cauſa, quot bonorum meorum tanta ſua inſolẽtia ſunt detectores. Neſciunt quid faciunt, & ego ſuſcitatus faciam, vt ſe ipſos, & quæ fecerunt, recognoſcant, & vt alter Ioſeph, qui fecit ſe à fratribus, à quibus fuit venditus, agnoſci, ita ego inſinuabo me illis, & vbi me agnouerint, flebunt, & fratres mei erunt.

Gen. 45.

Matth. 27.

Dixerunt Iudæi coram Pilato: *Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros*: id eſt, Si Chriſtus eſt innocens, volumus eius ſanguinem ſtare contra nos, & filios noſtros. Verum Chriſtus ab illa pernicioſa in ſe ipſos ſententia appellauit, voluitque ſuũ ſanguinẽ, cùm eſſet innoxius, non contra eos, ſed pro eis ſtare, idque his verbis apertè petiuit à Patre. Illi vindictam Dei, ac damnationem contra ſe ipſos coram Pilato poſtularunt: Chriſtus petit pro eis à Patre liberationem. Melius, & clementius condidit teſtamentum Ieſus, quam Dauid: hic enim moriturus præcepit hæredi ſuo Salomoni, vt ſumeret debitas pœnas de Ioab nepote ſuo, qui proditione duos præclaros viros occiderat: iuſſit vt de Semei ſeruo vindictã faceret, quorum neuter Dauidem grauiter offenderat: & tamen Ieſus Iudæis, qui ſibi veritate doctrinæ, & vitæ innocentiam, & ſignorum autoritatem abſtulerant, & grauiſſima conuitia intulerant, impetrat remiſſionem.

Chriſti quam Dauid [...] teſtamentum.

3. Reg. 2.

2. Reg. 3.

Infra 20.

Propter illud verbum: *Non enim ſciunt quid faciunt*, ſunt quidam ex Patribus, qui arbitrantur, Chriſtum non fudiſſe illam precem pro omnibus, ſed tantùm vel pro Romanis diuinæ legis ignaris, vel pro rudibus, & illiteratis Iudæis, qui legis diuinæ ſacramenta ignorabant prorſus, & zelo quodam ſine ſcientia in Chriſtum furebant.

An pro omnibus illam precem ſuderit Chriſtus: Pater dimitte illis, &c.

Inter hos eſt Euthymius, qui enarrans hæc verba, ait: *Neſciunt quid faciunt. Inuidia videlicet temulenti. Quidam verò dicunt, quòd non pro Iudæis, ſed pro Romanis militibus, qui in crucifixione ſubminiſtrabant, orationem fecerit, hi enim ignorabant quæ de ipſo lex, ac Prophetæ prædixerant.* Auguſtinus quoque in libro quæſtionum Veteris & noui Teſtamenti, ſi tamen is ſit illarum quæſtionum autor, in hunc modum ſcribit:

Euthym. ibid.

Auguſt. lib. quæſt. Veteris & noui Teſt. q. 67. tom. 4.

Quid eſt quod in cruce poſitus, Saluator ait: Ignoſce illis; non enim ſciunt quid faciunt? Si enim neſciũt, quid eſt quod ignoſcitur; maximè cùm dicat Rex Abimelech ad Deum, Nunquid gentem ignorantem perdes? Non omnis ignorans immunis pœna eſt: ille autem ignorans poteſt excuſari à pœna, qui à quo diſceret, non inuenit. Iſtis autem hoc ignoſci petit, qui habentes à quo diſcerent, operam non dederunt. Huiuſmodi non licet ignorare; accipiant ergo veniam ſi conuertantur.

Gen. 20.

Beda in eadem Lucæ verba: *Notandum ſanè*, inquit, *quòd non pro eis, qui liuoris, ac ſuperbiæ ſtimulis accenſi, quem filium Dei intellexere, crucifigere, quàm confiteri maluerunt; ſed pro eis vtique, qui zelum Dei habentes, ſed non ſecundùm ſcientiam, neſciere quod fecerunt, Patri preces obtulerit. Sed & Ioannes Apoſtolus dicit, Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis. Imitare ergo Dominum tuum, pro minimis intercede; & ſi necdum potes, ſaltem caue, ne contra illos orare præſumas.*

Bed. libr. 6. in Luc. cap. 95. tom 5.

Rom. 10.

1. Ioan 5.

Adhæc Bernardus lib. de præcepto, & diſpenſatione: *Pater*, inquit, *ignoſce illis. Et quaſi quæreretur indulgentiæ ratio in tam horrendo facinore, ſequitur; Quia neſciunt quid faciunt. Ac ſi diceret: Eò digni venia, quò & puſilli ſcientia ſunt. Ideò ignoſco illis, quia non agnoſcor ab illis. Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Sunt quibus non ita ignoſco, quos vtique non ignoro & vidiſſe, & odiſſe & me, & Patrem meum*, Hæc ille.

B. Bernard.

1 Cor. 2.

Ioan 15.

Subſcribunt huic ſententiæ Gloſſa ordinaria, & Nicolaus Lyranus, Ioannes Gagneus, nonnullique alij ex recentioribus: videnturque aliqua verba Chriſti, & Ioannis Euangeliſtæ illis fauere, vt illa Chriſti: *Non pro mundo rogo*, & illa Euangeliſtæ Ioannis: *Eſt peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis.*

Gloſſ ordin. in Luc

Nicolaus Lyran ibid.

Ioã. Gagneus

Ioan. 17.

1. Ioan 5.

Simon de Caſſia in hæc verba egregiè, ac doctè ſcribit: *Sciunt quia crucifigunt, ignorant quem crucifigunt. Romani enim erant, aut de gentibus incircumciſis, miniſtri, & milites Pilati, qui hoc miniſterium exercebant, & nutriti ſub cultura perfidiæ, quæ dicebatur ſeruitus idolorum, nec aſſueti erant vaticinijs Prophetarum, vt coniecturare poſſent, aliquando Dei Filium in carne debuiſſe venire, vnde omnino neſciebant, quem crucifigebant. Quamobrem miſericorditer ſubuenit eis gratia Saluatoris, & omnis culpa eſt mitior, faciliùſque meretur veniam, quæ ab ignorantia, quàm quæ à malitia ſumit exordium. Neſciebant enim quid facerent, quia Præſidis mandato parentes, iuſtitiæ opera exequi arbitrabantur. Neſciebant quid facerent, cùm fidem credulam adhiberent diffamationibus Iudæorum, & eis placere geſtientes, animoſius pœnis Chriſtum affligunt.* Et infra: *Poteſt autem ex*

Simon de Caſſia lib. de paſſio.

Simonis Caſſiani in hæc Domini verba egregia ſententia.

Quænam culpa facilius veniam promeretur.

Chriſti magna benignitate comprehendi, quod etiam Iudæi ad hanc interceſsionem pro conſequenda indulgentia pertinuerent, illi duntaxat qui Chriſtum nullo modo cognouerunt. Si verò ſcientes in iſtam orationem veniſſent, fruſtra remiſsionis, ſeu dimiſsionis cauſam inueniſſet Saluator : Quia neſciunt quid faciunt. Eſt ſiquidem Quia, ſemper redditio cauſæ. Hæc ille. Cuius ſententia videtur certo Auguſtini teſtimonio cõfirmari poſſe. Nam ille ponderans illud, quòd Iudæi mente compuncti quòd Meſſiam occidiſſent, ad prædicationem Petri dixerunt : *Quid faciemus?* in Ioannem ita ſcribit : *Viderunt enim ſe ingenti crimine impietatis aſtrictos, quando illum occiderunt, quem venerari, & adorare debuerunt: & hoc putabant eſſe inexpiabile. Magnum enim facinus erat, cuius conſideratio illos faceret deſperare : ſed non debebant deſperare, pro quibus in cruce pendens Dominus eſt dignatus orare. Dixerat enim, Pater, ignoſce illis; quia neſciunt quid faciunt. Videbat quoſdam ſuos, inter multos alienos: illis iam petebat veniam, à quibus adhuc accipiebat iniuriam. Non enim attendebat, quòd ab ipſis moriebatur; ſed quia pro ipſis moriebatur. Multum eſt quod illis conceſſum eſt ab ipſis, & pro ipſis, vt nemo de ſui peccati dimiſſione deſperet, quando illi veniam meruerunt, qui Chriſtum occiderunt.* Hæc ille. Eſt ergo ſenſus: Ego Filius tuus, honoris tui religioſus obſeruator, mandati extremus executor, licet vt omnium impiorum ſceleſtiſſimus, & Dei blaſphemator hic pendeam : inter tot tamen cruciatus, tormenta, & iniurias, nec iniuriæ etiam ciuium meorum memor, nec officij mei immemor eſſe poſſum : inter iuſtam iram tuam, & grauiſſima hominum ſcelera ſe opponere, meum eſt: hominem, qui qui opus eſt manuum tuarum, ſed iam tanquam vas confractum ſolidare, & tanquam ouem errantem reducere, & tanquam captiuum ex vinculis redimere, meum eſt : pacificare per ſanguinem crucis meæ, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt, mihi incumbit. Adimpleuerunt quod in Leuitico ſcriptum eſt : *Si omnis turba filiorum Iſrael ignorauerit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini eſt, & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret pro eo vitulum.* Ecce me obtulerunt, tam in vitulis, quàm in alijs ſacrificijs deſignatum: cęci ipſi, & ingrati modò non vident quid faciant, ſed mox videbunt, in quem transfixerunt, & reuertentur percutientes pectora ſua. Nonnulla dubia circa hoc primum Chriſti verbum enucleabimus : quædam etiam documenta ad vitam noſtram rectè inſtituendam eliciemus. Primum dubium eſt : quomodò Chriſtus orat illis dimitti peccatum, qui actu delinquebant, & necdum illos pœnitebat; cùm ipſe nobis actu orare pro eis peccantibus minimè præceperit: ſed quando ſolum fratrem iniuriæ pœnitet, præcipit nobis illi parcere? Reſpondemus, Chriſtum non oraſſe pro iſtis ita remitti, vt permaneant in propria ignorantia, & peccato: ſed nunc vult ita parci, vt non ſubitò occidantur, vt digni erant, vel vt non indurarentur, ſeu obſtinarentur, vt merebantur; ſed vt expectarentur, donec veniat lux, quam non obſtante peccato valeant acceptare. Quia etiam qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, & peccatum dum dominatur homini, non permittit nos eius veniam accipere, nec gratiam, quæ eſſet contra peccata; Deus iuſtificans ſuauiter mittit lucem, qua per pœnitentiam diſponamur, & iuſtitiam, qua iuſtificemur, & remittantur peccata, accipiamus. Hinc Chryſoſtomus egregiè dicit: *Quia Dominus dixerat : Orate pro perſequentibus vos, hoc etiam crucem aſcendens fecit, dicens, Pater dimitte illis: non quòd ipſe non poſſet relaxare, ſed vt pro perſequentibus orare doceret, non ſolùm verbo, ſed opere. Dicit autem, Non dimitti eis, ſi pœnituerint: fauet enim pœnitentibus, ſi vellent tantam nequitiam reatus per fidem diluere.* Hæc ille. Nota etiam triplicem eſſe peccati pœnam, alteram, qua meremur ſubitò extingui, & luce priuari: quod ſi Deus non facit, eſt quædam venia peccati, vnde dicitur, *Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumpti.* Item ex alia pęna, qua meremur, vt Deus non det amplius lumen, nec vocet ad gratiam ſuam: ſed ſæpè hanc pro charitate ſua relinquit, dando lucem, & vocando. Denique eſt alia pœna, quòd poſtquàm nos diſpoſuit ad iuſtificationem, expectat operam, ac diligentiam noſtram in acceptanda gratia ipſius luce: quòd ſi hęſitantes & negligentes fuerimus, digni erimus, quos Deus deſerat. Sæpè tamen Deus remittit hanc pœnam, quando per interiores inſpirationes, & fortes, & efficaces motus corroborat ad actu conſentiendum, ac acceptandum: & hæc eſt principalis gratia, & remiſſio pœnæ, & pro hac ſemper orandum eſt in virtute huius Chriſti orationis. Dicẽdo ergo, Dimitte illis; non enim ſciunt quid faciũt, non orauit ita remitti, vt non vocentur ad pœnitentiam; ſed vt ſubitaneæ mortis pęna remittatur, & obſtinatio, & aliæ pœnæ, donec credentes acceptent gratiam, & iuſtitiam, etiam cum facilitate. Et hæc oratio viguit à principio mundi, tũ quia Chriſtus eſt agnus occiſus ab origine mundi, ob præuiſum huius orationis meritum: ideò

Aug tract. 31 in Ioan. poſt med. tom. 9.
Actor. 13.
Quale facinus Iudęorum occidentium Filium Dei.
Coloſſ. 1.
Leuit. 4.
Apoc. 1.
Ioan. 19.
Luc. 23.
Quomodò Chriſtus orat pro illis, dimitti peccatũ, qui actu delinquebant, cùm ipſe nobis actu parcere peccantibus non præcepit.
Luc. 17.
Ioan. 8.
Effectus peccati in homine.
Chryſoſt. Matth. 5
Triplex peccati pœna.
Thren. 3.
Quando primum veniam & indulgentiam peccatorum Chriſtus orans impetrauerit.
Apoc. 13.

Gen. 3.

An poſſe gratiam, non acceptare, ſit pœna peccati. Poſſe gratiam non ſuſcipere, quid ſit.

Actor. 2.

An Ieſus orando Patrem, vt inimicis parceret, licuerit propterea illis in peccato perſiſtere.

Quare Chriſtus, non orauerit, vt ſtatim conuerterentur accepta gratia pœnitentię reſipiſcentiæque,

ideò ob hanc orationem dictum eſt Adæ: *Ipſum conteret caput tuum*, & illuminatæ omnes gentes: quicunque lumen diuinum, & conuerſionem à Deo habet, hac impetratum eſt oratione. Secundum dubium eſt: Petet aliquis, an poſſe non acceptare gratiam, ſit pœna peccati? Reſpondeo, quòd poſſe non acceptare gratiam oblatam, & poſſe peccare, eſt infirmitas, non poteſtas; eſt defectus libertatis, nō libertas, quo De⁹ ſuapte natura caret, & munere diuino cōfirmati in gratia, ſiue illi ſint comprehenſores, id eſt, Angeli, & beati, ſiue viatores, qualis fuit B. Virgo, Ioannes Baptiſta, & Apoſtoli, qui poſt hauſtum cœlitus ſpiritum ſanctum ſaltem mortiferè peccare non potuerunt. Et quanquam poſſe reſpuere gratiam ſit natura eſt tamē pœna peccati Adæ in hoc, quia faciliùs Dei gratiam amplecteremur, ſi Adā non peccaſſet, vel ſi nos peccatis non tanta adderemus peccata, quanta addidimus. Maximè quia in exilio ſumus, in quo multa nos impediunt, & retardant ab acceptanda gratia. Hęc ergo Chriſti oratio obtinuit, vt remittatur nobis omnis pęna, dum credimus in illū, & incorporamur illi per Baptiſmum, & vt tanta ferè facilitate Dei gratiam nōnulli ex ſanctis amplectantur, quanta amplecterentur, ſi Adam non peccaſſet, etiamſi communiter permaneat naturalis infirmitas, qua poſſumus non acceptare, & nō acceptando pęcare, vt Adā fecit, qui omni natura ſua integra, & facilitate quam habūit non peccandi, peccauit nihilominus. Vnde opus eſt orare, vt fiat gratia amplectēdi re ipſa iuſtitiā Dei. Tertium dubium eſt, an Ieſus orando Patrem, vt illis parceret, licuerit nihilominus illis, perſeuerare in peccato, ac grauius delinquere? Reſpondemus non licuiſſe, quia nec hoc poſtulauit Ieſus à Patre, ſed tantùm vt expectentur, & tolerētur ad tēpus: quia ipſi ſponte peccabant, atque horum peccato Chriſtus Dei Filius vtebatur, ad illuſtrandam ſuam patientiā & charitatem, in Dei gloriam, & noſtram eruditionem. Quartum dubium eſt, Nonne meli⁹ fuiſſet, orare, vt ſtatim conuerterentur, accepta gratia pœnitentiæ, reſipiſcentiæque? Dicimus opus priùs fuiſſe perficere ſacrificium, vt daret perfectum exemplum patientiæ. Et non tollit Dei ordinem: quia nō vult omnia ſimul facere, etiamſi poſſit, ſed per adminicula, & media inſtrumenta vt & in hoc ſibi cooperentur, & honorentur creaturæ. Sæpè ſunt neceſſarij perſecutores, & dæmones ad malum ſolicitantes, vt Eccleſia pulchra oſtēdatur, & fortis, quæ poteſt hoſtes ſuos ad fidem conuerte-

An ſit peccatū orare pro noſtris perſecutoribus, quò ſtatim ad fidem conuertantur.

Actor. 7.

Conditio huius precationis: Pater dimitte illis.

Hebr. 5.

Matth. 26.

An Chriſtus hac precatione petierit, vt remittatur nobis omnis ſatiſfactio pro peccato debita.

Rom. 6.
Qualis noſtra ſatisfactio.

2. Cor. 2.
Quales ſint Satanæ cogitationes, quas ſe ignorare inquit Apoſtolus.

re. Reddit etiam illam illuſtrem, & glorioſam, quod nonnulli à perſecutoribus pro Chriſto, & eius ſponſa patiantur. Quintum dubium, an peccatum ſit orare pro noſtris perſecutoribus, quò ſubitò ad fidem, ac pœnitentiam conuertantur? Reſpondetur, nequaquàm, ſi talis oratio ex amore Dei, & proximi procedat, ſecùs ſi tantùm vt noſtra tormenta aut finiantur, aut leuiora fiant: quia hoc poſſet imputari quādoque amori proprio: & cum hoc Deus noſtro, & non ſuo modo faceret. Sed Chriſtus, qui nouerat Dei ordinem, orat pro eo, quod nouerat eſſe Dei voluntatem. Et ita Stephanus non orauit vt ſubitò conuerterentur, ſed ne imputaretur lapidatio illis in peccatum. Quanquam autem orando Chriſtus petiiſſet remitti illis omnes peccati pœnas, & quòd ſubitò per efficacem gratiam illuminarentur, quia ipſe exauditur pro ſua reuerentia: opus eſt ſubintelligere quòd orauerit, & intellexit ſub illa conditione: Non mea voluntas, ſed tua fiat, vt oratio eſſet ratiǫni conſona, & non repugnans primæ acceptationi calicis bibendi: quæ vel in totum, vel ex magna parte fuiſſet completa, ſi illi eo puncto tēporis fuiſſent ad Deum conuerſi. Sextum dubium eſt, an Chriſtus hac precatione petierit, vt remittatur nobis omnis ſatiſfactio pro peccato debita, ob illam Chriſti deprecatoriam ſatiſfactionem, & ſatiſfactoriam precationem? Reſpondeo, omnem ſatiſfactionem quā debemus ex noſtro, ſine noua gratia, & auxilio Dei omnibus fidelibus fuiſſe conceſſam; quare & pro culpa, & pro pœna æterna quadranti culpæ ſatiſfecit. Illa tamen ſatiſfactio, quā ex gratia, auxilioque Dei debemus, haud fuit remiſſa, quia non tantum eſt pęna, ſed etiam lucrū noſtrum, quod Chriſtus fecit: quare à nobis requiritur, vt ſaltem ſicut ſeruiuimus peccato, ſeruiamus iuſtitiæ Dei: vt docet Apoſtolus ad Romanos. Item ipſe Chriſtus eſt, qui vt caput per membra ſua; ita ipſe per nos vult ſatisfacere: atque hoc ſua oratione promeruit, vt ille in nobis, aut nos in illo ſatisfaceremus. Dat ergo virtutē Chriſtus deteſtandi peccatum, pudorem etiam de peccato, & dolorem, ſtudiū quoque faciendi ſatis, per opera virtutum, cōtraria antiquis malis operibus. Soluimus etiā ſic multas pœnas temporales pro noſtris peccatis: ſunt etiam vitæ æternæ, & multorum bonorum merita. Qui etiam vult dolere, atque affligi aliter quàm Deus vult, cadit in laqueum Satanæ, vt Iudas: vnde Paulus Corinthijs præcipit, vt conſolentur pęnitentem: quia inquit, non igno-

ramus cogitationes Satanæ. Quales ſunt illæ cogitationes? Fortaſſis quando Deus inſpirat de peccato deteſtando cogitationem, nobis perſuadere Satanas nititur, vt quęramus mundi ſolatia, vanaſque creaturarum delectationes, vt ita ictum doloris de peccato euadamus: quando verò videt non poſſe nos obtinere, conatur nos adducere in maiorẽ triſtitiam, vt inde abſorpti cadamus in acediam, ac deſperationem. Et hæc quidem de his, quæ dubitari poterant.

Quæ nobis documenta præbeat hæc Chriſti precatio.

Hac verò Chriſti oratione monemur in primis, iugiter petere à Deo veniam peccatorum, quę nos reddunt ſtultos, & vt iumenta inſipientia, & vt det intellectũ, quo faciat nos ſcire illud quod facimus, nõ tantum pro nobis, ſed etiam pro illis, qui nos perſequuntur, vt Deus pro iſtis, & pro nobis gratam habeat hãc Chriſti orationem, ac largiatur gratiam illo ſpiritu & amore deprecandi, quo Chriſtus fecit: & vt illis parcat, ac nobis donet, vt verè parcamus, & oremus pro quocunque à nobis verè offenſo, vel qui ſe habet pro offẽſo, vt ſequatur Chriſtum, & ſic precetur, atq; in ſocietate, & vnione cum hac Domini oratione, & fiducia, quòd ſit pro nobis facta, & viuat ſemper in cõſpectu Dei, ſperare debemus. Quòd ſi quid mali facimus, vel ſi quid minus in bonis operibus præſtamus; dimittatur, quoties cum fide, & humilitate dicimus, Parce nobis: quia vt ait tuus Filius, neſcimus illud quod facimus, etiamſi maximè nobis ſcire perſuademus, quod neſcimus. Nec conturbet hanc orationem, quod neſcire illud quod facimus, non eſt cauſa omnimoda veniæ, ſed potius quandoque maioris ſupplicij: quia nos fuimus nobis cauſa ignorantiæ, nam etiam Chriſtus pro hac noſtra culpa patitur, & ſatisfacit. Quia per peccatum Adæ ingreſſa eſt mors, & ignorantia in mundum, & Chriſtus orauit pro quacunque ignorantia, quę eſt peccato innata, etiam pro illa, qua ex mera malitia & cum certa ſcientia peccamus, & oculos veritati ſponte claudimus: quamuis in his ita peccãtibus rariùs & difficiliùs ſolet exaudire. Diſcamus igitur agnoſcere peccata noſtra, nos enim primi, & veri autores necis Chriſti ſumus, & pro nobis quoque inquit, Ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Milites enim illi peccatorum noſtrorum miniſtri fuerunt, qui hoc ei irrogarunt, quod meruerunt peccata noſtra. Quis autem ſciuit, aut etiam nũc cogitat, quod peccata noſtra Chriſtum crucifixerunt, vt Paulus docet? Sed & hoc neſcimus, quàm magnus ſit qui offenditur, & quàm graue ſit peccatum, niſi offenſionem ipſam, & damnationem, in quã ducit, expendamus: quia hæc abſcondita ſunt ab oculis noſtris. In primis verò ignorantiam omnium errorum, ac ſcelerum parentem fugiamus: nam illa tanquam alumna, & face deducimur in infernum; ſicut ſcientia, ac ſapientia recta tendimus ad æthereas ſedes, imitamurque præcipuè Dominum Ieſum Chriſtum, qui etiam in hac precatione nobis eſt lux mundi, cui cum Patre, & Spiritu ſancto perpetuas laudes decantemus, in ſecula ſeculorum, Amen.

Matth. 5.

Rom. 5. Pro qua ignorãtia Chriſtus nobis ignoſcẽda rogauerit.

Hebr. 6.

Errorum omnium, ac ſcelerum parens ignorantia eſt

TRACTATVS XL.

De ſecundo verbo Chriſti ad latronem, in illa Lucæ verba: *Vnus de his, qui pendebãt, latronibus, blaſphemabat eum, dicens, Si tu es Chriſtus, ſaluum fac teipſum, & nos. Reſpõdẽs autem alter, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iuſte, nam digna factis recipimus; hic autem nihil mali geſſit. Et dicebat ad Ieſum, Domine memento mei, cũ veneris in regnum tuum. Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo,* Luc. 23.

Chriſtus philomelæ ſimilis.

CANTILLANTE Dulciter philomela, plerumque viator, & peregrinus ſiſtit gradum ſub arbore ad vmbram, vt ad tempus delectari valeat tam ſuaui, tamque grata animalis tam parui cantione: ad quem modum nos dum in hac vita peregrinamur, Chriſtum noſtrum Philomelam in Crucis arbore dulciſſimè modulãtem, variaſque voces, & ſonoras edentem audire, ſi Chriſtiani ſumus, debemus: nec enim hic tantùm eſt delectatio; ſed etiam vtilitas, ac ſalus noſtra, Nam quid ſalutarius remiſſione peccatorum? Quid dulcius, quam audire, Hodie mecum eris in Paradiſo? Expediuimus priorem vocem, agendum de ſecunda. Et in primis aduerte, ex ſeptem verbis duo hæc priora, ac poſtremum illud, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, enarrari à ſolo Luca: Matthęus verò, & Marcus referunt quartum verbum, *Eli, eli* (ſeu Eloi, eloi) *lamma ſabathani*: ſolus autem Ioannes meminit reliquorum trium, nempe, *Ecce mater tua*; *Sitio*; Et, *Conſummatum eſt*. Atque ita, vt teſtatur Auguſt. libr. De con-

Mos Euangeliſtarum.

Matth. 27. Marc. 15. Ioan. 19. Aug lib 3 de conſenſu Euãgel. c. 6. 10. 4.

Quomodo Matthæus, & Marcus cum Luca conueniant dicente vnum ex latronibus inſultaſſe, alium credidiſſe.

ſenſu Euangeliſtarum, quiſque expreſſit aliquid, quod non alter, & vnus alteri non repugnat. Pro hoc ergo ſecundo verbo explicando, ait Lucas: *Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blaſphemabat eum, dicens, &c.* Primum dubium eſt, an Lucæ verba pugnent cum illis Matthæi & Marci, apud quos dicitur: *Idipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Idipſum, id eſt, eadem verba, quæ alij obijciebant, nimirum: *Si Filius Dei es, deſcende de cruce.* Hunc nodum ita diſſoluit Hieron. in Matthæũ. Primò enim per tropum Synecdoches pro vno latrone vterque inducitur blaſphemaſſe. Ambroſius etiam & Beda in Lucam Deinde addit Hieronymus, vtrumq; quidem latronem à principio blaſphemaſſe, cæterum vnus illorum videns tenebras, credidit, & alterum compeſcuit, & conuerſus ad Dominum, dixit, *Domine, memento mei.* Ita etiam Chryſoſtom. in Matthæũ, & eius ſequaces, Theophylactus, & Euthymius. Et confirmari poteſt exemplo Pauli, qui dicit ſe prius fuiſſe perſecutorem, & blaſphemum; poſteà autem Dei miſericordiam, & gratiã conſecutum. Et ita per Lucam eſſent alij Euangeliſtæ interpretandi. Auguſtinus quoque prædicto loco ait, numerum pluralem pro ſingulari Matthæum, & Marcum per enallegen poſuiſſe. Sicut ad Hebræos dicitur, *Circuierunt in melotis*, cùm ſolus Elias habuiſſet: *Obturauerunt ora leonum*, & fuit ſolus Daniel, qui obturauit: & rurſus: *Secti ſunt*, cum vnus tantum Eſaias fuerit ſectus. Sicut etiam dicit Lucas milites obtuliſſe acetum; cùm ex alijs conſtet, vnum fuiſſe ex eis, qui id fecit. Sic etiam illud venit accipiendum: *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum*; cum ſolus Rex Herodes, & Princeps Pilatus voce B. Petri in Actis contra Chriſtum conſpiraſſe prodantur. Atque huic ſententiæ, vt rationi magis conſentaneæ, ſubſcribunt nonnulli recentiores: hoc enim magis conſonat increpationi, quam in alterum exercuit, dicendo: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es*: quæ verba non indicant ipſum loquentem pœnitere conuitij proprij, ſed potius alterum increpare, nec ipſum Deum timere, ſed ſimul cum alijs inſultare Ieſu. Quod & amplius confirmatur, dicendo, quod nos iuſtè patimur, digna factis recipiendo: neque ſe accuſat, quod conuitium aliquod dixerit in Ieſum. Quod vero latro ſit conuerſus, ex eo quod viderit tenebras, videtur aduerſari B. Lucę, qui poſt illa verba: *Hodie mecum eris in Paradiſo*, tenebras enarrans, adiungit: *Erat autem ferè hora ſexta; & tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque in horam nonam. Et obſcuratus eſt Sol.* Niſi dicamus, Lucam verba latronum ante tenebras enarraſſe per anticipationem. Hæc tamen ſententia probabilitate ſua non caret, propter autoritatem Hieronymi, & Ambroſij dicentis de bono latrone: *Priorem blaſphemiam ſequenti diluit confeſſione*; & alibi: *Vnde & illud ſolui videtur: quia alij duos conuitiantes inducunt latrones, iſte vnum cohuitiantem, vnum rogantem. Fortaſſe & iſte prius conuitiatus eſt, ſed repentè conuerſus eſt. Nec mirum ſi conuerſo culpam ignoſcebat, qui inſultantibus veniam relaxabat.* Idem ſequuntur Theophylactus, & Euthymius, ex quibus poſterior ait: *Primùm ſiquidem ambo propriorum obliti laborum, ex incredulitate exprobrabant ei, vtpote & ipſi Iudæi.* Fortè autem etiam id in gratiam Iudæorum faciebant, vt propter hoc ipſos deponerent. Eſt autem inauditum, quod eiuſdem ſupplicij reus in alterum blaſphemiæ verba iactet: Soli Chriſto Domino horrendæ contumeliæ irrogantur, non ſolum à Iudæis, & militibus Romanis, ſed etiam à latronibus eiuſdem ſupplicij conſortibus. Hæc autem improperia maximè nobis proſunt aduerſus illa, quæ in hora mortis conſueuit dæmon in nos iactare. Nam cum videt corpus deficere, & animæ exitum inſtare, Satan omnia peccata, quæ ſuis ſuggeſtionibus admiſimus, nimio terrore nobis obijcit, vt in deſperationem inducamur: ſed fructum Dominicæ paſſionis conſecutis, irriſiones Satanæ nocere non poſſunt, vnde Dauid ait: *Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi qui ſuſtinent te, non confundentur*, & rurſus: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. Ne quando dicat inimicus meus; Praualui aduerſus eum*, & iterum: *Ne proijcias me in tempore ſenectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me: Quia dixerunt inimici mei mihi, &c. Deus dereliquit eum: Perſequimini, & comprehendite eum, quia non eſt qui eripiat.* Hic vero latro dicebat: *Si tu es Chriſtus ſaluum fac te ipſum, & nos.* Vide blaſphemiæ ſpeciem, in dubium Chriſti diuinitatem vocaré, dicendo, *Si tu es Chriſtus*, ſicut ſpecies maledicentiæ eſt dicere Regi, Si tu es Rex. Erat autem blaſphemia, quia inſultando, & exprobrando illud dicebat, geritque typum eorum, qui tametſi vident Chriſtum iuxta ſe pendere, tamen ſub cruce murmurant, nec eos Chriſti patientes cuncta ſuſtinentis mouet exemplum. Reſpondens autem alter, increpabat eum, dicens. Hic latro increpat ſocium ex cha-

Hieronym in Matt. cap. 27. tom. 9.

Ambr lib. 10 in Luc to 5. Bed in Luc. lib 6. tom. 6. Hier vbi ſup.

Chryſoſ. in Matt. tom. 2. homil 88. & ſequaces. Theophyl. & Euthym. tom. 2.

Auguſt loco tractato.

Heb. 11. 4 Reg 1. Dan. 14.

Luc 23. Matth 27. Marc. 15 Ioan 19. Pſalm. 2. Luc 23. Actor. 4.

Vnde confirmetur ſenſus huius loci.

Quando fuerit latro conuerſus.

B. Ambroſ. Idem lib 10. in Luc. cap 22. to. 5.

Theophyl Euthym. c. 6 in Matth.

Meritum improperiorum Chriſti, quę in cruce ſuſtinuit.

Quibus Satanæ irriſiones nocere non valeant.

Pſalm. 24.

Pſalm. 12.

Pſalm. 70.

Mali latronis in Chriſtum blaſphemia.

Latro ille quorum typum gerat.

Quo effectu bonus latro malum illum latronem increpuerit.

B. Athanaſ.

ritate, & prædicat regnum Chriſti. Hinc pulchrè Athanaſ. ſermone in ſanctam Paraſceuem: *Quid quod non his contenti etiam dederunt operam, vt latrones in morte ſocios haberet innocentiſſimus Ieſus, vt ſupplicij communicatio eſſet infamia ſepulturæ? Sed ignorabant à ſe vna cum Chriſto crucifigi latronem, eius ipſius regni futurum præconem illis vocibus, Domine memento mei, cum veneris in regnum tuum. Crucifigitur vt latro, & efficitur Euangeliſta.* Hæc ille.

Imaginem quorum bonus referat latro.

Imaginem refert piorum hic latro, qui & patienter ſuſtinent aduerſa quæcunque eueniunt, ſuiſque peccatis deputant, alioſque impatientes, ac blaſphemantes ad ſanam mentem reducere ſtudent.

Eius bonitas & charitas in malum latronem, atque blaſphemum. Eiuſdem in Chriſtum religio, ac pietas.

Increpabat autem non ex iracundia, neque ex cõtemptu, ſed ex charitate, vt eum emendatum redderet, ac capacem miſericordiæ Domini Ieſu, quam ipſe iam erat expertus. Videtur autem hic latro magis læſus iniurijs Chriſti, quàm proprijs pœnis: reliquis aut blaſphemantibus ipſum, aut tacentibus, ſolus efficitur defenſor & prædicator, nihil metuens, ne ſua prædicatione, ac defenſione, blaſphemantium Iudæorum in ſe iram, ac linguas prouocaret.

Neque tu, inquit, *times Deum, qui* (vel, vt Græcè dicitur, & Latini codices emendati habent, *quia*) *in eadem damnatione es.* Id eſt, Non times Deum, quem vnitum carni eſſe non credis, quem hæſitas id eſſe quod eſt, hoc eſt, Rex Iudæorum: qui oppugnas hominem innocentem, blaſphemeſque illum petis.

Illud: Qui in eadem damnatione es: quomodò accipiendum ſit.

Quod dicitur, *In eadem damnatione es*: vel ad inſultãtes Iudæos referri poteſt, qui ceu hominem à Deo contritum exiſtimabant, ac deridebant, quaſi diceret; Non ſatis eſt tot eſſe, qui ſe oſtendunt Deum non timere, illudendo iuſto, vt tu te inter eos reponas, qui ei illudunt; qui tamen es in eadem damnatione, qui non habes nec tẽpus, nec cauſam illudendi: quia poſt paucas horas oportebit te reddere rationem de factis tuis, & verbis, & interim cõuiciaris Filio Dei.

Alter ſenſus.

Vel poteſt referri ad condemnationem Chriſti: nam vocat iudiciũ crucis condẽnationem, vt ait Euthym. id eſt, cum vicinus morti exiſtas, & eodem ſupplicio dignus, quo Deus inter nos aſſumpto corpore pendet, & propria voluntate patitur, quid eſt quòd illum nõ times.

Euthym. c. 81. in Luc.

Bonus latro vnde nouerit Deum.

Nouerat autem Deum ex interna ipſius Chriſti reuelatione.

Humilis boni latronis confeſſio.

Et nos quidem iuſtè, ſcilicet plectimur, aut patimur propter peccata, & malè actã vitã. Quia enim dixerat, *In eadem damnatione*, & videri poſſet Ieſum in eodem inuoluere reatu; ſubiunxit, *Et nos quidem iuſtè*, ſubaudi, in hac ſumus damnatione, quia digna factis recipimus. Nam præterquam quod ſumus filij Adæ peccatoris, & præterea multa alia perſonalia addidimus delicta, proinde digni ſumus ſupplicio.

Diuinæ iuſtitiæ ordo quid poſtulat.

Nouerat enim iſte latro diuinæ iuſtitiæ ordinem, quæ malum aliquod impunitum eſſe non patitur: & licet horreret ſenſus exterior, interior tamen iuſtitiam, qua conficiebatur amabat, & quaſi ſupplicij oblitus punientem iuſtitiam verbis extollebat.

Electorum proprium quid.

Proprium enim eſt cum ratione loquentium, & multò amplius electorum, diligere, atque laudare iuſtitiam, etiamſi illius decreto aſperè torqueantur: & magna pars veniæ eſt apud Deum, hoc agnoſcere, atq; fateri. Debemus igitur nos agnoſcere peccatores & minora nos pati, quam debeamus. Sed Ieſus, qui in ſe, & ſuis patitur ſine vlla culpa, non eſt credendum, quod in vanum patitur. Ideò conſultum eſt eius amicitiam captare, vt donet de fructibus ſuæ paſſionis: imò vt ille alieno peccato, nẽpe noſtro, dãnatur, ita & nos aliena iuſtitia abſolui, & iuſtificari debemus.

Nobis cum dæmon extremè laborantibus peccata obiecerit, quid cõſilij ſit capiendum.

Cùm igitur Satan in agone mortis peccatum & damnationem nobis obiecerit, non debemus aut peccatũ excuſare, aut extenuare damnationem, ſed magnificare potius, atq; aggrauare: ſed his omnibus Chriſtus obijciendus eſt, iiſdem latronis verbis eadem fide prolatis.

Chriſti innocentia, a bono latrone agnita & confeſſa.

Hic vero nihil mali geſſit. Docet aliam rationem, cur debuit abſtinere à blaſphemijs impetẽdo, ſcilicet non tantum metu Dei, ſed quia innocens eſt. Et aduerte, in ſolum Ieſum cõpetere hoc elogium, *Hic nihil mali geſſit*, de quo ſolo dixit Propheta: *Eo quod iniquitatem non fecerit neque dolus fuerit in ore eius.* Imò hic mihi factus eſt ſapientia, & iuſtitia, & ſanctificatio & redemptio.

Eſai. 53. 1. Petr. 2. 1. Cor. 1.

Horum verborum: Nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus, altera interpretatio.

Poſſumus etiam aptè exponere: Nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus. Id eſt, cõueniunt nobis iſtæ irriſiones, & inſultationes: recordate quoties ſpreuerimus potentiã Dei, quaſi illo eſſemus fortiores, quaſi nec Deus, nec homo vllus poſſet ſupra nos: Quoties in magnis noſtris iniquitatibus contra omnes interminationes, & admonitiones nobis factas diximus, quod fidebamus in Deo, & præſtaret nobis auxilium euadendi ab omni malo: & adeò non in Chriſtum, ſed in nos militãt hæc improperia, qui peccando audacter aſſerimus, quòd fiduciam habemus in Deo, quaſi Deo placeret impius, & impietas noſtra: ideò iuſtè diceretur nobis: Saluate vos metipſos. Dicebatis quod Deus vos ſaluaret, ſub cuius fiducia impudenter peccaſtis: & qui contra nos hæc diceret, nihil mentiretur, ac diceret quæ digna ſunt noſtris auribus.

Sapient. 14.

Hic

Vnde latro agnouerit, quòd Chriſtus nihil mali geſſe-

Hic verò nihil mali (vel abſurdi, vt Græcè dicitur) *geſſit*. Sed vnde hic latro agnouit, quòd Chriſtus nihil mali feciſſet, cum quo non fuerat verſatus, quem ante fortè vix, vel nomine agnouerat, nec ad doctrinam ac ſequelam Chriſti acceſſerat, ſed vacabat tantùm latrocinijs: vnde ergo tanta huius latronis cognitio, ac fides cordis, oriſque confeſſio, ſui accuſatio, ac proximi latronis amica increpatio, denique oratio ad Chriſtum fiducia plena? Nõnulla à quibuſdam ad hunc nodum diſſoluendum adducuntur.

I. opinio. *Iac. de Voragine ſerm. de latrocinantibus. B. Anſelm. Matth. 2.*

Quidam enim ex B. Anſelmo referunt, matrem Virginem cum Filio & ſponſo Ioſeph in Ægyptum proficiſcentem, incidiſſe in latrones: quorum vnus pueri forma & aſpectu delectatus dixit; Verè dico vobis, ſi fieri poſſet, Deum carnem noſtram aſſumere, aſſererem hunc puerum Deum eſſe: & ſic ſocios oratione ſua placatos induxit, vt matrem, ac puerum illæſos dimitterent, atque hic fuit Dimas latro.

II. opinio.

Sed profectò hæc non videntur ſolida, aut alicuius autoritate niti: nec locus ex Anſelmo producitur, qui illud aſſerat.

B. Aug. lib. 1. de anima. ca. 9. tom. 7.

Beatus verò Auguſtinus libro de anima, & eius origine, docet non incredibiliter dici, latronem iuxta Dominum crucifixum, qui tunc credidit, aqua illa, quæ tunc de vulnere lateris eius emicuit, tanquam ſacratiſſimo Baptiſmo fuiſſe perfuſum. Sed reuera neque illa aqua erat baptiſmalis, nec forma vlla verborum adfuit, nec interrogatio ſi vellet baptizari: & apertio lateris Chriſti poſt mortem contigit; cùm tamen latro ipſo viuente eſſet conuerſus.

Ioan. 19.

Ideò ipſe Auguſtinus alibi ſcribit: *Satis erat Baptiſmus flaminis; vel inuiſibilis Dei ſanctificatio, quæ ſæpè affluit, & ſine viſibilibus Sacramentis profuit, quando non contemptus, ſed caſus extremæ neceſſitatis Sacramenta excludit*: vel ipſe etiam ſanguinis Baptiſmus, qui etſi non pro Chriſto, cum Chriſto tamen effudit ſanguinem: vt alibi idem Auguſtinus tradit.

Idem lib. 3. q. ſuper Leuit. q. 84. tom. 4.

III. opinio. *Petrus Damian.*

Tertiò, Petrus Damianus in ſermone quodam ſcribit, fidelem hunc latronem ad dexteram Chriſti fuiſſe verſus Aquilonem; & ideò in meridie vmbra corporis Chriſti obumbrauit illum, & beatam Virginem, quæ aſtabat Chriſto crucifixo, ex parte huius latronis, pro eo preces fudiſſe; & propterea conuerſum fuiſſe. Nam ſi vmbra Petri Chriſti diſcipuli ſanabat infirmos, quantò magis vmbra corporis Ieſu pendentis in ligno, poterat animam latronis reſtituere ſanitati? Sed hæc magis piè, quàm ſolidè dicuntur; præſertim cùm multos vmbra Chriſti tetigerit, nec tamen fuerint conuerſi.

Act. 5.

Ad hæc ſi hora ſexta Chriſtus crucifixus eſt, vt ait Ioannes, & ab hora ſexta vſque ad horam nonam, in qua Dominus expirauit, tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vmbræ vlli locus eſſe non potuit, non exiſtente luce.

Ioan. 19.

IV. opinio cæteris probabilior, quæ placet autori.

Proinde probabilius eſt, latronem hunc viſa, ac probè perſpecta Chriſti patientia, & inſigni manſuetudine, & audita eius charitate, qua pro crucifixoribus orabat, cognitis quoque ſignis tenebrarum, terræmotus, & lapidum ſciſſorum, diſpoſitum fuiſſe, quò intus Dominum illuſtrantem, & irradiantem audiret, ac tam magnificam fidem conciperet eo tempore, quo & ei mors imminebat, & Apoſtoli eius latitabant, vel negabant, & ſancti, & perfecti viri tunc habiti, hoc eſt, Scribæ, & Phariſæi, ſeniores, & Sacerdotes, ei inſultabant. Latro non tantùm Ieſum credidit reſurrecturum, ſed etiam regnaturum.

Leo ſerm. 2. de paſſ. init.

Hinc Leo Papa ſermone de Paſſione: *Memento*, inquit, *mei Domine, cum veneris in regnum tuum. Quæ iſtam fidem exhortatio perſuaſit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? Non viderat prius acta miracula, ceſſauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum; ea ipſa, quæ mox erant gerenda, non aderant; & tamen Dominum confitetur, & Regem, quem videt ſupplicij ſui eſſe conſortem. Inde ergo oriebatur hoc donum; vnde accepit fides ipſa reſponſum. Ait enim ei Ieſus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Sic Leo.

De Chriſto quale præconium boni latronis.

Hæc Chriſti defenſio, & patrocinium à latrone, non erat admodùm honorificum in oculis mundi, ſed etiam cum dedecore atque infamia coniunctum, nimirum quòd Chriſtus iuſtus, & ſanctus, ac Rex habeatur à latrone, cùm tamen ab illis qui docti ac religioſi habebantur, tanquam ſeductor & illuſor condemnatus eſſet. Sed in oculis Dei aliter ſe res habebat: nam plerunque qui videntur docti, ac iuſti, ignorantes ſunt ac ſcelerati in oculis Dei: & latro, qui fuerat iniuſtus modò tamen conuerſus Ieſu cauſam agit.

Documẽtum nobis quale bonus latro præbeat.

A quo nos proinde diſcere par eſt, quando ſimili pœnitentiæ ſenſu tangimur, & gratia Dei iuſtificati ſum⁹, vt Ieſum tueamur, qui in conſpectu carnalium & mundi videtur impugnatus & accuſatus à Sanctis, ac defenſus à peccatoribus.

Quid eſt: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.

Sequitur in textu: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Iam incipiebat poteſtas tenebrarum ſuperari à gloria Crucis Chriſti: iam Chriſti precatio fructum edebat, vt etiam latro ſpem ſalutis conciperet.

Ad percipiendam Dei gratiam qui ſint aptiores.

Ex quo apparet, quòd crucifixi, id eſt, afflicti in hoc mundo, aptiores fiunt ad percipiendam Dei gratiam, cùm videlicet omnem ſpem vitæ depoſuerunt,

& ho-

& honoris ſui iacturam apud mundum fecerunt: quanquam non omnes afflicti æqualiter accipiant conuerſionis gratiam, tamen ſunt magis apti, quàm alij: vnde alter latro ſuo vitio perijt. Quáquam autem correctio alterius latronis, ex quadam miſericordia orta ſit; tamen hæc confeſſio ex magno lumine, quo videbat Chriſti crucifixi regnum, & poteſtatem ſeruandi, ad latrones vſque, qui nihil boni fecerant, profuſam, prorſus nata eſt. Memento ergo mei, Domine: myſterium crucis agnoſco, & quòd recordatus ſis mei largiendo gratiam, qua viderem peccata mea, & innocentiam tuam profiterer, ac defenderem: charitatem tuam ſum expertus in me, cùm omnes diligas, pro quibus preces fudiſti. Sed volo, ac peto, vt dum fueris in regno gloriæ tuæ, mei pro tua incomparabili bonitate velis meminiſſe: neque facias vt pincerna Pharaonis, qui ſuccedentibus proſperis, oblitus eſt ſui coniectoris, ſiue interpretis. Et non vidit latro, quòd nihil boni annuntiauerat Chriſto, vt Ioſeph fecerat pincernę, quia ipſe benè ſe nouerat Regem: ſed ſatis eſt illum vidiſſe Ieſum poſſe dare regnum ſuum etiam latroni petenti, poſtquam Ieſus pro omnibus precatus fuerat. Ideò memento mei, quia iam memet mei pœnitet, & amator factus ſum, ac defenſor tui, accuſator mei, ac corrector alterius. In regno, inquam, tuo, quando eris liber ab omni pœna: vbi potes eſſe liberalis, quia hic poteſtas tua eſt reſtricta: nec liberabis te, vel me, vel alium in hac hora, quia ſi ſic faceres, pœna tua eſſet minor ob gloriam, quæ tibi cederet ex tali liberatione. Quare non peto vt memineris mei pluſquam feciſti, faciendo me cernere peccata mea, & cognoſcere te, ac me, & me pati pro te, & pro me. Quia ergo facis me participem tuæ crucis, fac & gloriæ tuæ: gratiam tuam deſidero, quam ego non promereor, & habere partem de his tuis meritis, quæ non hîc, ſed in regno remunerantur tuo, & quia tu hîc recipis, non quod tu promereris, ſed quod ego mereor; fac, vt in regno tuo ego recipiam, non quod ego mereor, ſed quod tu promereris. Ego hîc in patria mea feci te participem meritorum meorū, id eſt, ſuppliciorum, tormentorumq́; quæ tu ſuſtines recipiendo non digna tuis operibus, ſed meis. Idcircò quando eris in regno tuo, & accipies digna tuis factis præmia, meméto mei, vt ego ſim particeps bonorum, quæ debentur factis tuis: ſicut hîc repleris pœnis, quas merentur opera mea. Memento ergo mei. Hactenus te mei memorem oſtendiſti, puniendo me propter mea peccata, & licentiam peccandi in poſterum præcidendo, & aſſociando me tibi in ſupplicio: memento mei igitur, etiam quando eris in gloria; nec enim decet, te tunc minus memorem eſſe. Dixiſti Domine: *Omnis qui confitetur me coram hominibus; confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis eſt.* Ego te confeſſus ſum iuſtum, & Regẽ etiam in tuorum hoſtium præſentia: *Memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.* Cùm igitur nos diuinis cõſolationibus viſitatos pro diuina bonitate nos agnouerimus, intelligentes quòd illa nõ eſt tota noſtra merces, dicamus Chriſto; Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Hoc eſt, Noli expectare quòd ego ſim memor futurus mei: tu es medicus meus, & ego æger, ac ſum ita grauiter infirmatus, vt amiſerim meiipſius memoriam. Proinde decet, te in regno tuo, hoc eſt, veritatis, ſapientiæ, ac iuſtitiæ mei meminiſſe: quia tu es pretium noſtræ redemptionis, meritum petitionum noſtrarū, vulnerum medicina noſtrorum. Declarauit latro ſe credere vitã aliam eſſe poſt iſtam pręſentem, eamq́; magis ſibi eſſe curæ, quàm temporalem hanc, dum non cū altero latrone ſalutem in cruce poſtulat, ſed poſt crucem. Declarauit etiam ſe agnoſcere id, quod corã Pilato Dominus dixit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, ſed cœleſte, & in illud Ieſum innocentẽ venturum per crucem: in quo Apoſtolos ſomniantes Ieſum Regem Iſraël temporalem mirificè exceſſit. Dices fortaſſe, regnum Chriſti eſſe regnum iuſtitiæ, iræ, atq; vindictæ; & ideò væ nobis, ſi noſtri recordetur. Reſpondeo quòd propriè regnum Ieſu eſt regnum vitæ, redemptionis, ſalutis, ſanctificationis, iuſtificationis, ac ſapientiæ. Ieſus, eſt Rex benignus, qui poteſt vincere omnia noſtra peccata, & conuertere in bonum cunctas aduerſitates noſtras: & cùm iratus eſt, miſericordiæ recordatur. Debemus prætereà in proſperis orare: Memento mei, dum fueris in regno tuo, ne velit nos hîc habere partem noſtram cum Epulone, ne dicatur nobis: *Fili, recordare, quia recepiſti bona in vita tua. Memento mei*: non enim dico, ſicut ſocius meus dixit: *Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum, & nos*: quia modò tempus eſt paſſionis, non conſolationis, quæ erit in regno tuo. Quaſi diceret: Laudo te, quòd permittas me nunc pati, quaſi non recorderis mei, quia recipio & pati volo pro meis meritis. Nõ queritur, vt Chriſtus: Vt quid me dereliquiſti: quia agnoſcebat peccata ſua, propter quæ erat derelictus, quæ Chriſtus in ſe non agnouit. Nec rurſus inquit, Meméto mei, quaſi ſim plus

[Left margin:] orrectio la- onis Chriſtū aſpheman- ; à bono la- one adhibi- vnde potiſ- nùm ſit ta.

[Left margin:] Geneſ. 40.

[Right margin:] *Matth 10.*

[Right margin:] *Pſal. 118.*

[Right margin:] Fideli quiſq; quid petat à Domino, cum ait: Memento mei cum veneris in regnū tuum.

[Right margin:] Duo cognouit latro bonus in cruce.

[Right margin:] *Ioan. 19.*

[Right margin:] *Luc. 24.* *Actor. 1.* Quale ſit propriè regnum Chriſti.

[Right margin:] *Abac. 3.* In proſperis quid agendum.

[Right margin:] *Luc. 16.*

[Right margin:] Boni latronis prudentia & modeſtia.

[Right margin:] *Matth 27.*

plus paſſus quam debeo, aut ſine vlla cauſa paſſus: quia agnoſco cauſam iuſtam, & me minus recipere, quàm debeo. Memento mei, non actionum mearum, quæ omnes contaminatæ ſunt, vel omiſſionum mearum, ne peccata mea inter me & te diuidant: ſed ſicut pater excepit filium prodigum à regione longinqua redeuntem, lacerum, ac pannoſum; ita tu me excipe. Obijcies: Nunquid Chriſtus eſt debilis memoriæ, vt poſſit obliuiſci, vt opus ſit illum excitare vt recordetur noſtri? Minimè verò: ſed homo cum Deo agit, vt cum homine, quia & Filius Dei homo factus eſt. Percontaberis, an ille, quem non pœnitet de peccatis ſuis, vel credit ſe eſſe in malo ſtatu, ſi vtens hac latronis prece, iuuaretur? Reſpondeo, me potius propendere in partem affirmatiuam, eò quod impetraret lumen agnoſcendi peccata, & accuſandi ſeipſum, flagellumq; verteretur in paternam correptionem, ac proinde facilius ſi vellet, poſſet conuerti. Sciſcitaberis, num latro ſicut hoc verbo ironicè dicto Chriſtum ſpreuiſſet, ita quia ex animo, ac verè locutus eſt, Chriſtum ſummo honore & gloria affecerit; ac proinde Chriſtum non tuliſſe pœnam peccati ab eo? Aio, latronem hũc ad Chriſtum fuiſſe conuerſum, magnoq; honore & gaudio illum affeciſſe: & quod ad illum attinebat, iam completam Chriſti paſſionem fuiſſe, incipiebatq; eius gloria iam detegi: quare iuſtè ab eo Chriſtus commendatur vt Saluator, & inuocatur vt Rex. Quid enim aliud Chriſtus ſua patientia & beneficentia facit, quàm ex blaſphemis reddere laudatores? ſed pęnam ignominioſam portabat ab illis, qui fortaſſis deridebant hæc verba. Et hactenus de latronis petitione.

Luc 15.
Chriſtus quã ſit noſtri memor in regno ſuo.

An, quem de peccatis ſuis non pœnitet, vel qui credit ſe eſſe in malo ſtatu, vtens hac latronis voce, iuuaretur.

Num latro ſicut hoc verbo ironicè dicto: Domine, memento mei, &c. Chriſtum ſpreuiſſet, ita quia ex animo locutus eſt, Chriſtum ſummo honore, & gloria affecerit.

In qua videre licet omnes pœnitentiæ partes: nam in ſignum odij & contritionis peccatorum, reprehendebat eum, qui in articulo poſitus mortis impœnitens perſeuerabat. Confitetur anteactæ vitæ ſuæ delicta, dum digna ſe peccatis recipere prædicat: quod dum fecit, fructus pœnitentiæ dignos exhibuit, & ſatisfactionis expleuit partes. Habuit fidem in Chriſtum Regem, & ex fide fiduciam eximiam impetrandæ diuinæ gratię cum humilitate coniunctam, cùm petijt, vt memor eſſet eius in regno ſuo. Non ergo ſola fide latro eſt iuſtificatus, quam tanta pęnitentia peccatorum, & charitate proximi, atq; humilitate exornatam attulit.

Omnes pœnitentiæ partes complecti bonã latronis cõfeſſionem.

Iam expendamus reſponſum Domini: *Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Hoc verbo ſaluberrimo ac ſuauiſſimo proſpicit IESVS peccatoribus pœnitentibus, acceptando eorum dolores ad gratiam: priori verbo conſuluerat peccatoribus, qui necdum faciunt pœnitentiam: ſicut tertio verbo prouidet iuſtis, quos donat in filios matri ſuæ pientiſſimæ. Deinde obſerua, Ieſum, qui hactenus ad puncturas clauorũ, & ad aculeos ſentium, & ad iniurioſa, & amarulenta Principum Sacerdotum conuitia mutus erat ac ſurd⁹, nunc ad verba latronis ex fide prolata auditum præſtare: & affatu ouiculæ ſuæ vocem agnouit bonus paſtor, & ideò reſpondit: Nam nulli eum claui, nulla verba tam tetigerunt, quàm vox fidei. Sic olim cùm à turbis opprimeretur, dixit: Quis tetigit veſtimenta mea? cùm mulier fimbriam veſtimenti eius tetigiſſet. Adhæc cogita, quòd vt olim peccatricis pœnitentia, ac lacrymæ in domo Phariſæi, ſummè Chriſto gratæ extiterunt, quia ad Chriſtum acceſſit id petitura, quod ſummè Ieſus gaudet largiri, id eſt, remiſſionem peccatorum, & gratiam, cùm alij omnes aduentarent ad eum, & ſanitates temporales, ac dæmonum expulſiones, atque alia beneficia corporea poſtularent: ita etiam ſummè placuit Chriſto Regi ac Saluatori ſpirituali inuocatio latronis ex fide petens ſpirituale regnum, ac paradiſum: tametſi non ſit dubium, verba Domini magnis cachinnis excepta fuiſſe à deriſoribus Iudæis, & militibus; ſicut magno gaudio à latrone, magnaque conſolatione à beata Virgine, quæ ſingulariter hoc verbo recreata eſt. Quartò obſerua, cauendam eſſe malam & hæreticam literę diſtinctionem. Legunt enim quidam: Amen dico tibi hodie: ac poſtea ſubiungunt, Mecum eris in paradiſo. Notauit Theophylactus hanc diſtinguendi rationem, & Biblia Tigurina ex Græcorum officina, hanc prauam ſequuntur diſtinctionem, & quidam vir magni nominis meo tempore illam mordicus tuebatur. Quam lectionem tamen Caſſianus inſectatur ac reprehendit, tanquam parum Catholicam, eſtque manifeſtè contra ipſam rationem: quid enim opus erat dicere: Ego dico tibi hodie? an non quæcunque illa feria ſexta locutus eſt, poſſent dici; Ego dico tibi hodie? Adhæc latro petierat, vt quando veniret in regnum, ſui meminiſſe vellet: Chriſtus largitatem ſuam, ac munificentiam oſtendere volens, non promittit in futurum quòd ſui recordari vellet, ſed quod multò maius eſt, magiſque diuinam bonitatem illuſtrat, ac liberalitatem: *Hodie*, inquit, *mecum eris in paradiſo*, id eſt, Hoc ipſo die ſatiaberis, & implebitur deſiderium tuum, verbumque meum exitum habebit. Præterea altera

Expenditur verbũ Chriſti ad latronem: Hodie mecum eris in paradiſo.

Luc. 23.

Ioann. 19.

Chriſti ꝓpriũ boni paſtoris.

Marc. 5.

Luc 7.

Ieſus maximè nobis elargiri quid optet.

Iudęorum impietas iuxta atque impudentia.

Impugnatur ea interpũgendi ratio: Amen dico tibi hodie mecum eris in paradiſo.

Theoph. in Lucam

Biblia Tigurina.

Caſſ. collat. 1.

II. Ratio.

Tertia.

tera lectio videtur fauere dogmati Græcorum reprobato, & in Concilio Florentino meritò damnato, quòd animæ Sanctorum vſque in poſtremum iudicij diem non beentur, neq; Deum videant. Audi etiã Ambroſium ſermon. 8. ſuper Pſal. 118. qui ponderans hæc verba, ait: *Futurum promittit, ſed id quod futurum eſt, vnius diei ſpatio non patitur protelari.* Denique potuit dicere: Mecum eris in paradiſo, ſed addidit: Hodie; ne dilatione gratia minueretur. Quintò perpende CHRISTI liberalitatem, qui merita ſupplicum excedit, & vota, & qui dat ſuperabundantiùs quàm petimus, aut intelligimus, vt ait Apoſtolus: ita ille pro ſuo ingenio facere ſolitus eſt, vt annotauit B. Ambroſius. Petijt Abraham à Deo filium hæredem: ſed Dominus donauit filium, ex quo etiam CHRISTVS deſcenderet, quòd maius eſt. Precatus fuit Iacob, vt reduceret Ben-iamin, quem mittebat in Ægyptum: reductus eſt & cum eo frater eius Ioſeph Princeps Ægypti, ac chariſſimus Patri inuentus. Orabat bonus Tobias vt reduceret filium ſaluum: tedijt ſaluus, diues, & vxoratus. Iudith petebat à Deo ſolui obſidionem ciuitatis: & adhuc Holofernen ducem exercitus proprio gladio capite truncauit. Anna vxor Helcanæ poſtulauit filium à Domino; & obtinuit Samuelem virum ſanctum, & Prophetam. Ita cùm latro petijſſet à Ieſu, vt ſui eſſet memor, cùm veniſſet in regnum ſuum: Chriſtus non ſolùm ſe memorem futurum reſpondit, ſed, quod maius eſt, illum, vt erat ſecum in cruce, ita ſecum futurum in paradiſo, hoc eſt, liberum, & immunem ab omnibus malis, & participem ſuæ felicitatis & gratiæ. Et non dixit, In regno meo, ſed, In Paradiſo; vt indicet, ſe per mortem homines reducere in paradiſum, vnde per peccatum Adæ eiecti erãt. Ob eam quoq; rationem, quòd aſcenſio propriè fuit Chriſto introitus in regnum ipſius, quando ſublatus eſt ad dexteram Patris, noua ratione cum illo regnare incipiens. Rectè igitur frater Domini de orantibus: *Si quis veſtrum*, inquit, *indiget ſapientia; poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Dat quidem affluenter, & dat omnibus: quod non poſſunt Reges efficere, quia vt vni donent, alios ſpoliant. Et non improperat, ait; cùm tamen humanæ imbecillitatis ſit, collata improperare beneficia. Cyrillus Ieroſolymitanus rectè inquit; *O ingentem et inenarrabilem gratiam! Nondum Abraham fidelis ingreſſus eſt, & latro ingreditur: nondum Moyſes, & Prophetæ, & iam latro iniquus ingreditur. Admiratus eſt te etiam Paulus, dicens: Vbi abundauit peccatum, ſuperabundauit gratia. Qui tulerunt æſtum, nondum ingreſſi ſunt: & qui 11. hora venit, ingreſſus eſt. Nemo murmuret contra patremfamilias, cùm ille dicat, Amice, non facio tibi iniuriam.* Sic ille bonus Pater. Sed hoc loco interrogabis, qua ratione in paradiſum introducat latronem; cùm inde ob latrocinium expulſus fuerit Adam, & poſitus fuerit Cherubin cum igneo gladio ad cuſtodiendam viam ligni vitæ à latronibus? Ad hæc parum eſt honorificum & glorioſum introducere latronem in Regium palatium illud, in quod nihil coinquinatum intrat: præſertim eo die, quo ipſe ingreſſum ſuum in regnum facit. Et cur non potius comitatus à ſanctiſſima Matre, & Ioanne Baptiſta, atque alijs iuſtis, Patriarchis, & Prophetis ingreſſum facit? Iniurium videtur Imperatori, comites infames & viles habere, & latroni pulſanti ad oſtium regni ſtatim aperire, cùm iuſtos per tot ſecula expectare fecerit. Reſpondemus ex doctrina Chryſoſtomi, comitatum latronis cum Chriſto regnum introeuntis, dedecus nõ eſſe, ſed magnum & eximium honorem Chriſto peperiſſe. Nam vt laudibus celebrandus eſſet medicus, & de ſapientia commendandus magis, qui infirmum iam deploratum ſanitati reſtituit, quàm ſi alium languidum non mortiferè laborãtem curaret: ita CHRISTI gloria medici eſt, tot mortiferis plagis ictũ ſanare. Deinde poſſet Chriſtus dicere: Inueni mundum latrocinijs refertum, comperi homines antiqui latronis Adæ filios exiſtere: vnde præda mea non potuit eſſe niſi ex latronibus, quos ego nouam rationẽ furandi, & rapiendi regnũ cœlorum docui: neq; de hoc ſancto furto vnquam fiet querela, quia iſti latrones ſunt ſanctiſſimi, mihiq; perſimiles: nam regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et latro in oſtio paradiſi non eſt cognitus vt latro, ſed vt glorioſa Chriſti præda, ideò cum horrore magno permiſſa eſt intrare: nam aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatẽ. Quòd autem Adam de paradiſo fuerit excluſus; meritò factum eſt, quia ille impœnitens erat, & vix agnouit peccatum ſuum; hic autem non tantum agnouit, ſed & accuſauit, & confeſſus eſt, ideò dignus paradiſo. Poteſt etiam Chriſtus dicere, Patremfamilias ſibi procuratori vineæ præcepiſſe, vt operarijs reddat mercedem, incipiendo tamen à nouiſſimis vſque ad primos. Ego igitur vt Patris procurator vltimò venientem remunerare cœpi. Si clauis Paradiſi (quæ mea eſt crux) fuiſſet in manu mea, quando decollatus eſt Ioannes Baptiſta, confeſtim abſque pulſu ianuæ eſſet ingreſſus:

Concilium Florent. *B. Amb. ſer. 8. in Pſ. 118. ſub init. to. 4* IV. & poſtrema ratio. Chriſti liberalitas qualis & quanta. *Epheſ. 3.* *Ambroſ.* *Geneſ. 15.* *Infr. 26.* *Infr. 43.* *Infr. 45.* *Tob. 5.* *Infr. 10.* *Iudith 9 & ſeq.* *Infr. 13.* *1. Reg. 1.* *Inf. 2.* *Luc. 23.* Quare Chriſtus nõ inquit, Hodie mecum eris in regno, ſed in Paradiſo. *Geneſ. 3.* *Marc. vlt.* *Actor. 1.* *Iacob 1.* Diuinæ beneficentiæ quid proprium, qd verò humanæ imbecillitatis. *Cyr. Ieroſol. Catech. 3. à fin. aliquanto remotius.* *Rom. 5.* *Matt. 20.* *Ibid.* *Gen. 3.* Quomodo latro in paradiſum inducitur, cùm inde Adam fuerit expulſus. *Apoc. 21.* *Chryſ. ho. de cruce & latrone to. 3.* *Matt. 11.* *Pſalm. 67.* *Epheſ. 4.* Adam de paradiſo cur fuerit excluſus. *Gen 3.* *Matth. 20.* Clauis paradiſi quænã illa. *Supr. 14.*

ſus: nunc autem cùm in manu exiſtat mea, & latro pulſet, quidni aperiam? Adhæc ſi latro eſt meus commenſalis, vtiturque eodem cibo & potu mecum; quid mirum ſi ego diues pro eo paupere ſymbolum pendam? Si iuſtè Adam latro excuſando ſuum delictum, exulauit à Paradiſo; cur hic latro ſeipſum accuſans, & Deum excuſans, non introducatur in regnum? præſertim cum miſericordia ſuperexaltet iudicium. Neque mirum eſt, Chriſtum latroni regnum diſtribuiſſe; quia iam in huius rei typum Dauid, cùm perſecutionem pateretur à Saule, ſocios habuiſſe exules, & amaricatos animo, atque ære alieno obæratos ſcribitur. Audi Auguſtinum ſermone in Paraſceue, de cruce & latrone dicentem: *Et quidem nemo Regum aliquando paſſus eſt latronem hominem, aut quenquam alium eiuſdem naturæ conſeruum ſecum aſſumens ita in ciuitatem introducere, ſed Chriſtus hoc fecit, qui mortis & diaboli victor, & ſacratiſſimam ingrediens patriam, ſecum latronem introducit, non conculcans paradiſum iſtius pietatis opere, ſed honorans, neque confundens latronis introitu, ſed illuſtrans. Honor namque paradiſi eſt talem Dominum habere, qui etiam latronem dignum facere poſſet paradiſi deliciarum. Etenim cùm publicanos & meretrices introduceret in regnum cælorum, non confudit, ſed extulit regnum cælorum, neque deiecit, ſed potius honorauit paradiſum. Honor enim, vt dixi, eſt paradiſi, talem habere Dominum, qui & latronem dignum facere poſſit delicijs & poſſeſſione paradiſi. Talis eſt enim Domini regnum cælorum, vt & meretrices & publicanos ita probabiles reddat, vt digni appareant gratia, & gloria, quæ illic eſt. Quemadmodum enim medicum tunc maximè admiramur, cùm viderimus eum difficiles hominum valetudines curantem, mortuque pericula medendi arte vincentem: ita & Chriſtum admirari iuſtum eſt, quando inſanabilia vulnera in corporibus & mentibus curat, quando publicanum & meretricem ad tantam ſanitatem perducit, vt etiam cælo dignos oſtendat. Et quid tali dignum quiete egerat latro, vt poſt crucem, quam meruerat, repentè paradiſo dignus iudicaretur? Vis breuiter dicam virtutem fidei eius? Quando Petrus negauit deorſum, tunc ille confeſſus eſt ſurſum.* Rurſus idem ſerm. de feria tertia Paſchæ: *Magna fides* (ſcilicet latronis) *huic fidei quid addi poſſit, ignoro. Titubauerunt, qui viderunt* CHRISTVM *mortuos ſuſcitantem, credidit ille, quem videbat ſecum in ligno pendentem. Quando illi titubauerunt, tunc ille credidit. Qualem fructum Chriſtus de arido ligno percepit? Quid enim Dominus dixerat? Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo? Tu differs te, ego agnoſco te. Quando hoc ſperaret latro, adductus de latrocinio ad iudicem, à iudice ad crucem, de cruce ad paradiſum? Deinde ipſe attendens merita ſua, non dixit: Memento mei, vt liberes me hodie, ſed, Cùm veneris in regnum tuum, tunc memor mei eſto: ſi mihi tormenta debentur, vel quouſque veneris in regnum tuum. Et ille: Non inuaſiſti regnum cælorum, vim feciſti, credidiſti, rapuiſti, hodie mecum eris in paradiſo. Non te differo. Tantæ fidei hodie reddo, quòd debeo. Latro dicit: Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum. Non ſolùm credebat reſurrecturum, ſed etiam regnaturum.* Hæc ille.

Iacob 2. — 1. Reg. 22. — Aug. ſer. 130. de temp. ante med. to. 10. — Chriſti beneficentia ſolius, ac munificentia. — Mat. 21. — Chriſti medici potentia. — Luc. 18. — Fidei latronis præſtantia ex Auguſt. — Marc. 14. — Idem ſer. 144. poſt med. — Matth. 11.

Secundum dubium eſt: Quomodo dicente Domino: *Hodie mecum eris in paradiſo,* Paulus dixit, quòd nullus ſanctorum receperit promiſſionem. Reſpondet Theoph. his verbis: *Et quidam dicunt, quòd Apoſtolus non de omnibus ſanctis aſſerat, quòd receperint repromiſſionem; ſed de his, quos ipſe ſolùm enumerauit. Enumerauit autem alios quidem multos, latronis autem non meminit. Audi enim quid dicat: Hi omnes, demonſtrando eos, quos ſermo enumerat, quibus latro connumeratus non eſt. Alij autem dixerunt quòd latro nondum ſortitus ſit in paradiſo conuerſationem; ſed quia inuariabilis ſit, & mentiri nequeat Domini promiſſio, ideò dictum eſſe: Hodie mecum eris in paradiſo. Eſt enim & hæc ſpecies phraſeos in verbis Dominicis, vt de futuris loquatur, tanquam de his, quæ iam fiant: vt cùm dicit; Qui non credit, iam iudicatus eſt; & Qui ſermones meos audit, & credit, ſed tranſiuit de morte in vitam. Alij autem non torquent verbum, punctum facientes poſt, hodie: vt ſit is ſenſus dicti: Amen dico tibi hodie, deinde mecum eris in paradiſo, adijcientes. Quidam verò, qui maximè ſenſum aſſequi viſi ſunt, ſic exponunt: Repromiſſa nobis bona, non ſunt ingreſſus in paradiſum, vel aſcenſus, ſed regnum cælorum: vnde & oramus; Veniat regnum tuum: non, Conuerſatio illa in paradiſo. Neque enim mihi videtur idem paradiſus, & regnum. Bona enim regni, neque auris audiuit, neque oculus vidit, neque in cor hominis aſcendit. Paradiſum autem, & oculus vidit Adā, & auris audiuit de eis: De omnibus enim, inquit, lignis, quæ ſunt in paradiſo, edens comede: nam licèt vnum tantùm lignum interdictum ſit eis: verùm & ipſum viderunt, & de ipſo audierunt. Lætabatur enim in ſpiritu Adam, alioqui tantam operationem cum lætitia in agricultura non obiiſſet. Atque adeò non eſt contrarium quod Paulus dicit. Latro itaque paradiſum ſortitus eſt, non autem aſſecutus eſt regnum: aſſequetur autem, quando & omnes, quos enumerauit Paulus: nunc autem hoc tempore paradiſum habet, qui eſt pars ſpiritualis quietis. Deque his multa loquuntur: dicendum autem eſt, idem eſſe regnum cælorum, & paradiſum. Nihil probibet ergo & Dominum vera dicere, & Paulum. Nam latro quidem eſt in paradiſo, hoc eſt, in regno: & non ſolus ipſe, ſed & omnes, quos enumerat Paulus. Alioqui non frueretur perfecta*

Quomodo dicente Domino: Hodie mecum eris in paradiſo, Paulus, inquit, quod nullus ſanctorum receperit promiſſionē. — Hebr. 11. — I. Solut. — Theoph. in Lucam. — Ioan. 3. — Infr. 5. — II. ſolut. ex eo. — III. ex eod. — Matth. 6. — Eſa. 46. — 1. Cor. 2. — Gen. 3. & ſeq. — Aliud ſortiri regnum, aliud aſſequi.

Simile.

bonorum participatione. Nam ſicut condemnati in regnis non ſunt, ſed in cuſtodijs clauſi tenentur in deputatis pœnis: qui autem glorioſi, & in regna ingrediuntur, & nunc in eis verſantur; deinde cùm venerit tempus diſtributionis regalium donorum, & illa aſſequuntur: ita & Sancti, tametſi nondum perfectè bonis fruantur, ſed iam verſentur in locis lucidis & fragrantibus, & pulchris tabernaculis, etiamſi nondum diſtributionem Regiorum bonorum aſſequantur. Ita & latro in paradiſo fuit, etiamſi nondum perfectè acceperit, vt ne abſq; nobis perfectus ſit. Hæc ille ſatis prolixo ſermone inuoluens ſeipſum, aliorum ſenſus expugnans, & ſuum expugnatione dignum proponens, ſi intelligat Sanctorum animos nondum ad cœleſtem beatitudinem peruenisse. Fallitur etiam in eo, ſicut & Euthymius illius erroris ſectator, quod illa voce paradiſum terreſtrem Dominus intelligat, cùm conſtet illa die non Chriſtum in illo fuiſſe, ſi verum eſt, quòd tribus diebus & tribus noctibus fuit in corde terræ, hoc eſt, corpore in ſepulchro, & anima in inferno: quanquam diuinitate ſua Chriſtus non ſolum in paradiſo terreſtri, ſed etiam vbique exiſtat.

Refellitur ſententia Theophylacti & Euthymij.

Euthy. c. 81. in Luc.

Matth. 12.

IV. Solut. Pauli verbis & veritati congruentior.

Nodus ergo ille ex Pauli verbis facilè diſſoluitur, ſi dicamus Sanctos non ſine nobis conſummandos, non quidem quantum ad animi felicitatẽ, quam iam aſſecuti ſunt, & in ſingulos dies quicunque purgati ſunt, ſine nobis conſummantur, ſed de conſummatione & felicitate integra, non tantùm animi, ſed & corporis: quia illa ſeruata eſt in diem generalis reſurrectionis, in qua ſimul Sancti Veteris Teſtamenti, ac Noui, integram, ac conſummatam accipient beatitudinem. Et in hunc ſenſum dicitur in Apocalypſi de animabus interfectorum propter IESVM, vt requieſcerent modicum tempus, donec complerentur conſerui, & confratres eorum: quia ſermo eſt de completa atque perfecta beatorum conſummatione, quam aſſumptis corporibus in die poſtremo habebunt. Ibidem ſubditur, interim ſingulis datas ſtolas albas, id eſt, animarum beatitudinem, & gloriam. Et paulò poſt dicitur, eos, qui amicti erant ſtolis albis, ſtare ante thronum Dei, & ſeruire ei die ac nocte.

Apoc. 6.

Stolæ albæ Sanctorum quæ.

Infr. 7.

Quo iure hic latro ingreſſus ſit in paradiſum.

Tertiò dubitari poſſet, quo iure hic latro ingreſſus ſit in paradiſum? Et, reſpondemus, non ſolum titulo miſericordiæ, ſed etiam iuſtitiæ, ac bonorum operum. Habuit enim in primis fidem, qua diuinæ maieſtatis potentiam, ac regnum æternum, non temporarium confeſſus eſt: nam quomodo peteret ab eo temporale regnum, quem agere animam iam videbat? Hinc Chryſoſt. ait: *Credidit Abraham Deo, non quidem in Cruce exiſtenti, ſed de cœlo loquenti: Moyſes Deo de rubo, vel nube verba facienti: Eſaias Deo in throno regio exiſtenti: at latro Chriſto in Cruce ſpiritum ferè exhalanti.* Sic ille ad ſenſum. Deinde ſpem regni quod petijt, & charitatem, qua ſocium blaſphemantem fraternè, & blandè correxit. Habuit, & ſalutarem ſuorum confeſſionem delictorum, dum diceret: *Nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus.* Habuit, & humilem precationem, qua ſe Chriſto commendauit. Deniq; vt martyr teſtimonium pro veritate reddendo mortuus dici poteſt: vt quidam ex Patribus loquuntur; & primus de latrone martyr effectus, ac primus per Crucẽ Chriſti imitator. Quod his verbis indicat Cyprianus ſerm. de paſſ. Chriſti: *Sic in Cruce latro confitens, non tantùm indulgentiam meruit, ſed Chriſti familiaris effectus premiſſus eſt in paradiſum, & factus eſt particeps regni, per confeſſionem factus collega martyrij.* Auguſtin. quoque libr. de anima, & eius origine: *Latro ille,* inquit, *non ante Crucem Domini ſectator, ſed in Cruce confeſſor, de quo nonnunquam præiudicium captatur, ſiue tentatur contra baptiſmatis Sacramentum, à Cypriano ſancto inter Martyres computatur, qui ſuo ſanguine baptizatur, quòd plerumq; non baptizatis feruente perſecutione euenit. Tanto namque pondere appenſum eſt, tantumque valuit apud eum, qui hæc nouit appendere, quod confeſſus eſt Dominum crucifixum, quantum ſi fuiſſet pro Domino crucifixus. Tunc enim fides eius de ligno floruit, quando diſcipulorum marcuit, niſi cuius mortis terrore marcuerat, eius reſurrectione reuiuiſceret. Illi enim deſperauerunt de moriente, ille ſperauit in commorientem. Refugerunt illi autorem vitæ, rogauit ille conſortem pœnæ. Doluerunt illi tanquam hominis mortem, credidit ille regnaturum eſſe poſt mortem.* Hactenus Auguſtinus. Habuit præterea bonus hic latro ius emptionis: regnum ſiquidem cœlorum tantum valet, teſte Auguſtino, quantum habemus. Et quia latro nihil aliud integrum, & liberum habebat præter cor, & linguam, attulit cor credens, & linguam confitentem: ſiquidem corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.

Chryſ. ho. 2. de Cruce & latrone, circ. med. tom. 3.

Geneſ. 15. Exod 3. & 19. Eſa. 6. & ſeq.

Boni latronis commendatio.

Cyprian.

Aug. libr. 1. de ani. & eius orig. c. 9. ant. med. tom. 7.

Bonus latro cur martyr, teſte Cypriano.

Boni latronis cum Apoſtolis collatio.

Regnũ cælorũ quantũ valeat, ſecundum Auguſtin.

Idem.

Quare cum iuramento Chriſtus regnum latroni promiſerit.

Iam expendamus nonnihil verba Chriſti: *Amen dico tibi.* Promiſit cum affirmatione, quæ vim iuriſiurandi habere videtur: tam inſignis ſiquidem peccator vix poſſet credere ſibi dandum paradiſum: ideò verbo irreuocabili promittit, dicendo, Amen: ſicut alibi ſæpè ſolet dicere: *Amen amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* Et quid non poterit conferre reſurgens, & regnans; qui

Ioann. 8.

Chriſti moni- ficentia mon- ſtrata, atque potentia.
Quatenus la- troni regnum promiſſum ſit.
Prou. 3.

tanta moriens largitur? quanta largitura eſt libertas, ſi tanta confert extrema captiuitas? Subdit: *Dico tibi.* Non ſimpliciter latroni regnum promittit, ſed latroni credenti, confitenti, & patienter Crucem ſuſtinenti; ne quiſquam de latrocinio ſuo gaudeat. *Hodie*, inquit, non cras: quia ſcriptum eſt: *Non dicas amico tuo, vade, & reuertere, & cras dabo tibi, cùm ſtatim poſſis dare*; &, *Qui citò dat, bis dat.*

Effecit Chri- ſti, &c.
Ioann. 19.

Mecum eris in paradiſo. Rectè ait, *Mecum*, quia ſine Chriſto non eſt regnum, vel paradiſus. Et cùm B. Virgo data ſit in cuſtodiam Ioanni; Chriſtus ſit cuſtos animæ latronis, quaſi diceret; Vis me memorem? habebis, & cuſtodem, & conſortem. Deinde non ſatis erat dicere, Mecum eris, ſine verbo, in Paradiſo: nam damnati ſunt vbi Deus eſt, qui vbique eſt eſſentia ſua, potentia, ac præſentia. Et iſti propriè non ſunt cum Chriſto, ſed contra Chriſtum: at electi cum eo ſimul ſunt, iuxta illud: *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Et rectè dixit, in Paradiſo: non in cœlo Empyreo, ad quod Chriſtus non aſcendit vſque ad quadrageſimum diem poſt reſurrectionem: non in paradiſo terreſtri, quia Chriſtus manſit in Limbo per illud triduum, quia & exiguum erat illud donum tanto largitori, & multi à diluuio probabilibus rationibus ducti credunt non amplius extare illum terreſtrem paradiſum, ſed ſimul cum nomine à terra migraſſe ad cœleſtia, immortalitatis dono, quo in paradiſo homo frui potuiſſet, in cœlos à terra tranſlato. Metaphoricè ergo ſignificat vox paradiſi, ſtatum beatorum Deum videntium, illoque viſo perfruentium. Nam quemadmodum dici ſolet, Vbi Rex, ibi curia; vbi Papa, ibi Roma: ita vbi Deus ſinit ſe videri, ibi eſt paradiſus, qui idem eſt cum regno, quod latro perierat. Nam ita hæc vox paradiſi, quæ propriè hortum deliciarum ſignificat, extenditur ad ſignificandum metaphoricè Dei viſionem, ac cœleſtis regni delicias. Hinc Paulus dixit ſe raptum in Paradiſum, & in tertium cœlum: & Dilectus ait: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.* Neque dimidium regni ſui, vt promiſit Eſther ſponſæ ſuæ Aſſuerus, & Herodiadi ſaltanti Herodes in Euangelio, ſed CHRISTVS totum liberaliter regnum promittit. Magnum igitur exemplum exhibetur etiam ingentibus peccatoribus non deſperandi, ſi latro vno ſuſpirio ac verbo regnum eſt adeptus: & in extremo vitæ ſpatio dum ab eo vitam temporariam eriperet Pilatus, ipſe ſancto furto furatus eſt à Chriſto vitam æternam. Et timendum, ne huius latronis

Cur addidit Chriſtus, in paradiſo.
Ioan 12.
In quo Paradiſo fuerit tunc promiſſus latro cum Chriſto.
Paradiſus quid propriè ſignificet. Chriſti libera- litas ſuâ facti latronem.
2 Cor. 12.
Ibid.
Apoc. 2.
Eſther 5.
Marc. 4.
... latronis ... tû.

exemplo tardent multi conuerſionẽ ſuam, ac procraſtinando pereant, contra illud: *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Sed iſti reſpicere debent lateri Chriſti adfuiſſe alterum latronem, qui non eſt conuerſus: & non ſemper eſt dies illa Veneris ſancta, & Iubileo inſigni ſanguinis Chriſti effuſi ornata. Præterea priuilegia paucorum non ſunt in conſequentiam trahenda, & qui promiſit omni hora exauditurum ingemiſcentem peccatorem; non tamẽ promiſit pœnitentiam veram, & gemitum quo caruit Eſau, & ipſe Iudas Chriſti proditor. Adhæc qui pollicetur ſe omni tempore, atq; omni hora exauditurum, non promiſit craſtinum diem, cum multis de cauſis poſſit vita deficere, vt experientia docet quotidie. Difficilè poſtremo eſt in fine vitæ verè reſipiſcere, & fructus dignos facere pœnitentiæ. Proinde demus operam, ne tempore ad pœnitendum conceſſo abutamur, pernicioſeque fallamur: nemo tamen etiam, vel vndecima hora vocatus de Domini bonitate diffidat: nam omnib. noſtris delictis, atque ſceleribus fortior eſt ſanguis effuſus innocentiſſimi agni Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre, & Spiritu S. omnis detur honor, & gloria, atq; imperium in ſeculis ſeculorum, Amen.

In peccatores nimium confidentes.
Eccl. 5.
Ezech. 18. & 33.
Geneſ. 27. Hebræor. 12.
Quid nos ad ſpem veniæ poſſit erigere.

TRACTAT. XLI.

De verbis Chriſti tertio loco dictis ad Matrem, & ad Ioannem, in illa verba Ioannis: *Stabat autem iuxta Crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius, Maria Cleophe, & Maria Magdalene. Cum vidiſſet ergo Ieſus matrem, & Diſcipulum ſtantem quẽ diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, Ecce filius tuus. Deinde dicit Diſcipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eã Diſcipulus in ſua.* Ioa. 19.

PRimo verbo cùm proſpexiſſet IESVS peccatoribus nondum pœnitentibus, pro quibus rogauit Patrem: deinde pœnitentiam agẽtibus, ſignificatis in latrone, cui pollicitus eſt Paradiſum, nunc verò iuſtis omnibus in vtroq; ſexu repræſentatis conſulere voluit, eos ſibi inuicem commẽdando. Obſerua etiam, duo fuiſſe Ieſu verba, alterum ad matrem, alterum ad Ioannem, ita vt verè dici poſſit octo fuiſſe verba IESV

Chriſti in matrem, & Ioan. beneuolentia.
Luc. 23. Ibid.

in Cruce: ſed nos hæc duo pro vno computamus, eò quòd coniunctim, & ſub vno contextu fuerint à Domino dicta. Ac meritò Ioanni, qui præſens Cruci adfuit, & huius ſermonis fuit auditor, datum eſt inter Euangeliſtas hanc vocem deſcribere: quòd vidiſſet ab alijs eſſe prætermiſſam, & quòd in ea ſumma eius dignitas, atque prærogatiua declararetur. Nam cuſtos Beat. Virgin. his verbis fuit deputatus, illique in filium aſſignatus. Sed iam expendamus Euangeliſtæ verba: *Stabat*, inquit, *iuxta Crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius, Maria Cleophe, & Maria Magdalene.* Quibus in verbis conſiderandum eſt, quomodò dicantur ſtare iuxta Crucem, quas Matthæus dicit ſtetiſſe à longè, his verbis: *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ ſecutæ erant Ieſum à Galilæa, miniſtrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.* Similia ferè dicit Marcus. Deinde aliud exurgit dubium: Quid eſt quod Matthæus, & Marcus non meminerunt virginis; cuius tamen meminit Ioannes?

Cur hæc hiſtoria ſoli Ioanni obtigerit enarranda.

Matt. 27.

Marc. 15.

Ad primum dubium reſpondet Auguſtinus libro de conſenſu Euangeliſtarum, quòd niſi apertiſſimè Matthæus, & Marcus Mariam Magdalenam nominaſſent, poſſemus dicere alias iuxta Crucem, & alias longè ſtetiſſe: nullus enim eorum, præter Ioannem, matrem Domini commemorauit. Nunc ergo quomodo intelligitur eadem Maria Magdalene, & à longè ſtetiſſe cum alijs mulieribus, ſicut Matthæus, & Marcus dicunt, & iuxta Crucem fuiſſe, ſicut Ioannes dicit; niſi quia in tanto interuallo erant, vt & iuxta dici poſſent, quia in conſpectu eius præſto aderant, & à longè in comparatione turbæ propinquius circumſtantis cum Centurione, & militibus. Poſſumus etiam intelligere, quòd illæ, quæ ſimul aderãt cum matre Domini, poſtquam eam Diſcipulo commendauit, abire iam cœperant, vt à denſitate turbæ ſe exuerent & cætera, quæ facta ſunt, longius intuerentur, vt cæteri Euangeliſtæ, qui poſt mortem Domini eas commemorauerunt, iam longè ſtantes commemorarent. Hucuſque Auguſtinus, cuius ſecunda ſolutio primum, & ſecundum dubium euacuat. Quòd vero Ioannes hoc ſolus ſcripſerit; ſcitè admodum Ambroſius libro de inſtitutione Virginis annotauit, dicens: *Docuit hoc Ioannes, qui myſtica magis ſcripſit. Alij enim Euangeliſtæ ſcripſerunt quod in paßione Domini terra contremuit, Sol refugit, perſecutoribus venia poſtulata eſt. Iſte Dilectus Domini, qui è pectore eius hauſerat ſecreta ſapientiæ, & piæ voluntatis arcana;*

Aug. li. 3. de conſen. Euan. c. 21. tom. 4.

De mulieribus quæ ad Crucem Domini ſtabant, quomodò inter ſe Euangeliſtæ conſentiant, cum alij prope, alij à longè eas ſtetiſſe commemorent.

Cur hiſtoriam hanc commẽdatæ ſibi Virginis ſcripſerit ſolus Ioannes.

Amb. l. de inſtit. virg. c. 6. in fin. to. 1.

ab alijs dicta præterijt, hoc diligentius proſecutus eſt, vt maternæ virginitatis perſeuerantiam ſuo iudicio comprobaret, quaſi filius de matris pudore ſolicitus, ne quis eam tanto conuitio temeratæ integritatis aſpergeret, dignum quippe erat, vt qui latroni veniam donabat, matrem dubio pudoris abſolueret. Dicit ergo ad matrem: Mulier, Ecce filius tuus. Dicit & ad Diſcipulum: Ecce mater tua. Ipſe eſt Diſcipulus, cui mater commendabatur. Sic ille. Euthymius autem ſecundum dubium attingens, ſic reſoluit. Quidam dicunt quod Dei mater eſt (Gregorium Nyſſenum, & ſententiam Theophylacti apud Marcum, vt puto impugnat) quæ apud Euangeliſtas nunc quidem Iacobi, interdum vero Maria Ioſe mater nominatur, quandoque autem Maria Iacobi, interdum vero Maria Ioſe. Nam hi filij erant Ioſeph: & quemadmodum pater illorum vir eius dicebatur propter diſpenſationem, ita rurſus ipſi filij Virginis. Verùm ſermo hic abſurdus videtur. Primùm ſiquidem, quid prohibebat eam appellare matrem Ieſu? præſertim cùm in præcedentibus narrationibus, vt plurimum ita eam appellauerint? Deinde abſurdum quoque foret in locis ſequentibus vbique Magdalenam ei præponi, & oſtendere illam fuiſſe matre Dei feruentiorem. Vnde ſuſpicamur alteram quandam fuiſſe hanc Mariam, quę mater erat Iacobi parui, & Ioſe, non filiorum Ioſeph, ſed aliorum, qui erant è ſeptuaginta Diſcipulis: nam multæ tales ſimilis erant nominis apud Iudæos. Veriſimile eſt autem tunc Dei matrem propinquius Cruci aſtitiſſe, quàm cæteras mulieres, idq; viſcerum inflammatione Iudæorũ vincente timorem; fortaſſis vero etiam circumiſſe, cùm propter naturæ aculeos in eodem loco manere non poſſet; poſtmodum autem apud monumẽtum manſiſſe, & ſingula conſpexiſſe. Quòd ſi hoc recipimus, quærendum eſt, quomodo ipſius non meminerunt Euangeliſtæ? Quia de ea notum erat quod adfuerit, & quæ matrum ſunt, demonſtrauerit. Ideoque neque planctũ eius ſcripſerunt: abundè .n. ſatisfecerunt pronunciantes, quod filium docentẽ ſequebatur. Tertium dubiũ eſt: Quomodo verum eſt quod Dauid de Chriſto prędixit: *Qui iuxta me erant de longè ſteterunt: & vim faciebant, qui quærebant animam meam,* & ſic Mattheus, & Marcus mulieres ſtetiſſe narrãt, cùm tamen Ioan. dicat quod ſtabant iuxta Crucẽ mulieres, ac ſimul Ioa. cùm illis? Reſpõdemus, hæc inuicem non pugnare. Nã reuera, & longe ſteterũt, & iuxta Crucem ſteterũt: vere ſiquidem ſtetiſſe longe dicũtur, quod attinet ad defenſionem, & auxilium præſtandum:

Altera ſolut.

Euthy. ca. 67. in Matth.

Greg. Nyſſ. de reſur. Chriſti ora. 2.

Theoph. in Marc. 15.

Quomodò iuxta Crucem Ieſu hic mulieres ſtabant cũ Dauid prædixerit notos, & proximos à longè ſtetiſſe.

Pſalm. 38.

ſtandum:nullus ſiquidem ea ratione Chriſto appropinquauit, vt eum defenderet ac tueretur. Poſſunt quoque dici iuxta Crucem ſteiſſe, vt ait Ioannes, non tantum ſitu corporis, ſed etiam, vt animis ſuis illi condoleſcerent: & cui manibus miniſtrare non poterant, ſaltem cordibus complecterentur. Quartum dubium: Cur Dominus voluit ſuos adeſſe Cruci, præſertim verò matrem, ac Virginem ſanctiſſimam? Reſpondetur, primum quidem in communi voluiſſe multos ex ſuis ſibi adeſſe morienti: quia pœna peccati eſt in præſentia ſuorum pati, vt eorum conſpectu maiori conficeretur mœrore. Adhæc voluit illos eſſe à longinquo, nullam defenſionem præſtantes: quia etiam hoc ſupplicium eſt peccati. Prouidere etiam voluit iuſtis, vt ſe mutuò agnoſcant, & ament, etiamſi mundus ignorans eos perſequatur: neque permittant ſe decipi, putando ſe ſolos, vt fecit Helias, qui dicebat: Derelictus ſum ego ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam. In ſpecie autem voluit adeſſe Mariam Virginem, non ſine magnis rationibus. Vt fides eius inſignis, & à beata Eliſabetha cõmendata eluceſceret, & declararet ſe non excidiſſe à fide eorum, quæ Angelus prædixerat, nempe quòd ſaluaturus eſſet populum à peccatis eorum, & quod accepturus eſſet ſedem patris ſui Dauidis, & regnaturus in domo Iacob. Deinde vt in illa præſente, & dolores filij ſpectante, grauius pateretur non tantum in ſe, ſed & in amantiſſima matre, & Virgo non ſolum in ſeipſa, ſed & in filio ſuo chariſſimo cruciaretur, cuius claui manus, ac pedes ſuffigentes cor matris penetrabant. Hinc iuxta Crucem eſſe dicitur, corpore ſcilicet: nam mente, atque animo in ipſa Cruce Chriſti erat, ſicut & Chriſtus in matre: habeantque ſe tãquam duo ſpecula mutuò ſe ſpectantia, ita vt quicquid eſſet in vno, eſſet quoque ſuo modo in altero. Hac igitur ratione dolores Chriſti in Maria, & dolores Mariæ in Chriſto extiterunt: atque hic fuit gladius ille à Simeone prædictus. Adhæc mater cruci aſtitit, vt humani generis reparatio ruinæ mundi congrueret. Vt enim ruina ex eo eſt ſecuta, quod mulier ad lignum ſcientiæ boni, & mali accedẽs comedit, ac proinde mortua eſt & viro tradidit in mortem ad edendum: ita hic è contrario (ſiquidem contraria contrarijs curantur) vir primò de ligno amaro Crucis guſtauit, ac fœminæ guſtandum præbuit. Et vt ibi à duobus, ſed præcipuè à viro caſus mundi profectus eſt; ita ſalus, ac redemptio à duobus, ſed præſertim à Chriſto proficiſcitur.

Cur Dominus ſuos Cruci adeſſe voluerit, præſertim verò matrem, ac Virginem ſanctiſſimam.

3 Reg. 19.

Cur Virgo in primis Cruci Dominicæ aſtiterit.

Luc. 1.

Matth. 1.

Luc. 1.

II. Ratio.

Luc. 2.

III. Ratio.

Gen. 3.

Nam quicquid habet virtutis Maria, à Chriſto accepit non tantum propter decentem quandam congruentiam, ſed etiam propter excellentem Chriſti in redimendo virtutem, quam matri ſuæ (cuius opera minimè indigebat) tanquam corredemptrici communicare voluit, non ſolũ ſine dedecore ſuo, ſed cum magna gloria ipſius Chriſti. Nam vt prior fœmina à viro habuit coſtam, ex qua condita fuit; ita ſecunda Heua hęc ſpiritum à Chriſto accepit, quo poſſet eſſe alijs auxilio, & ſaluti. Quartò, matrem prope Crucem vocauit Ieſus, vt ipſa mater filium ſuum in ſacrificium Patri Æterno pro toto mundo offerret, vt Abraham filium ſuum Iſaac ex obedientia offerre voluit. Et quemadmodùm ſeptem Machabæorum genitrix filios ſuos miris tormentis excruciatos, morti illorũ aſſiſtens, eoſque ad fortiter patiendum corroborans, Deo obtulerat: ad eum modum repræſentauit hoc facto Maria Virgo Eccleſiam ſanctam, quæ hoc ſacrificium Crucis Patri pro ſalute filiorum offerre non ceſſat: quare hanc tantam charitatis oblationem remunerare conſtituens, alios filios illi in Ioanne repræſentatos reddere voluit. Vt enim Annæ, quia filium ſuum primogenitum Deo in templo obtulerat, plures alij filij donati ſunt, vt ait liber Regum: ad eum modum Chriſtus genitrici ſuæ magna fide ſe Patri offerenti, Ioannem & in eo alios iuſtos, ac pios Virgini dono dedit. Quintò, mater ſibi morienti adfuit, vt duo potentiſſima remedia contra Satanam, infernum, mortem, peccatum, & mundum, indicaret eſſe Crucem, & Mariam, de quibus illud exponi poteſt: *Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Nam vt alios ſenſus nunc omittam, per virgam intelligimus Virginem, quæ de radice Ieſſe egreſſa eſt, & ex qua flos Ieſu aſcendit: per baculum verò, rectè Crucem intelligimus, cui tanquam pedo paſtor noſter nitebatur, & in quo baculo Iacob noſter tranſiuit Iordanem. Et intelligamus fruſtra nos ire ad Virginem ſine pœnitentiæ Cruce: aut ad Crucem ſine deuotione Mariæ: & macerationem carnis abſque affectu cordis nullum fructum præſtare. Per hanc autẽ aſſiſtentiam, quam filio præſtitit, promeruit omnibus filijs ſuis ſpiritualibus morientibus, & Chriſti fratribus ipſam inuocantibus aſſiſtere, vt dęmonem pellat. & vt aquam tribulationis noſtræ conuertat in vinum conſolationis ea orante, vt fecit olim in nuptijs: quia & in morte cuiuslibet hominis electi celebrantur nuptię in cœlo cum Chriſto. Stabat igitur Maria

Quicquid virtutis in Maria extitit, id totũ Chriſto debetur duplici nomine.

Supra 2.

IV. Ratio.

Gen. 22.

Matris ſeptem Machabæorũ cum matre Chriſti comparatio.

2. Mach 7. & ſeq.

B. Virgo Cruci aſſiſtens quos referat.

1. Reg. 1.

Infra. 2.

V. Ratio,

Pſal. 22.

Eſa. 11.

Quæ nam illa virga, qui baculus, de quibus Propheta, Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.

Gen. 32.

Deipara Virgo Cruci aſſiſtẽs, quot & quanta à Chriſto beneficia ſit conſecuta.

Ioan. 2.

In morte cuiuslibet hominis electi celebrantur nuptiæ in cœlo cũ Chriſto.

iuxta Crucem Ieſu, non ſolum corpore,& mente,ſed etiam fructu : quia de Crucis virtute participauit gratiam præſeruantem ab omni peccato, non tantum mortifero, ſed etiam veniali,quod paucorum eſt,imò etiam ab originali mea quidem ſententia, quod ſolius eſt matris. Accepit & tantam gratiam,vt ſimul eſſet & mater,& virgo,& ne quouis modo maternitati Virginitas repugnaret: Gratiam etiam conſtantiæ, quę vt Eccleſiæ ſanctæ firmiſſima columna, & magiſtra,& aduocata fuit , dum viueret: obtinuit & ex hoc ligno Crucis, ſuauiſſimæ mortis,hoc eſt,ſine vllis doloribus donum,& reſurrectionis citæ, & aſcenſionis in corpore,& anima, & exaltationis ſuper omnes choros Angelorum gratiam : & vt tanquam Domina noſtra, & aduocata filios ſuos ad ſe clamantes exaudiat,& conſoletur , & ſua inſigni charitate ad ſe alliciat,atque recipiat. Denique obtinuit, vt, ſua virginea lampade vtramque Eccleſiam & Militantem, & Triumphantem,illuminaret:& vt mulieres illas,quæ longè erant, ſuo exemplo pertraxit ad Crucem , ita filios ſuos meritorum ſuorum opibus locupletatos , ad mortem ſuſtinendam pro Chriſto inuitare poſſet: Stabat igitur iuxta Crucem Ieſu mater eius : conſtans nimirum,intrepida, inuicta , atque adeò ipſa Cruce , & omnibus tormentis ſuperior. Quare ſtultum eſt,& temerarium , quod Brentius in hæc Ioannis verba ſcribens definire eſt auſus, beatam Mariam in paſſione Chriſti à fide excidiſſe, quia Dominus dixit: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me,in iſta nocte*: praue detorquens dicta ad ſolos Apoſtolos,ad diuam Virginem. Et quanquam hæc dicta eſſent de Apoſtolis , non tollit quin Ioannes Euangeliſta poſt fugā aſſumpto animo ſteterit iuxta Chriſti Crucem.Et prorſus eſt in regulam Irenæi martyris,& Epiſcopi, ſanctis maculam peccati aſpergere , quam Scriptura ſacra illis non tribuit.Pugnabant in corde eius duo amores magni, vnus vitæ Chriſti , alter ſalutis humani generis: tamen diua Virgo diuinæ voluntati, & filij ſui beneplacito conformis extitit,vicitque in ea amor redimendi genus humanum,naturalem,& ardentiſſimum amorem filij ſui: præcelluitque in ea dolor, ne humanum genus periret, dolorem perdendi Chriſtum ad triduum. Adhæc expende beatam Virginem deſcribi ſtantem,non plangentem, vel lamentantem, vel vnguibus faciem dilacerantem, aut capillos diſcerpentem, aut veſtes manibus dilaniantem : quę apud nos teſtari ſolent animum vehementi , ſed non ſatis rationi conſono mœrore confectum , & vitio potius dari ſolent, quam virtuti. Hæc dixerim propter eos , qui dum concionantur, tales tribuunt Virgini Deiparæ affectus , doloriſque interni ſignificationes, quales interdum ſtultæ , & parum ſanæ fœminę habere ſolent. Minimè autem negauerim, Virginem fleuiſſe, & intimo ſenſu ſuper omnes creaturas ratione præditas innocentiſſimi Filij Dei mortem percepiſſe : tùm quia nullum magis mors Filij Dei tangebat , quam eam quæ mater erat : nemo etiam magis innocentiam , ſanctitatemque filij agnoſcebat, aut grauiſſimam in Deum (quæ luctu, ac lacrymis digna erat)ſatellitum , & miniſtrorum offenſam; tum quia fleuerunt mulieres Ieruſalem , inter quas erat & ipſa Virgo parens , vt teſtatur Bernardus. Mater igitur doluit, ac fleuit, quicquid filius doluit, ac fleuit , & iuſſit flere : at neque doluit, neque fleuit, quod Chriſtus vetuit,cum dixit : *Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me,&c.* Tum denique quia mortem Ieſu etiam elementa ipſa lacrymis ſunt proſecuta,quanto magis amantiſſima mater,quæ ſicut in amando Ieſu primas tenuit,ita & in doloris ſenſu,ac luctu: quem propterea prædixerat Simeon futurum tanquam gladium penetrantem animam. Audi quæſo verba Ambroſij lib.de inſtitutione Virginis,hunc diuinę Virginis actum expendentis: *Teſtatur de Cruce Dominus Ieſus & pauliſper publicam differt ſalutem, ne matrem inhonoratam relinquat. Subſcribit Ioannes in teſtamento Chriſti.Legatur matri pudoris defenſio, teſtimonium integritatis : legatur etiam Diſcipulo matris cuſtodia, pietatis gratia commendatur.* Et infra: *Spectabat pijs oculis filij vulnera, per quem ſciebat omnibus futuram redemptionem. Stabat non degeneri mater ſpectaculo, quæ non metueret peremptorem. Pendebat in Cruce filius, mater ſe perſecutoribus offerebat. Si hoc ſolum eſſet,vt ante filium proſterneretur, laudandus pietatis affectus , quod ſuperſtes filio eſſe nolebat : ſin verò vt cum filio moreretur: cum eodem geſtiebat reſurgere,non ignara fuit myſterij , quod genuiſſet reſurrecturum: ſimul quia publico vſui impendi mortem filij nouerat , praſtolabatur ſi fortè etiam ſua morte publico muneri aliquid adderetur. Sed Chriſti paſſio adiutore non eguit,ſicut ipſe Dominus longe ante prædixit:Et reſpexi,& non erat adiutor,*& reliq. Sic ille.Sed tamen vt cognoſcatur eius dolor,& fletus cum ratione fuiſſe coiunctus, & lacrymæ cum iudicio mentis effuſæ: ideò ſtare deſcribitur: nec enim credibile eſt minori fidei conſtātia,aut inferiori obedientia præditam fuiſſe beatam Virginem,quā Abrahamum,qui prom-

Qua ratione ductus Brentius,B.Virginē in paſſione Chriſti à fide excidiſſe auſus ſit affirmare.

Matt. 26.

Iren.li 4. aduerſ hæreſ. cap.51.

Aurea Irenæi martyris, & Epiſcopi regula.

Luc. 2.

Quæ lugubris ac dolentis animi ſigna in Cruce ac morte filij ſui longe abſ erint ab Virgine matre.

Quod Virgo Deipara in filij morte doluerit, ac fleuerit.

Luc 23.

Bern. ſerm. de lamenta. Virginis Mariæ,initio

Matt.27.

Luc. 2.

B. Ambr. lib. de inſtitut. Virginis c. 7. initio. tom. 1.

Eſa. 63.

B. Virgo cur ſtare iuxta Crucem deſcribitur.

Gen. 22.
Chriſti matris fortitudo atque conſtantia.
Hebr. 11.

promptus fuit etiam propriis manibus filium immolare, nullo edito exterius doloris ſigno: putabat enim, vt ait Apoſtolus, quòd Deus poſſet eum à mortuis ſuſcitare. Neque rurſus minori cumulata fuit fortitudine, quàm mater ſeptem filiorum Machabæorum, aut Symphoroſa, vel Felicitas, quæ totidem filios habuere, quos ad martyrium perferendū ſuis verbis ſtantes confirmarunt, aut denique quàm illa mulier, de qua Prudentius in hymno ſancti Romani facit mentionem, quòd viuis verbis, & præſentia ſua infantem quadrimum ad ſecum martyrium tolerandum in conſpectu iudicum ſiccis oculis hortaretur, & accenderet: aut ſicut mater illa adoleſcentis Symphoriani, quæ ad filium, dum ad vltimum ſupplicium raperetur, ita clamabat: Nate, nate, memento æternæ vitæ: cœlum ſuſpice, & ibi regnantem intuere. Tibi vita non eripitur, ſed mutatur in melius. Quibus verbis accenſus adoleſcens, fortiter Ieſu Chriſti cauſa carnifici collum præbuit.

2 Mach. 7.
Prudent.
Symphoriani pueri & virilis conſtantia.

Stabat igitur iuxta Crucē Ieſu mater eius, vt ſuis omnibus matribus conſtantiæ exemplum, & meritum præſtaret, vt id genus officij filijs pro Chriſto interfectis exhiberet, quale ipſa præſtitit Chriſto Domino: & ſtabat tanquam mater iuxta lectum filij animam agentis: & ſtabat ſicut Rachel iuxta terebynthum parturiens cum dolore filium. Stabat ſub palma, ſiue iuxta palmam ſicut Debora fortiſſima ſpectans prælium Barac contra Siſaram, id eſt, Chriſti in dæmonem. Stabat Virgo Dei ad crucis aram, & ideò pluſquam martyr fuit, teſte Hieronymo. Et cùm reliquæ fœminæ afflictæ, ac deſolatæ, aut ſedeant, aut ament ſolitudinem, aut tenebras quærāt; Maria tamen ſtat, comites diligit, lucem quærit. Nec paſſa eſt ſenſus alienarionem, quæ vel ex debili temperatura interdum ſolet accidere, vel ex nimia triſtitia, & ſubitò dolore commotis, vel quando ipſe affectus grandior eſt, & rationem ſuperans, quorum neutrum in diua Virgine fuit. B. Brigitta libro ſuarum Reuelationum, & B. Anſelmus libro de paſſion. docent B. Virginem exanimatam ſpectaculo crucis, ac præ dolore in terram corruiſſe. Quod à quibuſdam reprehēditur tanquam pugnans cum Euangelio. Quod tamen defendi poteſt, ſi quis dicat, à principio crucis erectæ corruiſſe in terram præ doloris magnitudine; poſteà tamen ſemper ſtetiſſe; in quo ſtatu deſcribitur ab Euangeliſta. Lege cautum erat, vt qui auiculam cubantem inueniret, filios tolleret, matrem liberam dimitteret. Hoc ſeruarunt Iudæi: nam Dominum ceperunt, & crucifixerunt, Apoſtolos fugarunt, relicta matre tātummodò, quod mirum fuit in tanto Iudæorum furore. Cautum quoque erat: *Bos ſiue ouis non immolabūtur vno die cum fœtibus ſuis.* Quæ lex in fauorem quoque matris erat, quamuis ipſa ſpōte ſeipſam immolauerit cum filio ſuo cruci aſſiſtens, & filio animam agenti præſentiam ſuam præſtans.

Gen. 35.
Iud. 4.
Hieron. ad Paulam & Euſto. ſerm. de aſſumpt. Virg. Mariæ tom. 4.
B. Virgo pluſquam martyr extitit, teſte Hieron.
B. Brigitta lib. 4. c. 70.
B. Anſelmi dictum de virgine, quod præ dolore Chriſti patientis in terram corruerit quomodo verum ſit.
Deut. 22.
Domus in Chriſti matrē prouidentia.
Chriſti matrē cruci aſſiſtentem nihil lædendo, Iudæi quaſi Domini leges ſeruaſſe videantur.
Leuit. 22.

Quibus cum Virgo Deipara mulieribus aſtaret cruci.

Comites habebat B. Virgo inprimis Mariam Magdalenam inſignem Chriſti amatricem, ac diſcipulam, de qua cùm eieciſſet ſeptem dæmonia, Chriſtum ex Galilæa ſecuta erat, & miniſtrabat illi de facultatibus, & prima meruit à mortuis reſurgentem Chriſtum cernere. Secunda comes aderat Maria Iacobi, & Ioſe mater, quæ vxor erat Alphæi, & genita ex parente Cleopha: nam ob hanc rationem dicitur à Ioanne Maria Cleophæ ſcilicet filia, quod indicat articulus Græcus ἡ τοῦ κλωπᾶ: niſi eſſet binominis Alphæus & Cleophas. Huius tres filij erāt Apoſtoli, nimirum Iacobus, & Simon, & Iudas bonus, & quartus fuit Ioſe, qui cum Matthia delectus fuit, vt ex illis duobus vnus aſſumeretur in Apoſtolum. Hæc dicitur hoc loco ſoror matris Ieſu, quia conſponſa, nā Cleophæ vxor erat fratris Ioſeph ſponſi Virginis: ex coniunctione enim & illa ſoror Virginis, & eius filij fratres Domini dicuntur apud Matthæum, & Marcum, & Iacobus peculiariter dicitur ab Apoſtolo frater Domini. Hæc à Marco dicitur mater Iacobi parui, vel minoris; Græcè enim legitur μικροῦ. quod referunt aliqui ad corporis molem, vel ſtaturam, vt putat Faber. Sed hoc minus redditur probabile, cùm B. Ignatius ad Ioannem ſcribat, quòd Iacobus eſſet Chriſto facie & figura ſimillimus, & habitu, & modo conuerſationis, ac ſi eiuſdem vteri frater eſſet gemellus. Quare alij melius ad vocationem referendum cenſent, nimirum quòd poſterior fuerit vocatione altero Iacobo fratre Ioannis, vt Gloſſa Interlinearis, & magiſter Scholaſticæ Hiſtoriæ docent. Alij verò ad eximiam eius humilitatem, ac vitæ ſanctitatem accommodant: vnde & cognomentum Iuſti ſortitus eſt. Ab hac humilitatis ſanctitate beatus Franciſcus Religioſos ſuos, Fratres Minores appellari voluit. Præter has duas meminit Marcus Salomes; quæ eadem eſt, quæ apud Matthæum dicitur Mater filiorum Zebedæi, vt teſtantur Theophylactus & Euthymius. Et apud Marcum dicitur veniſſe ad monumentum Mariam Magdalenam, & Mariam Iacobi, & Salomen. Et de his ait Marcus: *Et cùm eſſet in Galilæa* (Ieſus ſcilicet) *ſequebantur eum, & miniſtrabant*

Luc. 8.
Marc. 16.
Actor. 1.
Matth. 13.
Marc. 6.
Galat. 1.
Marc. 15.
Faber Stapulen.
B. Ignatius epiſt. 2.
Iacobus minor cur ſic dictus.
Gloſſ. interlinearis.
Hiſt. Schol.
Fratres minores à B. Franciſco cur ſic nuncupati.
Marc. 15.
Theophyl. in Marc. 15.
Euthym. cap. 68 in Mar.
Marc. 16.

Sup. 15. Luc. 8.

bant ei: & alia multa, quæ ſimul cum eo aſcenderant Ieroſolymam. Vbi primò vides, has ſanctas fœminas deſcribi per Euangeliſtam à religioſa & indiuidua Chriſti ſequela, & à pio miniſtrandi officio, & ab aſſiſtentia, quam illi in cruce præſtiterunt: præterquam quòd quædam illarum habebant filios ſuos in Apoſtolatu. Quæ ſanè ſingula per ſeipſa ſunt præſtantiſſima, ac maximè digna quæ in Euangelio celebrentur, nedum tot, & tanta amoris, & fidei in Ieſum argumenta. Aduerte deinde Euangeliſtæ prudentiam, qui vbi nominatim enumeraſſet nobiliores ex illis, cæteras ne debita defraudaret laude, generali verbo comprehendit. Atque hę ſanctę mulieres, dum crucifigeretur Dominus, longè ſtabant, propter populi, & miniſtrorum frequentiam cum nónullis Ieſu notis hominibus: de quibus Lucas; *Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres quæ ſecutæ erant eum à Galilæa, hæc videntes.* Poſteà autem eas acceſſiſſe eſt veriſimile, vt Ioannes ait: quamquam Auguſtinus, vt ſuperiùs diximus, oppoſitum ſentiat, dicens, prius prope ſtetiſſe; deinde verò, cùm diſcederent, quaſdam ex illis ſtetiſſe remotiùs.

Ioannis prudentia & charitas.

Luc. 23.

Auguſt. loco citato.

Cùm vidiſſet ergo Ieſus matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, explicat beata Brigitta ſic in perſona Virginis loquens, *Tam ſanguinolentus erat filius meus, vt nec ipſe me aſtantem cruci videre potuerit, niſi ſanguine expreſſo per ciliorum compreſſionem. Et quod dixit; Ecce mater tua, &, Ecce filius tuus, capitis, & oculorum nutu tam matrem diſcipulo, quam diſcipulum matri deſignaſſe. Non enim aliter manibus indicare poterat, aut dicere, Ecce.* Hæc illa ferè. Deinde collige, Mariam, & Ioannem non à Chriſti lateribus aſtitiſſe, vti à pictoribus depinguntur: quia aliter rectè pingi non poſſunt, ſed ante faciem Domini, vultum eius intuentes, quò poſſet eos Chriſtus cernere, atque alloqui. Obſerua & illud, Ioannem ſtuduiſſe narrare fœminas, quæ Ieſum vſque in finem comitatæ fuerunt, ſeipſum verò ex prudenti humilitate ſubticuiſſe, ne ſe laudare videretur: vnde voluit potiùs à re ipſa, quàm à verbis ſuis apprehendi. Qua etiam ratione nomine proprio ſuppreſſo periphraſticè ſe vocauit diſcipulum, quem diligebat Ieſus: tùm vt nihil ſibi tribueret, ſi Chriſtum in crucem vſque ſequeretur, quia hoc amori eius erga ſe potius indicabat adſcribendum; tùm vt intelligamus, peccatum, quòd Ioannes in fuga cum alijs Apoſtolis in captura Chriſti admiſit, iam dilectione Ieſu eliciente in eo pœnitentiam & lacrymas deletum fuiſſe, tantamque illi conſtantiam contuliſſe; denique vt intelligamus, quanto iure Ieſus matrem diſcipulo commendauit, ac diſcipulum matri, qui magiſtro, & matri eius in tanta rerum difficultate non defuit.

Quomodo Chriſtus in cruce viderit matrem & diſcipulum ſtantem

B. Brigitta lib 4. cap. 70. circa med.

Qua ratione B. Virgo & Ioannes dilectus Chriſti aſtiterint morienti. Cur Ioannes ſe diſcipulum Ieſu dilectum nominauerit non Ioanné.

Matth. 26.

Dicit matri ſuæ, Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. Agnouit Chriſtus moriturus matrem ſuam, cumque nullum membrum liberum haberet, oculis exceptis, & lingua; eam ſuo aſpectu, & alloquio dignari voluit. Suo exemplo nos inſtituens, vt filij pij omnem curam impendant parentibus ſubueniendi eorumque inopiam ſubleuandi: quando non ſolum non ſunt ad virtutem impedimento, vt ait Euthymius, imò potiùs nobiſcum ad ſalutaria exercentur. Plures hoc loco dubitationes nobis ſunt euacuandæ. Prima eſt, cur beatam Virginem ſanctiſſimo deſponſatam Ioſepho, Ioanni commédauerit? nam quæ viros habent ſuos, alteri non ſolent commendari. Dicendum eſt, aut eo tempore ſponſum Virginis amplius non vixiſſe: vt inſinuatur à Chryſoſtomo in Matthæum, cuius hæc ſunt verba loquendo de Ioſepho: *Si enim cognouiſſet eam, & loco habuiſſet vxoris, quomodo illam Dominus quaſi abſque ſolatio, & nihil penitus habentem, diſcipulo commendare curaſſet, iubens ei vt eam reciperet in ſua?* Hæc ille, & habentur 27. quæſt. 2. cap. Si enim, & ab Epiphanio hæreſi 78. in Antidicomarianitas: *Conuerſus*, inquit, *vidit diſcipulum quem diligebat Dominus, & dixit ipſi de Maria: Ecce mater tua; & eidem dicit; Ecce filius tuus: ſi verò fuiſſent filij Mariæ: & ſi fuiſſet ipſe vir, quare non tradidiſſet ipſam Ioanni, & Ioannem Mariæ.* Sic ille. Aut ſi viuebat, nequaquam moleſtè tulit quòd Ioanni commendaretur. Ait enim Cyprianus ſerm. de paſſ. Domini: *Conſidero te*, inquit, *in cruce de matre ſolicitum, cui volenti loqui tecum cùm Euangelizares, negaueras retroactis diebus colloquium, & prætuleras matri auditores verbi, pauperes ſpiritu, dicens eos tibi eſſe pro matre, & fratribus, qui voluntati Patris obtemperant. Nunc materno moueris affectu, & thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas, & prouides ſedulò benedictæ inter mulieres Apoſtolicam clientelam, & obſequium Virginis, virgini diſcipulo tradis, vt iam non Ioſeph tanti myſterij oneretur prapoſitura, ſed Ioannes, quia iam exigebat ratio, vt coniugij remoueretur opinio, nec vltra pater Chriſti æſtimaretur, quia eatenus vicem patris, & coniugis tenuerat. Habebat Ioſeph in hac Chriſti diſpoſitione rationabilem contradictionem, cùm alteri commendaretur Maria, ſi ſe cognouiſſet carnalem maritum: ſed quia in ſpiritu actum erat coniun-*

Chriſti in cruce poſiti Ioanni diſcipulo matrem commendantis documentum & exemplum.

Euthy. ca 17. in Ioan.

Cur B. Virginē ſanctiſſimo deſponſatam Ioſepho, Chriſtus Ioanni commendauerit.

Chryſ. hom 5. in Matt. circa med. tom 2.

Epiphanius.

Cyprianus. Matt. 27.

Luca. 11.

ctionis

ctionis illius myſterium, paſſus eſt Ioſeph æquanimiter ſibi eum in hoc ſeruitio præponi, quem digniorem ſe iudicabat: & ideò maximè, quia magiſtri electio ſic negotium ordinabat. Hæc ille.

Vera opinio probabilior.

Quod etſi probabile videtur, probabilius tamen exiſtimatur, illum vita functum fuiſſe, cùm nullibi in Scripturis fiat mentio de eo in paſſione. Et cùm ille & cuſtos, & verus maritus Virginis extiterit, non erat cur eo honore, ac dignitate priuaretur, & in alium transferretur: niſi fingamus, illum ſeniculum, ac decrepitum, nulliúque miniſterio, atque cuſtodiæ ampliùs aptum, ſed potius ipſum vlterius cuſtodia, opeque indigere. Neque profectò derogaret, vt quemadmodùm Ioannes habens matrem commendatus eſt Virgini, ita Virgo ſuperſtite viro commendaretur Ioanni. Adde, quòd antiquo iure Romano ſolus Imperator concedebat mulieri viduæ, quæ in bello vnicum filium amiſiſſet, vt in ſolatium alium adoptaret: qua ratione Chriſtus Imperator moriens in bello dimicando cōtra Tartareos hoſtes, ius cōceſſit matri ſuæ, vt haberet filium ſpiritualiter adoptatum.

Olim iure Romano mulie[r]i viduæ, quæ vnicum filium amiſiſſet in bello, ſibi aliū adoptare licebat.

Quàm conueniens fuerit B. Virginem Ioanni Apoſt. commendari.

Cōueniebat autem, matrem virginem Ioanni Apoſtolo virgini commendari inter alios, vt qui per caſtitatem ipſi erat ſimilis, & per charitatem mutuam erat alter ipſe, in ipſius ſubſtitueretur locum, & Maria Virgo pro virgine filio virginem reciperet filium.

Cur magis mulierem, quàm matrē Chriſtus nominauerit.

Secunda dubitatio eſt, cur magis mulierem, quàm matrem appellauerit? Sed hoc iuſtis de cauſis feciſſe Dominum, piè credendum eſt. Primùm, ne viſcera illius matris nomine ampliùs feriret, de quo Baptiſta Mantuanus lib. 3. par. Marian.

Talibus admonuit matrem, ſine nomine matris,
Ne materna pium laniarent viſcera natum.

Chryſ. hom. 84. in Ioann. tom 3.

Et Chryſoſtomus ait: *O bone Ieſu, quid matrem tuam erubuiſti, quæ te tam diligenter nutriuit, reuerenter tractauit, dulciter lactauit, tam durè loqueris, Mulier inquiens? Sed ideò factum eſſe arbitror, ne materno nomine matri dolorem ampliùs excitares. Non enim tunc tempus erat matrem dulciter alloquendi, nec nomen matris exprimendi.* Hæc ille in ſenſu.

II. Ratio.

Deinde in negotijs cœleſtis Patris pertractandis ad noſtram doctrinam, nunquam Mariam matrem videtur agnoſcere. Hinc duodecim annos natus dixit: *Quid eſt quod me quærebatis?* & in nuptijs: *Quid mihi, & tibi mulier;* & rurſus; *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Nunquam ergo matris nominè à Chriſto videtur agnoſci; vt neque nos naturali matris affectu, quicquam ex his, quæ hic narrantur, exiſtimemus feciſſe.

Luc. 2.
Ioann. 2.
Matth. 12.

III. Ratio.

Et nos Mariam potius contemplemur, vt ſecundam Euam, ſiue mulierem ſecundo Adamo datam in adiutorium ſimile ſibi, ad regenerandum mundum ſecundùm ſpiritum, vt primam Euam priori Adæ datam legimus in adiutorium ad generandum ſecundùm carnem: qua cōſideratione agnoſcimus nos filios eius eſſe ſecundùm ſpiritum.

Geneſ. 2.

Quarta, & vltima.
Matt. 23.

Poſtremò negotium Patris ſui cœleſtis agebat Ieſus: cuius intuitu aliquando docuit, Patrem non eſſe nobis vocandum ſuper terram.

An his verbis Ieſus Ioannē filium naturalem B. Deiparæ conſtituerit.

Tertium dubium eſt, an his verbis Ieſus Ioannem filium naturalem B. Deiparæ conſtituerit? ac proinde matrē eius natura parentem? rurſus, an ſaltē filium adoptiuum, an verò tantummodò ſpiritualem filium? Quod vt faciliùs expediamus, præmittendum eſt, quoſdam fuiſſe noſtro ferè ſeculo, qui his verbis contenderent, Ioannem naturalem B. Virginis filium conſtitutum: & olim Romæ quidam nomine Baurinon publica diſputatione defendit, in quem, vt puto, ſcripſit Dominicus de Dominicis Epiſcopus Brixienſis ſub Pio II. Pontifice.

Prima opinio, Baurinonis cuiuſdam.

Dominicus de Dominicis.

Tarracone etiam Hiſpaniæ ciuitate, quidam alius concionator inter alias dotes, & priuilegia B. Ioannis Euangeliſtæ, iſtam retulit, Ioannem dignitatem filij naturalis Matris Dei obtinuiſſe: quod his rationibus ſe putabat euincere.

Quibus rationibus quidam contenderit, Ioannem Euāgeliſtam dignitatem filij naturalis Matris Dei obtinuiſſe.

Primò, quia ſicut illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, tantæ ſunt efficaciæ, vt per illa efficiatur verum Christi corpus: ita hæc Ioannem filium naturalem inſtituerunt, efficiendo in eo relationem filiationis, nō autem quòd per ea verba fuerit facta trāſubſtantiatio Ioannis in Chriſtum.

Mat. 26.

I. Ratio.
II. Ratio.

Secūda: Generatio eſt cauſa efficiens huius relationis, quæ dicitur filiatio, & non cauſa ſimpliciter prima, quia illa eſt Deus: ſed quicquid Deus agit medijs cauſis ſecūdis, poteſt operari ſine illis, cùm cauſa efficiens ſit extrinſeca, & non de rei eſſentia, & plus influat in effectum, quàm ipſa cauſa ſecūda, quæ in virtute primæ agit: potuit ergo Deus relationem illam realem, quæ dicitur filiatio, in aliquo homine abſque vlla generatione actiua, paſſiuaque alterius efficere. In quocunque autem eſt relatio filiationis realis, ille eſt verè filius, & non genitus, nec etiam adoptiuus, & impropriè dictus. Voco autem naturalem hanc filiationem, non quòd ex principijs naturalibus ſecundùm communē naturæ curſum prouenerit, quia reuera fuit ſupernaturalis prærogatiua tanta Ioannis: ſed dicitur naturalis, vt diſtinguitur contra adoptiuum, id eſt, eum, qui loco filij naturalis adoptatur, cū ſit alienus.

Præterea hoc videtur inſinuare Textus, qui dicit, quòd diſcipulus accepit eam in ſuam, nimirum parentem, ſiue matrem. Hęc ſunt illius opinionis fundamenta.

Improprię quis dicatur filius.

Reſpondemus, quæſtionem hanc facilè habere poſſe expeditionem, ſi ſermo eſſet de filiatione impropria, & ea, quæ per analogiam, aut ſimilitudinem quãdam accipitur. Dicitur enim impropriè, & metaphoricè filius, quicquid habet aliquas ſimilitudines ad illud vnde proceſſit. Hinc creaturæ omnes cùm ſimilitudinē, aut veſtigium aliquod Dei habeant; dicuntur filij eius. Ait enim in libro Iob: *Quis eſt pluuiæ pater? vel quis genuit ſtill.s roris?* Perfectiùs adhuc homo, qui filius Dei dicitur, quòd in natura intellectuali conditus fuerit: hinc dicitur: *Nunquid nõ ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit, & creauit te?* Adhæc, erat ſuper hanc typica quædam, & vmbratilis ratio filiationis in lege, vnde dicebat: *Filius meus primogenitus Iſrael*, quod videlicet illum populum peculiari munificentia ex Ægypto eduxiſſet, ſingulari prouidentia, lege, & Prophetis gubernaſſet. Super has eminet ratio filiorum Dei per gratiam, qui Spiritu adoptionis præditi ſunt, & excellentiùs Deum repræſentant. Hæc autem filiorum Dei per gratiam adoptio in gloria perficitur, ac conſummatur, vt præ illa hæc vix nomen filiorum mereatur. Quare Apoſtolus dixit: *Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis noſtri.* Quòd ſi etiam mentis oculos ad Angelos attollamus, inueniemus, & illos peculiari ratione appellari filios. Ita frequenter in libro Iob dicitur: *Cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei:* quod peculiari ratione ſimilitudinem Dei gerant. Rationes iſtæ enumeratę metaphoricæ ſunt, & impropriæ, & Deus pręter verbum ſuum, neminem alium habet filium naturalem, ad quem ſi componamur, à ratione filiorum cadimus, & planè eius ſumus ſerui: quia Verbum ſolùm de ſubſtantia Patris gignitur opere vitali, & nõ in ſpecie ſed in eadem numero natura. Si autem hic ſit ſermo de vera, propria, naturalique filij ratione, non videtur verum, Ioannem illis verbis naturalem Virginis filium inſtitutum fuiſſe. Quod his rationibus euincitur. Primò, quia fieri nequit, vt aliquid recenter ad aliud referatur, ſine aliquo huius relationis fundamento: relatio autem filij ad matrem, habet pro fundamento fuiſſe ab ea genitum: nam vt dicitur in libris Metaphyſicis, pater, vel mater, ac filius, pertinent ad ſecundum modum eorum, quæ ad alterum dicuntur, & quibus ad ſe inuicem referantur, agendi vis, atque patiendi fundamentum pręſtat. At Euangeliſta nunquã fuit ex Virgine prognatus, ergo nec dici, nec eſſe filius naturalis poteſt. Deinde quia non poterat Chriſtus inſitam ſibi, & antiquam filij rationem in diſcipulum trãsferre accidentis reſpectiui natura obſiſtente: quæ ea eſt, vt nequeat ab alio in aliud trãſferri ſubiectum, ne contradictorias aſſertiones de eadem re admittere compellamur, vt vnus, & idem ſit de eadem fœmina genitus, & nõ genitus, ac proinde eiuſdem ſimul ſit filius, & non filius, quod eſt abſurdum. Tertiò illud quoq; minus tolerabile, quod vnus & idem homo duas habeat matres, ex quibus ſit progenitus. Quartò repugnat, tantùm priuilegium filiationis naturalis matris Dei in Ioanne, tot ſeculis Eccleſiæ Doctoribus fuiſſe ignotum atq; celatum. Nec obſtant in contrariũ argumenta propoſita. Nam quod Iesvs diuina virtute myſticis verbis conuerterit panem in corpus, & vinum in ſanguinem: hoc eſt, quia res abſoluta in aliam tranſmutari poteſt: at illud quod eſt ad aliud, de integro referri abſque alio relationis fundamento ad aliud non poteſt, quia id rei natura non patitur. Sicut non poteſt facere ſimilitudinem ſine qualitate, nec æqualitatem ſine quantitate ponere, ſicut nec definitum ſine definitione, aut partibus eius: ita nec relationem ſine fundamento: nam ſimilitudo in ſui definitione includit eandem qualitatem. Secundum argumentum non obſtat, quòd quando Deus agit aliquid in cauſa ſecunda, quæ ſit in genere cauſæ efficientis, tunc poteſt agere ſine illa: hoc enim tunc verum eſt, niſi vltra quod ſit cauſa efficiens, habeat etiam alium modum cauſæ formalis, vel materialis: quia tunc non oportet quòd poſſit agere ſine illa: ſicut non poteſt efficere voluntatis, vel intellectus actiones ſine facultate intellectus, & voluntatis, vel ſine anima ipſa omnino. Quia etſi anima ſit cauſa efficiens actus ſui in genere cauſæ efficientis; tamen eſt etiam in genere cauſæ materialis, & recipientis. Quòd autem idem poſſit eſſe recipiens, & efficiens: non eſt obſcurum. Quia ſufficit quòd anima ſit efficiens principale, & recipiens mediatum: at potentia eſt recipiens immediatum, & efficiens, non primarium, ſed ſecundarium, aut inſtrumentum. Hinc Philoſophus in libris Phyſicorum docet efficiens non concurrere cum materia, nec efficiens cum forma ad idem numero efficiendum. Intellige de efficiente principali & materia ex qua, & de forma, quæ propriè eſt al-

Margin notes (left): Iob. 38. — Deut. 32. — Populus Iudæorum qualis erat primogenitus Dei. — Exod. 4. — Ratio adoptionis filiorũ Dei in quo ſita ſit. — Rom. 8. — Angeli cur filij Dei ipſi quoque nominentur. — Iob 38. — Filius Dei qualis Chriſtus. — Quòd Euangeliſta Ioannes naturalis Virginis filius nõ ſit à Domino conſtitutus, multis oſtenditur. — I. Ratio. — Ariſt. libr. 5. Metaphyſ.

Margin notes (right): II. Ratio ab accidentis natura. — III. Ratio. — IV. Ratio. — Propoſitę opinionis argumenta ſoluuntur. — Secundum argumentum. — Phyloſ. 2. Phyſic.

eſt altera pars compoſiti, & non de illo, quod largo modo dici poteſt forma. Nec valet illa diſtinctio de naturali contra ſupernaturale, vel de naturali contra adoptiuum, & ſic ſit ſupernaturale. Sed certè hoc eſt expreſsè contra dicta ſanctorum. Nam Hieronymus ſuper epiſtolam ad Epheſios colligit, Chriſtum nō poſſe dici filium adoptiuum, ſed naturalem: quia nullum vnquam tempus fuit, quo non fuit, & poſtea filius eſt factus. In hoc ergo conſtituitur differentia inter natura & adoptione filium, quod naturalis nunquam fuit non filius; at adoptiuus aliquando fuit non filius. Et Ioannes ante verba Chriſti non habuit illam relationem; ergo non poteſt eſſe filius naturalis. Adhæc Hilarius libro de Trinitate oſtendit Chriſtum non dicendum adoptiuum: *quia neque non natus eſt, qui filius eſt; neque qui filius aliter poteſt quàm naſcendo eſſe, qui filius eſt.* Hęc ille: quę probatio periret, ſi vera eſſet iſtorum doctrina. Idem pertractans illud: *Filius primogenitus meus Iſraël*: *Nō eſt*, inquit, *vera & perfecta natiuitas, vbi deputatur magis, quàm generatur: quia non ambiguum eſt eum populum, qui in filium naſcatur, & fieri. Quod autem fit, cùm non fuiſſet, & per id, quod factum eſt, dicitur naſci: non eſt in eo vera natiuitas, quia ante aliud quàm natum eſt, fuerit.* Hæc ille. Quòd autem filiatio conſequatur generationem, docet verbum Prophetæ dicentis: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: vbi vides ex generatione oriri filiationem. Ad illud verò, quod vltimo loco obijciebatur ex textu, quod Diſcipulus accepit eam in ſuam: reſpondemus, Græca exemplaria, & emendatiora Latina non habere in ſuam, ſed in ſua. Vnde Auguſtinus in Ioannem, exponens hæc verba, habet: *Sed in qua ſua Ioannes Matrem Domini accepit? Neque enim non ex eis erat, qui dixerunt ei: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te, &c. Suſcepit ergo eam in ſua, non prædia, quæ nulla propria poßidebat, ſed officia, quæ propria diſpenſatione exequenda curabat.* Hæc ille. Ita etiam legit Ambroſius in exhortatione ad Virgines. Eandem lectionem ex Græco agnouit Thomas ſuper Ioannem, & illam exponit. Et cum ex Beda allegat aliam lectionem, quæ habet in ſuam, quod nonnulli intelligunt matrem, congruentius interpretatur in ſuam, ſubaudiendo curam. Adhæc Cyrill. in hæc verba, ſcripſit: *Commendauit autem Diſcipulo Ioanni, huic qui Euangelium hoc conſcripſit; vt officium filij in eam ſeruaret: matrem ſimiliter admonuit, vt parentis in diſcipulum autoritatem haberet: amore videlicet atque charitate non minus illos coniungi voluit, quàm ſi natura maxima propinquitate coniuncti eſſent.* Vides apertè Cyrillum aſſerentem Dominum conſtituiſſe Ioannem Filium Virginis officio charitatis, non natura? Præterea Chryſoſt. idem confirmat in Ioannem his verbis: *Cùm iam abiret* (Dominus ſcilicet) *matris curam Diſcipulo reliquit: nam cùm par eſſet, vtpote matrem dolere, & protectionem quærere, meritò dilecto commendat, cui etiam inquit; Ecce mater tua. Hoc dixit, vt dilectione deuincirentur: quo cognito, Diſcipulus eam ſecum adduxit.* Subiungitque Chryſoſtomus: *Sed cur non alius cuiuſpiam mulieris meminit cum adeſſent? admouens quiddam amplius matribus tribuendum. Vt enim cum ſpiritalia impediunt, parentes ne cognoſcendi quidem ſunt: ita cùm nihil impediunt, meritò omnia his ſunt tribuenda, & omnibus præferendi: quia genuerunt, quòd educarunt, quòd innumeras pro ipſis moleſtias ſubierunt.* Hactenus ille, ex quibus verum ſenſum illorum verborum elicimus, Ioannem filium gratia & charitate erga matrem, non natura conſtitutum. Et cōfirmatur: quia Græca litera habet ἔλαβεν αὐτὴν ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος εἰς τὰ ἴδια. Id eſt: Accepit diſcipulus ille ipſam in propria, id eſt, in proprias ædes, ſiue in ꝓpria habitacula. nam eodē dicendi charactere inquit idem Euangeliſta, εἰς τὰ ἴδια ἦλθεν, id eſt, In propria venit. Nam vt hic vertit propria, ita illic in ſua. Et rurſus confirmatur hæc dicendi phraſis, tùm ex Ioanne, qui ait: *Venit hora, vt diſpergamini vnuſquiſque in propria,* vbi Græca litera habet, εἰς τὰ ἴδια, id eſt, In proprias ædes, vel propria latibula & habitacula ſecreta. Actor. 21. *Illi autem redierunt in propria,* ἐκεῖνοι δὲ ὑπέστρεψαν εἰς τὰ ἴδια, tùm ex Eccleſiaſtico: *Admitte*, inquit, *ad te alienigenam, & ſubuertet te in turbine, & abalienabit te à tuis vijs proprijs*: vbi Græcè dicitur: ἐκ τῶν ἰδίων σου. Dicitur autem per ironiam, Admitte ad te alienigenam, hoc eſt, alienum & peregrinum, cuius ingenium, & mores non ſatis habeas exploratos; & excitabit contra te tumultum, aut tempeſtatem, qua te domo tua, & poſſeſſionibus proprijs exturbet. Quod expreſſum eſt in Iugurtha, qui à Maſiniſſa Numidiæ Rege in Regiam domum receptus, ſummiſque honoribus ornatus, eius liberos poſt Regis illius mortem regno expulit, & occidit: item in Herode, qui cùm nō eſſet genere Iſraëlita, ſed Idumæus, ſiue Aſcalonites, aſcitus in familiā Hyrcani, & Ariſtobuli, qui veri erant regni Iudaici hæredes, illis ſublatis, regnum ſibi vſurpauit. Ex collatione igitur horum verborum colligimus, quid ſit quod ait, Accepit eam in ſua, ſiue in propria; pro qua voce codex Syriacus habet: Et ex illa hora rece-

Hieronym. in cap. 1. epiſt. ad Epheſios. to. 9.

Naturalis filius & adoptiuus differunt.

Hilar. lib. 12. de Trinit. ſub initium.

[illegible]are Chriſtus non ſit [illegible] dici adoptiuum, ſed na[illegible] ſecundum Hilarium.

[illegible] ibidem.

Exod. 4.

Vbi vera non [illegible] nec perfecta natiuitas eodem autore.

Vnde oriatur filiatio.

Pſal. 2.

Tertium argumentum.

Augu. tract. 120 in Ioann. ſub initium to. 9.

Matth. 19.

Ioannes Euangeliſta Matrem Domini accepit in quæ ſua.

B. Ambroſ. [illegible] 1.

B. Thomas. lect. 4. in [illegible]n.

Beda in Ioan. tom. 5.

Cyril. li. 12. [illegible] [illegible] 4. tom. 1.

Chryſoſt. ho. 84 in Ioan. tom. 3.

Parentes quatenus cognoſcendi ſint & non cognoſcendi.

Ioannes qualis filius fuerit Virginis matris.

Ioan. 1.

Infr. 16.

Eccli. 11.

Alienigenæ hominis mores & ingenia.

Iugurthæ & Herodis Aſcalonitæ regis ingratiſsimorum hominū crudelitas.

Epiphan.

recepit eam diſcipulus ille apud ſe. Et Epiphan. hæreſi 78. in Antidicomarianitas: *Dicit autem Euangelium; Et ab illa die accepit ipſam ad ſeipſum. Si verò habuiſſet virum, habuiſſet domum; ſi habuiſſet filios, in ſua ſeceſſiſſet, & non ad alienum*, vbi pro ſua Epiphanius intelligit domum vel habitacula. Diximus ſuperius, Ioannem in monte Sion ædes quaſdam, fortaſſis nutu & ſuaſione Domini pecunia comparaſſe ex hæreditate quadam ad eum deuoluta, vt Apoſtoli locum haberent tutum, in quem ſe reciperent & confugerent, & Spiritus ſancti aduentum expectarent, & vt ſanctiſſima Virgo non cogeretur hoſpitio vario vel emendicato viuere, ſed haberet & ipſa tugurium, in quo Apoſtoli & reliqui fideles ad ſe, tanquam ad firmiſſimam columnam, & commune ſolatium accedere poſſent. Protulimus teſtimonia pro hac ſententia, tùm Nicephori Calliſti, tùm Gregorij Nazianzeni in Tragœdia de Chriſto patiente, & reſpondimus, altiſſimę Ioannis paupertati, aut matris, aut Apoſtolorum nihil derogaſſe hãc communem illarum ædium poſſeſſionem: quemadmodùm neq; hodie arctiſſimam paupertatem profitentibus, quoquo modo aduerſatur commune aliquod receptaculum, aut monaſterium. Dicuntur autem propria Ioannis, quia peculiariter pecunia eius eiuſmodi ædes fuerant redemptæ: quemadmodũ Religioſus profeſſus inuiſens parentes, dicitur ire in domum propriam, cuius tamen proprietatem, vel vſum habet nullum. Hactenus igitur oſtendimus, Ioannem illis verbis filium naturalem matris Dei minimè fuiſſe conſtitutum.

Niceph lib. 2. cap 28. Gregor. Nazianzen.

In quæ Ioannes matrem Domini accepit, cur propria nominentur.

Iam neque propriè factum filium Virginis adoptiuum probandum eſt. Nam ſi ad veram adoptionem requiritur admiſſio ad ius hæreditarium, & beata Virgo tunc temporis nullas opes haberet, ex quibus hæredem Ioannem conſtitueret; nulla ergo ibi fuit vera adoptio, cuius ratio etiam ceſſabat: nam cùm Filius hominis non haberet vbi caput ſuum reclinaret, ergo nec mater, alioqui matris domiciliũ eſſet & Filij. Ad hæc Chriſtus ſi haberet ex proprijs matris bonis vnde viueret, profectò non permiſiſſet mulieres ſe ſequentes miniſtrare ſibi de facultatibus ſuis: ſed iam Chriſtus & beata Virgo nihil proprium poſſidebant, ſicuti poſt aduentum Spiritus ſancti omnia habebant fideles Chriſti in communi. Accedit, quòd Ioannes nouerat perfectam paupertatem: ergo non licebat ſibi vllum ius proprium acquirere hæreditarium. Nõ ergo poterat Ioannes verè & propriè à matre adoptari. Quanquàm ſecundùm quandam rationem diminutam ac participatam poſſit dici filius Virginis adoptiuus, ſed nõ humana ratione, verùm diuina ac ſpirituali: non ſolùm quia Euangeliſta gratiſſima officiorum obſequia Virgini præſtitit tanquam materteræ veræ, ſed etiam tanquam matri, & mater ſummam autoritatem, & affectum quendam maternum erga diſcipulum Chriſto dilectum geſſit atque exercuit, non tanquàm in nepotem conſanguineum, vt erat, ſed tanquam filium ſpiritualem. Adoptio autem ſpiritualis, per quam quis in Filium Dei promouetur, hic nõ habet locum, ſed opus ſolius eſt Trinitatis, tanquàm principij, & finis: eſt enim à ſolo Deo, & ad ſolum Deum, iuxta illud: *Dedit illis poteſtatem Filios Dei fieri.* Poteſt tamen alia ratione tanquàm mater ſpiritualis & nos in filios Dei & Chriſti fratres ſuis precibus & meritis adoptaſſe, reliquiſſeque bonorum ſuorum ſpiritualium (in quibus erat ditiſſima) hęreditatem peculiariter Ioanni, & omnibus in Chriſtum credentibus, quatenus omnium bonorum ſuorum meritorum tanquam cõmunis mater nos hæredes inſtituerit, ſuiſque ſingularibus precibus, exemplis, ac documentis adiuuat ad filiorum Dei adoptionem adipiſcendam & inuitat: vt quemadmodùm Heliſæus dicitur duplicem ſpiritum Heliæ hæreditariũ accepiſſe, quòd eius precatione Deus Heliſæum illo duplici ſpiritu ornauerit: ita ſingulares virtutes, ac pretioſiſſima merita Virginis, eius opera, & auxilio in vniuerſos electos, tanquàm communis parentis extenduntur, quanquam peculiariter, & ſingulariter in Ioannem. Et de hac quæſtione ſatis. Illud aduerte, Chriſtum non contentum nos feciſſe æterni Patris ſui filios, voluiſſe quoque alia ratione, quò nos ſibi cõiunctiores redderet, nobis eſſe propinquum, vt ex vtraq; parte, tam Patris, quàm matris, eſſemus illius fratres. Solent parentes paruis filijs tutores conſtituere; nunc contra rerum ordinem, filius matrem commendat Ioanni, quemadmodùm Dauid in perſecutione ſua commẽdatam reliquit matrem ſuam Regi Moab: quòd nimirum amicis, qui extra periculum ſunt, alios, qui in periculo verſantur, commendare ſoleamus.

Quòd nequaquam Ioãnes Euangeliſta adoptiuus filius Virginis à Chriſto ſit inſtitutus.

Ad veram adoptionem quid requiratur.

Luc. 9.

Secunda ratio

Supra 8.

Act. 2. & 4.

Tertia ratio.

Qua ratione dici poſſit Ioannes filius Virginis adoptiuus.

Adoptio ſpiritualis, qua quis in filium Dei promouetur, vbi locum habeat.

Ioan. 1.

Sanctiſſima Virgo qua ratione nos adoptare poſſit in filios.

4. Reg 2.

Chriſtus frater noſter eſt duplici nomine.

Parentum erga filios officia.

1. Reg. 22.

Quarta dubitatio eſt: Cur potius dicitur: Accepit eam diſcipulus in ſua, quàm, Accepit mater diſcipulum in ſuum. Dicendum eſt, quòd illa ob honorem, quem deferebat verbis Chriſti, procul dubio accepit Ioannem in filium: nam cùm Chriſtus ſit paſtor, & Maria ouis, Maria vocem paſtoris agnouit ſui. Et cùm Chriſtus eſſet, &

Cur potiùs dictum ſit: Accepit eam diſcipulus in ſua, quàm, Accepit mater diſcipulum in ſuum.

mater

mater ouis, quæ balatum agni ſui agnoſcit;
Ioan. 10.
ita Maria Ioannem accepit in filium. Quia
verò dubitari poterat, an Ioannes Mariam
in ſua acceptaret, quoniam adhuc nõdum
plena lux illuxerat, nec Spiritus ſanctus e-
um donis ſuis illuſtrauerat; expreſſit quod
magis dubium eſſe poterat, tacuit ꝙ minus
erat dubium; vt intelligas verbum Chriſti
fuiſſe cum poteſtate & gratia, non tantum
pręceptũ, ſiue legẽm. Ædes pręterea habe-
bat Ioannes, in quibus reciperet Deipa-
ram, Maria verò nullas in quibus reciperet
Ioãnem, ſed pro illis ędibus ad tempus, B.
Virgo excepit Ioannem in cœleſtibus mã-
ſionibus & æternis tabernaculis tanquam
peculiarem filium ſuum. Ioanni igitur cõ-
tulit virtutem & voluntatem præſtandi ꝙ
Chriſtus præcipiebat, deditque bonum v-
ſum gratię, non obſtãte poteſtate tenebra-
rum. Et reuera plus egebat Ioannes matri
Dei cõmendari, quàm contrà ipſa Ioanni:
quia incõparabiliter maiora, ac plura dona
conſecutus eſt Ioannes ex conſortio Virgi-
Deiparæ Virginis in Ioãnem custodem ſuũ & tutorem beneficia.
nis, quàm B. Virgo ex cuſtodia, miniſterio
vè Ioannis. *Ecce, inquit, filius tuus*; curam il-
lius habe, & tanquam mater amantiſſima
guberna eũ. Quaſi diceret: Hic diſcipulus
mihi charus eſt, qui de cruce mea non cõ
funditur, nec de morte ignominioſa vere-
cũdatur, ſed in finem vſque amat me, & fa-
cit voluntatem Patris mei: hic reuera meus
frater eſt, quia audiuit verbum Dei, & cu-
Luc. 11.
ſtodiuit illud: ſit mihi frater, ſit tibi filius.
Rom. 4.
Eſt autem Maria multis rationibus mater:
Maria quam multis rationibus ſit mater noſtra.
& fide, vt Abraham, qui pater eſt omnium
credentium; & paſſione in cruce parturi-
ens nos doloribus, cui ſumus in Ioanne vt
filij dati; & cura ſiue diligentia, quia ac ſi eſ-
ſet propria mater, omnibus neceſſitatibus
ſpiritualibus ſuccurrit: vnde in nuptijs pro
Ioan. 2.
vini defectu filium exorauit. Eſt & mater
antiquitate, nam ſeniores parentes dicun-
tur: hinc Maria, prima eſt poſt Chriſtum
in prædeſtinatione Dei, in cuius honorem
Eccleſ. 24.
legerit Eccleſia illud: *Ab initio, & ante ſecula
creata ſum.* Denique mater eſt dignitate:
perſonæ ſiquidem in dignitate conſtitutæ,
ſiue viri, ſiue fœminæ, patres, & matres di-
cuntur, vt Abbatiſſæ, hoc eſt, alijs fœminis
Abbatiſſę quę dicantur.
præfectæ: at B. Virgo toti humano generi
præfecta eſt cum ſumma mundi dignitate
& conſolatione. In Maria commendata
In Maria commendata Ioanni quid præfiguratum ſit.
Ioanni, & accipiente illam in ſua; intelli-
gitur primò Eccleſia credita miniſtris eius,
vt ei ſeruiant & aſſiſtant, eamque doctrina
& precibus paſcant, pręſentiaque conſolẽ-
tur. Non eſt autem à quoquam ſuapte vo-
luntate Eccleſia vſurpanda, ſed per Chriſtũ
miniſtri eius ſunt vocandi. Quãquam non
deſunt multi, qui fingant per hypocriſin ſe
eſſe prope crucem Chriſti, ambientes ali-
quam Eccleſiam, & pro ea interdũ conten
tioſè decertandes. Deinde in Ioanne virgi-
In Ioanne Virgini Deiparæ commendato qui intelligantur commendari, qui verò in matre Ioãni commendata.
ne commendãtur omnes virgines ſanctiſ-
ſimæ Deiparæ, quia & virgo virginum, &
quæ peculiarem eorum, qui virginitatem
ſuam Deo dedicauerunt, curam habet. Ad-
hęc in matre Ioanni cõmendata, addiſcant
omnes religionis cruci affixi carnales pa-
rẽtes non agnoſcere, vel propter eos à cru-
ce non declinare, ſed potius ad crucẽ attra
here, & commendare eos Ioanni, hoc eſt,
gratię Dei. Magnus igitur eſt Ioannes Euã-
Ioannis Euangeliſtæ dotes ſingulares.
geliſta, qui in vita ſingularia priuilegia à
Chriſto habuit. Nam erat diſcipulus, quẽ
diligebat Ieſus: in cœna habuit recubitum
in ſinu Chriſti; in morte Domini Ieſu pe-
culiari gratia aſſiſtẽdi ſibi in cruce inter A-
Ioan. 13.
poſtolos cumulatus eſt; ac proinde ampliſ-
Ibidem.
mũ, pretioſiſſimũ, ac iucundiſſimũ lega-
tum habuit, commendatę nimirũ ſibi ma-
tris Domini Ieſu Chriſti, cui cum Patre &
Spiritu ſancto ſempiternas laudes decan-
temus, & gratiarum actiones perſoluamus
in perpetuum. Amen.

TRACTATVS XLII.

De tenebris à ſexta hora, in horam vſque nonam factis, in illa verba: *A ſexta autem hora, tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſque ad horam nonam.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

ANTEQVAM ad quarti verbi explica-
De tenebris Chriſto patiẽte & moriente factis cur non meminerit Ioannes.
tionẽ accedam⁹, breuiter de tenebris
his, quæ præceſſerunt, philoſophandũ eſt:
de quibus tantùm tres priores Euangeli-
ſtæ loquuntur. Ioannes verò, qui deſcripſit
Chriſtum lucem veram, & inaccẽſam, ſiue
lucem mũdi, earum non meminit: & Mat-
thæus, & Marcus ferè idem continent, Lu-
cas verò nonnihil diuerſus eſt ab illis. Ait
enim: *Erat autem ferè hora ſexta: & tenebræ
factæ ſunt in vniuerſam terram vſque in horam
nonam. Et obſcuratus eſt Sol, & velum templi
ſciſſum eſt medium, &c.* Vbi quod ait: *Erat
Illud: Erat ferè hora ſexta quomodo intelligitur.
ferè hora ſexta,* idcirco dicitur, quia ſcilicet
iam pretierierat, ſed non multum: nam ab
hora ſexta, ſcilicet iam facta, atque com-
pleta, factæ ſunt tenebræ, vt Matthæus ha-
bet: nam paulò ante horam ſextam crucifi-
xus Dominus pepẽdit: nam ante tenebras
probabile eſt accidiſſe omnia illa impro-
perij genera, quæ narrant Euangeliſtæ:

(plus

Quot horis Chriſtus in cruce pependit.
Ioan. 19.

De tenebris quæ in Domini paſſione contigerunt variæ quæſtiones diluendæ.

(plus ergo, quàm tribus horis in cruce pependit Chriſtus) & cùm hora ferè ſexta appeteret, condemnatus eſt à Pilato, vt Ioannes oſtendit. De his tenebris ſtatuendum primò, an fuerint naturales, an ſupernaturales. Secundò, quomodo factę ſint, an per interpoſitionem nubium, an per ſubtractionem radiorum, an per hoc quod Luna ſe Soli ſuppoſuit, vt eclipſin efficeret. Tertiò, an fuerint vniuerſales tenebrę per vniuerſam terram, an verò ſolùm per terram Iudææ. Quartò, cur tantùm per tres horas hæ tenebræ durauerint. Quintò, quid portenderent iſtæ tenebræ, quidue ſignificarent. Et his, vt puto, bene diſcuſſis, luculẽtiorem harum tenebrarum intellectum habebimus.

An hæ tenebræ naturales fuerint, an ſupernaturales.

Ad primum igitur reſpondemus, prorſus has tenebras fuiſſe ſupra naturam: & ratio facilè conſpicitur, & quaſi manu contrectatur. Nam cùm Ieſus ſit crucifixus in decimaquinta Luna, ſiue in plenilunio, ſequitur quòd Sole exiſtente ſupra verticem cęli in meridie, ſiue hora ſexta, Luna erat in oppoſito puncto Solis ſub terra: & ideò conſueto & regulari naturæ ordine non potuerunt hæ tenebræ effici per Lunę interpoſitionem.

Quid de Dominicæ paſſionis Solis Eclypſi dixerit Dionyſius Areopagita.
II. Ratio.

Atque huic veritati atteſtatur Dionyſius Areopagita, qui huius Solis deliquij ſpectator fuit in Heliopoli ciuitate Ægypti: qui cùm rem præter naturæ ordinem videret, pronuntiauit: *Aut Deus naturæ patitur; aut tota machina mundi diſſoluitur.* Accedit quòd tenebræ naturales eclipſis nõ in plenilunio, ſed in nouilunio contingunt, & tenebræ naturales vniuerſales non poſſunt exiſtere, vt hæ fuerunt: ergo non fuerunt à natura, ſed à Deo autore naturæ, & ſupra facultatem eius operante.

Tertia.
Exod. 10.

Adhæc ſi tenebræ illæ Ægypti palpabiles per triduum ad naturam reduci non poſſunt, ſed ad Dei potentiam, ac voluntatem; quanto magis hæ tenebræ vniuerſales per totam terram. Suffragatur & B. Hieronymus, qui ſcribens in Matthæum, ait:

B. Hieron. in Mat. 27. cap. tom. 9.

Qui ſcripſerunt contra Euangelia, ſuſpicantur deliquium Solis, quòd certis ſtatutiſque temporibus accidere ſolet, diſcipulos Chriſti ob imperitiam ſuper reſurrectione Domini interpretatos, cùm defectus Solis nunquam niſi ortu Lunæ fieri ſoleat. Nulli autem dubium eſt, Paſchæ tempore Lunam fuiſſe pleniſſimam. Et ne forſitan videretur vmbra terræ, vel orbis Lunæ Soli oppoſitus, breues, & ferrugineas feciſſe tenebras, trium horarum ſpatium ponitur, vt omnis cauſantium occaſio tolleretur. Et hoc factum reor, vt compleatur prophetia dicens: Occumbet Sol meridie, & contenebrabitur ſuper terram in die lux. Et in alio loco: Occubuit Sol, cum adhuc media eſſet dies. Videturq; mihi clariſſimum lumen mundi, hoc eſt, luminare magis retraxiſſe radios ſuos, ne aut pendentem viderent Dominum, aut impij blaſphemantes ſua luce fruerentur.

De tenebris Dominicæ paſſionis vaticinium
Amos 8.
Ierem. 15.

Euthymius in Matthæum: *Poſt petulantiæ, inquit, ac ſcommatum ſatietatem id factum eſt, vt quieſcente iam furore, aliquid à miraculo fieri poſſet. Admirabilius enim erat hæc facere eum qui cruce pendebat, quàm à cruce deſcendere. Quòd ſi hæc eum facere non ſuſpicabantur, ſed quòd Deo hæc operante prouenirent; timere ſanè oportebat, intelligere quod propter hunc ad iram commotus eſſet. Neque enim dicere potuerunt quòd Solis Eclipſis ſecundùm naturam eſſet: nam ipſa & in vno temporis accidit momento, & in vna parte terræ, & non in decimoquarto die Lunæ; hæ verò tenebræ & ad tres horas perſeuerarunt, & ſuper vniuerſam terram & decimoquarto die Lunæ, quando impoſſibile eſt ſecundum naturam contingere Solis Eclipſin.* Hæc ille.

Euthym c. 67 in Matth.

Et ſimilia iſtis docet Theophylactus. Sed vt reliqua Chriſti miracula, ac ſigna quæ prorſus omnem naturæ facultatem excedebant, illi præ inuidia aut naturæ, aut dæmoni tribuebant: ita prorſus de his tenebris factum eſt.

Theophyl. in Matth.
Matth 12.

Nam ſi quicquam fidei dandum eſt apocrypho Nicodemi Euãgelio, in eo habetur, veniſſe Centurionem ad Præſidem, referentem omnia ſigna quæ facta erant: vocatiſq; Iudæis dixiſſe: *Vidiſtis ſigna quæ facta ſunt in Sole, & cætera omnia quæ facta ſunt, dum Ieſus moreretur?* Iudæoſque reſpondiſſe: *Eclipſis facta eſt Solis ſecundùm veterem conſuetudinem.* Hæc ibi.

Nicodemi Euangelium.
De tenebris in Dominica paſſione factis Iudæorum priores quid ſenſerint.
IV. Ratio.

Prætereà cùm ſtellæ lumen quodcunque habent, à Sole mutuentur; Si hæc Solis defectio per retractionem radiorum contigiſſet, certè ſtellæ in cœlo minimè videri potuiſſent, quemadmodùm nocte videntur: at, vt teſtantur Phlegon, & Paulus Oroſius, ſtellæ in illa horrida nocte à cunctis perſpectæ ſunt. Non ergo per retractionem radiorum.

Stellæ lucem quam habent, à Sole mutuantur.
Phlegon.
Paul. Oroſ lib. 7 cap 4. poſt med.

Ad ſecundam dubitationem de ratione & modo tenebrarum, præmittendum eſt tres eſſe ſententias. Prima eſt Origenis in Matthæum, vbi habet: *Si ergo tenebræ factæ ſunt ſuper omnem terram Sole non nominato, ſine dubio conſequens eſt intelligere quaſdam teneroſiſſimas nubes, & fortè non vnam, ſed multas & maiores concurriſſe ſuper terram Iudæam, & Ieruſalem, ad cooperiendos radios Solis; & ideò profundæ factæ ſunt tenebræ à ſexta vſque ad nonam. Et tales fuiſſe ſcribit tenebras Ægypti.* Hæc ille.

Hæ tenebræ qua ratione factæ ſint.
I. Opinio.
Orig. tract. 35. in Matt. à med. to. 2.
Exod 10.
Refellitur hæc opinio multiplici ratione.

Sed ſanè ſi ſic res haberet, vniuerſales tenebræ minimè fuiſſent, ſed particulares: contra textũ ipſum. Adhæc Lucas expreſſe meminit Solis obſcurati prętertenebras; imò tenebras ex ſole obſcurato ortas, vt diligẽter annotauit Auguſtinus libro de Ciuitate Dei. Prophetæ quoq; à Hierony-

Aug. lib. 3. de Ciuit. Dei

mo ſu-

cap 11. tom. 5. & epiſt. 8. tom. 2. Amos 8. Ierem. 15. Ioſ. 10.

mo ſuperius citati, nempe Amos, & Ieremias; de defectu lucis loquuntur nominato Sole. Adhæc non videtur tanta potentia crucifixi operantis ſolùm in aëre, quanta eſſet ſi in cœlo & Sole ipſo ſigna eſſent edita, ſi olim Ioſue & Soli & Lunæ imperauit. Prætereà ſi res geſta eſt per nubes cōdenſas, non poſſent in meridie cōſpici ſtellæ in cęlo, vt tradit Phlegon Olympiadum ſcriptor inferius citandus: nec potuiſſet ita limpidè in Ægypto Dionyſius hoc miraculum cernere, quia nihil mutatum eſſet in Sole. Secunda ſententia eſt B. Hieronymi iā citati, qui aſſerit tenebras factas per retractionem radiorum, nō per obiectam Lunam Soli: tùm quia non poſſent eſſe vniuerſales tenebræ, cùm Luna ſuppoſita Soli totam terram tegere nequeat. Atque hanc ſententiam ſequitur Oroſius, dicens: *Deinde anno eiuſdem* (Tiberij ſcilicet Cęſaris) *XVII. cùm Dominus Ieſus Chriſtus voluntariè quidem ſe tradidit paſſioni, ſed impiè à Iudæis apprehenſus, & patibulo ſuffixus eſt, maximo terræmotu per orbem facto, ſaxa in montibus ſciſſa ſunt maximarumq; vrbium plurimæ partes plus ſolita concuſſione ceciderunt. Eadem quoque die ad horā diei ſextam Sol in totum obſcuratus, tetraque nox ſubitò obducta terris eſt, & ſicut dictum eſt:*

Phlegon. Olympiadum ſcriptor.

II opinio. B. Hieron.

Oroſ. ſupra dicto loco.

Virgilius 1 Georgicorum prope finem.

> *Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.*

Vſque adeò autem neque Lunam lumini Solis, neque nubes obſtitiſſe manifeſtum eſt, vt decimaquarta ea die Lunam tota cœli regione interiecta, longiſſimè à conſpectu Solis abfuiſſe: & ſtellas tunc diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte toto cœlo fulſiſſe referatur. Quod non ſolùm ſanctorum Euangeliorum fides, ſed etiam aliquanti Græcorum libri atteſtantur. Hæc ille. Sequitur idem Caietanus, & alij nonnulli. Quòd etſi ob autoritatem Hieronymi probabile ſit; probabilius tamen eſt, & maiori fide dignum, quod ipſimet qui viderunt, ſcriptis conſignarunt ſuis: ex noſtris quidem, Dionyſius Areopagita; & ex externis Phlegon Hadriani Libertus, & Olympiadum egregius ſupputator. Ait enim Dionyſius Aſtrologus peritiſſimus, in epiſtola ad Polycarpum, diſputans contra Apollophanem ſophiſtam: *Quid de illo qui tempore crucis Dominicæ factus eſt Solis defectu, dicturus es? Eramus tunc ambo apud Heliopolim* (quæ nunc dicitur Damiata) *amboq; ſimul incidentem mirabiliter ſoli Lunæ globum notabamus (non enim eiuſce coniunctionis tunc aderat tempus) ipſamque rurſus ab hora nona ad veſperam ad Solis diametrum ſupra naturæ vires reſtitutam. In memoriam autem illius reuoca & aliud quiddam. Nempe enim (vt ipſe non ignoras)*

Caietanus.

Tertia opinio cæteris præſtantior.

Dionyſ. epiſt. 7 ſub finem.

Heliopolis Ægypti ciuitas, nunc Damiata dicta.

eam Lunæ incidentiam ab Oriente cœpiſſe, & vſque ad Solaris corporis finem perueniſſe; ac tùm demum reſiliiſſe notauimus. Neque verò eadem ex parte, vt aſſolet, & incidentia illa, & repurgatio facta eſt, ſed ex aduerſo diametri. Hæc ſunt quæ tunc temporis contigêre naturam profectò ſuperantia, ac ſoli Chriſto poſſibilia, qui autor eſt omnium, facitque magna & ſtupenda, quorum non eſt numerus. Iſta illi (ſi licuerit) dicito. Ea ſi potes Apollophanes argue: nempe enim præſens vna tecum affui, vnaque aſpexi, ac dijudicaui omnia, dignaque ſum admiratione proſecutus. Denique tunc neſcio quo afflatus ſpiritu, ad diuinationem quoque prorupit Apollophanes, atque ad me conuerſus: Hæ, inquit, ô præclare Dionyſi, diuinarum ſunt viciſſitudines rerum. Hæc ille. Qui verò hanc epiſtolam adulterinam, ac ſuppoſititiam eſſe exiſtimant, profectò delipere mihi videntur; cum nulla ratione producta illam reijciant, & cum epiſtola ad Apollophanem Philoſophum idem ipſum confirmet his verbis, dicens: *Cæterùm vt ſuperna lux paternæ gloriæ, ſuum ſplendorem in tuæ mentis tenebras infulgere ſua voluntate diſpoſuit, protinus cordis mei penetralibus infudit, vt piiſſimam recordationem, & geſtæ rei monumentum, tuis oculis ſubijcerem; vt videlicet in Heliopoli tu quidem penè mihi coæuus, & ego quinque & viginti ferè annorum tempus euoluens, vnà morantes conſtiteramus, cùm feria quadam ſexta, & hora etiam penè ſexta, Sol horribilibus ſubitò eſt obſitus tenebris, Luna ipſum intercurrente, quia non Deus, ſed creatura Dei, in ipſius veræ lucis occubitu lucere non potuit. Quærebar enim tum apud te, qui mihi ſanè ſapientiſſimus videbaris, quid ipſe inde ſentires. Tu verò mirabili prudentia ſubintuliſti, quod vſque adeò penetralibus mentis meæ altè inhæſit, vt nulla obliuione deleri, nullaque vnquam mortis valeat imagine deteri. Offuſi enim tenebris ipſi eramus, orbem Solis vndequaque, & ex æquo occupante caligine, & poſteaquam repurgatio, reſtitutioque facta eſt, Luna ad Solis diametrum conuerſa aufugit. Et tunc quoque regulam Philippi Aridæi aſſumpſimus, cumque reperiſſemus (quod & erat notiſſimum) eo tempore Solem eclipſis moleſtias, laboreſque minimè perpeti debuiſſe, ac nihilominus Lunam ab Oriente Solarem ſplendorem pullis, nigrantibuſque velis obduxiſſe, cùm ſoleat ex Occidua parte Solem ingredi. Tunc autem opifices lucis theſauros, caliginibus (quas ipſa genuerat) ad Occiduos vſque Solis fines peruagata (vt ipſi putauimus) occultauit; cùm tamen & Lunæ id tempus deeſſet, neque coitus tempus vicinum eſſe cognoſceretur. Aio ad te (neque enim adhuc myſterij tantæ rei conſcius eram) O ingentis prudentiæ promptuarium, quid inquam ô doctrinæ ſpeculum Apollophanes, his ſecretis adſcribis? Ad quæ, neſcio quo pacto,*

Iob 5.

Aduerſus negantes Dionyſij epiſtolam ad Policarpū, eſſe Dionyſij, ſed ſuppoſititiam, ac ſpuriam.

Idem epiſt. 11. paulo ante medium.

Dionyſius vigintiquinque erat annorum tempore paſſionis Chriſti.

Philippus Aridæus Philoſophus & Aſtronomus.

diuino quodam afflatu,& non humani ſenſus ſermone, ſubintuliſti: Hæ, ô bone Dionyſi, diuinarum viciſsitudines ſunt rerum. Denique verò annotatum diligenter feriæ diem, & annum, annũtiationem quam ſacer Paulus noſtris attentis auribus infudit, conſentientibus ſignis conſpirare, & concordari expertus, manus veritati ſubmiſi, & falſitatis nexibus ſum abſolutus. Quam quidem veritatem mirificè effero, & quam tibi communico: quæ eſt via & vita,& lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Cui tu tandem vt verè prudens acceſsiſti. Hactenus Dionyſius, non tantum ſuperiora confirmans, ſed etiam de die & hora diſtinctius loquens, & quod prædicatione Apoſtoli Pauli, cum ea contigiſſe die quo Chriſtus cruci ſuffixus fuit, intelligeret, ad fidem cõuerſus fuit, & etiam Apollophanes ſophiſta,tametſi tardius. Quòd ſi etiam quiſquam de his Dionyſij dictis confirmari velit, legat vitam Dionyſij Areopagitæ,vel per Suidam, aut per Michaëlem Singellum, vbi hæc ferè omnia habẽtur. Et Suidas refert, Dionyſium, poſtquam audierat Apollophanem dicentem: *Hæ diuinarum viciſsitudines ſunt rerum*, dixiſſe: Ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει. id eſt: *Aut diuinitas patitur, aut patienti compatitur.* Et vtrumque impletum eſt: nam & Deus erat, ſi perſonam ſpectes, qui patiebatur, ſed in humanitate; & humanitati, in qua ſolùm pati poterat, compatiebatur Deus, & ſignum compaſſionis per omnes creaturas edebat. Idem etiam confirmatur autoritate Phlegetontis, de quo Euſebius in Chronico ſic habet: *Ieſus Chriſtus filius Dei ſalutarem cunctis prædicans viam, & miracula, quæ in Euangelijs ſcripta ſunt, facit. Diſcipulos ſuos diuinis imbuens Sacramentis, vt vniuerſis gentibus conuerſionem ad Deum nuntient, imperat. Secundum Prophetias quæ de eo fuerant prolocutæ, ad paſſionem venit anno Tiberij XVIII. quo tempore & in alijs Ethnicorum commentarijs hæc ad verbum ſcripta reperimus: Solis facta defectio, & tenebræ ſuper vniuerſam terram: Bithynia terræmotu concuſſa, & in vrbe Nicena ædes plurimæ corruerunt: quæ omnia his congruunt, quæ in paſſione Saluatoris acciderunt. Scripſit verò ſuper his & Phlegon, qui Olympiadarum egregius ſupputator eſt, in 14. libro, ita dicens: Quarto autem anno. 202. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis eſt facta, dies hora ſexta ita in tenebroſam noctem verſus, vt ſtellæ cœlo viſæ ſunt terræq; motus in Bithynia Nicenæ vrbis multas ædes ſubuerterit.* Hæc ſupradictus vir: quem etiam producit Origenes in Matthæum. Hic ergo externus ad eclipſin refert illã defectionem, quæ in cruce contigit, quæ ſimul cõiunctum habuit terræmotum. Hanc ſententiam confirmat quoque Sedulius in opere ſuo Paſchali, dicens:

Paulum Dionyſius ſacrum appellat. Actor. 17. & ſeq.

Ioan. 1.

Suidas.

Euſeb. Cæſ.

Phlegonis teſtimonium de tenebris Dominicæ paſſionis.

Origenes Ibidem.

Interea horrendæ ſubitò venere tenebræ,
Et totum tenuere polum, mœſtiſque nigrantem
Exequijs texere diem; Sol nube coruſcos
Abſcondens radios, tetro velatus amictu
Delituit, triſtemq; repleuit luctibus orbem.
Tota ſibi oppoſitum fratrem quod Delia haberet,
Cùm ſuberat terris, ſuper ille in culmine cœli,
Impia perpetuam timuerunt ſecula noctem.

Sedulius lib. 4. Oper. Paſchal.

His accedit, quod Ioël Propheta de primo Chriſti aduentu loquens, quia præceſſit: *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem; & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ, &c.* ait: *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* In quæ verba commentans Hieronymus ſcribit: *Sol quoq; eſt verſus in tenebras, quando pendentem Dominum ſuum videre non auſus eſt, & Luna in ſanguinem. Quod aut iuxta hiſtoriam factum eſſe credamus, & ab Euangeliſtis ſilentio prætermiſſa ſunt: neq; enim omnia quæ fecit Ieſus ſcripta referuntur: quæ ſi ſcriberentur per ſingula, nec ipſum quidem arbitror mundum capere eos, qui ſcribendi ſunt libros. Aut certè quomodo Sol verſus in tenebras eſt: non quòd ipſe ſit mutatus in tenebras, ſed tenebras mundo induxerit: ſic & Luna non eſt verſa in ſanguinem, ſed Iudæos blaſphemiarum & negationis in Chriſtũ horrore coopertos, æterno teſtimonij ſui ſanguine condemnauit, dicentes: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Hæc omnia priuſquam dies Domini veniat magnus, & horribilis futura deſcribit. Dies autem Domini magnus & horribilis, aut reſurrectionis eſſe credendus eſt, aut certè multa poſt tempora dies iudicij, qui verè magnus eſt, & horribilis. Sed quia ſequitur: Et erit omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit; & hoc Apoſtolus Paulus refert ad tempus Dominicæ paſsionis, magis de reſurrectionis die intelligendum eſt.* Et infra: *Locus hic difficillimus eſt, & triplicem recipiens explanationem: vt ſub tropologia omnia quæ dicta ſunt, ad illa tempora referamus, ad quæ Petrus, & Paulus Apoſtoli retulerunt: hoc eſt, quando paſſus eſt, & reſurrexit.* Hactenus doctiſſimus Hieronymus. Rectè ergo Petrus hæc verba allegauit in Actis, ſicut Paulus ad Romanos. Meritò etiam Crucifixi picturis ſolent adiungi Sol & Luna, quæ ſola mutationem, hoc eſt, anteceſſionem, & retroceſſionem paſſa eſt. Sol verò in ſe ipſum nihil, ſed obiectu Lunæ radios nobis ſuos abdidit. Albertus Magnus in verba Lucæ: *Et obſcuratus eſt Sol*, liberiùs loquens ait: *Quidam mentiuntur, quòd Sol obſcuratus ſit retractione ſui*

Ioel. 2.

Hieronym. in Ioelle c. 2 in fin. tom. 16.

Ioan. 21.

Lunæ in ſanguinem conuerſio in paſſione Domini ea quid myſtice ſecundum Hieronymũ.

Matth. 27.

Dies Domini magnus, & horribilis ſecundum Ioel quidnam ſit teſte Hieronymo.

Rom. 10.

Actor. 2.

Albertus Magnus in Luc. 23.

luminis

Dionyſ. loco citato.

luminis. Sed Dionyſius qui hoc vidit, dicit, quod Luna ſe Soli horribiliter ſubmiſit. Hæc ille. Probabilior ergo multò, & Scripturis magis conſona videtur hæc ſententia, eclipſin illam fuiſſe per Lunæ interpoſitionem. Præterea Auguſtinus epiſtola ad Heſychium, idem docet, dicens; *Quando nos vidimus Solem ſic obſcuratum, quemadmodum obſcuratus eſt, cùm lumen mundi penderet in ligno? niſi fortè defectus Solis, & Lunæ, quos conſueuerunt computatores Syderum annotare, atque prædicare, inter cœleſtia prodigia numerabimus, quia Lunam ſæpiùs in ſua plenitudine, Solem verò rarius, ſed tamen vidimus in fine Lunæ, ſecundùm eorum computum defeciſſe. Non erat talis Solis ille defectus, quando crucifixus eſt Chriſtus; & ideò verè mirabilis erat, & prodigioſus. Paſcha quippe fuerat Iudæorum, quod non niſi in plenitudine Lunæ celebratur. Secundùm Aſtrologorum autem numeros certum eſt, Solem, quando Luna plena eſt, non poſſe deficere, ſed quando finis eſt Lunæ, non quidem ſemper, ſed aliter nunquam, cùm ſecundùm illos numeros deficit. Quid ergo tale vnquam quiſquam meminit apparuiſſe de cœlo, ex quo Dominus illa produxit, quale apparuit, quando paſſus eſt?* Hæc ille, atque eadem docet libr. 3. de Ciuitate Dei, cap. 15. Qua ſententia poſita obſcurationis Solis, quinque miracula in hoc portento enumerare poſſumus. Primum eſt ex parte temporis, quia in plenilunio, ſiue in decimaquinta Luna naturaliter eclipſis nequit cõtingere. Secundum in curſu Lunæ, quę naturali, ac ſuo proprio motu ab Occidente in Orientem progreditur. In hac autem obſcuratione viſa eſt Dionyſio velociſſimè prętet naturam moueri ab Oriente verſus Occidẽtem, donec ſe Soli ſuppoſuit, & eius lucem nobis ſubtraxit. Tertium miraculum eſt ex parte, à qua cœpit eclipſis. Nam Solis deliquium, ſecundùm naturæ ordinem, ſolet in parte Solis Occidua incipere, & paulatim progredi, donec in Orientali finiat: at huius eclipſis initium fuit à parte Solis Orientali: nam Luna ab Oriẽte retroceſſit verſus Occidentem, & ita cœpit primum obſcurare Solem in parte eius Orientali. Quartũ miraculum eſt, quòd poſt peractã eclipſim, corpus Solare cœpit illuſtrari ex parte illa Solis, quàm vltimò obſcurauit, & poſtremò pars illa, à qua prima cœpit Solis eclipſis; cùm contrarium contingat in eclipſi naturali. Nam pars illa Solis, quæ primùm obumbratur per interpoſitionem Lunæ, prima incipit lucida apparere, & poſt illam media Solis pars, & tandem vltima. Cuius rei ratio eſt in promptu: quia Luna in eclipſi illa, quę contigit Chriſto pendente, Solem non pertranſiuit, vti in naturali deliquio contingere ſolet, ſed ſub eo ſtetit, triũ horarum ſpatio, nullo motu edito in partem anteriorem, aut poſteriorem: ac deinde non vltra pertranſeundo, Solem̃ reliquit, ſed retrorſum ad Orientem, vnde venerat, reuerſa eſt. Quintum ſignum eſt ex mora, & duratione eclipſis, quę ſecundùm naturam diu durare non poteſt, ſed celerrimè abſoluitur, propter nimirum Solaris corporis ad corpus Lunare exceſſũ in quãtitate, & velociſſimum Lunæ motum: ſiquidem ob velociſſimum motum Luna non valet aſpectui noſtro diu Solem occultare, quòd ſit corpus tantæ molis, quin aliqua ex parte emicare incipiat. Quemadmodùm ad oculum experimur nonnunquam magnæ quantitatis molem, vt montem, noſtris oculis per minimi corporis interpoſitionem abſcondi: quod tamen vel ſi ad tranſuerſum vnguem loco moueatur, mox illa moles in aſpectũ incurrit noſtrũ, quæ antè erat occulta. Cunctaque hęc miracula Dionyſius Areopagita in prædictis epiſtolis, paucis verbis expreſſit. Et hæc de ſecunda quæſtione.

Aug. epiſt. 80. aliquãto poſt dimid. to. 2

Iudęorum paſcha quando celebretur.

Tim. 5.

In eclipſi Dominicę paſſionis quot ſigna numerantur. Primum ſignum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Exemplum.

At tertiam dubitationem dicendum eſt, Origenem in prædicto loco ſuper Matthæum ſenſiſſe, tenebras fuiſſe ſuper terram Ieruſalem, cuius hæc ſunt verba: *Arbitror ergo: ſicut cætera ſigna, quæ facta ſunt in paſſione ipſius, in Ieruſalem tantummodò facta ſunt; ſic & tenebræ tantummodò ſuper omnem terram Iudæam ſunt factæ vſque ad horam nonam. Quæ aũt dico in Ieruſalem, tãtummodò hæc facta ſunt, quòd velum templi ſciſſum eſt, quòd terra contremuit, quod petræ diruptæ ſunt, quòd monumenta aperta ſunt. Nec enim extra Iudæam petræ diruptæ ſunt, aut monumenta aperta ſunt alia, niſi ea tantùm, quæ in Ieruſalem erant, aut forte in Terra Iudæa. Nec alia terra tremuit tunc, niſi terra Ieruſalem: nec enim refertur alicubi, quod omne elementum terræ tremuerit in tempore illo, vt ſentirent (verbi gratia) & qui in Æthiopia erant, & in Scythia: quod ſi factum fuiſſet, ſine dubio inueniretur in hiſtoriis aliquibus eorum, qui in Chronicis ſcripſerunt noua aliqua facta. Sicut ergo quod dicitur: Terra contremuit, refertur ad terram Ieruſalem, aut ſi latiùs voluerit quis extendere, ad terram Iudæam: ſic & tenebræ factæ ſunt ab hora ſexta vſque ad nonam ſuper omnem terram, intelligite, quòd ſuper omnem terram Iudæam ſunt factæ, aut certè ſuper Ieruſalem tantum.* Ambroſius quoque in Lucam, *Tenebræ igitur offuſæ ſunt oculis perfidorum, vt fidei lumen refulgeret. Sol occidit ſacrilegis, vel refugit, vt funeſti ſpectaculum ſceleris obumbraret.* Quibus verbis inſinuare videtur Ambroſius, ſolis Iudæis obſcuratum Solem. Eraſmus etiam ſecutus eſt hanc ſentẽtiam Ori-

An fuerint vniuerſales tenebræ per vniuerſam terrã, an verò ſolùm per terram Iudææ.

1. Opinio.

Origenes vbi ſupra.

Ambr lib. 10. in Luc. 10. 5.

Eraſmus in annotat in c. 27. Matth.

genis, vt probabiliorem: quod improbabile ſit, rem tantam à nullo Ethnico ſcriptore enarratam. Et Theodorus Beza, homo hæreticus, familiare eſſe dicit Scriptoribus ſacris, terræ appellatione, etiamſi nihil aliud adijciatur, intelligere terram, vel regionem Chanaam: vt Matthæi 9. dicitur: *Exijt fama hac in vniuerſam terram.* Hæc ille. Prætereà congruit, vt ſicut olim Ægyptios tunc in pœnam peccati, tenebræ oppreſſerunt; ita nũc cæcitas cõtingat Iudęis, vt lux collata Gentibus deſignetur.

Theod. Beza hæreticus.

Exod. 12.

At reuera oppoſita ſententia, & probabili... eſt, & Scripturis cõgruentior, & maieſtati Christi magis conſona. Nam inprimis vim literæ inferunt, qui in verba illa: εἰς ὅλην τὴν γῆν, vel εἰς πᾶσαν τὴν γῆν, id eſt, in vniuerſam terram, vel in totam terram, interpretantur, vel reſtringunt potiùs ad terram Iudææ, cùm ea vox à Græcis & à Latinis non pro vna aliqua parte terræ, ſed pro vniuerſa, atque habitabili vſurpetur. Nam quod de cœlis dicitur: *In omnem terram exiuit ſonus eorum,* non poteſt ad vnam tãtum terrę partem accommodari, ſed ad vniuerſam. Ad hæc portentum Ioſue, cùm dixit: *Sol contra Gabaonne mouearis, & Luna contra vallem Aialon:* non tantùm in vnica parte mũdi accidit, ſed ſuper vniuerſam terram. Quemadmodum & retroceſſio Solis per decem lineas in horologio Achaz tempore Ezechiæ, non tantùm Iudæis comperta fuit, ſed etiã exteris gentibus; vnde & Chaldęi legationem adornarunt ad Ezechiam, vt magis certi redderentur de portento illo Solis. Ergò multò magis hoc tenebrarũ portentum debuit eſſe commune, & vniuerſale omnibus gẽtibus. Deinde quadrat magis rationi: quia cùm ad glorificationẽ pendentis in cruce mundi conditoris Eclipſin fieri voluit gubernator naturæ, conueniebat miraculum hoc tenebarum omnibus nationibus, ſaltem ijs, quæ ſunt ſub noſtro hemiſpherio, eſſe commune, vt etiam exteris nationibus abominandi facinoris tam inſolita eclipſis teſtimonium ferret, & vt apud omnes Lapidis reprobati innocentia cœlitus clareſceret, quandoquidem & agnus ille ad ſalutem omnium immolabatur, & fructus eius ad omnes mundi nationes ſpectabat: imò & ſcelus crucifigendi Chriſtum, omnes peccatis noſtris per Iudæos adminiſtros admiſimus. His accedit teſtimonium Gentilium: qui cùm longè eſſent à Iudæa, hoc tamen Solis deliquium tanquam portentum maximum annotarũt. Sibylla ſiquidem in libro oraculorum editorum, circa finem, multa de Chriſto prædicit:

Secunda opinio vniuerſales aſſerens tenebras toto in orbe fuiſſe, probatur multis argumentis.

Pſal. 18.

Ioſue 10.

4. Reg. 20.

2. Paral. 32.

Secundum argumentum.

Tertium argumentum teſtimonijs Sybillinis, & aliorũ Ethnicorum.

Sed manibus panſis cum menſus cuncta coronam
De ſpinis tulerit, nec non latus eius arundo
Fixerit acta manu, cuius cauſa tribus horis
Nox tenebroſa die medio, monſtroſaq; fiet.

Sibylla lib 1. Orac.

Et altera Sybilla ab alijs producta habet: *Templi autem ſcindetur velũm, & die media nox erit in tribus horis.* Et ſicut viſis ſignis dixit Centurio: *Verè Filius Dei erat iſte,* ita etiam in Aegypto apud Heliopolim Dionyſius & Apollophanes hanc Solis defectionem, vt rem pręter naturæ ordinem factam, animaduerterunt, ſicut & Phlegon citatus ab Origene & Euſebio annotauit. Adde etiã iam verba Tertulliani, teſtantis hæc non ignota fuiſſe Romanis: ait enim in Apologetico: Eodem momento dies, mediũ orbem ſignante Sole ſubducta eſt. Deliquiũ quoque putauerunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſciuerunt: & tamen eum mundi caſum relatum in archiuis veſtris habetis. Lucian. quoque Antiochenus, vir moribus, & eruditione præcipuus, cum Gentibus de Fide diſputans, vt autor eſt Euſebius, ſic ait: *Solem nobis ipſum horũ produco teſtem: qui, cùm hæc fieri per impios videret in terris, lumen ſuum meridie abſcondit in cœlo. Requirite in Annalibus veſtris, & inuenietis temporibus Pilati, Chriſto patiente, fugato Sole interruptum tenebris diem.* Sic ille. Adhæc eclipſin illam tenebroſam, ac terræmotum per vniuerſum orbem accidiſſe teſtatur Oroſius. Imò ex hoc ſigno apud Athenas Ignoto Deo ferunt aram fuiſſe inſcriptam: hoc eſt, Chriſto Deo vero ſub humanitate deliteſcenti, vt quidam tradunt. Chryſoſtomus in Matthæum, tenebras vniuerſales fuiſſe his verbis teſtatur, dicens: *Quippe mirabilius erat in patibulo crucis pendente ipſo, quam humi gradiente illa fieri. Acciditq; etiam, quòd de cœlo illa facta ſunt, quemadmodum Iudæi petebant, & in vniuerſo terrarum orbe, quod nondum plus accidit, niſi in Ægypto duntaxat, quando Paſcha erant celebraturi. Illa enim hæc figuratè ſignificabant. Tu verò etiam animaduerte, quando tenebræ fiunt, in media videlicet die fiunt, vt vniuerſi qui terram habitant, videant: quia dies vbique terrarum tunc eſt.* Hæc ille. Quòd ergo aliquando vniuerſa terra dicatur ſola terra Iudææ, illud ex circumſtãtijs, aut alijs Euangeliſtis colligitur, quorum vnus alterum interpretatur. At hoc loco ex magnitudine rei, & ex alijs circumſtantijs, & ex Scriptoribus Ethnicis, quos Eraſmus aut non vidit, aut videre noluit, planè colligimus vniuerſales tenebras. Neque valida eſt conſequentia: Nullus hiſtoricus Ethnicus meminit diei producti tempore Ioſue, vel tempore Ezechiæ, ergo illa ſigna

Tertullian.

Lucian. Antiochenus.

Euſeb lib. 9. Eccl hiſt. c. 9. in fine tom. 1.

Quartum argumentum.

Oroſ. lib. 7. Sap 4. poſt med.

Actor. 17.

Chryſ. hom. 89. in Matt. tract. tom. 2.

Matth. 12.

Infra 16.

Exod. 10.

Ioſ. 10.

4. Reg. 20.

ſigna vera non extiterunt. Neque aduertimus, Deum voluiſſe nos à Solo Deo pendere, & ex teſtimonio literarum ſacrarum, & non à fide hiſtoriarum ab Ethnicis ſcriptarum. Et magna differentia eſt de tenebris, atque alijs ſignis, quæ non fuerunt facta extra Iudæam, vt, veli templi diſciſſio, monumentorum apertio, mortuorum reſurrectio: quia tenebras apertè tres Euangeliſtæ referunt fuiſſe ſuper vniuerſam terram; de reliquis verò poſt mortem Chriſti à Matthæo enarratis nihil tale dicitur. Solùm ſupereſt illud argumentum ſoluere: quia, vt aiunt, Lunæ corpus cùm minus ſit tota terra, quomodò ergo potuit vniuerſalis eſſe eclipſis, aut tenebræ ſuper vniuerſalem terram Lunæ obiectu? Quare quidam eò deuoluuntur, vt cogitent ſimul fuiſſe cum Lunæ interpoſitione aliquam radiorum tetractionem, cùm Sol non libertate voluntatis, ſed neceſſitate naturæ agat. Verùm ad hoc non cogimur, ſi dicamus, radios Solis, qui in terram deſcendere ſolent, fuiſſe diuina virtute, aut per intelligentiam Solem regentem non quidem ſubtractos, ſed compreſſos, & coactos, vt in oppoſitam ſibi Lunam contorquerentur, & ab ea obumbrarentur ita, vt verum ſit dicere, tenebras fuiſſe ſuper vniuerſalem terram habitabilem. Nam ille, qui Lunam prȩter naturæ curſum Soli ſuppoſuit, potuit ſimul & hoc præſtare. Illud autem eſt veriſimile, Lunam ſe directè oppoſuiſſe Soli ex ea parte, qua reſpiciebat ſceleris huius nefandiſſimum locum, id eſt, inter Iudæam terram, & Solem ipſum. Dices; Quid ergo opus fuit Lunæ interpoſitione, ſi Solis radij erant aut ſubtrahendi, aut in Lunam intorquendi, vt fierent tenebrȩ vniuerſales? Reſpondeo, id factum Dei voluntate, qui voluit Lunam ſuo modo ſibi inſeruire, & ſceleris, quod admittebatur, horrorem demonſtrare, & ſuo conditori commiſerationis ſenſum oſtendere: quemadmodùm ante diem iudicij erunt ſigna in Sole, & Luna, & ſtellis. Deinde ob myſterium, quia Luna, id eſt, B. Virgo, de qua illud canimus: *Pulchra vt Luna*, Soli iuſtitiæ Chriſto ſe oppoſuit, & per amorem ſingularem, & vnum, atque eundem doloris ſenſum ſe illi voluit coniungere. Et hæc de tertio.

Cum Lunæ corpus terra ſit minus; quomodo verum ſit, tenebras ſuper vniuerſam terram factas ex obiectu Lunȩ.

Quid opus fuerit Lunæ interpoſitione, ſi Solis radij erant aut ſubtrahendi, aut in Lunam intorquendi, vt fieret Eclipſis.

In Luna B. Virgo deſignatur. Luc. 21. Cant. 6.

Ad quartum verò reſpõdemus, per tres tantum horas tenebras duraſſe, quia illo tempore Chriſtus patiendo tormenta pependit in cruce: & tres dies tenebrarum præceſſerunt per vniuerſam Ægyptum, antequàm immolaretur agnus, & occiderentur primogenita Ægypti, & liberaretur populus Dei, in typum trium horarum, quibus terra obſcurata eſt Chriſto pendente. Adhæc iſtæ tenebræ Iudæos per hoc peccatum priuatos Patris, & Filij eius, Spirituſque ſancti illuſtratione teſtantur: & poſt tres dies reſurrectionis lux ventura erat, vt olim puer Ieſus perditus, poſt triduum inuentus eſt à matre. Saulus percuſſus à Chriſti luce, per triduum in tenebris manſit, antequam miniſter, & annuntiator lucis fieret. Sexta die creatus Adam vidit primam lucem: ſexta occiſus ſecundus Adam vidit tenebras, & abſcondita eſt lux. Naſcitur in media nocte, illam illuminans; moritur in meridie, illam obſcurans. Nocte natus eſt Dominus, & lux paſtoribus per Angelos affulſit: meridie paſſus eſt, & obſcuritas facta eſt. Et ſic res ipſa habet: vbi naſcitur, lux eſt; vbi occidit, nox eſt. Quanquàm in nocte ſtellæ apparere potuerunt, quæ teſtantur Solem non eſſe extinctum, ſed rediturum: & quando putatus eſt extinctus, ſurgunt ſancti, & teſtimonium perhibent reſurrectionis eius, ipſumque ſedere ad dexteram Patris, rurſuſq; orbi huic rediturum teſtantur. Nunc beatis lumen facit, nobis autem per ſuas ſtellas à ſe illuſtratas, id eſt, ſanctos, tantùm ſplendet.

Hæ tenebræ cur tantùm per tres horas durauerint.

Exod 10.

Hæ tenebræ quid adumbrarent. Luc. 2.

Actor. 9.

Gen. 1.

Luc 2.

Ad quintum, & poſtremum, in primis aſſerimus tenebras factas: tum quod ſit in obitu magnorum Principum interdum oſtenta magna videri, vnde de morte primi Imperatoris ferro extincti canit Poëta, de Sole verba faciens:

Quid portenderent iſtæ tenebræ, quidue ſignificarent.

Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam,
Cum caput obſcura nitidum ferrigine texit:
Impiaq; æternam timuerunt ſecula mortem.

Virg. lib. 2 Georg. ſub nom. ...

Cùm autem Sol ſuper bonos, & malos oriatur, veriſſimuſq; atque generaliſſimus teſtis exiſtat diuinæ erga nos clementiæ, & munificentiæ: ita dum obtenebreſcit, ſummam generalemq; Dei iram, & vindictã pronuntiat, quam ſolus Chriſtus pro omnibus mũdi peccatis fert in ſe ipſo, atque in ipſum vnum excipit. Deinde deſignatum eſt occidere verum Solem iuſtitiæ, qui illuminat omnem hominẽ venientem in hunc mundum: & quòd Iudæi diligerent tenebras, & lucem noluerint agnoſcere, qui lumen ſuum extinctum eſſe volebant, propterea immiſſæ ſunt tenebræ, ſi fortè ſimilis agnoſceretur, vel poſt peractum ſcelus ſeruarentur. Vnde elementis, & Soli dedit vim plãgendi Deus ſuo modo mortem Chriſti: dediſſet & vindicandi, vt ſtatim terra hiſceret, & deuoraret eos, vt Core, Dathan, & Abiron; aut vt aqua ſubmergeret, vt Pharaonẽ cum Ægyptijs, ſed potius voluit extingui vitam, quàm ſuam clementiam, & cõceſſit Soli, & elementis, vt homines terrerent,

Matth 5.

Secundum myſterium.

Ioan. 1.

Num 16.

Exod 14.

Geneſ.1. *2.Cor.4.* *Luc.22.* Tertium myſterium tenebrarum. *Sapient.4.* Quartum.

non vt occiderent. In noua mundi creatione erant tenebræ, antequàm lux crearetur, de quibus tenebris, vt ait Apoſtolus, iuſſit Deus lucem ſplendeſcere: ſimili ratione cùm modò incipiat mundus nouus, præcedũt tenebræ ſpirituales, de quibus dixerat: *Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*, quas illæ externæ in paſſione atteſtantur, ex quibus lux Euangelica, & ſplendidiſſima educta eſt. Tertiò, ob horrorem, indignitatemque tanti ſceleris, quaſi mundus rem tam abominabilem ſpectare non potuerit. Et ſicut Hebræi ferre Chriſtum non valebant, dicentes: *Grauis eſt nobis etiam ad videndum*; ita elementa Iudæorum facinus ſuſtinere non poterant. Quartò, cum non eſſent, qui exequias funerales Chriſti celebrarent, ſed omnes in Ieſum inſurgerent, cęlum, ac terra ſuppleuerunt: cœlum quidem, dando veſtem lugubrem, terra, dando motus, & clamores. Mos eſt enim, vt in morte patris lugeat filius, in nece domini ſeruus, in viri obitu vxor: nam vbi præceſſit vera amicitia, fieri nequit, vt tales ſine dolore ſeparentur. Hinc in receſſu Ionatæ à Dauide, Eliæ ab Eliſæo, & Tobiæ à filio ſuo, interceſſerunt lacrymæ. Quintò tenebræ factæ ſunt, vt Deus oſtenderet ſe habere, quaſi ille, qui rem in tenebris geſtam non videat, ac proptereà illam ferat, quam ſi vidiſſet, minimè foret laturus: ita ergo Deus in morte Chriſti ſe geſſit erga homines tam horrendum flagitium perpetrantes, non puniens, quaſi non videret. Sextò, vt oſtendat Chriſti innocentiam, obedientiam, charitatem, & patientiã humano, aut naturæ lumine non poſſe cerni, & opus eſſe lumen ſenſus, aut rationis humanę in nobis obſcurari: & cœlitus lumen nouũ aduenire, quo Centurio illuſtratus dixit: *Verè filius Dei erat iſte*, in quo alij reuertebãtur percutientes pectora ſua. Septimò, ſicut Sole mane oriẽte, ſplendore ſuo offuſcantur cætera ſidera cœleſtia, ac minora: ita dum Chriſtus in cruce, tanquã in cœlo ſuo figitur, radi⁹ diuinitatis, & charitatis ſuæ Solis iſtius creati lumen offuſcauit, tanquam minoris ſideris, quo ſignificauit, per prędicationẽ crucis Chriſti ſtultitiam euacuandam, atq; infatuandam omnem humanam ſapientiam. Item quia magnum hoc beneficium, omnia alia naturæ beneficia obſcurauit magnitudine ſua, non ſecus atque maius lumen offuſcat minus. Ad extremum, ſignificarunt iſtæ tenebræ fidem in Chriſtum, ac lumen doctrinæ receſiſſe à Iudæis, Solemq; iuſtitiæ Meſſiam obſcuratum in cordibus eorũ fuiſſe. Quæ cæcitas in eorum mentibus in hodiernum vſque diem manet, dum ſecũdùm carnem

1.Reg.20. *4 Reg.2.* *Tob.10.* Quintum. Sextum. *Matth 27.* Septimum myſterium. Simile. *1.Cor 1.* Octauum, & vltimum.

Meſſiam tantum agnoſcunt, & ſcripta Prophetarum intelligunt: filijque Iſraël educti de Ægypto confeſtim adumbrati ſunt columna nubis, itaque Synagoga nata eſt in vmbra, vixit in vmbra legis. de qua ait Apoſtolus: *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*, extincta eſt in tenebris obumbrantibus tempore paſſionis. Pugnante Ioſue productus eſt dies, ſed moriente Domino abbreuiatus. Et prius nox in diem eſt commutata, quia Ioſue ob gloriam Dei, ac defenſionem nouæ legis pugnabat; dęinde dies in noctem commutata, quia Iudæi pugnabant contra Deum, ac legem eius: ideò lucem non conceſſit, ne tanto ſceleri videretur fauere. Illę tenebræ quoque deſignant exteriores tenebras, in quas ligatis manibus, & pedibus, Iudæi ſunt præcipites dandi, niſi reſipiſcãt. Quod verò pendente Chriſto in cruce Iudæi titulum legere potuerunt, intelligimus illam hiſtoriã præceſſiſſe hanc Solis obſcurationem, vt indicat Matth.27. & Luc.23. Demus igitur operam, vt Chriſtum lucem amplectamur, eiuſq; lucem in cordibus noſtris ad pellendas ignorationis, peccatique tenebras admittamus, quo etiam Euangelica Sacramenta nobis ſplendeſcant, vt per ea ad æternitatis diẽ peruenire valeamus, præſtãte Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt lux vera, veritas, & vita, cui cũ Patre, & Spiritu ſancto omnis gloria deferatur, honor, & imperium omnibus ſeculis, Amen.

Exod.13. *Hebr.10.* *Ioſue.10.* *Matth.8.* Chriſtum lucem ſi amplectamur, quid aſſequamur. *Ioan 1.* *Infra 14.*

TRACTATVS XLIII.

De quarto Chriſti verbo in Cruce in illa verba: *Et circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna, dicens: Eli, eli, lamma-ſabacthani, hoc eſt, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Quidam autem illic ſtantes, & audiẽtes, dicebant, & quæ ſequuntur*, Matth.27. Marc.15.

Euangeliſtarum diſſonantia.

DE hoc verbo tantùm mentionem faciunt Matthęus, & Marcus: Lucas etſi meminit tenebrarum, non tamen vocis, ſicut Ioannes nec tenebrarum, nec vocis. Ab hora ergo ſexta ad horam nonam, nihil dictũ legimus, vel à Chriſto pendente, aut à Iudæis, qui cruci aſtabant: ſed in his trium horarum tenebris obſtupefacti, & attoniti ex ſignorum magnitudine obticuerunt, & magnum fuit apud Ægyptios ſilentium in tridui illius tenebris, quæ harum tenebrarum fuerunt typus: etſi veriſimile ſit,

Tenebræ iſtæ in quibus olim adumbratæ. *Exod.10.*

Quid fecerit Chriſtus in cruce ab hora ſexta vſque ad horam nonã. Superiorum Chriſti in cruce verborum epilogus, & præſentis explicatio.

Luc. 23.
Ibidem.
Ioan. 19.

Ordo charitatis a Chriſto ſeruatus.

Chriſtum ad Patrem pro nobis feruentes preces,& continuas effudiſſe, Sacerdotij ſui munere fungendo. Pertinet autem hoc verbum ad fidem indicandam, qua in tribulationibus confugere debemus ad Deũ, illiuſq; opem,& auxilium impetrare; quẽadmodum primum verbum ad inimicorũ charitatem ſpectauit; ſecundum ad ſpem latronis excitandam;tertium ad pietatem, & charitatem amicorum & iuſtorum. Vides igitur admirabilem charitatis ordinẽ. Nam cum tribus horis pependiſſet in cruce, magniſq; tormentis ſine aliquo ſolatio cruciatus fuiſſet, non valens aut manuum, aut pedum mitigare dolores:propterea ille qui pro crucifixoribus rogauerat, & latroni promiſerat paradiſum, matrique ac diſcipulo proſpexerat,hoc verbum pro ſe ipſo tandem ad Patrem orando conuerſus dixit.

De clamore Chriſti circa horam nonam.

Clamauit autem circa horam nonam & voce magna,& verbis Dauidis,& oratio eius Hebraico idiomate nobis eſt propoſita.Clamauit quidem circa horam nonam, vel;vt Marcus ait,hora nona; quod enim circa horam nonam fit,paullò ante,vel paulò pòſt rectè iuxta vulgatum loquendi morem dicitur fieri in hora nona. Et cùm poſt hanc vocem ter adhuc Dominus ſit locutus,conſtat etiam poſt horam nonam Dominum in cruce viuum aliquandiu pependiſſe : ſicut ante ſextam pependit, licet quantum fuerit non conſtet.

Hora nona quare Chriſtus clamauerit & quid voce magna.
Chryſ. ho. 81. in Matt.&o.2.

Clamat ergo hora nona, & in fine tenebrarum, teſte Chryſoſtomo,vt intelligerẽt adhuc ipſum viuere,& ab eo tenebras factas fuiſſe, vt meliores hac ratione fierent. Voce autem magna vſus eſt, vt oſtẽderet veritatem humanæ naturæ, & magnitudinem ſuæ paſſionis. Idcircò hac voce conqueſtus eſt de ſua derelictione,ne quis putare valeat, illum ſenſum dolorum in tot acerbiſſimis tormentis non habuiſſe.Nam etſi paſſio omnium oculis pateret, quædam tamen erant intrinſecus doloris incrementa, quæ per clamorem oſtendit.

II. Ratio.

Adhæc vt ingratũ genus humanum oſtẽderet: nam cum miraculum tenebrarum idoneum eſſet ſua magnitudine, ac nouitate ad eos conuertendos, tamẽ non nouerunt quæ eſſet cauſa eius,quod gerebatur: quare ipſe loquitur clamans, oſtendenſq; ſe eſſe earum autorem.

III. Ratio.

Poſtremò huius vocis ſonus,qui vix ad breue ſpatium percipi poterat, virtute tamen ad aures Dei penetrauit, & ipſum ad miſericordiam inflexit,vt quod petebat obtineret:ſiue illud fuerit mortis acceleratio,vt quidam volunt; ſiue incrementum nouarum virium ad plus patiendum, vt poſtea explicabimus. Sunt qui hoc loco meditentur,Chriſtum oculos in cœlum extuliſſe deprecando Patrem, incipiendo à Pſal.21.Deus Deus meus reſpice in me, vſque ad trigeſimi Pſalmi ſextum verſiculũ, vbi dicitur: In manus tuas commendo ſpiritum meum; pieq; credunt Chriſtum recitaſſe illos decem Pſalmos intermedios, ſubmiſſa tamen voce: præter primum & vltimum,quos duos alta & clara voce pronuntiauit,vt de primo ait Matthæus, & de ſecundo Lucas.

Pia quorundã meditatio de geſtu Chriſti dicentis, Eli, Eli, lammaſabacthani,&c. ſed minus ſolida tamen & firma.

Sed duo occurrunt ſcrupuli contra hãc meditationem. Alter eſt,quod inter duos verſus,duas alias voces pronũtiauit, nempe;Sitio; &, Cõſummatum eſt. Alter ſcrupulus eſt:quia inter illas duas voces ſumpſit acetum, vt teſtatur Ioannes. Decemq; illi Pſalmi cum ſint mediocriter prolixi, opus erat ad illorum piam recitationem aliquãto temporis ſpatio:at Matthæus, Marcus& Lucas inſinuant Chriſtum circa horam nonam expiraſſe. Vt propterea hæc meditatio non videatur mihi firmę ac ſolidæ autoritatis.

Ioan. 19.
Ibidem.

Clamauit verbis Dauidis patris ſui,vt eius ſeſe filium prodat, qui pro peccatis ipſius mortuus erat. Adhæc hoc verbum Euangeliſta Hebraicum propoſuit, non quod reliqua verba Hebraicè non dixerit Dominus, ſed vt intelligamus quare quidam de illic ſtantibus dixerunt: *Eliam vocat iſte*,qui quidem communiter traduntur fuiſſe Romani,vt putant Hieronymus, & Euthymius,quod illi Hebraicum idiôma non intelligebant.

Hoc verbum Euangeliſta, Eli, Eli, cur Hebraicum propoſuerit.
Hieron. in Matth.27. tom.9.
Euthy c 67. in Matth.

Sed reuera Romani minus nouerant Heliam,quàm Hebræum idiôma,vt exiſtimarent Ieſum ipſum ad ferendam opem inuocaſſe. Quare alij ſentiunt,illos potius fuiſſe Hebræos, qui cruci aſſiſtebant, atque illi erant vel ex imperitis & idiôtis,vel ſi erant ex peritis, & in lege doctis,verba Domini ludibrij gratia inuerterunt,ac corruperunt,ſicut moris illorum erat,volentes illi imbecillitatis notam inurere,quod Heliæ opem imploraret.

Alia opinio.

Imò in hodiernum vſque diem verba Domini, & Prophetarum in ſuam perniciem inuertunt,ſecundum illud: *Fiat menſa eorum corã ipſis in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalum.*

Pſal. 68.

Sacra namque Scriptura pro diſpoſitione audiẽtium, vel honoratur,vel ſpernitur,& in quoſcunque vult ſenſus facilè detorquetur. Videntur autem ita illi, qui aſtabant,dixiſſe,quaſi Chriſtus vidiſſet lõgè venientem Heliam ad ſe ſubleuandum, itaq; ad illum exclamaſſe. Ex quo colligimus, moris fuiſſe Iudæorum, vt in tribulatione poſiti non ſolũ ad Deum, ſed etiã ad ſanctos Prophetas accurrerent,iuxta illud: *Leuaui oculos meos in montes,vnde veniet auxiliũ*

Iudæi olim in tribulatione poſiti, Dei ac ſanctorum Prophetarum opem implorare ſolebant.

Pſalm. 120.

mihi, hoc eſt, ad Sanctos, in quibus Deus exaudire ſolet. Vnde Moyſes orans, dicebat: *Recordare Abraham, & Iſaac, & Iſrael, ſeruorum tuorum*: quod verum eſt, Chriſtus tamen non indigebat Helia, ſed potius Helias atque omnes Prophetæ Ieſu indigent, & ſanguine eius, vt ſalui fiant. Verterunt autem Euangeliſtæ verba Hebræa in Græca, & deinde interpres noſter Græca in Latina: hoc eſt, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me*? vt ſic agnoſceretur error dicentium: *Heliam vocat iſte*. Annotandum etiam: cum Hebræa litera habeat: *Deus meus, Deus meus*, vt Dominus citauit; Septuaginta tamen interpretes vertiſſe: *Deus Deus meus*, & addiderent maioris claritatis gratia: *Reſpice in me*, quod in Hebræo non habetur. Prætereà ſtatuendum eſt, Hebraicè citari hæc verba à Matthæo ex Pſal. 21. (qui Pſalmus mirificè Chriſti paſſionẽ concionatur, vt in huius libri initio explicando illum aperuimus.) Et Hieronymus impium eſſe cenſet aliter Pſalmum illum interpretari quam de Chriſti paſſione. Vbi ad literam Hebræam habetur: *Eli, eli, lammaazabathani*. Matthæus verò iuxta Chaldæam linguam, qua à reditu ex captiuitate Babylonica vtebantur Iudæi, dixit: λαμμᾶ σαβαχθανί. Marcus etiam idem dixit, niſi quòd vbi Matthæus iuxta Hebræum dixit, *Eli, eli*, ipſe Chaldaicè dixit, *Eloi, eloi*. Ita enim in Pſalterio habet Chaldæus paraphraſtes. Quam diſſonantiam Lyranus & Santes Pagninus ac Caietanus conciliant, dicendo, Marcum eſſe corruptum, & legendum vt in Matthęo, ſed falſo. Quia Chriſtum conſtat frequenter dictionibus Chaldaicis vſum fuiſſe, & ita magis quadrat, vt cum quibuſdam in lingua ſancta eruditis dicamus, veram lectionem Marci eſſe, Elhoi, Elhoi, limmaſabathani, vt in vetuſtis exemplarib. Græcis & Latinis emendatis ſe inueniſſe teſtatur Munſterus, vir in hac parte non imperitus, etiamſi in alijs fide indignus ſit. Nam à reditu Iudæorum à captiuitate Babylonica, ad Chriſtum crucifixum, fluxerunt anni ferè quingẽti quinquaginta, & vulgo adhuc Chaldaicè magis, quàm Hebraicè loquebantur: vt conſtat ex multis dictionibus Euãgelicis, quas Euangeliſtæ vocant Hebræas, & quas alijs locis annotauimus. Ieſus igitur ſermoni vulgi ſuum accommodabat ſermonem, & pronuntiauit, vt habet Marcus: Matthæus verò iuxta verba Hebræa, quæ in Pſalmo habentur, produxit. Eſt autem Elhoi, id eſt Deus meus, à ſingulari Elhoa, & שבק Chaldęis eſt relinquere, ſicut Hebręis עזב. Et priori verbo vtitur paraphraſtes Chaldæus in Pſal 21. quod Chaldaicè clamauit, *Helei, heloi, lammaſebaqthani*, quod Hebraicè habetur: *Eli, eli, lammaabazthani*, hodie verò in exemplari Syriaco tam in Matthæo, quã Marco dicitur, Il, il lemona ſchebaqthoni. Quam verò ridiculum & puerile argumẽtum colligat Caietanus, Euangelium Matthæi non eſſe ſcriptum Hebraicè, ob id quod hæc verba Græcè, & Latinè ſunt interpretata, alibi fusè oſtenſum eſt: cum cõſtet, ſimiles additiones in libris veteris teſtamenti plerunquè ab interprete claritatis gratia adiunctas fuiſſe, & tamen illos libros nemo negauerit ſcriptos fuiſſe Hebraicè. Illud ſeriò notandum, in Euangelio Syriaco ſecundum Matthęum illis Hebræis verbis non adiungi interpretationem, vt in Græco noſtro & Latino, in Euangelio verò Syriaco iuxta Marcum apponi verbis illis interpretationem. Et ratio diſcriminis inde ſumitur, quod Euãgelium Matthæi illa lingua Syriaca à Matthæo fuit editum, at Euangelium Marci quia primò Latinè vel Græcè conſcriptum, & exinde in Syriacam linguam conuerſum, habet ſuam adiunctã explicationem, ſicut & in Gręco & Latino. At quia Hebraicè Eli ſignificat Deum ſub ratione fortitudinis, & ita vertit Aquila: *Fortis meus, fortis meus, vt quid me dereliquiſti?* oſtendit Deum non ob imbecillitatem ſuam, qui fortis & fortitudo erat, ſe à tuendo Chriſto ſubtraxiſſe. Ad intelligentiam igitur huius verbi perpende, Deum ſimpliciter non deſerere creaturam ſuam ratione præditam, primo quidem auferendo gratiam, & dimittendo eam ire ſecundum deſideria cordis ſui: quia in hoc ſenſu neminem deſerit Deus, qui prius Deum non deſeruerit, iuxta illud: *Si dereliqueritis eum, derelinquet vos*: & rurſus: *Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit; & dereliquiſtis Dominum, vt derelinqueret vos*? Alio modo dicitur derelinquere, non quidẽ ſubtrahẽdo gratiam, ſed opem nõ dando, neq; auxilium mittendo alteri in labore & periculo exiſtenti. Quemadmodum ſi duo magna amicitia coniuncti ſimul incedant, & alter illorum ab alio tertio inuadatur, & amicus ille comes eius non tueatur, neque defendat inuaſum, videtur inuaſum derelinquere, atq; inuaſus illi poteſt dicere, Cur me derelinquis? aut; Cur me deſeris? Propè quidem videris eſſe loco, ſed longè auxilio. De hoc modo derelinquendi ait Dauid: *Vt quid Deus dereliquiſti in finem, iratus eſt furor tuus ſuper oues paſcuæ tuæ*; & iterum: *Deus dereliquit eum: perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt qui eripiat*. & alibi: *Vt quid Domine receßiſti longe, deſpicis in opportunitatibus in*

Margin notes (left): *Exod. 32.* — Varia huius loci translatio Eli, Eli, lammaſabacthani. *Pſalm. 21.* — *B. Hier. to. 8.* Chaldæa lingua à reditu ex captiuitate Babylonica vtebantur Iudæi. — *Lyran. Sant. Pagn. Caietan.* Vera & germana Marci lectio. — *Munſterus hæreticus.* A reditu Iudæorum è Babel ad Chriſtum vſque quot anni interceſſerint. — Elohi Chaldæè quid ſignificet.

Margin notes (right): Contra Caietanum. — *Lib. 1. Prolegomenon.* — Eli Hebraicè Deum ſignat fortem. *Aquila interpres.* Quomodo creaturam ratione præditam Deus derelinquat. — *Pſalm. 8. 2. Par. 15. Infra 24.* — Exemplum derelictionis diuinæ. — *Pſal. 73. Pſalm. 70. Pſalm. 9.*

bus in

Pſalm. 70. *Eſa. 49.*

bus in tribulatione? Et alio loco; *Et vſque in ſenectam, & ſenium, Deus, ne derelinquas me*, & Eſaias: *Dixit Sion, dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei.* Multis autem de cauſis ſolet Dominus fauoris & protectionis gratiam ſubtrahere.

Qua ratione Deus Chriſtũ dereliquerit in paſſione. I opinio. Hilar. Can. 32. in Matth. ante med.

His igitur poſitis vt veris, reſpondendum eſt, quoſdam extitiſſe qui putauerint, humanitatem Chriſti à Deitate in paſſione derelictam. Nam Hilarius in Mat. videtur ſentire, Diuinitatem ab humanitate tempore mortis receſſiſſe, his verbis; Clamor verò ad Deum, corporis vox eſt, recedentis à ſe Verbi Dei conteſtata diſſidium. Denique cur relinquatur, exclamat, dicens: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Sed relinquitur, quia erat homo, etiam morte peragendus. Ambroſius quoq; in Lucam, ſuper illa verba: *Et hoc dicto, tradidit ſpiritum*, ait; *Ergo nec ego erubeſcam fateri quod Chriſtus non erubuit voce magna profiteri. Vel euidens manifeſtatio conteſtantis Dei ſeceſſionem diuinitatis & corporis. Sic enim habes: Clamauit Ieſus voce magna, dicens: Deus Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti? Clamauit homo diuinitatis ſeparatione moriturus. Nam cùm diuinitas mortis libera ſit; vtique mors eſſe non poterat, niſi vita diſcederet, quia vita Diuinitas eſt.* Magiſter ſententiarum horum ſententias dilucidans, inquit, eam ſeparationem, de qua ambo loquuntur, ſic eſſe accipiendam, ſicut intelligitur derelictio, quæ illis verbis ſignificatur: Vt quid me dereliquiſti? id eſt, non ſecundùm ſolutionem, ac diuiſionem Dei, & hominis, ſed ſecũdùm ſeceſſionem protectionis, qua Diuinitas humanitatis patrocinium ad tempus deſeruit. Sic ille, piè quidem, & Catholicè, ſed quam aptè ad illorum mentem, & verba, alijs iudicandum relinquo. Certè Patres in quibuſdam nondum definitis paulò liberius loquebãtur, & opinabantur; nihilque propterea contra Eccleſiæ mentem ſentiebant, cùm vnam illam, tanquam fidei regulam ſectabantur.

Ambr. l. 10. in Luc. c. 24. ſub fin. tom. 5. *Pſalm. 21.* *Magiſt. ſent. li. 3. diſt. 21.* *Dicta opinionis incommodum.*

II opinio. Vera atque Catholica. Rom. 11.

Simpliciter ergo dicẽdum eſt, nunquam ab humanitate fuiſſe Diuinitatem diſiunctam: nam quòd ſemel aſſumpſit, nũquam bonus Ieſus dimiſit: & ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Quòd ſi creata gratia à quoquam non ſubtrahitur, niſi præcedente peccato, multò magis gratia increata vnionis: & vir nunquam debet relinquere vxorem ſuam in quacũque tribulatione poſitam. Nec paſſio Chriſti fuiſſet infiniti valoris, ſi Deitas abfuiſſet, & vel in ipſa morte præſenti, vel peracta, nec à corpore, nec ab anima diſceſſit diuinitas. Vt propterea meritò aſſerere poſſimus dulciſſimas veritates: Deus mortuus eſt, id eſt, In humanitate: Deus ſepultus eſt, ſcilicet in corpore: Deus deſcendit ad inferos, ſcilicet in anima. Eſt & alius ſenſus, quòd Chriſtus magnitudine dolorum victus, ſuccubuerit & in verba deſperationis proruperit: in quẽ ſenſum inclinat Faber Stapulenſis, & Caluinus libro ſuæ inſtitutionis cap. 7. ſect. 29. ſed Melanchthon apertiſſimè. Verum incredibile videtur, quanta libertate quidam noſtro ſeculo Scripturas tractauerint, vt in ſenſus tam ſtultos, & Chriſto iniurios inciderint. Quomodo enim deſperans aut Patri eſſet gratus ad placãdum mundum, aut quomodo non placuit minus deſperans Cain de Deo, aut quomodo Chriſtus dedit exemplum ſpei & confidentiæ in Deum; aut quo pacto inſtante morte in verba illa magnæ & certiſſimæ fiduciæ prorupit, cùm dixit: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum?* aut qua ratione ſine ſpei fiducia diceret bis; *Deus meus, Deus meus?* quæ geminatio fidem arguit. Dices; Eò tendebant conuitia deridentium, & inſultantium, vt redigerent Dominum ad fatendum ſe derelictum à Deo; ac proinde deſperaret de illius auxilio. At Ieſus eò venit, vt derelictum ſe quidem expoſtularet; deſperationem verò, quæ ſine peccato eſſe non poterat, non ſubijt. Commendauit ergo ſe derelictori ſuo, & hęc expoſtulatio peccatum quidem nequaquam, ſed meritum fidei, & confidentiæ magnæ habuit. Non eſt etiam ſenſus, quòd Deus eum propter peccata priuauerit gratia, & donis, quo modo relinquit peccatores: quia vt tota paſſionis hiſtoria docet, Ieſus innocens & iuſtus etiam à proditore, & à Pilato, & ab vxore eius, & à ſignis declaratus eſt. Ait enim Eſaias: *Eò quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.* Imò non ſolùm Ieſum iuſtorum omnium caput, non reliquit, ſed nec vllum Chriſti membrum, & participem iuſtitiæ eius. Vnde frequentes illæ voces: *Quoniam non dereliquiſti quærentes te, Domine*, & alibi: *Non derelinquet Sanctos ſuos: in æternum conſeruabuntur*, ac rurſus: *Quia non repellet plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet*; & iterum: *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.*

II. ſenſus ſed falſus & impius. *Faber Stap.* *Melanch.* *Geneſ. 4.* *Luc. 23.* *III. ſenſus.* *Matt. 27. & ſeq.* *Eſai. 53. 1. Petr. 2.* *Pſal. 9.* *Pſal. 36.* *Pſal. 93.* *Pſalm. 36.*

IV. ſenſus verus ille atque germanus.

Excluſis igitur his falſis ſenſibus, & à fide Catholica alienis, verus & germanus intellectus eſt, Chriſtum his verbis aperuiſſe myſterium ſe derelictum à Deo Patre, & Spiritu ſancto Deo (ideò bis dixit, *Deus meus, Deus meus*) id eſt, non liberatum à portanda cruce, & à guſtanda in ea morte. Et rogat cauſam tantæ derelictionis ſuæ: non quod ipſe neſciret, vel ignoraret; ſed

vt olim

Iob 3. Infr. 13.

vt olim Iob conquerebatur: *Quare non in vulua mortuus ſum, egreſſus ex vtero non ſtatim perij?* &: *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Et vt nos illam intelligeremus. Vel noſtri reſpectu dicta eſſe interpretantur Gregorius Nazianzenus. Euthymius in Matthæum, & Theophylactus, & Ioannes Damaſcenus, necnon Auguſtinus.

Greg. Naz. li. 4. Theol. Euthy ca. 67. in Matth. Theoph. Ioa. Dam li 4. de orthod. fid. c. 24. Aug in Pſ. 21. tom 8. Iul Afric. 2. Cor. 5.

Nos enim derelicti & deſpecti eramus; ideò noſtram induens perſonam, hæc orabat. Et Iulius Africanus libr. 2. interrogat. 20. *Nunquid*, inquit, *Deus dereliquit Chriſtum, cùm eſſet Deus in Chriſto, mundum reconcilians ſibi? Abſit: ſed in veteri noſtro vox noſtra eſt: quia ſimul crucifixus eſt vetus homo noſter cum illo, qui de ipſo veteri noſtro corpus acceperat, id eſt, de Maria, quæ de Adam erat.*

Tertullian.

Aduerſus Patripaſſianos, Patrem, inquam, non filium eius Ieſū Chriſtum paſſum eſſe ſomniantes.

Pulchrè autem ex hoc loco Tertullianus libro in Praxeam in fine colligit in Patripaſſianos, non Patrem, ſed Filium eſſe paſſum: *Alioquin ad quem Deum exclamabat?* inquit. Sed hæc vox carnis, & animæ, id eſt, hominis, non ſermonis, nec ſpiritus, id eſt, nō Dei, propterea emiſſa eſt, vt impaſſibilem Deum oſtenderet, qui ſic filium dereliquit, dum hominem eius tradidit in mortem.

Rom. 8. Eſa. 53.

Hoc & Apoſtolus ſenſit, ſcribens: *Si Pater Filio non pepercit.* Hoc & Eſaias prior pronuntiauit: *Et Dominus eum tradidit pro delictis noſtris. Sic reliquit, dum non parcit: ſic reliquit, dum tradit. Caeterùm non reliquit Pater Filium, in cuius manibus Filius ſpiritum ſuum poſuit. Denique poſuit, & ſtatim obijt: ſpiritu enim manente in carne, caro omnino mori non poteſt. Ita relinqui à Patre, mori fuit Filio.* Hæc ille.

Quæ fuerit cauſa derelictionis Chriſti.

Et reſpondens de cauſa, ſubiungit: *Longè à ſalute mea, verba delictorum meorum.* Oſtendens, peccata aliena, quæ ipſe ex charitate ſua eſſe fecit, cauſam eſſe ſuæ derelictionis.

Expenditur hæc lectio Hebraica: Verba rugitus mei.

Et licèt Hebraicè dicatur, *Verba rugitus mei, vel clamoris mei*; in idem tamen redit. Nam leonis proprium eſt, cùm eſt paratus ad eſcam, rugire & clamare: ita Dominus ab eſurie animarū noſtrarum, & propter lucrum tam pretioſæ prædæ rugire dicitur.

Diuinæ conſolationis magnitudo martyribus tribuebat conſtantiā in tormentis.

Reliqui enim martyres Domini tanta dulcedine vel in ipſis tormentis propter Chriſtum toleratis afficiebantur, vt magnam doloris partem interior conſolatio mitigaret: vt de S. Blandina refert Euſebius Cæſarienſ. quæ cùm diceret ſe eſſe Chriſtianam, vires recuperabat nouas:

Euſeb. li 5. Eccle. hiſt. c. 1.

Aug. li. 18. de Ciu. Dei c 32. poſt med. to. 5.

& de ſancto Theodoro refert Auguſtinus libro de Ciuitate Dei, quòd cū ſuſpenſus tetraheretur, Euſebius petiuit, an Equulij cruciatio grauis illi videretur? Reſpondit martyr, tanta ſe perfuſum alacritate, dum torqueretur ſuſpenſus, vt nimis ægrè tulerit ab illo extrahi cruciatu: eò quod pulcherrimus iuuenis aqua puriſſima lauaret illi loca plagarum, & linteo tergeret mundiſſimo. Laurentius in craticula inſultabat tyranno: *Aſſatum eſt iam, verſa, & manduca*; & iterum: *Infelix tyranne, has ego epulas ſemper optaui.* Et Tyburtius martyr in igneis flammis, quaſi in odoratis roſis ſe deambulare dicebat.

Marc. 15.

Mortem Chriſtus quomodo guſtauit ſecundum Apoſt. Hebræor. 2.

At CHRISTVS, qui vini myrrhati potioni renuntiauerat, omnes ſenſus integros & vigentes habebat, vt poſſet pro omnibus amaritudinem mortis percipere, & vt ait Paulus, pro omnibus mortem guſtare: hoc eſt, animam à corpore diſcedentem cum ingenti dolore perſentiſceret.

Chriſtum Dominum nullū prorſus habuiſſe in paſſione ſolatiū, vnde colligitur.

Non enim cum peccatoribus, extra ſenſum efficitur præ tormentorū magnitudine: imò illis creſcentibus vigor ſenſuum integer permanebat: neq; cum martyribus ſolatium aliquodq, aut refrigerationem habebat, ſed ablata omni conſolatione, inferior animæ pars patiens amariſſimæ mortis vim ſuſtinebat, vt cogeretur ſe conqueri derelictum.

Eſai 53. Pſalm. 68. Pſal. 67. Ibid.

Alibi Scriptura vocat illum Virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & Dauid: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*; & ruſus: *Super me confirmatus eſt furor tuus; & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me*; & paulò antè dixerat: *Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber.* Vides igitur quot in locis confirmet ſe omni auxilio, fauore, ac protectione Dei deſtitutum.

Quid eſt dicere: Vt quid dereliquiſti me.

Vt quid me tibi in vnione ſuppoſiti vnitum, vt ſim tam tuus, & tu tam meus, Cur me, inquam, derelinquis, vt tot dolores, ac tantos cruciatus ſuſtineam? Quaſi dicat: Non conqueror de contumelijs illatis, de alapis, ſpinis, flagellis, atq; ſputis, quod patibulum proprijs humeris baiulauerim, quòd diſcipuli mei, ac illi omnes, quib⁹ beneficium ſalutis, aut vitæ cōtuli, à me defecerint & aufugerint; ſed quòd tu, ô Deus meus, hanc inferiorem humanitatis partem ita abſque vlla ſolatij ſubleuatiōe dereliquiſti.

Quomodo Chriſtus à Patre conqueritur ſe derelictum, cum ſcriptum ſit: Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, &c.

Pſalm. 90.

Sed quid eſt quòd Deus reliquit CHRISTVM, cùm promittat per Prophetam: *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum. Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum*? Prætereà peccare in ius naturæ videtur pater, qui filium ſuum in afflictione poſitū deſerit, & ſi poteſt, non opem ferat. Reſpondeo, Patrē Filio in cruce non defuiſſe, ſed inſenſibiliter, & ſupra humanam virtutem adfuiſſe. Nam vt vites & arbores in hyeme nudæ ſunt folijs, floribus, fructibus, viriditate, atq; omni decore deſtitutæ, & veluti mortuę, quia lōgè ab eis eſt Sol, habēt tamen vitam per occultam & latentem virtutem Solis à terra: ita Chriſtus ad tempus hyemis, id eſt, mortis,

tis,

Qualis fuerit Chriſti in cruce Patris derelictio.

tis,derelictus eſt ab amicis, à diſcipulis,& omnibus ſuis,deniq; à Patre ſuo elongatus, non operante externè,& auxiliante:quanquam occultè illi adeſſet,quia Pater erat in Filio,& Filius in Patre.

Ioan. 14.

Peccati maxima pœna derelictio Dei.

Quia tamen magna pœna,quæ conſequitur peccata, eſt à Deo derelinqui, quantum ad conſolationem & fautores ſpectat,cùm hanc peccatores omnes Deo deberent; Chriſtus, qui pro illis

Eſa. 59.

patiebatur, illam ſuſtinere voluit, vt nos in eum credentes non derelinquamur; vel ita derelinquamur, vt reſtituatur citò gratia & protectio diuini auxilij,neq; permittat nos diu eſſe prædam aut peccati, aut dæmonis, cuius vocem peccando audimus. Obijcies:

[illegible] Chriſtus à Deo voluit derelinqui, cauſa cur quereretur ſe derelictum.

Si Chriſtus voluit pati hanc pœnam peccati,id eſt,derelictionem à Deo, cur ſe queritur derelictum? nunquid tormenta fecerāt impatientem illum? Reſpōdeo,hanc querelam non eſſe nouam, ſed antiquam, ac

Pſalm. 21.

prædictam per Dauidem, quare & illam debuit implere.Debuit ergo cōqueri Chriſtus,& petere à Deo cur ſic derelinqueretur, vt prophetiam impleret, tùm vt argueretur

II.Ratio.

audacia & impudētia Satanæ in Chriſtum agentis. Petierat enim dæmon licentiam tentandi Ieſum,vt olim Iob, nec propterea

Iob 1 & 2.

tamen pertraxit aut Chriſtum, aut Iobem ad aliquod peccatum impatientiæ, vt poſſet illi dicere Pater: Ecce tu fruſtra commouiſti me contra Ieſum, vt olim de Iob dixit: & Ieſus poterat Patri dicere: *Vt quid me dereliquiſti?*

III.Ratio.

Tertiò conqueritur Ieſus,ad inſtructionem eorum,qui audiebant,vt videntes eum à Deo derelictum,in hoc quòd expoſitus eſt tormentis, illuſionibus, & morti,non poſſent cogitare quod Ieſus haberet aliquam cauſam propriam, ob quàm ſe peccatorem, & dignum derelictione Dei agnoſceret. Imò petit rationem à Deo, quare conſcius ſuæ iuſtitiæ & innocentiæ relinqueretur, & vt Deus ad querelam iſtā, ſaltem miraculis, vt fecit,reſpondens,doceret eum non derelictum vt peccatorem, ſed vt iuſtum,qui ad tempus,& in momento,ſiue in modico, vt ait Eſaias, ob magnū aliquem fructum à Deo relinquitur.

Eſa. 54.

Quid ex Chriſti derelictione Deus boni elicuerit.

Quia ergo quicquid Deus facit, non fruſtra facit; ideò ex Chriſti derelictione elicuit Deus mundi redemptionem, eruditionemque noſtram. Licèt quantum ad Satanæ mentem, ac miniſtrorum eius fruſtra ſit tentatus, quia non obtinuerunt vt Chriſtus iraſceretur in Deum, vel in ipſos tortores, nec perdidit propterea patientiam, aut obedientiam, aut charitatem, aut veritatis profitendæ conſtantiam, vt ipſi putabant. Sed Deus non ſine cauſa dereliquit, ſed vt ait ſcriptura: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.*

Eſa. 53.

Quod fortè per illas tres horas tenebrarum fuit deſignatum, in quibus lucem Solis ſubtraxit: ſed illis Deus tot modis reſpondit, conuertendo homines ad Chriſtum,& ſuſcitando mortuos, teſtandoque eius innocentiam, ac glorificando eum. Quia ergo pars calicis bibendi, eſt lamentari,& conqueri ſe derelictum; propterea Chriſtus meritò his verbis cum Patre expoſtulauit. In ſumma ergo neque derelictus eſt per ſeceſſionem Diuinitatis ab humanitate,neque verba ſunt diffidētiæ, neque dimiſſus eſt propter aliquod ſuum peccatum à gratia Dei, ſed relictus tantùm in hoc in manibus Iudæorum,& miniſtrorum dæmonum ad patiendum quicquid inferrent,nos liberans à crucis tormentis, vel à morte:& deinde quia nec Pater,neque ipſe Filius concurrebat ſecum ad refrigerandam & conſolandam animę inferioris portionem, vt cùm ſanctis martyribus ſuis efficere ſolet.

Quibus modis Chriſtus fuerit minimè derelictus à Patre.

Queſtus in cruce quare ſit Dominus.

Queſtus autem eſt, vt impleret prophetiam Dauidis, quò oſtenderet ſe grauiſſimos perpeti cruciatus, vereq; eſſe paſſum. Nam alioqui diuina natura donante immortalitatem ſuam, & impaſſibilitatem humanitati, vel largiēte cōſolationem perfectam,& abſorbentem dolorem omnem, vt in martyribus quandoque contigit, paſſus minimè fuiſſet.

II.Ratio.

Adhæc oſtendere voluit ſe fruſtra tentatum à dæmone, & ſuam detegere miniſtris Iudæorum iuſtitiam & innocentiam, aut, ne ſui amplius derelinquerentur à Deo, promereretur. Addit B. Laurentius Iuſtinianus, Chriſtum his verbis nouum robur, virtutemque patiēndi à Deo impetrauiſſe, & ne tam citò extingueretur: vnde poſtea orando dixit; *Sitio:*

B Laur Iuſt. de triumph. Chriſti agone. c 19 ſub init.

Tertia.

Queritur inſuper Chriſtus quòd in ſuis deſeratur, ſiue peccatores ſint pœnitentes, ſiue iuſti & electi, cùm relinquuntur ad tempus. Vt enim in ſanctis membris,& fidelibus ſuis perſecutionem patitur à Saulo, ita in illis relinquitur.

Actor. 9.

Cur ergo me Pater in peccatoribus reliquiſti? an poterunt pœnitentiam, & dignos pœnitentiæ fructus agere derelicti? an poterunt ſeipſos regere, vt non peiora ſcelera deſignent? Ne ergo derelinquas me Domine in finem: reuoca peccatores ad bonam frugem, vt nō fruſtra venerim, aut patiar pro illis. Nam ſi iniquitates obſeruaueris Domine; Domine quis ſuſtinebit?

Pſal. 129.

Si volebas me in hoc derelinquere, & expectare vt peccatores per ſeipſos conuerterētur, non erat cur in me poneres omnium illorum ſcelera, & pro illis me flagellares. Propterea intelligāt omnes peccatores in poſterum,vt ſi nō relinquuntur

tur

Chriſti zelus ſalutis animarum.

tur à te, ſciant id eſſe, quia ego pro illis derelictus ſum: aut ſi derelicti, non deſperant, nec pereunt, ſciant id eſſe, quia ego ſum derelictus. Sunt ergo verba hæc plus deſiderantis ſalutem, & lumen noſtrum, quàm defenſionem vitæ ſuæ, quam iam ſponte ponebat, & ea tanquam iam poſita à ſe expoſtulat, cur non amplius diutiuſvè relinquatur. Ac vt vir propter vxorem debet derelinquere patrem & matrem ſuam; ita CHRISTVS hærere volens Eccleſiæ ſponſæ ſuæ, poſtulat à Patre dona, quibus poſſit illam penes ſe retinere, ne derelicta quærat alium virum. Poſtremò Chriſtus inſtituit nos, vt cùm in tribulatione verſamur, derelictiq; à Deo videmur, ad Deum ipſum derelictorem accurramus; ipſumq; Chriſto & verbis eius expugnemus, ſecundùm illud: *Ad Dominum cùm tribularer, clamaui, & exaudiuit me.* Docet etiam confugere ad verba Prophetarum & Apoſtolorum, exemplo Chriſti citãtis verba Dauidis: quia quæcunq; ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Docet & iuſtificat Sanctorum querelas, qui interdum queſti ſunt apud Deum, cur iuſti, impijs manentibus, de medio ſint ſublati, & terram in manu impij datam: quia non ſemper, ſed ad tempus deſerit. Non enim relinquet Dominus virgam peccatorũ ſuper ſortem iuſtorum, vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas. Tales querelas licet legere in Iob, in nonnullis Pſalmis, in Ieremia interdum, & Habacuc: quæ iniuſtæ viderentur eſſe, niſi Ieſus illas iuſtas effeciſſet, Ieſuſque per illos ac cum illis fuiſſet conqueſtus. Et ſciebat quidem IESVS propter quid eſſet derelictus: ſed vt nos, qui ignoramus, id quoque ſciremus, talem vocem emiſit. His tantis documentis, atq; Chriſti exemplis inſtruimur, vt Deo ipſi quàm coniunctiſſimi efficiamur: & ille nouit ad modicum ſuos filios derelinquere, vt eos in multis miſericordijs, & miſerationibus amplectatur, exaudiat nos ſe inuocantes ac deprecantes in CHRISTO IESV Domino noſtro, cui cùm Patre & Spiritu S. omnis honorificentia, & cultus debetur ab vniuerſa creatura ratione prædita in ſecula ſeculorum, Amen.

Geneſ. 2. Mat. 22.

IV. Ratio.

Cum derelicti à Domino videmur, inque calamitate aliqua poſiti ſumus, quid agere debemus. Pſalm. 119. Rom. 15.

Iob 9. Pia iuſtorum querimonia. Pſal. 124.

Iob 21. Pſalm. 27. Ierem. 12. Habac. 2.

Cur Deus interdum derelinquat ſuos. Eſai. 54.

TRACTAT. XLIV.

In quintum verbum Chriſti in Cruce ſitim patientis, in illa verba: *Poſt ea ſciens Ieſus quia omnia iam cõſummata ſunt, vt cõſummaretur Scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo poſitum erat aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori eius.* Ioan. 19.

VEnatores ceruum libenter inſequi ſolent, qui ſi fortè vi canum, equorum, & cornuum perſtrepẽtium oppreſſus fuerit atq; defatigatus, libenter accurrit ad aquas vt potu refocillatus euadere poſſit, & vitam ſeruare: ad quod fortaſſe Dauid alludens, dixit: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarũ, ita deſiderat anima mea ad te Deus meus.* Ceruus, animal generoſum & liberũ, pulchrè Chriſtum repræſentat, qui cerua matutina vocatur in tit. Pſal. 21. iuxta literam Hebræam, vt annotat Hierony. venatores verò dici poſſunt Gentiles, canes verò, perſequentes Iudæi, vel è contrario, quia canes cùm ſint immunda animalia, aptius repræſentant Gentiles, detector verò huius prædæ fuit Iudas, qui locum commodum, in quo poſſet comprehendi, detexit ſub ſpe mercedis, quia dixit: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Poſtquam ergo captus eſt, & à rabidis canibus vulneratus, ac dilaniatus, ad aquam confugit, dicendo; *Sitio:* pro qua immanes illi miniſtri, ac truculenti acetum porrexerunt.

Elegans Chriſti & cerui comparatio.

Pſalm. 41.

Cerui ingenium.

Hier. tom. 8.

Ioan. 18.

Matth. 26.

Ratio ordinis hiſtorici, quãdo ſcil. Dominus dixerit, Sitio.

Vt igitur præſens verbum explicare poſſimus, in primis præmittendum, quòd pronuntiata illa ſententia: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* quidam ex aſtantibus dixerunt, vt teſtatur Matthæus; *Heliam vocat iſte. Et continuò currens vnus ex eis, acceptam ſpongiam impleuit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere.* Sed omiſit Euangeliſta Matt. ſicut & Marcus, aliam vocem Chriſti immediatè dictam, hoc eſt, Sitio, quam Ioan. qui nouiſſimus ſcripſit, ſuppleuit, ſine qua non ſatis poſſet ratio intelligi narrationis Matthæi, & Marci, cur ſcilic. quidam, poſtquam Dominũ putabant inuocaſſe Heliã, obtulerunt ei bibendum acetũ. Ex Ioanne enim id conſtat factũ ob ſignificatã à Domino ſitim, & ad illam ſedandã intelligendus eſt curſus factus illius militis porrigentis acetum: & ad hunc modum conciliandi ſunt Matthæus, & Marcus cum Ioanne.

Pſalm. 21.

Matth. 27.

Sequitur in Matthæo: *Sine, videamus an veniat Helias liberans eum.* Id eſt, Ne dederis adhuc acetum, ne feſtinet mori: nã ad hoc dabatur acetum, vt citius moreretur. Videamus, inquiunt, an veniat Helias liberãs eum. Magna fuit ſimplicitas, ſi populi fuit vox; aut magna malitia, ſi Phariſæorũ fuit, aut Scribarum. Indiget Helias liberatore Ieſu, non Ieſus Helia. Vtetur quidem Deo liberatore, à quo debemus præcipuè deſti-

Domino cur porrectum ſit acetum.

tuti

tuti ſperare omne auxilium: quanquam ſi liberaret, nõ eſſet Helias, ſed Deus per Heliam liberans: ſicut per Sanctos, & cauſas ſecundas multa Deus quæ ſunt huiuſmodi, operatur. Deinde notandum, quod Lucas ſcripſit: *Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei*: & tamen Matthæus & Marcus dicunt fuiſſe vnum militem. Sed hoc facilè cõciliatur per figuram, qua ponitur ſingularis numerus pro plurali, & è conuerſo. Id etiam in Ioanne notandum eſt, vbi pluraliter dicit: *Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori eius*. Niſi dicamus vnum fuiſſe qui cucurrit, & porrexit, alios verò nonnullos iuiſſe, ac paraſſe ſpõgiam aceto plenam cum hyſſopo: vt propterea verum ſit quod Euangeliſtæ pluraliter loquuntur. Tertiò notandum apud Marcum, vbi dicitur: *Currens autem vnus, & implens ſpongiam aceto, circumponenſque calamo, potum dabat ei, dicens, Sinite, videamus ſi veniat Helias ad deponendum eum*: non intelligas, vnum & eundem fuiſſe porrigentem & dicentem; Sinite videamus; ſed iuxta Matthæum, vnus erat porrigens, cæteri verò dicebant, *Sine, videamus*, hoc eſt, Omitte, & ceſſa: & ipſum quoque, qui obtulit acetum, cùm ab alijs prohiberetur, dixiſſe eis, Sinite, hoc eſt, Permittite: metuebat enim fortaſſis, ne ſitis, priuſquàm veniret Helias, eum enecaret. Et ita vtrumq; verum eſſet, vt tradit Euthymius. Verùm non deſunt qui exiſtimant, Marcum, qui non ſolùm in rebus ipſis, ſed etiã in ipſo verborum penè ordine Matthæum ſequitur, vbi habet, λέγων ἄφετε, legendum eſſe, καὶ ἔλεγον ἄφετε, id eſt, Et dicebant, ſcilicet alij, Sine; vt ita conueniat Marcus cum Matthæo. Quartò, interpretanda ſunt verba Ioannis. Ait ergo: *Poſtea ſciens Ieſus*, id eſt, Poſt cruciatum illum, quo ſe clamauit derelictum, ſciens Ieſus, *quoniam iam omnia cõſummata ſunt*, ex parte ſua, quæ ad obedientiam Patri præſtandam ſpectabant, vſq; ad illam horam. Vbi non ſolùm omnium rerũ præſcientiam in Chriſto fuiſſe aperitur, iuxta illud: *Nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, vt quis te interroget*: ſed etiam ſumma infinitaque eius ſapientia detegitur, qui non niſi in cruce conſummata, perfectaq; cognouit omnia. In cruce enim CHRISTVS velut in rubo incombuſto, ignem charitatis ſuæ ardentis, atque omnia conſummantis, atque inſtaurantis, ſiue quę in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt, exeruit: ſummam protulit ſapientiam, cùm per ſtultitiam crucis ſapientiam huius mundi confutauit, infinitæque ſuæ ſapientiæ abſtruſa myſteria propalauit: ingentem potentiam explicuit ſuam, cùm per carnis infirmitatem potentiſſimos tyrannos, peccatum, diabolum, mortemque debellauit: perfectam quoque ſuam iuſtitiam declarauit, in innocentiſſimo & iuſtiſſimo filio ſuo omnium peccata ſeuerè vindicando. Quare omnia ibi vidit conſummata, & breui abſoluenda pauca quæ deerant. De his omnibus dixerat apud Lucam: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis*: ita vt nec iota vnum, vel apicem inconſummatum omiſerit.

Luc. 23.
Matt. 27.
Marc 15.

[illegible] dantes [illegible] Domino [illegible] cruce quo modo inter ſe Euangeliſtæ [illegible].

[illegible] porrigens [illegible] Chriſto [illegible], idẽ fit [illegible] & dixit [illegible] videamus, &c.

Euthy. ca. 67. in Matth.
Altera opinio.

Ieſus quomodo ſciuit omnia eſſe conſummata.

Ioan. 16.
Chriſti omniſcientia.

Exod. 3.
Coloſſ. 1.
1 Cor. 1.

Eiuſdẽ Chriſti ſapientia, potẽtia, iuſtitia.
Eſai. 53.
1. Petr. 2.
Luc. 18.
Matth. 5.

Vt conſummaretur Scriptura (*quæ habet; In ſiti mea potauerunt me aceto*) *dicit; Sitio*. Ne putetur nouitas aliqua, vel temeritas, dicit: Vt conſummaretur Scriptura. Quòd ſi leuia minimaque conſummauit, quidni maiora, grauioraque? Vnde & diuiſio veſtimentorum facta eſt vt conſummaretur Scriptura, & illud: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* & oſſa eius non confregerunt, vt impleretur Scriptura, & reliqua omnia. Hinc à Paulo dicitur Chriſtus autor fidei, & conſummator; id eſt; Non ſolum habitus fidei, quem vt Deus creat, & infundit, & vt homo mediator promeruit; ſed etiam eorum omnium quæ fide tenemus, eſt autor. Nam & articuli ad humanitatem ſpectantes ad eum ſolùm pertinent: & articuli, qui diuinitatem attingunt, ad eum omnes poſſunt referri. Et dixit; *Sitio*: ſimpliciter loquens, quaſi inter amicos verſaretur, qui ad eam vocem ſtatim potum offerrent. Neq; hoc dixit, vt matri ac diſcipulo dolorem incuteret, ſed vt conſummaretur Scriptura: nam quàm eſſent illi beneuoli, & amicitiam colerent, expertus erat; ſed adhuc velut amicus inter amicos ſitim ſuam vrgentem explicat, vt reuerti ad ſanitatem poſſent, vel ſaltem rogati ſunt vt reuerterentur: ſed illi eum potant aceto permanentes in ſua peruerſitate. Et cũ duplex ſit ſitis, altera corporea, de qua Dominus dixit: *Mulier, da mihi bibere*; &, *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi*: altera verò ſpiritualis, de qua: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*; &, *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam*: quærendum eſt, qua ſiti Dominus premeretur. Videtur autem quòd fuerit corporea: quia oblatum acetum potauit. At verò ex alia parte videtur, quòd fuerit ſpiritualis, nõ tam enim corpoream, quàm ſpiritualem aquam ſitiebat, aquam videlicet fidei in illa corporea repræſentatam. Ita etiam in cruce vicinus morti ſitiuit & corpore, & ſpiritu: quæ ſitis ſpiritus tanto eſt præſtantior, ac proinde Chriſto congruentior, quanto corpori præcellit ſpiritus.

Pſalm. 68.
Quare ſit additum ab Euangeliſta: Vt conſummaretur Scriptura.

Pſalm. 21.
Ibid.
Exod. 12.
Hebræor. 12.
Autor fidei & conſummator Ieſus cur dictus ab Apoſtolo.

Sitis duplex.
Ioann. 4.
Prouer. 25.
Rom. 12.
Ioan. 7.
Matth. 5.
Cum Dominus, Sitio, inquit, qua ſiti premeretur, corporea, an ſpirituali.

Corporeæ ſitis in Chriſto quę cauſæ extiterint. *Luc.22.*

Dicamus ergo primò de corporea, ac deinde de ſpirituali. Sitis inprimis acerbiùs vrget ac torquet, quàm fames, pręſertim viribus defectos: nimirùm Ieſus laborauerat & ſudauerat in horto, multum ſanguinem fuderat in cruce, vt ſolent omnes crucifixi, nudus Solis ardoribus, ventiſque in cruce pendens expoſitus fuerat, inſomnem noctem traduxerat, & intus grauiſſimis dolorum ſtimulis, qui ſitim augent, vexabatur, vnde haud dubium eſt quin grauiſſima laboraret ſiti.

Magnitudo ſitis Chriſti patientis.

Quod vel ex eo conſtare poteſt, quòd omnium laborum ſuorum ac dolorum oblitus, ſitis acrimoniam querula ſupplicatione indicet: & Propheta cauſam huius ſitis explicuit, dicens: *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis.

Pſalm. 21.

Sitire cur Dominus voluerit.

Hęc autem corporis pendentis in cruce ſitis in Chriſto primùm probabat veram humanitatem, & veros dolores eius.

II. Ratio. *Pſalm. 68.*

Deinde probat Scripturam, & implet prophetiam; dicentem: *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto.* Impleuit etiam dicta Sibyllarum, nam Erythræa Sibylla ante 1500. annos (vt habetur in li.1.oraculorum eius) prædixit:

Erythræa Sibylla.

Et fellis amari
Apponunt eſcam, potumq́; immitis aceti.
Et lib.8.
Felle fames, eius ſitis illudetur aceto.
Hanc apponet ei gens ſcilicet hoſpita menſam.

Tertia.

Et ſi enim Chriſto antequam crucifigeretur, datum ſit acetum, ſeu vinum cum felle mixtum; non tamen Chriſto ſitienti, & petenti, ſicut modò. Ideò Spiritus ſanctus dicit Scripturam impletam in hac ſiti.

Mat. 27.

Peccati pœnâ qualem Chriſtus pro nobis ſuſtinuit.

Pœna peccati eſt ſitire, & non habere quid bibas, neque qui potum præbeat; vel qui præbeat quidem, ſed per contemptum, potum amarum: & hanc pœnam peccato debitam portat Ieſus.

Quomodo fel in eſcam Chriſto datum ſit ſecundùm Euthym.

Quomodo autem ſit datum fel in eſcam, diſputat Euthymius, atque in hunc modum reſpondet: *Arbitror fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuiſſe; vt acetum quidem loco vini eſſet, illa verò fragmenta pro buccella panis. Et præcipuè ſanè potum dederunt, conſecutiuè verò etiam cibum. His enim qui animo deſtituuntur, vinum præbere ſolemus, iniecto pane, vt primùm bibentes, poſtmodum etiam poſſint edere. Quod ſi non intellexerimus, non inueniemus alibi datum ei fel in cibum.* Idem Euthymius in Pſalm.68. hoc ipſum tractans, ait: *Dicere etiam poſſumus, quòd poſtquam Saluator ſe ſitire dixit, Iudæorum illudentium alij acetum tantùm attulerunt ad bibendum, alij verò fel ad manducandum: & quòd alij inſuper fel aceto miſcuerint, vt quod per ſe acerbum erat, & moleſtum, amarulentius etiam redderetur. Veriſimile eſt etiam, quòd Iudæi ad maiorem irriſionem Chriſto prius fel porrexerint, vt comederet, ne inſuauis fortaſſe fieret potus: ſi ieiunus adhuc potum ſumpſiſſet.* Hæc ille.

Altera ſol[...] Iul. Afric[...] *Luc. 22.* Chriſto fel[...] eſcam den[...] qui myſtic[...]

Iulius Africanus libr.2.contrapoſitorum interrogatione 13.ita reſpondet: *Non ipſum quod dederunt, eſca erat, potus enim erat, ſed in eſcam dederunt, quam Dominus iam acceperat, cùm Paſcha ſuum cum diſcipulis manducauit; vbi Sacramentum corporis ſui demonſtrauit. In hanc eſcam Chriſti ſuauem, quis eſt qui det fel, niſi contradictores Euangelij, tanquam illi perſecutores Chriſti?* Eadem verba ſunt Auguſtini in Pſal.68.

Aug. tom.

III. Ratio. Sitis Chriſ[...]

Tertiò ſitiuit, vt inimicis ſuis anſam benefaciendi pręberet, & ad ſanitatem reuertendi: nam dare Chriſto plus eſt quàm accipere.

Dare Chriſ[to] plus eſt qu[àm] accipere. *Matth. 25* *Sup. 10.*

Et ſi ipſe dixit: *Quamdiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis:* quanto magis perſonæ ſuæ impenſum miniſterium? Quicunque enim potum dederit vni ex minimis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli; non perdet mercedem ſuam. Occaſiones ergo ex charitate quærebat, vt ſibi benefacerent.

IV. Ratio.

Quartò, alia quoque ratione ingentem ſuam charitatem indicauit. Nam cùm præſciret ſibi exhibendum acetum, quo erat excruciandus, ac torquendus; nihilominus vt impleret Scripturam, potum poſtulauit.

Quinta.

Quintò ſitiuit corpore, pauxillumque aquæ frigidioris petijt. Nihil vilius, aut minus alicui exhiberi poteſt, cùm aquæ elementum omnibus ſit commune: & tamen moribundo porrigunt acetum, quò eorum feritas & immanitas detegeretur, qui in moribundum hominem ita ſæuiebant, contra legem dicentem: *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo:* & contra aliud præceptum legis: dicentis: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, da ei aquam bibere. Prunas enim congregabis ſuper caput eius.*

Iudæorum i[n] Chriſtum n[...] ta crudelita[s]

Prou. 31. Iudæi quaru[m] legum Dei c[on]temptores. *Supr. 25.* *Rom. 12.* *Deut. 8. & ſæpè alibi.*

In quod impegerunt Iudæi, quia nec vt inimicum quidem illum tractarunt: ſiquidem dare acetum hoſtile eſt, & immanitatis plenum, maximè vulnerato. Hæc autẽ eò grauiora erant; quò is qui potum petebat, dederat illis terram fluentem lacte, & melle, & tot vineas Engaddi.

Iudæorum i[n]gratus anim[us] in Chriſtum. *Infr. 32.*

Vnde in Cantic. improperat eis Moyſes poſtquam dixerat: *Cõſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, & ſugeret mel de petra, oleumq́; de ſaxo duriſſimo; butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici, & ſanguinẽ vuæ biberent meraciſſimum;* ſubiungit: *De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ: vua eorum, vua fellis, & botri amariſſimi.*

VI. Ratio.

Sextò, ſciẽs ſe aceto potandum, ſitiuit: nam cùm cæteri omnes ſenſus, viſus, audi-

tus,

tus,odoratus,& tactus læſi eſſent, & excruciati, voluit poſtremò in guſtatu, qui integer, intactuſque ſupererat, affligi. Quemadmodùm Eua vltimo peccauit in guſtu: antequam enim fructum vetitum ederet, iam deliquerat concupiſcendo, & manum extendendo, ſcientiamque deorum appetendo. Quoties ergo de gula tentamur, huius potus Chriſto exhibiti meminerimus, ſicut ipſe ait: *Recordare paupertatis, & tranſgreſſionis meæ, abſynthij & fellis.* Mirum eſt autem illi vel guttam aquæ denegatam, cùm tamen olim Iſmaëli ſitienti, & ſiti pereunti ipſe Dominus ſuccurrerit oſtenſo puteo matri ſuæ Agar, vnde aquam hauriret: & ſitientibus filijs Iſrael, de petra duriſſima aquæ fluxerint ad potandos eos: Samſoni quoq; magna ſiti excruciato, ex aſini mandibula aqua emerſerit copioſa. Nec erat aqua cum periculo vitæ filijs Iſrael per media caſtra Philiſtinorum ex ciſterna Bethleem afferenda, vt aqua olim allata Dauidi. Eſaiæ (cùm mandato Regis Manaſſis diſſecaretur ferrea ſerra medius, ac ſiti deperiret) proſpexit de fonte aquæ viuæ: qui in hunc vſque diem nũcupatur fons Siloa, vt autor eſt Epiphan. lib. de vita & obitu Prophetarum. Sed qui omnium ſiti etiam miraculo ſuccurrit, ſibi ſoli denegat. Poſtremo Dominus vt ſtaret verbo ſuo, quod dixit: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam,* ſitire voluit, præſcius ſibi porrigendum acetum, quod ſciebat ſtatim ſpiritum eſſe exhalandum: vnde illo hauſto dixit: *Conſummatum eſt. Et inclinato capite, tradidit ſpiritum.* Moris ſiquidem erat miniſtris acetum porrigere crucifixis, vt quidam tradunt, quò liceret illis quamprimùm optata morte frui, & ipſi citius poſſent à cuſtodia liberari: nam propter maximam ſuam refrigerandi vim ſolet vulneratis mortem accelerare. Vnde Plutarchus in Marco Antonio tradere videtur, vulneratos potato vino celerius diſſolui. Ita enim de ipſo, qui ſe ſponte in ventre percuſſerat, ſcribit: *Antonius verò vt Cleopatram à lamentatione ceſſare faceret, petijt vinum ſibi potui dari, ſeu ſitiens, ſeu quòd potato vino celerius ſperabat diſſolui.* De quò paulò pòſt teſtatur quod expirauerit. Similem autem vim penetrandi ferunt ineſſe vino, quæ in aceto.

Gen. 3. — Remedium contra gulam. — Thren. 3. — Geneſ. 21. — Exod. 17. — 1 Reg. 23. — B. Epiphan. — VII. Ratio. — Ioann. 10. — Crucifigendi ... apud Iudæos potari aceto conſueuerunt, vt quidã tradunt. — Plutarch. — M. Antonij accelerata mors vnde.

Subiungit Ioannes: *Vas ergo poſitum erat aceto plenum.* Ad hoc nimirum, vt eo potarentur in ſua ſiti crucifixi, atque aceto potati citius morerentur: atque vt Hieronymus ſcribit, paratum erat acetum crucifixis, vt eos conſopiant. Romani porrò, quò ſe citius expedirẽt à cuſtodia, & Iudæi propter legem Deuteronomij, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, maturãdam eius mortem cenſuerunt per aceti porrectionem. Vbi nota, Ioannem ſolùm inter alios meminiſſe vaſculi continẽtis acetum, & hyſſopi circumpoſiti, & quòd Ieſus accepit acetũ vt citò migraret, iuxta id, quod in Ioanne dixit: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam*: quæ tamen nullus aliorum attigit. Cùm autem ob altitudinem pendentis non liceret dare potum ex vaſculo, habuerunt paratam ſpongiam, quam exugere ſitibundus poterat. Spongia, animal eſt in mari degens, & rupibus adhęrens deſiccatur: quòd ſi aqua immergatur, plurimã imbibit, quòd ſi prematur, illam emittit: ita ſpongia aceto immerſa bibit quantum potuit. Huius ſpongię pars religioſè Romę aſſeruatur in templo B. Agnetis non longè ab vrbe ſito.

Acetum cur Ieſu porrectũ fuerit. — Hieron. in Matt. — Deut. 21. — Cur Ieſus acceptit acetum. — Ioann. 10. — Spongia quid. — Quæ ſpongia ori Chriſti fuit porrecta, vbi aſſeruetur.

Hyſſopo circumponentes obtulerunt ori eius. Pro verbo Circumponentes, Gręcè legitur περιθέντες ὑσσώπῳ, alij verò, καλάμῳ circumdantes, ſiue circumligantes ſpongiam hyſſopo, ſiue arundini: nam lignum aliquod hyſſopi erat, vt putant Theophylactus, Euthymius, & Lyranus. Euthymius tradit, quoſdam putare hyſſopum vocari arundinem, eò quod arundinis ſummitas frondes habeat hyſſopo perſimiles. Et Theophylactus ait: *Aceto eum potant, id quod condemnatis faciebant: quia & hyſſopum propter hoc aderat, vt lethale. Quidam autem hyſſopum dicunt calamum; talis enim eſt ſummitas calami.* Sic ille. Quia verò hyſſopus, herba eſt flexibilis, & ligaturæ accommodata, & humilis, & ad altitudinem arundinis nunquam aſcendens, idcircò Auguſtinus inclinate videtur in herbam hyſſopi paruam, quæ purgat pectus; quia Chriſti humilitate mundamur: videturque aſſerere hyſſopi capillamentum fuiſſe arundinis ſummitati circumuolutum, cui commodè ſubſtrato ſpongia ſuperponeretur. Chryſoſtomus addit, hyſſopum appoſitum fuiſſe cum aceto ad potum quod ſit inſigne reorum, ex eo fortaſſis, quod legerat ex hyſſopi folijs conſtare aſpergines purificandorum. Meminit etiam hyſſopi, cùm alij Euangeliſtæ arundinẽ expreſſerint: quia hyſſopus in legis luſtrationibus adhiberetur, non ſine Dominicę paſſionis ſignificatione, vt ob id dixerit Dauid *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor.* Verba Chryſoſtomi in Ioannem, hæc ſunt: *Acetum in ſpongia porrigunt; vt bibat tanquam reus: nam propter hoc hyſſopum additur; quo guſtato mortuus eſt.* Hæc ille. Hyſſopus ergo, vel lignum fuit, cui eſt alligata ſpongia; vel ligatura fuit arundinis cum ſpongia; vel miſta herba cum aceto, quaſi pimpinella in vino:

Theop. in Ioa. — Euthym. Ibid. — Lyra. ibid. — Hyſſopus quid. — Aug. in Pſal. 50. ante med. tom. 8. — Chryſ. ho 84. in Ioan. 10. 3. — Hyſſopi vſus. — Leuit. 14. — Pſalm. 50. — Hyſſopum cuius rei gratia cum aceto ſit Chriſto oblatum, teſte Chryſoſt.

vino: cuius guſtus lethalis eſt, teſte Theophylacto: & ob id fortaſſe ait Chryſoſtomus, quòd erat potus eorum. Sitiebat ergo Dominus, & hæc tam amara & lethalia illi porrigebantur. Et pro potu bonorum operum exhibet Iudæus variarum pœnarum genera, quibus eum affecerunt: acetum item inuidiæ, & odij, quod in corde ſuo, quaſi in ſpongia cauernoſa, gerebant occultum. Sed cùm tu, ô Domine, omnes àlios ſitientes ad veniendum ad te inuitare ſoleas, quò eorum ſitis extinguatur, ais enim per Prophetam: *Omnes ſitientes venite ad aquas*; &: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis; & ego reficiam vos*; &: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*: aut ad teipſum recurre, qui es fons ſapientiæ, Verbum Dei in excelſis, torrens voluptatis, abyſſus dulcedinis, fons hortorum, puteus aquarum viuentium; ad teipſum perge, à teipſo ne diſcedas, aut haſce amaras potiones in vinum dulce conuerte: ſi Moyſen docuiſti amariſſimas aquas Marà indulcare, vt potum populo præberet; & ſi aquas in optimum vinum ad nuptiarum celebritatem, ac decus conuertiſti. Sed profectò ſicut Pater eum dereliquerat, ita ipſe deſerebat ſeipſum, vt minimè ſuæ ſitis ardori ſuccurreret. Sedulius libro de opere paſchali, quid illa aceti porrectio ſignificaret, paucis verſibus abſoluit, dicens:

Christo quid rependerint Iudæi pro benefactis.

Christus in cruce etiam ſemetipſum dereliquit.

Eſa. 55.
Matt. 11.
Ioan. 7.
Eccl. 1.
Cant. 4.
Exod. 15.
Ioan. 2.

Quin inſuper hauſtum
Cùm peteret ſitiens, vnus de plebe nefandæ
Penniculo infuſum calamo porrexit acetum:
Manibus populu in deteriora volutis
Conueniens liquor ille fuit. Nam dulcia vina
Sicut in horrendum cum cõuertuntur acetum,
A menſis proiecta iacent, in tempore priſco
Gens accepta Deo, nunc eſt odioſa propago.

Sedul li. 4. de opere paſchali.
Quid illa aceti porrectio ſignificaret.

Hæc ille. Origenes vero in Matthæum eleganter de vino felle permixto, & aceto ſcribit: *Forſitan quanticunque ſecundum doctrinam quidem Eccleſiaſticam ſapiunt, viuunt autem malè, dant ei vinum bibere felle permiſtum: qui autem alienas à veritate ſapientias applicant Chriſto, quaſi eo ea dicenti, hi ſpongiam implentes aceto imponunt calamo, & potant eum.* Cyrillus quoque Ieroſolymitanus: *Qui*, inquit, *educebat ipſis ex rupe aquas, en petit à vinea, quàm plantauit fructus. Sed quid vinea? quæ ſecundùm naturam quidem erat ex ſanctis Patribus, ſecundùm voluntatem autem ex Sodomis. Vinea enim illorum ex Sodomis, & ſarmentum illorum ex Gomorrha, ſitienti Domino, ſpongia madefacta, & impoſita arundini, porrigit acetum.* Et poſt aliquanto: *Præcantauit in Canticis de hoc horto ad meam ſponſam, dicens ad illam: Ingreſſus ſum in hortum meum, ſoror mea ſponſa. Erat autem vbi crucifixus eſt, hortus. Et quid accipis illic?*

Orig tract. 35. in Matt 10. 2.
Qui dent Christo vinum bibere cum felle miſtum ſecundùm Origenẽ Spongiam plenam aceto, ori Chriſti qui offerant.
Cyril Ieroſol catech 13. inter med. & finem.
Exod. 17.
Can. 5.
Ioann. 18.

Meſſui myrrham meam, vinum myrrhatum bibens, & acetum. Et hactenus de ſiti corporea. Sub qua aliam excellentiorem, & maiorem ſpiritum oſtendit: vt olim dum alloquebatur Samaritanam, ſub qua potum fidei ſpiritualem poſtulabat. Et cùm diſcipuli cibaria ei ex vrbe attuliſſent: *Ego cibum*, inquit, *habeo manducare, quem vos neſcitis*: & explicans, ſubdit: *Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, vt perficiam opus eius.* Quidam aſſerunt, hanc etiam plus cruciaſſe Dominũ, quàm cætera paſſionis tormẽta, quam ſanè ſitim latrones eodem ſupplicio affecti non leguntur habuiſſe: quoniam ex anguſtijs & afflictionibus animæ oriebatur. Vt igitur Chriſtus, qui totum hominem ab anguſtijs & cruciatibus gehennę eripere venerat, eas tam animo, quàm corpore ſuo voluit ſuſtinere: & vt de cruciatibus corporis per crucem, clauos, & nuditatem conqueſtus eſt voce ſuperiori: *Eli, eli*, ita anguſtias animi interiores per diram & intolerabilem ſitim expreſſit, vt ſciremus, Chriſtum illas eſſe expertum, quò animas omnium noſtrum qui credimus, liberatas eſſe intelligeremus. Vnde inferni flãmæ, ac cruciatus apud Lucam deſcribuntur per illam ſitim ardẽtem diuitis Epulonis, cui nullus ſuccurrit: Gentiles quoque depingunt Tantalum in medio aquarum ſiti excruciari, cui ſubueniat nullus. Atque hanc pœnam deſcriptam eſſe contendunt Pſal. 68. qui incipit: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.* Sed quomodo ſitit, qui tantam aquarum copiam habere ſe dicit, vt ad animam penetrent? Sed aquæ iſtæ amaræ erant, & turbulentæ, quæ ſitim adaugent potius, quàm minuant: has aquas non petit Chriſtus, ſed ab eis liberari inſtãter precatur. Ideo pœnas illas interiores per metaphorã exaggerat eorum, qui tempeſtatibus maris procelliſque agitati profundè in maris limo demerguntur, vt inuenire nequeant in quo ſubſiſtant, modo vero vndarum impetu in altũ extolluntur. Vnde ſubdit Propheta: *Infixus ſum in limo profundi* (id eſt, in peccatis quibus ſe conſpurcatũ, & defœdatum videbat, & pudore ſuffundebatur, vel faciem in cęlum leuare) *& non eſt ſubſtantia*, ſine ſubſiſtentia, vbi pes poſſit niti. Subdit rurſus; *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Laboraui clamans.* Et rurſus; *Libera me ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum. Non me demergat tempeſtas aquæ, neq; abſorbeat me profundum: neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Quibus omnibus vult ſignificari pœnas gehẽnæ, quas damnatorum animi luũt. Sed profectò ſi verum amamus, nõ ſunt propriè pœnæ inferni dicẽdæ, quas

Sup. 4. & ſeq.
Ibid.
Quam grauiter ſitis Dominum crucificauerit, & quare ſecundum aliquos.
Matt. 27.
Luc. 16.
Quales aquas quas bibit Dominus in paſſione ſua.
Quid illud Prophetæ in Chriſti perſona: Infixus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia.
Contra eos qui Chriſtum inferni pœnas ſuſtinuiſſe dicunt.

Chriſtus in cruce ſuſtinuit: nam damnati cum magno odio Dei, ſalutiſque deſperatione patiuntur, & hæ ſunt potiſſimæ gehennæ pœnæ: quas ſi ſubtraxeris, iam pœnæ gehennæ non ſunt. Cùm igitur Ieſus magna ex charitate, tùm Dei, tùm mundi, & cum certa ſpe euadendi ſua tormenta tã corporis, quàm ſpiritus ſuſtinuerit: dici non poteſt, eum pœnas gehennæ toleraſſe, quò nos ab illis liberaret: minimè enim Chriſti pœna ſatis erat ad delendum omnium pœnarum reatum, quæ peccatoribus debentur. Proinde clarius, certiuſque aſſerimus. Chriſtum hoc verbo declaraſſe ſitim ſuam plura patiendi pro Dei honore, & animarum ſalute. Nam per aquas in Scripturis, afflictiones, tribulationeſque intelligimus vnde illud: *Tranſiuimus per ignem, & aquam*; *& eduxiſti nos in refrigerium*; & rurſus illud: *Forſitan aqua abſorbuiſſet nos*. Et hoc tantò magis, quantò potum amarum, & cruciantem prænouerat ſibi porrigendum; vt ita ſaturaretur opprobrijs: & de ſanctis pro Chriſto tormenta patientibus per Prophetam dicitur: *Inundationem maris quaſi lac ſugent*. Dionyſius epiſtola ad Carpum tradit viſionem illam, in qua Dominus apparuit, dicens, quòd ſi opus eſſet pro ſalute hominum iterum mori, ac crucifigi, libenter ad nos veniret: tantum abeſt, vt amplius deprecetur calicem. Ita beatus Ignatius ardentiſſimo affectu ſitiebat martyrium, vt epiſtolæ eius teſtantur: B. etiam Laurentius in medijs flammis tormenta ſitiebat, ac dicebat: *Aſſatum eſt iam: verſa, & manduca*. Deinde præcipuè ſitiebat Dominus ſalutẽ noſtram: quæ ſuæ crucis, & mortis eſt fructus. Sitit populos per fidem, & charitatem ſibi incorporari: quia aquæ multæ, populi multi ſunt. Sitit ergo Patris honorẽ, & gloriam ſuam, propter Deum, peccati, ac dæmonis victoriam, & exaltationem, matris conſolationem, Apoſtolorum reditum, cõfeſſionem Centurionis, pœnitentiam populi reuertentis, & percutientis pectora ſua, Patrum ex limbo redemptionem, ſalutem omnium animarum. Sitit fidem noſtram, vt nos eſuriamus, ac ſitiamus iuſtitiam, fidem, ac ſalutem noſtram. Sitit guſtare vinum vineæ nobis agricolis locatæ: quiſque etenim ſuam vineam excolendam à CHRISTO accepit. Sitit ergo Chriſtus à Iuſtis quidem potum refocillantem bonorum operum, & virtutum obedientiæ, humilitatis, patientiæ, atque perſeuerantiæ; à peccatoribus verò pudorem de peccato, potum lacrymarum, & pœnitentiæ. Sed nos in hac ſiti Chriſti damus illi acetum: eſt autem acetum, teſte Hilario, vinum, quod per vitium incuriæ, aut vaſis coaceſcit, ac corrumpitur: non enim aliud habemus ex nobis. Nam vinum, quod à Deo accipimus, noſtra ſcelerata, ac contaminata vita corrupimus, atque infecimus, vt defecerit in acetum; ita, vt poſſit nobis dicere: *Ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verum; quomodò ergo conuerſa es in prauum vinea aliena?* Et, *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas*. Et niſi ſanctiſſima Virgo pro nobis deprecetur, vt in nuptijs ſponte fecit, dicendo: *Vinum non habent*, non habebamus ex nobis niſi aut aquam, aut acetum, quod tua benedictione conuertatur in dulce vinum. Da nobis ſpiritum tuum feruentem, quò hæc mutatio dexteræ excelſi fiat in nobis. Tradit Plinius, interdum vina præſtantia ortu Caniculæ deficere, & aceſcere: ſed temporis diſcurſu redire eadem bonitate. Id quoque nobis tua gratia poteſt contingere, vt qui carnis feruentis cupiditatibus, quaſi immundis animalibus noſtro vitio inſeruimus, in poſterum habeamus dulcem, quem Domino offeramus potum. Diſcamus ex hoc verbo noſtram ſalutem ſitire, pro eaque laborare, & pati vſque ad mortem: quia talem ſitim ſedabit Dominus, & ampliſſimo voluptatis torrente remunerabit. Chriſtus ſanguinem ſuum in potum vini propinauit, & ſpiritum ſuum in potum aquæ viuæ, ſicut ait Ioannes: *Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. Tu ergo imitare Chriſtum, & ſanguinem tuum illi porrige in potum: & ſi non datur tibi pro illo occumbere, ſaltem propina illi ſpiritum tuum. Caue, ne acetoſa illi porrigas, id eſt, corrupta; nam vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ, quaſi pannus menſtruatæ: ſed ſi alia non habes, etiam illa porrige: quia ipſe acetum traiecit, & ebibit, vt in ſe corrupta noſtra redintegraret, infirma ſanaret, mortua viuificaret. Vt igitur finem tractatui imponamus, offerant peccatores omnes Chriſto ſitienti lacrymarum potum, & contritionis aquam de ciſterna Bethlehem cum periculo vitæ allatam per medios hoſtes: & hanc in terram fuſam bibit Chriſtus, ſicut Dauid illam in terram fudit ad Dei gloriam. Proficientes offerant potum miſerationis Chriſto in ſe morienti, & in ſuis membris egenti, vt poſſit dicere; *Sitiui, & dediſti mihi bibere*. Perfecti verò cum ſponſa vinum aromaticum deuotionis, amoris, & imitationis offerant, de quo in Canticis dicitur; *Dabo tibi poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum meorum*. Nam Dominus ampliſſimo præmio, hoc eſt, torrente voluptatis ſuæ, ſanguine, ac ſiti ſua redempto remunera-

Marginalia (left): Pœnæ inferni præcipuæ quæ ſint. — Qualis illa ſitis fuerit Chriſti patientis, quã extingui cupiebat. — Aquæ in Scripturis quid denotent. — *Pſalm. 65.* — *Pſal. 123.* — *Thren. 3.* — *Deut. 33.* — *Dionyſ.* — Chriſti charitas erga peccatores. — Crucis, ac mortis Domini fructus. — *Apoc 17.* — Quid ſitiret in Cruce Dominus. — *Luc 23.* — *Matt. 21.* — Quid Chriſtus à iuſtis & peccatoribus ſitiat. — Acetum quid Hilario.

Marginalia (right): *Hilar. Can. 33. in Matth.* Quo aceto Chriſtum potemus nos. — *Ierem. 2.* — *Eſai. 5.* — *Ioann. 2.* — *Pſalm. 76.* — *Plin. l. 4. c. 18* Effectus Caniculæ, ex Plinio. — Sitis Domini quid nos doceat. — *Ioann. 7.* — Chriſto quæ minimè offerenda. — *Eſa 64.* — Quem potum offerre peccatores debeant Chriſto ſitienti, proficientes; ac perfecti. — *2. Reg. 23.* — *Matt. 25.* — *Cant. 8.* — *Pſalm. 35.*

nerabit, cui cum Patre, ac Spiritu S. ſit perpetua benedictio, honor, & laus, Amen.

TRACTAT. XLV.

De ſexto verbo Chriſti in Cruce, in illa verba: *Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit, Conſummatum eſt:* Ioann. 19.

Ieſus qualis medicus animorum noſtrorum.

PRVDENS Medicus pro ſalute ægroto præſtanda, primò arctiorem victus rationem præſcribit, quæ mater ſolet eſſe bonæ valetudinis, deinde vias & rationes excogitat ſudoris excutiendi, quò praui humores conſumantur: quòd ſi hæc non ſint ſatis, flebotomiam adhibet naturam exonerantem, poſtremò potionem aliquam amaram quidem, ſed efficacem inſtituit, qua penitus euacuata radice morbi, ſanitas reſtituatur. Ad eum modum Chriſtus ſapientiſſimus medicus noſter, qui tãquam ægrotus omnium noſtrum morbos, atq; peccata in ſe trãſtulerat, primò pro nobis quadraginta diebus, & noctibus ieiunauit, nihil prorſus guſtans; ambulando deinde itinera varia ſudauit, ſed in horto mõtis Oliueti etiam vſque ad ſanguinem; tertiò in prætorio Pilati ſanguinis miſſionem paſſus eſt; ſupererat potio amara aceti, quam cum hauſiſſet, dixit: *Conſummatum eſt*. Cùm igitur Ieſus reliqua omnia, quæ ad ſacrifici) perfectionem à Prophetis erant prædicata, in ſe fuiſſe completa agnoſceret, vnum adhuc deſiderari poterat, nempe vt fel, & acetum deguſtaret: quod vbi factum eſt, meritò dixit: *Conſummatum eſt*, hoc eſt, Ritè ſacrificium eſt peractum: nihil enim eorum omiſerat, quæ Prophetæ prædixerant filio hominis eſſe toleranda, iuxta æternum diuinę diſpenſationis propoſitum. Etſi enim nonnulla adhuc reſtarent complenda, vt mors & ſigna illam conſecuta, lateris apertio, ſepultura, ad inferos deſcenſio, quæ & ipſa in Scripturis prædicta erant: tamen quia iam erat in opere conſummationis, & pro conſummatis habebantur; propterea rectè potuit dicere: *Conſummatum eſt*. Reſtabat adhuc reſurrectio, in cœlum aſcenſio, atque miſſio Spiritus ſancti: ſed hæc ad victoriam pertinent, non certamen, præmia ſunt pugnæ, ac laboris. Deinde nota admiratione eſſe dignum, milites illos Dominicæ paſſionis miniſtros, alioquin rerum gerendarum ignaros, impios, ac ſæuiſſimos, cuncta quæ ad tanti ſacramenti expletionem exigebantur, eo ordine exhibuiſſe, ac ſi voto quodam communi conſpiraſſent ſe in Domino IESV vniuerſa Prophetarum oracula

Matth. 4.
Luc 22.
Ioann. 19.
Quàm verè Chriſtus dixerit: Conſummatum eſt.

perfecturos. Tanta eſt enim diuinæ prouidentiæ vis, vt qua via, ac ratione peruerſi homines ſuis affectibus ſeruientes putent ſe diuinæ reſiſtere voluntati, eorum quaſi quibuſdam inſidijs intercipiantur, vt ita fiant diuini conſilij perfectores. Quemadmodum vndecim filij Iacob, vendentes fratrem ſuum Ioſeph, ne dominaretur eis, ea maximè via erexerunt eum ad regnum. Verùm iam Textus verba expendamus.

Diuinæ prouidentiæ vis.
Geneſ. 37.
Infr. 41.
Cur Dominus porrectum acceperit acetũ.

Cùm ergo (inquit) *accepiſſet Ieſus acetum.* Qui ergo omnino vini myrrhati beneficio renuntiauit, & acetum cum felle miſtum guſtauit quidem, at noluit bibere: acetum tamen, vt Ioannes inſinuat, aſſumpſit, vt mortem maturaret. Cur verò biberet acetum purum, ſpreto myrrhato vino, ad literam explicatum eſt. Myſterium verò non paruum hoc continere videtur, quòd Deus acceptauit gentes quaſi acetum corruptas: Iudæos ſpreuit, à quibus exigebat & myrrham pœnitentiæ, quæ eos à corruptione & morte peccati ſeruaret; non fel iracundiæ, aut odij, quod in hodiernum vſque diem in Chriſtum gerunt. *Dixit*: *Conſummatum eſt.* Chriſtus Hebraico idiomate dicere potuit niſchlam, quòd Ioannes Græcè dixit τετέλεσται, Latinus verò interpres, *Cõſummatum eſt*, Syriacus codex haam ſcalam. Quæ vox vel Hebræa illa niſchlam, non vnam habet ſignificationem, ſed plures: nam interdum ſignificat id, quod ſolutum vel reſtitutum eſt, interdum verò perfectum, & conſummatum, quandoque autem pacatum, ſiue pacificatum, à verbo Hebræo שלם, quod eſt, ſoluit, ſiue reſtituit, pacauit, pacificauit, perfecit, ſiue conſummauit, atq; retribuit. Nam cùm dicitur in Leuitico: *Reddet illi dimidium ſorte ſua*, vel iuxta Vulgatã, *Reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere*: & in Exodo: *Quinque boues pro vno boue reſtituet*, ibi capitur in prima ſignificatione, in ſecunda verò apud Iob ponitur, cùm dicitur: *Et pacatum reddet habitaculum iuſtitiæ tuæ*: & rurſus, *Pacemq; habuit Ioſaphat cum Rege Iſrael.* In tertia verò ſignificatione accipitur apud Eſa. *Et conſilium nuntiorum ſuorum complens*, Et, *Complebuntur dies luctus tui*. Hæc aũt omnes ſignificationes mirificè conueniunt morti Chriſti. Ipſe enim eſt, qui æs alienũ, quòd primo homine peccante genus humanum cõflauerat, nec erat ſoluendo, tanquã bonus fideiuſſor pro nobis dependit: cuius fideiuſſionis pignus & cautela erant omnia veteris ſacrificia legis: imò ipſe per Dauidem ait: *Quæ non rapui, tunc exoluebam*: & Eſaias: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit*, id eſt, pro noſtris ſoluit peccatis: & Apoſtolus:

Marc. 15.
Matt. 27.
Vinum myrrhatum cur reiecit.
Niſchlam Hebræis multa ſignificat.
Leuit. 6.
Exod. 22.
Iob 8.
3. Reg. 22.
Eſai. 44.
Infr. 60.
Hi omnes ſignificatus quam mirificè morti Chriſti conueniant.
Gen. 3.
Primus.
Pſalm. 68.
Eſai. 53.

Coloſſ. 2.

lus: *Et vos cùm mortui eſſetis in delictis, & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo, donans nobis omnia delicta, delens quod aduerſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud Cruci.* Chriſtũ quidem ex ſenſibili morte viuificauit, nos autem ex ſenſibili, & intelligibili morte peccatorum. Nam delicta quæ condonauit, mors ſunt intelligibilis. Chirographum autẽ, cautio eſt manu ſcripta, qua nos debitores alicuius ſummæ confitemur: ſyngrapha verò, ſiue apocha, ſcriptura eſt, qua perſolutum debitum declaramus. Erat ergo Chirographum vel lex Moyſi, quam pepigerant ſcilicet ſe ſeruaturos, ac facturos eſſe omnia, quæcunque locutus eſſet Dominus, ac futuros obedientes: quòd ſi quid omitterent, ſubdiderunt ſe legis maledicto, quam Dominus euacuauit in Cruce: vt interpretatur Oecumenius. At alij, aptiùs forraſſe, chirographum interpretantur, quod Deus ab initio cum Adam Patre noſtro, & per conſequens nobiſcum omnibus decreuit. Indixerat enim Adæ: *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas: In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hoc chirographum contrarium nobis erat, quia nos comedimus in Adam Patre noſtro, & rei mortis omnes inuenti ſumus. Sed hoc chirographum, & debiti cõfeſſionem ſuſtulit Chriſtus in Cruce, faciẽs ſe debiti noſtri fideiuſſorem, ac perſolutorem, vbi ſua obedientia contumaciam & rebellionem compenſauit noſtram: ac vt homo in omnibus ſuis membris Deum offendit, ita Chriſtus in omnibus paſſus eſt, vt nobis parceret. Non rarò contingit, vt quis in hoſpitium ingreſſus, non habens rationem quantum habeat in bonis, aut in loculis, edit, bibitque ſplendidè: accedit hoſpes, enumerat quæcunque exhibuit, facit ſummam, ille cùm minimè ſit ſoluendo ligatus ab hoſpite, in carcerem conijcitur, aitque illi: *Non egredieris inde, donec ſoluas nouiſſimum quadrantem.* Ad eum modũ primi parentes comederunt, & biberunt in Paradiſo, cumque ſoluendo non eſſent, detinebantur ligati in carcere per carnificem dæmonem: at Chriſtus diues in miſericordia volens opus edere clementiæ ſuę, in cruce abundanter Patri debitum depẽdit, ſolutoque pretio, dixit: *Conſummatum eſt,* videlicet mundi, & hominis debitum quod tecum habebat; amplius etiam tu illi remanes debitor, cũ plus depẽderit, quàm illi debebat, vt illis benefacias, & conſummatos illos, ac perfectos ad gloriam deducas. Quemadmodùm Helisæus clamãti ad ſe mulieri, eò quòd creditor filios in ſeruitute poneret, quòd non eſſet ſoluẽdo, cùm de oleo illi etiam miraculo proſpexiſſet, quò ſolueret, dixit: Vade, inquit, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filij tui viuite de reliquo. Ita etiã cùm quis à captiuitate Turcæ liberatur, non tantùm pretium iuſtum illi mittitur, quo liber euadat, ſed etiam viaticum, quò poſſit comodè, atque honorificè inde in patriam ſuam reuerti. Alter ſenſus eſt: Pacificatum eſt. Ipſe enim Ieſus verus eſt Salomon, & pax noſtra, qui fecit vtraque vnum: & non tantùm pacificus cum diligentibus pacem, ſed etiam cum illam odio proſequentibus, vſque adeò, vt inter ipſos grauiſſimos cruciatus, quos ex obedientia Patris ſuſtinebat, inuocando Patrem, de noſtra pace negotietur cum eo. Solet enim longum, ac diuturnum bellum matrimonio aliquo diſſidentium partium terminari, ſolutis tamen damnis iniuſtè illatis à parte illa, quæ iniuſtum bellum fouebat. Nam orto bello inter Deum & hominem, ad pacem ſtatuendam cõiunctus eſt Dei Filius cum humana natura: quare Chriſto nato pax in terra hominibus bonæ voluntatis decantata eſt ab Angelis. Reliquum erat, vt humanũ genus damna Deo illata ſolueret: verùm cum ſoluendo nõ eſſet, idem Dei Filius pro nobis ſoluere, & reconciliare nos Deo decreuit, pacificãs per ſanguinẽ filij eius, ſiue quæ in cęlis, ſiue q̃ in terris ſunt, vt docet Apoſtolus. Nam Deus recõciliatus eſt homini, homo cũ Angelo, Iudęus cũ Gentili, & quiſq; cum inimico ſuo, deniq; ſpiritus cum carne. Hęc eſt illa pax, quæ iuxta Paulum exuperat omnem ſenſum: quia conſiliũ imperſcrutabile eſt, Filiũ Dei, vt mediatorẽ pro nobis pacificãdis ad necem tradi. Sanè magnũ, & ineffabile beneficium eſt, per filium cũ Patre reconciliati: maius, ꝙ per ſanguinem eius talis reconciliatio comparata eſt: at maximum, quod non vi aliqua compulſus, aut beneficio vllo, aut obſequio prouocatus, ſed ſtupẽda charitate crucis ignominiam pertulerit; vt diſciplina pacis noſtrę, teſte Eſaia, fuerit ſuper eum. Eſt igitur Ieſus vera, & pacifica hoſtia, quæ humana cum diuinis perpetuo fœdere concordiæ connectit. Tertius ſenſus eſt: Conſummatum eſt, id eſt, perfectum, & completum, & omnibus ſuis numeris abſolutum. Nam ita & Scriptores Ethnici & ſacri hac voce vti cõſueuerunt. Vnde Cicero: *Latiſſimè patere videntur ea, quæ de officijs tradita à Philoſophis, & conſummata ſunt.* Et Poëta: *Quod magni Traſeæ, conſummatiq; Catonis.* Paulus verò ait: *Vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos,* id eſt, perfecit. Et in libro Sapientiæ:

Marginal notes (left): Chirographũ quid, & quid ſyngrapha. — Quale ſit illud chirographũ decreti, quod Chriſtus in cruce deleuit, ſecundùm Apoſtolum. *Exod 19.* *Oecumenius.* — *Gen. 2.* — *Infra 5.* — *Philip. 2.* — Chriſtus patiens pro nobis in cruce, quid feciſſe, videatur. *Matth. 18.* — *Epheſ. 2.* — *4 Reg. 4.*

Marginal notes (right): Secundus ſignificatus. *Epheſ. 2.* — Diuturnũ bellum quemadmodum ferè ſoleat terminari. — *Luc. 2.* — Quemadmodum nos Chriſtus cum Deo reconciliauerit. *Coloſ. 1.* — *Philip. 4.* — Huius diuinæ reconciliationis beneficiũ ex tribus agnoſcitur. — *Eſa. 53.* — Tertius ſignificatus. Conſummare quid ſit. — *Cic. libr. 1. de officijs.* — *Martial.* — *Hebr 10.*

Sapient. 4. tiæ: *Cõſummatus in breui expleuit tempora multa*, Et iterum, *cogitare de ſapientia ſenſus eſt cõſummatus.* *Infra 6.* Hinc conſummatio in eodem ſenſu accipitur, vt cùm ait: *Hinc & oramus, veſtram conſummationem*; & iterum, *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, &c. ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij.* *1. Cor. 13. Epheſ. 4.* Et quia quod finitur, ſolet eſſe perfectum; ideò conſummare, ſignificat etiam finire, vel terminare. *Conſummare quid rurſus ſignificet.* Vnde dixerunt Apoſtoli; *Matth. 24.* *Quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſeculi?* & rurſus, *Infra 28.* *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.* in hunc ſenſum dixit Daniel: *Daniel. 9.* *Vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas*; & liber Eccleſiaſtici: *Eccli. 18.* *Cùm conſummauerit homo, tunc incipiet*, & Euangeliſta: *Matth 7* *Cùm conſummaſſet Ieſus verba hæc admirabantur turbæ ſuper doctrina eius.* Cõſummare igitur res non vt pereant, ſed vt perficiantur, *Conſummare ad quem proprie pertineat.* illius proprium eſt munus, qui non venit ſoluere legem, ſed adimplere, *Supr. 5.* & vt ait Apoſtolus: *Rom 10.* *Finis legis Chriſtus: ad iuſtitiam omni credenti.* De quo per Eſaiam pater gloriatur. *Eſai. 44.* *Paſtor meus es*, inquit, *& omnem voluntatem meam complebis*; & ipſe Ioanni Baptiſtæ dixit: *Matth. 3.* *Sic decet nos implere omnem iuſtitiam.* Ideò à Paulo dicitur autor fidei, *Hebr. 12.* & conſummator, id eſt, perfector. Ipſe eſt igitur cuius eſt dicere, Conſummatum eſt, *Quam cõſummauerit Chriſtus omnem voluntatem Patris.* videlicet quicquid Deus hominibus per Meſſiam adminiſtrari voluit: quia impleuit omnem Dei volũtatem, promiſſioneſque Dei omnes (quę in illo ſunt, vt teſtatur Apoſtolus) *2. Cor. 1.* de reconciliando ſibi mundo, & à captiuitate dæmonis liberando: ipſe præſtitit omnem obediẽtiam & iuſtitiam, ad debitum inobedientis Adæ, & filiorũ ſuorum extinguendum. Ipſe abſoluit teſtamentum ſuum, atque compleuit: nam teſtamentum, vt ſcitè tradit Apoſtolus, *Hebr. 9.* in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondũ valet, dũ viuit qui teſtatus eſt, cùm adhuc vt dici ſolet, voluntas eius ſit deambulatoria. *Bartolus.* In quo teſtamento iuſtitiæ ſuæ, & vitæ æternæ hæredes inſtituimur, multò potentiùs quam per Adæ peccatum fuimus inſtituti hæredes peccati, & mortis: *Chriſtus regni ſui quales nos inſtituerit hæredes.* potentior eſt enim, atque efficacior Ieſus, qui Deus eſt, & homo, ad ſaluandum quàm ille, qui purus homo fuit ad perdendum. Completum eſt ergo Vetus Teſtamentum, omniaque eius ſacrificia in hoc vno ſacrificio crucis cruento: quòd priùs inſtituerat incruẽtum pro vniuerſis peccatis expiandis, quæ ſiue ante ingreſſum in Chriſtum, ſiue poſt illum quoque modo perpetrauimus. Cùm autem Veteris Teſtamenti vniuerſa mandata in præcepta naturæ, ſiue morum, & in *Quomodo diuidatur Vetus Teſtamentũ,* cęremonias, & iudicia diuidantur: illorum omnium conſummationem in Chriſti Cruce cernere licet. *illudq; quàm exactè & perfectè Chriſtus impleuerit.* Nam præcepta omnia, quæ ad mores ſpectant, & moralia dicuntur, in ſingulari illa ſua, eximiaque obedientia, qua Patri ſe morigerum præſtitit vſque ad mortem; mortem autem Crucis, *Philip. 2.* & in eminentiſſima illa, & ardentiſſima charitate, qua ſe pro omnibus hominibus, & præcipuè pro inimicis ſuis cruci ſuffigentibus, & ingratis futuris ſe tradidit, conſummauit, atque perfecit. Cęremonias verò atque ſacrificia in hac vnica, & ſingulari crucis victima compleuit. *Chriſtus vt ſit holocauſtum.* Eſt enim Ieſus in cruce holocauſtum, igne diuini amoris, & doloris combuſtum totum, & æterno Patri in odorem ſuauitatis oblatum: quod ſolus Deus ediſſe per ignem ſui beneplaciti dici poteſt, propter cuius repræſentationem omnia antiqua holocauſta, & ſacrificia placuerunt: placentque omnes noſtræ hoſtiæ, quæ illam Crucis in Miſſa repræſentant. Hoc eſt ſacrificium pro peccato in vniuerſum extinguendo: *Apoc. 1.* quia dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Hæc eſt hoſtia pacifica: *2. Cor. 5.* quia reconciliauit nos Patri ſuo per ſanguinem. *Cur hoſtia ſit Chriſtus ſacrificium, & oblatio.* Hoc eſt ſacrificium ſtabiliendi, & confirmandi fœderis noui: vnde dixit: *Luc. 22.* *Hic eſt calix Nouum Teſtamentum in ſanguine meo.* Hæc eſt oblatio dedicationis templi: quia ex latere Chriſti dormientis in cruce, formatũ eſt templum viuum Eccleſiæ militantis per aquam Baptiſmi purificantis, & ſanguinem redemptionis. Hic eſt agnus, *Agnus. Exod. 12.* cuius ſanguine educti de myſtica Ægypto peccati, & ſeruitute dæmonis: qui edendus eſt feſtinanter per fidem, & eius ſanguine tingenda ſuperliminaria domus noſtræ, id eſt, labia confitentia illum pro nobis eſſe effuſum, quò ab Angelo liberemur percutiente. *Hebr. 13. Iuge ſacrificiũ Exod. 29.* Eſt præterea iuge ſacrificium, in quo mane duo agni, & totidem veſpere olim Deo offerebantur. Et Chriſtus in incarnatione quaſi mane ſeipſum duas naturas habẽtem Patri obtulit: quod expreſſum fuit, cùm Ieſus præſentatus fuit in templo: *Luc. 2.* & totidem veſpere mortis ſuæ obtulit in Cruce. Niſi velimus dicere, duos agnos manè oblatos fuiſſe, Chriſtũ, & Mariam, tùm in templo, tùm in Cruce Deo præſentatos. Tertiò iudicia omnia legis in hac vna rigidiſſima iuſtitia in ſe Dei filium pro aliorũ peccatis exercitata, conſummata ſunt: *Iudicia legis omnia Chriſtus abſoluit, atque conſummauit.* quare liberum eſt poſt Chriſti ſummi Pontificis mortem omnes homicidas (qui enim diligit iniquitatem, odit animã ſuam) *Pſal. 10.* in cœlum, quaſi in patriam redire. Tamq; iuſtè, ac abũdanter pro nobis pendit Ie-

dit Ieſus, vt eius paſſio reddat omnes membrorum ſuorum paſſiones, & mortes pretioſas in conſpectu Domini, etiamſi maximè mundus rideat, & cõtemnat. Quia noſtrum pati pars eſt illi⁹ mortis, quę eſt, fuit, & erit ſemper ante Dei oculos pretioſiſſima, & gratiſſima. Conſummatum eſt igitur, quicquid permiſſum diabolo, & eius miniſtris, tam Iudæis quàm Gentilibus tẽpore derelictionis meæ, vt faciant contra me. Nunc igitur, Pater æterne, ſupereſt vt tu facias, quod tuum eſt. Et cùm ſcriptum ſit: *Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum:* ſi Iſraël nouit ſe perdere, omni bono ſuo, id eſt, me ipſo ſe ipſum priuando, tu incipe Pater opus ſalutis operari in gloriam meam. Hoc enim mihi, & meæ obedientiæ abs te debetur, & hoc ego pro eis peto, videant quem pupugerunt, illuminẽtur tuo lumine, vocẽtur tua interiori voce, & agnito errore reuertantur percutientes pectora ſua: & vt factum eſt. Homines etiam ex parte ſua incipiant ponere operam ſuam, & induſtriam, vt participent de fructu paſſionis meę, opus enim eſt fide erga me, pęnitentiæ in peccata Sacramento, quò Eccleſię ſuę ſe incorporent, obedientia ad diuinam legem, patientia in tribulationibus, humilitate in ſecundis, & proſperis rebus, perſeuerantia in virtutum officijs, charitate erga Deum & proximos, etiam inimicos, & cum Apoſtolo dicere poterunt: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa iuſtus iudex.* Nec enim valet cõſequentia: Chriſtus mortuus eſt pro me, remiſit peccata, liuore ſanauit ſuo: ergo nihil mihi eſt amplius præſtandum. Sed potius oppoſitum valet: ergo & mihi tolerandi ſunt labores, remittendum inimicis, ac debitoribus, moriendum pro Chriſto, & conſummandum opus noſtræ ſalutis cęptum, ſicut ille conſummauit ſuum. Supplere ergo debemus ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne noſtra pro corpore eius, quod eſt, Eccleſia. Debent & pro ſe ipſis ſolicita eſſe membra, & alterum alterius onera portare, vt ſic Chriſti valeant legem adimplere. Ita igitur eſt Chriſtus ſolutor debitorum noſtrorum, commodus diſſidentium pacificator, mediator, & aduocatus, myſteriorum omnium diuinorũ egregius conſummator; vt iure ſuo dixerit niſchlam, id eſt, ſolutum eſt, pacificatum eſt, perfectum eſt. Et recto quidem ordine hęc ponũtur: quia ſolutione peruenitur ad pacem, pace verò omnia conſummantur, atque perficiuntur. Thaulerius in exercitationibus de vita Chriſti Ieſu ſuper hoc verbum pulchrè ait: *Conſummatum eſt,* inquit, *quicquid æterna Sapientia conſtituerat, quicquid iuſtitia rigida pro ſingulis quibuſq; exigebat, quicquid charitas amanter poſcebat, quicquid erat promiſſum Patribus, quicquid myſteria, figuræ, cæremoniæ, & Scripturæ præſignarant, quicquid ad noſtram redemptionem erat accommodatum, ac neceſſarium, quicquid in noſtris abolendis debitis erat conducibile, quæcunq; ad noſtras explendas, reſarciendaſq; negligentias conferebãt, quicquid glorioſum, atque amicabile eſſe poterat, ad ſublimem demonſtrandum amorem, quæq; pro noſtra ſpirituali inſtitutione, ac informatione deſiderare potuiſſemus, quicquid demum honeſtum, atque congruum erat glorioſo mirificæ redemptionis noſtræ triumpho celebrando, atque victoriæ: cuncta hæc iſto ſunt determinata verbo: Conſummatum eſt.* Hæc ille. Conſummauerat olim Deus omnia opera ſua die ſexta condito homine, & Eua formata: conſummauerat & homo peccatum eadem ſexta die: Conſummauit & Ieſus eodem die omnem ſuam patientiam, & iuſtitiam in extinguẽdo debito peccatorum noſtrorum. Finitum eſt opprobrium Crucis, malitia Iudæorum, dolores Chriſti: ſed peccata noſtra, quibus quotidiè Chriſtum crucifigimus, & paſſionis repetimus vulnera, nondum propter noſtram malitiam ſunt finita.

Ex hoc igitur verbo primùm diſcimus, Si conſummatum eſt, Iudæos fruſtra adhuc expectare Meſſiam plura facturum, quàm quæ Chriſtus geſſit. Diſcimus victoriam Chriſti contra terrores dæmonis, mundi honores, atque carnis petulãtiam, mortiſque aculeos conſummatam eſſe, atque perfractam. Nam etiamſi nũc dæmones tentent, alliciat caro, mundus ad ſe trahat, mors impendeat: ſunt tamen omnia iſta debilitata, & prorſus confutata. Non ſecùs atq; ſerpens ſine veneno, apis ſine aculeo, & vt leo vnguibus, ac dentibus deſtitutus: vt poſſint quidẽ terrorem aliquẽ incutere, at vincere nequaquam, niſi eum, qui ſponte manus dederit. Addiſcamus etiam pœnas omnes pro Chriſto toleratas finem habere, vt proptereà Apoſtolus vocet illas breuem, & momentaneã tribulationem. At quæ pro mundo, aut pro Satana tolerantur, hic quidem initium, incremẽtum morte, conſummationem autẽ in die reſurrectionis vniuerſalis accipiẽt, vbi corpus vnà cum anima æternis gehennæ ignibus cruciãdum tradetur. Quartò addiſcamus, ne à bono opere, & propoſito quouis modo deſiſtamus, quoad illud perfecerimus, etiamſi tribulatio ingens, aut mors

propter-

Marginal notes:

Pſal. 115.

Chriſto voluntatem omnẽ ſuam conſummanti quid debeat Pater.

Oſeæ 13.

Ioan. 19.

Lucæ. 23.

Quid homines vero eidẽ Redemptori ſuo.

2. Tim. 4.

Eſai. 53.

Matt. 5. & 6.

Coloſ. 1.

Galat. 6.

Thauler. in exercit. de vita Chriſti Ieſu, cap. 49. poſt medium.

Thaulerij in idem verbum Domini: Cõſummatum eſt: elegans ſententia.

Gen. 1.

Infra 2.

Infra 3.

Ex hoc eodẽ verbo Chriſti Conſummatũ eſt, eliciuntur documenta nonnulla.

Secundum documentum.

Aptę ſimilitudines Chriſti victoriæ.

Tertium documentum.

2. Cor. 4.

Quartum documentum.

Eccli. 4. propterea ſuperueniat; vt poſſimus præceptum ſeruare Sapientis dicentis: *Pro iuſtitia agonizare pro anima tua; & vſque ad mortem* Apoc. 2. *certa pro iuſtitia*: & Dilectus, *Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*: ſicut Iob 13. Iob aiebat: *etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo*; vt poſſis aliquando dicere cum Domino: *Conſummatum eſt*, vel cum Apoſtolo: 2. Tim. 4. *Curſum conſummaui*. Multi enim vix poſſunt dicere, inchoatum eſt: rari qui dicant, Progreſſum fecimus: rariſſimi, qui dicere valeant, *Conſummatum eſt*. Nam ſunt nonnulli, qui cum benè cœperint, aut magnos progreſſus in via Dei fecerint, corde tamē reuertuntur in Ægyptum, ſiue cùm poſuerunt manum ad aratrum, inſtar vxoris Lot reſpiciunt retrò: illuditurque eis voce Euangelica: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare*. Poſtremò intelligamus, quòd niſi cum cōſummatum fuerit, quod de nobis Deus decreuit, crucem derelinquere non debemus: ſed vt Chriſtus legem impleuit, Scripturas, ac figuras; ita & nos impleamus quæcunque in eis nobis præcepta ſunt, aut conſulta amplectentes, & alacri animo patientes pro Chriſto, & alios ad id exhortantes, vt ita ſimus viri cōſummati. Hinc illa hominū conſuetudo, vt homines moribundos, ac magnis doloribus vaxatos ſolemur, ac refocillemus, vt & ipſi poſſint dicere: Conſummatum eſt, id eſt, Perfecta eſt Dei voluntas in nobis: alioquin videri poterat humanitatis opus illos interficere, ne diutius doloribus ac tormētis vexarentur. Ita olim Gentiles, præſertim Romani, quò ſæuioris mortis genus euitarent, in ſe ipſos manus violentas inferebāt: quemadmodum legimus apud Corneliū Tacitum principatu Neronis multos feciſſe. Pomponius etiam Atticus, vt ab immanium dolorum vi eriperetur, inedia ſe ipſum enecauit. Adde Catonem, qui ne in manus Cæſaris veniret, & Marcum Antonium, & Cleopatram Ægypti Reginam, ne in Auguſti ditionem, ac triumphum adducerentur, mortem ſibi ipſis conſciuerunt. Sed profectò hæc à ratione aliena, & immanitatis plena erant; cum rectè dixerit Cicero, non decere militem iniuſſu Imperatoris de ſtatione decedere. Precemur igitur ſeriò Dominum, vt propter merita Filij ſui perſeuerantis in Cruce, & omnem iuſtitiam conſummantis largiatur nobis ſpiritum ſuum, per quem omnia, quæ præcepta ſunt nobis, conſummare valeamus, ſectantes veſtigia Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre, & Spiritu ſancto perpetuo honore, laude, ac gratiarum actione ab omni creatura eſt honorificandus, ac benedicēdus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Luc. 9. Gen. 19. Luc. 14.

Quintum documentum & vltimum.

Quando erimus viri conſummati.

Pia conſuetudo fidelium.

Ethnicorum, Romanorum in primis execrandus mos. *Cornel. Tacitus.*

Qui ſibi ipſis manus intulerint.

Cicero in ſomn. Scipionis.

TRACTATVS XLVI.

De poſtrema Chriſti voce in Cruce, in illa verba: *Et clamans voce magna Ieſus, ait, Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum, Et hæc dicens, expirauit,* Quæ habentur apud Luc. c. 23.

SOLENT Poſtrema verba parentis, aut ſapiētis alicuius, qui iam animam agit, & morti eſt vicinus, ab aſtantibus magna diligentia obſeruari, quòd vt plurimum eo temporis momento non niſi vera, & ſolida, & quę intus homines ſentiunt, loquantur, quaſi iam prodeant ab ſpiritu, omni prorſus ſenſu corporis deſtituto: vnde & Poëta deſcribens moribundam Didonem retulit.

Quo loco hæc Chriſti verba in Cruce morientis à nobis haberi debeāt.

Incubuitq; toro, dixitq; nouiſſima verba.
Solent etiam quę à cōcionatoribus in peroratione dicuntur, maiores habere aculeos, quò auditores magis flectant, atque permoueant. Ad hunc modum aurea Chriſti in Cruce pendentis verba, ac iam in ſtricto Crucis lecto moribundi, planè digna exiſtunt, quæ mentibus noſtris inſideant, magiſq; intelligantur, atque deguſtentur, maximè verò hoc poſtremum verbum omni profectò acceptione dignum, quo vitam ſuam clauſit. In primis igitur in litera notandum eſt, Matthęum ſolùm dixiſſe: *Ieſus autem iterum clamans voce magna, emiſit ſpiritum*. Bis enim Dominus vſus eſt voce magna, nimirum in quarto verbo iā explicato, & in hoc poſtremo. Adhæc tres priores Euangeliſtæ Dominum referunt clamaſſe voce magna: ſed inter eos priores duo dicunt tantum voce magna clamaſſe, quid illa voce expreſſerit non declarantes: ſolus Lucas explicuit illam vocem fuiſſe, quæ ex Pſalmo quoque fuit deſumpta: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum*. Et Matthæus quidem dixit; *Emiſit ſpiritum*, Marcus & Lucas, *Expirauit*, Ioannes verò, *Tradidit ſpiritum*; vnam, & eandem rem diuerſis verbis exprimentes. Deinde illud quoque in litera obſeruandum eſt, verbum illud, *Commendo*, tam in Hebræo, quàm in Græco codice Septuaginta, atque adeò in ipſo Luca Euangeliſta de futuro dixiſſe, παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου, hoc eſt, deponam, vel commendabo ſpiritum meum: ſignificat, per modum depoſiti

Virg. 4. Æneid ſub finem.

Matth. 27. Quemadmodum inter ſe Euangeliſtæ conſentiant. *Ibidem. Marc. 15. Luc. 23.*

Pſal. 30.

Quid eſt ad literam: Commendo ſpiritum meum.

poſiti ſpiritum meum tradam ad tempus poſteà repetēdum. Sed illud futurum vim habet præſentis:ita enim ſoliti ſumus dicere,cum cœpto opere & iam finito recedimus ab eo,apud quem operabamur: Commendo me tibi. Ita cùm dicimus, Salueto, vel valeto,nō tam futuram,quàm præſentem valetudinem, ſalutemve exoptamus, imò potius præſentem cum futura & perſeueranti valetudine cōmendare ſolemus. Ratio etiam id euincit: quia Dominus tūc ſpiritum commēdauit,cum eſſet in mortis articulo,non poſt mortem,quando iam ex Cruce depoſuerant eum. Et revera hæc verba conueniunt ex hac vita migrantibus ad Dominum: vnde Stephanus ad Domini imitationem dixit de præſenti: *Domine Ieſu,ſuſcipe ſpiritum meum*: & Eccleſia hora Completorij hæc verba de præſenti vſurpat: atque illis terminat Completorij Pſalmum, ac preces ob Domini reuerentiam, qui vitam illis verbis terminauit. Circa ſenſum expende primo clamorē Domini magnū,cùm exangues, & ſemianimes clamare nequeant,imò vix exili voce loquantur, & flatum emittant tenuiſſimum: Ieſus verò,cui tanquàm afflicto,ac viribus deſtituto paulò antè additus eſt ſocius Cyrenæus ille,qui Crucem portaret poſt eum, nunc grādi intonat voce, quo in ſe maiorem humana potentiam ineſſe declararet, vt adnotauit Athanaſius quæſtio. 76. ad Antiochum, & ſe veracem comprobaret, qui dixerat: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam: & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* In quibus verbis obſerua, quòd poteſtas illa ponendi animam ſuam, non arguit vim diuinam, cùm quiuis habeat poteſtatem cōciſcendi ſibi mortem: at ponere cùm voluerit, & præſertim cum tanta voce, diuinum eſt. Vnde & Centurio videns quòd ſic clamans expiraſſet, dixit: *Verè filius Dei erat iſte.* At ſecunda poteſtas illa,id eſt iterum ſumendi animam, verè eſt diuina. Cęterùm, quia Dominus ſpiritum ſuum depoſuit, reus non eſt homicidij iudicandus, quia iam cruciatus, & vulnera in carne ceperat: vt niſi diuina virtute animam ſuam intra corpus continuiſſet, vi tormentorum fortaſſis iam diſceſſiſſet, quò videlicet cuncta, quibus adhuc viuens exercēdus erat, conſummarentur. Non ergo ſibi mortem Dominus intulit, niſi ea ratione, quia non impediuit: ſicut etiam non eſt homicida noſtri habendus, eo quòd cùm infinita ſua virtute poſſit peccata prohibere, & mortem noſtram,non prohibet tamen, ſicut & interdum dicitur tradere in reprobum ſenſum, & conuertere cor in

Actor. 7.

Vnum propriū Chriſti morientis magna voce clamare.

Quare Ieſus moribundus magna voce clamauerit.

S. Athanaſ.

Ioan. 10.

Aliter quam nos Chriſtus poteſtatem habuit ponendi animam ſuam.

Matth. 27.

Si Dominus poteſtatem habebat ponendi animam ſuam, quin reus ſit homicidij iudicandus.

odium populi, excæcare, indurare, & aggrauare, & ſimilia peccata facere, quia ſcilicet non impedit, cùm poſſit: non impedit autē, cùm poſſit, quia eo poſito, quòd hominem libero arbitrio præditum condiderit,non decet neque debet impedire. Clamat deinde voce magna, vt egregius de morte triumphator, ingeminans illud: *Ero mors tua,ô mors,morſus tuus ero inferne.* Voluit ergo oſtendere, ſe non erubeſcere crucem,aut mortem Crucis,quò nos Chriſtū, eiuſque crucem confiteri coram omnibus & nequaquam erubeſcere doceret. Clamat vt Rachel in partu,humanitate non ſine dolore vehementi parturiente Ben-oni, hoc eſt,filios doloris,& diuinitate quaſi Iacob nomināte Beniamin,hoc eſt,filios dexterę Excelſi. Clamat vt leo rugiens pro fame animarum, vt ita terreret beſtias, hoc eſt, dæmones detinentes animas,& ſua voce ſuſcitaret catulos, ſiue leunculos, id eſt, Centurionē & eos,qui reuertebantur percutiētes pectora ſua. Nam ad hunc clamorem monumenta aperta fuiſſe, terram tremuiſſe, lapides ſeſe concidiſſe, dæmones obſtupuiſſe, infernum contabuiſſe credēdum eſt. Clamore iſto oſtendit,non ex neceſſitate naturæ, vel ex acerbitate tormentorum, aut aliquo doloris ſenſu ſpiritum ſuum à Deo auferri potuiſſe, ſed ſua ipſius voluntate deponere animam. Non ita tamen,vt tormenta,plagę,ac dolores virtutē mortis inferendæ non habuerint: nam revera Dominum Iudæi occiderunt,& mortem turpiſſimam illi intulerunt: ſed quia poteſtatem habebat, quatenus Deus erat, & anima Chriſti vt organum diuinitatis, qua illis reſiſteret, & vitam ſuam produceret quam diu vellet; dicitur tamen voluntate mortuus, & poteſtate ſua, quādo permiſit, vt infligentia mortem in naturam Chriſti humanam præualerent. Nam cùm tormētum crucis in hoc eſſet acerrimum, quòd longum,ac diuturnum eſſet, ac proptereà eiuſmodi crucifixorum mors alio ſupplicio maturari, ac præueniri conſueuiſſet, nēpe aceti potatiōe, vel crurifragio, cùm ipſe crurifragium pręuenerit morte ſua, & mortuus eſſet ante latrones, & Pilatus valde admiratus ſit, ꝙ expiraſſet tam citò, & Centurio audiens quòd ſic clamās emiſiſſet ſpiritum, illum Dei filium cōfeſſus eſt: ſequitur,illum ſponte exhalaſſe animam. Et quia mortuus eſt, poſtquā dixit, Conſummatum eſt,argumētum eſt, quòd mori noluerit,priuſquàm omnia conſummata eſſent, voluerit autē poſt omniū conſummationem. Inclamat quoque mortem ad ſe accedere non audentē: quia cū Chriſtus eſ-

Rom. 1.

Pſal. 104.

Eſa. 6.

Secunda ratio magni clamoris Domini in cruce editi.

Oſeæ 13.

Rom. 1.

Gen. 35.

Quid Benoni, quid verò Beniamin ſonet. Chriſtus leo de terra Iuda quos catulos dormientes ſuſcitauerit.

Luc. 23.

III. Ratio. Sponte ac voluntario vt mortuus ſit Chriſtus, cùm Iudæi violentam ei mortē intulerint.

Sapient. 2.

Marc. 15.

IV. Ratio.

ſtus eſſet iuſtus & innocens, mors nihil iuris habebat ſuper eum, ideò longiſſimè ab eo diſtabat, vt ita opus fuerit clamare voce magna, quaſi ad rem quæ procul ab eo erat. Docetque nos ſuo exemplo, vt tempore mortis clamemus ad Dominum, vt ſpiritum noſtrum ſuſcipiat: nam ibi iacitur alea, deque extremo capitis noſtri periculo agitur. Et ſi vnquam aduerſarius noſter circuit, quærens quem deuoret, ex maximè tempore: & ſi vnquam diuinum præſidium neceſſarium eſt, tunc maximè. Vnde prudenter Dauid dixit: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Et ſubdit: *Pater, in manus tuas, &c.* Extremo vitæ periculo ſe non tantùm verum Dei Filium demonſtrat, ſed etiam ex eius obediẽtia vſque ad mortem crucis oſtendit perueniſſe: atque huius dulciſſimi nominis memoria inter tot tormenta, ac pœnas delectatus eſt. Verbumque hoc Dominus addidit de ſuo, cùm in Græco, nec in Hebraico huius Pſalmi verſu tale quid inueniatur, vt qui in mundum veniſſet, quò hominibus Patris nomen notum redderet, & pro eo glorificando tanquam mortuus in Cruce penderet. Non ergo vt degener, aut genitori ſuo contrarius patitur, ſed vt generoſus filius, & diligentiſſimus parentis ſui cultor, crucem ſubijt; & animam in ea poſuit. Patrem ergo appellat ſuam erga Deum pietatem omnibus reſtatam faciens, & ſe non minus eum diligere, quàm faciat obſequentiſſimus filius erga pientiſſimum parentem: nec vlla tormentorum acerbitate, à filij pietate, & amore erga parentem ſuum dimoueri potuiſſe. Et qui olim duodecim natus annos conteſtatus fuerat coram parentibus ſuis, oportere ipſum in his, quæ patris ſui ſunt, aſſiduum eſſe, totumque vitæ ſuæ curſum in negotijs paternis explendis, perpetuo tenore duxerat, meritò hanc vitam mortalem exacturus, vt reſponderent nouiſſima primis, inuocauit Patrem. Stephanus verò tanquam ſeruus dixit; *Domine Ieſu, ſuſcipe ſpiritum meum:* quem & nos tanquam ſerui imitamur. Quamquàm & dicere poſſit vnuſquiſque noſtrum, Pater, in manus tuas, ſi mores, & voluntatem Patris non auerſemur, ſi filiorum Dei fructus edamus. *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Dominus de omnibus bonis ſuis teſtatus fuerat, Apoſtolis pacem legauerat, crucifixoribus veniam, latroni paradiſum, Ioanni matrem commendauerat, ac matri Ioãnem, veſtes militibus diuiſione, & ſorte diſtribuendas declarat: ſolùm ſupererat de ſpiritu ſuo diſponere, atque hũc iure magno Patri ſuo fideliter in depoſitũ ſeruandum, & ſuo tempore repetendum, & reddendum commendauit. Poſt triduum enim ſepulturæ eſt reſtitutum: vnde ſubdit Ioannes: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* Quod enim tradimus, aut emittimus, propriè loquendo, id in noſtra poteſtate ſitum eſt, non autem tradimus, nec emittimus, quod à nobis vi tollitur, ſiue eripitur. Nec eſt, quòd Chriſtus timeret ſuo ſpiritui, ex eo quòd Patri commendauit: ſed Patri reddidit animam, quam ab eo accepit, & quam omnes reddere debent. Ita dicitur in Eccleſiaſte: *Reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* In quæ verba ſcribens Auguſtinus libro quæſtionum in Ioſue, ita dicit: *Non arbitror de omnibus poſſe dici, ſed de ijs, qui ſic vixerunt, vt ad Deum redire mereantur, tanquam ad autorem, à quo creati ſunt. Neque enim hoc & de illis rectè intelligi poteſt, de quibus dicitur: Spiritus ambulans, & non reuertens.* Hæc ille. Multum igitur refert, qualis reddatur ſpiritus Deo, viuus, an mortuus, mundus, an immundus. Commendat igitur inprimis ſpiritum ſuum Patri in pretium redemptionis mundi: quod Patri fuit gratum, quia non erat in ſpiritu eius dolus. Vt enim bonum numiſma cõſtare debet ex bono metallo, ac veram figuram geſtare, ac iuſtum pondus habere, ne veluc adulterina moneta ob defectum aliquem ex illis reprobetur: ad eum planè modum Chriſtus ſpiritum integri metalli, & puri ſine fæce peccati in ventre matris creatum, & per ignem Spiritus ſancti fuſum obtulit: veramque figuram ſeruauit, cùm ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius. Fuit etiam iuſti põderis, vt in ſtatera Crucis poſitus deſcenderit ad inferiores partes terræ, vt humana natura poſita in altera lance ſtateræ, eleuata fuerit in cœlum vſque. Sic enim canit Eccleſia:

Beata cuius brachijs
Secli pependit pretium,
Statera facta corporis,
Prædamq; tulit tartari.

Commendauit rurſus ſpiritum, vt doceat ſe, cùm dixit: *Vt quid dereliquiſti me?* nullo motu diffidentiæ adductum ea verba dixiſſe: quare ſingularem ſuam in Patre confidentiam, in extremo mortis articulo declarauit. Tertiò ne quiſquam iuſtus & ſanctus putaret ſe tutum ac ſecurum à dæmone, qui inſidiatur calcaneo vitæ hominis, Spiritum ſuum Patri commendauit. Refert Hiſt. Scholaſt. ex Bedæ ſententia. Satanam ſuper brachiũ ſiniſtrum ſteiſſe Crucis, obſeruantem diligenter, an in eum aliquod ius habere poſſet, & an aliquam maculam

Quo magis tempore oppugnet nos dæmon, ob idq; ſit nobis diuinum auxiliũ implorandũ.

1. Petr. 5.
Pſal. 70.

Chriſtus in eo quòd in manus Patris moriens ſpiritum ſuum commẽdauit, quid ſignificauerit.

Deum cur patrem appellauerit.

Luc. 2.

Actor. 7.
Quibus hæc oratio conueniat: Pater in manus tuas, &c.

Cur in manus Patris ſpiritũ ſuum Chriſtus commendauerit.
Ioan. 14.
Lucæ. 23.
Ibidem

Ioan. 19.
Ibidem.

Quare Chriſtus Patri animam ſuam dicitur tradidiſſe.

Eccleſ. 12.

Auguſt. lib. q. in Ioſ. q. 24. tom. 4.

Pſalm. 77.

Spiritum ſuum Patri cur Chriſtus commendauerit.

Simile.

Hebr. 1.

Ephe. 4.

II. Ratio.
Pſal. 21.

Tertia.

Gen. 3.

Hiſt. Schol. c. 172. lib. de hiſtoria Euãgelica.

culum in eo inueniret; nec inde receſſit nebulo, donec Chriſtus ſpiritũ reddidit. Quo reddito Satanas cernens ſe confuſum, receſſit fraudatus deſiderio ſuo, ſecundum illud: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* Deſcendens autem in tartara, inuenit ſpiritum Chriſti diuinitati vnitum ſuo aſpectu Patres limbi beantem, & conſolantem, dæmones autem à ſe damnatos horribili terrore cruciantem atque vexantem. Commẽdo ergo ſpiritum meum, qui peccatum nõ fecit, neque dolus inuentus eſt in ore eius, qui promptus fuit ad obediendum, qui vindictam de inimicis nõ expetiuit, imò pro eis ex ingenti charitate rogauit. Si ergo tanto Chriſti ſpiritui dæmon non pepercit, quomodo audebimus nobis polliceri ſecuritatem, ac certam tutelam? Neceſſarium eſt igitur precibus ardentibus ſpiritum Chriſto cõmendare. Quartò, cum Athanaſio aſſerimus, Chriſtum vt caput pro membris ſuis loqui, & in ſuo ſpiritu omnes animas ſanguine ſuo redẽptas, ac viuificatas, quæ omnes vnum ſunt in Chriſto, Patri ſuo commendaſſe: quæ & maiori indigebant commendatione, atque ipſi Chriſto perinde ferè erant dilecta, atq; ſuus ſpiritus, in quibus Deus Pater agnoſcit vnigeniti Filij ſui ſpiritum. Hinc Eccleſia pro animis defunctorum precatur, & quiſque cum moritur, nõ ſecùs debet Deo ſpiritum commendare ſuum, atque ille, qui abiturus peregrè, filium ſuum chariſſimũ, aut vxorem dilectam amico alicui magno fideliter cuſtodiendã tradit. Iturus quoq; dormitum, cum ibi alligetur rationis vſus, nec poſſit pro ſe ipſo agere excubias, debet propterea Patri ſuo commendare, ac dicere: *Domine, in manus tuas commendo ſpiritum meum*: quia theſaurus iſte eſt in vaſe fictili, & niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Eſt igitur hic verſus frequenter nobis repetendus, ſiue cum inſtat mortis periculum, ſiue dum cubitum nos recipimus, ſiue cũ aggredimur opus aliquod, quod eſt ſupra vires noſtras, ſiue dum corpori Chriſti cõmunicare volumus: non enim minus requiritur curæ, ac diligentiæ ad purè communicandum, atq; ad benè moriendum, & reddendum Deo ſpiritum: & vt ſignificemus per dignam corporis Chriſti communicationem illud fieri, vt noſter ſpiritꝰ per omnia ſubſit Chriſti ſpiritui, vt pro voluntate ſua illum formet, notitia ſui informet, retrahat à vitijs, atq; reformet, ſpiritui ſuo conformet, vt tãquam ſuum agnoſcat Pater ſpiritum noſtrũ, & in omnia, quæ beneplacita ſunt ſibi transformet. Docet etiam his verbis Dominus rationem tranſeundi de morte ad vitam. In quo tranſitu curandum primò, vt legantur Scripturæ Dei, & verba Euangelica, maximè ea, quæ paſſionẽ Chriſti continent. Deinde illo maximè temporis momento Patris æterni, qui nos in filios ſuos adoptauit, oportet meminiſſe: quòd ſi in multis defecerimus, confidendum eſt tamen plus de Patris bonitate, ac de Chriſti ſanguine, & morte, per quæ omnes noſtri defectus ſupplentur, & abſorbentur; quàm de noſtra fragilitate, ac peccatis timẽdum. Tertiò eo tempore de fortunis minimè curandum, & minus de alijs ſanitatis remedijs, quibus vt plurimum homines magis, quàm ſaluti æternæ incumbunt. Verùm vt in communi domus incendio, vilia quæq; ac minoris pretij negligimus, at de pretioſis quibuſq; ſoliciti ſumus: ita inſtãte morte, vana eſt omnis alia opera, atque cura, neglecto pretioſiſſimo ſpiritus theſauro. Adhæc eo tempore non eſt quòd merita operum noſtrorum, aut iuſtitiæ noſtræ dignitatem intueamur, ſed ſolùm oculos in diuinæ bonitatis, ac miſericordiæ theſauros conijciamus. Nam propterea Dominus Ieſus, qui propoſitus eſt nobis in exemplũ, & merita habet pretioſiſſima, iuſtitiamq́ue vitæ puriſſimam, nihil tamen eorum meminit, ſed tantùm ſe diuinæ commendauit bonitati. Nobis igitur expedit (niſi ſpiritus Dei aliud inſpiret) cogitationem à quibuſcunque benefactis amouere noſtris, in Deique clementiam, & lenitatem inſpicere: tùm quia bona omnia noſtra opera fructus ſunt diuinæ bonitatis, & mortis Chriſti: tùm quia multis admixta ſunt maculis, vt idcircò miſericordia Dei, & ſanguine Chriſti indigeant, vt in eo purificentur, pretioſaque conſtituantur; tùm demum, quia merita noſtra apud Deum magna ſunt, & illuſtria, ſi humilitatis ſale condiantur, & nobis ob ea quàm minimum tribuamus. Ea etenim animi ſubmiſſione, humilitateque pretioſa coram Deo efficiuntur: & ſi cùm fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis, ex animo dicamus: *Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus.* Quod ſi fortè menti noſtræ aliquod piè, & præclarè geſtum occurrat, ita nos geramus, ac ſi tale nihil per nos geſtum eſſet. Nam hoc eſt, quod Iob egregiè dixit: *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea*: id eſt, perinde me geram, atque ille, qui nullam in ſe ſimplicitatis & innocentiæ virtutem agnoſceret. Quòd ſi obijcias; Nonne Deus iudicabit ſecundum cuiuſque opera? Maximè: ſed certè exiguum, ſeu paruum opus non eſt, & animi ſubmiſſio, & humili-

Ioan. 14.

1 Cor. 4.

Pſal. 126.

Quarta ratio. *Athanaſ.*

Ex hac vita migrationis quale Dominus moriens exemplum præbeat.

Iacob. 3.

Simile.

De benefactis noſtris quatenus ſentiendi nobis, & cogitandum.

Ex quanti faciat Deus, cùm nobis nullius pene meriti cenſentur.

Luc. 17.

Iob 9.

Quid illud Iob, Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.

humilitas, qua nos ipſos debemus gloriæ Dei, & agnoſcimus nihil boni ex nobis ipſis egiſſe. Præterea illud verbum, quod in hoc verſu ſequebatur, *Redemiſti nos Domine Deus veritatis*, ſtudio ſuppreſſum eſt à Chriſto: quia ſibi minimè quadrabat, niſi in perſona membrorum ſuorum. Hoc tamen verbum nos in ſpem magnam debet erigere: nam propterea Deus debet ſpiritum noſtrum ſibi commendatum ſeruare, ac cuſtodire, quaſi rem chariſſimam à Filio ſuo emptam, mercedemque, cuius ipſe fuit ſitientiſſimus. Quia ergo redemiſti me, Domine, per Filium tuum, audeo me commendare bonitati tuæ, imò pro tua incomparabili charitate exaudire debes. Ideò mitte miniſtros confeſſionis peccatorum, communionis corporis Filij tui, atque extremæ vnctionis. Mitte viros ſpirituales, quibus curę ſit commendare me tibi, atque confirmare. Mitte Angelos, & ſanctos tuos, qui, vbi deſunt homines, & adminiſtri, ſuppleant illi, ac præſtent operam ſuam: & ipſi erunt manus tuę, ſi à te miſſi ſunt: quia niſi tu ſupponas manus tuas, cadet ſpiritus noſter, & à malignis poteſtatibus capietur, ac deuorabitur.

Pſal. 30. Quare Chriſtus illud ſubticuerit de verſiculo: Redemiſti me Domine Deus veritatis.

Id: in manus tuas commendo, &c. bifariã accipitur.

Quod dicitur, In manus tuas, dupliciter accipi poteſt. Primò pro eo, quod eſt in poteſtate, & arbitrio alterius ſe conſtituere, vt is, cui res commendatur, agat de ea, prout ei viſum fuerit. Ita vulgato more dicimur aliquid habere in manibus, quod habemus in poteſtate noſtra. Ita dicitur: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui*: & Abraham ait: *Ecce ancilla tua eſt, vtere ea vt libet.* Deinde commendatur aliquid in manus alterius, quod eius cuſtodiæ, protectioniq; cõmittimus: quẽadmodum Petrus dixit: *Itaque & hi qui patiuntur ſecundùm voluntatem Dei fideli Creatori commendent animas ſuas in benefactis.* Subditus etiam eadem ratione in manus ſui Regis ſe commendat, vt per ipſum vitam, filios, vxorem, & omnia bona ſua tueri valeat. Atque hic verſus pleniſſimæ reſignationis exprimit indicium, ſupernique auxilij expectationem. Cùm enim in manus potentioris rem noſtram commendamus, partim illius poteſtati plenè cõmittimus, partim illius auxilium expectamus, agnoſcẽtes nos non poſſe ſufficere ad tantam rei cuſtodiam. Et licèt non fiat mentio niſi ſpiritus; tamen ſub eo quod præſtantiſſimum eſt, intellige reliqua, quæ ſeruiunt ſpiritui, vt corpus, & bona. Ieſus ergo commendans Patri ſpiritum, & in eo corpus commendauit, vt ille non teneretur in inferno, nec hoc in ſepulchro, ſed Patris imperio die tertia rediret in nouam corporis conſtitutionẽ. Nam cùm maiora dantur, vtique & minora per adiectionem cõceduntur: quemadmodũ Salomoni petẽti ſapientiã, adiunctæ ſunt opes, fama, longæuitas, & cætera. Quanquam adhuc corpus erat lancea feriendum; & de eo in cœna nobis in paſtum animarum tradendo iã diſpoſuerat. Nemo verò, niſi ſtultus, cõmendat rem charam, & pretioſam alicui, niſi virtute, & ſapientia prædictus ſit, vt illam ſeruare queat: adhęc niſi bonitate & fidelitate pręſtet in ſeruando. Proinde ſtultiſſimi ſunt, qui ſe, vel ſua hominibus committunt, de quibus canit Spiritus ſanctus, dicens: *Nolite confidere in Principibus, neq; in filijs hominum, in quibus nõ eſt ſalus*; &: *Maledictus homo qui cõfidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius.* Quomodo enim cuſtodire poterunt ſpiritum noſtrum, qui nequeunt corpora ſua, aut bona fortunæ ad tempus cuſtodire? Deinde etſi maximè potentes eſſent ad ſeruandum, ſunt tamen infideles, & mendaces: hinc plerunque videas filios defraudatores eſſe piarum voluntatum parentum ſuorum, & contrà, parentes filiorum, vxores coniugum, & contrà, & fratres fratrum. Ideò beati illi, qui cognita vanitate, & malitia creaturæ, in vno Deo totam ſuam ſpem collocant, & cum Paulo dicũt: *Scio cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem.* Hæc Paulus de potentia ſeruandi; qui alibi de voluntate ait: *Si non credimus, ille fidelis permanet; ſeipſum negare non poteſt.* Quare rectè Dominus ait: *In manus tuas commendo ſpiritum meũ*: quo etiam verbo indicauit, olim Spiritus iuſtorum ad inferos deſcendere ſolitos; iam verò poſt Chriſti mortem, in manus Domini reddi, & commendari. Amplius commendauit Patri ſpiritum ſuum Dominus, atque exinde Pater poſtea illi commiſit ſuum: nec prius Deus dedit diſpenſationem Spiritus ſancti Chriſto ſuo, quam Patri Chriſtus ſuum commendauit ſpiritum. Qua in re indicauit & nos ſimiliter facere oportere, vt prius ſcilicet nos totos cõmendemus, ac ſpiritum noſtrum Deo, & ita ipſe viciſſim commendabit nobis ſpiritum ſuum. Ad extremum hac ſententia confutauit Chriſtus multas hæreſes. Et primo quidem loco illam Arrianorum, dicentium Chriſtum caruiſſe anima rationali, atq; eius locum Verbum diuinum suppleuiſſe: quod tamen neq; corpus, neq; animam deſeruit, etſi corpus deſertum ſit ab anima. Proinde Chriſtus in triduo illo fuit quidem diuina hypoſtaſis, non tamen homo. Sed hic error falſus conuincitur ex eo quod Chriſtus

Eccli. 15.
Gen. 16.
1. Pet. 4.
Pſal. 15.
Actor. 2.

1. Reg. 3.
Matth. 26.
Stulti qui, et quę, mich.es.
Pſal. 145.
Ierem. 17.
Qui beati & felices.
2. Tim. 2.
Quonam ſpiritus piorum ante Chriſtũ demi gratent.
Sextat ratio commendandi ſcilicet ſpiritus Chriſti in manus Patris.
Septima & poſt ema ratio.
Eodem Chriſti verbo: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, quot falſa dogmata confutentur.

...hæreſis ...
...
...hæ-
...

ſtus commendauerit ſpiritum, non animalem, aut naturalem, ſed ratione præditum, & alteram humani compoſiti ſubſtantialem partem. Secundò, iugulauit hæreſim de origine animarum. Scierunt enim quidam animas ex ſemine traduci, vel ex Sole, & homine gigni, vel ex atomis, vel ex alia præiacente materia conſtitui. Quod ſi verum eſſet, animæ profectò eo redirent, vnde originem ſumpſerũt. Cùm ergo ad manus Dei redeant, ſequitur quòd animæ opus Dei ſint proximum per creationem ex nihilo. Vnde Iob & Dauid dixerunt: *Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me*: fecerunt quidem, quod attinet ad ſpiritum; plaſmauerunt quantum ad corpus. Tertiò refellit errorem ponẽtium animas mortales, cùm exutæ fuerint à corpore: cùm autem in manus Dei, id eſt, potentiam ſummam, & extrem eius ſapientiam, quibus omnia creata conſeruat, ſpiritum ſuum depoſuerit; apertè explicauit, animas immortales eſſe, & non ſimul cũ corpore interire. Quomodo enim non erit perpetuum, quod ſub perpetua, æternaque Dei tutela recipitur? aut quomodo penitus interibit anima, quę penes Deum deponitur, cùm depoſitum illi ſeruare omni diligentia competat, penes quem collocatur? Quartò iugulauit errorem negantium animas ad propria corpora poſſe reſtitui: in quo quidem errore philoſophi omnes veluti talpæ cæcutierũt, pernicioſiſſimis erroribus ſeipſos implicantes, & plurimos eiſdem tenebris ſecum inuoluentes. Hic autem error euincitur per illud verbum: Deponam, vel commendabo ſpiritum meum. Depoſitum ſiquidem cùm perpetuũ nequeat eſſe ex natura ſua, ſed deponenti aliquãdo ſit reſtituendum; ergo animæ, quæ apud Deum deponuntur, ſuo tempore corporibus, quibus exuuntur, reſtituentur à fideliſſimo illo, veraciſſimoque depoſitario, qui id, quod verbis ſuis docuit, rediuiuus factus, à morteque ſuſcitatus facto ſuo comprobauit, oſtendens in ſpiritu & corpore ſuo id, quod de noſtris eſt futurum. Quod enim manibus illius committitur, cumulatiori fœnore ſolet reſtituere. Id enim facit ſtupida, & mendax terra de ſibi ab agricola commiſſo ſemine: quanto magis fideliſſimus cœli & terræ Dominus id præſtabit animabus ſibi commiſſis? Quare ruunt deliramenta Philoſophorum aſſerentium animas circa corpora ipſa verſari, donec inhumata iacent, vel ſub ipſo globo Lunę commorari, aut ad ſphœram ignis deferri. Animæ ſiquidem omnes corporibus exutę, vel in iudiciarias, vltriceſq; Dei manus incidunt, flãmis cum

...illud:
...
...me,
...
...
Pſalm 118.
...hæreſis

Quarta hæreſis.

Depoſiti ratio

De animarum ſtatu poſt mortem Philoſophi ſtultè quod ſenſerunt

Satanicis ſpiritibus perpetuò plectendæ, vel in paternum ſinum Dei, clemẽtiſſimaſque Patris manus collocari oportet, ac deponi, de quibus in Sapientia dicitur: *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis*, ſcilicet perpetuæ, quia immortales exiſtunt: nec tormentum pœnæ, quia vel paternè pœnis purgatorijs expiatæ ſunt vel purgatæ, ad feliciora regna, & multas illas, & magnas manſiones illis quas præparauit, euehuntur.

Sapient. 3.

Præuolat autem in noſtri beneficium Dominus Ieſus, & animam ſuam tanquam vadem pro nobis omnibus in manus Patris collocat, ac deponit, vt apud illum perpetuum ius animabus credentium acquirat: quemadmodùm aſcendens in cęlum, præceſſit vt pararet nobis locum. Non tamen ratione caret, quòd animam appellauerit ſpiritum: tùm quia ſpiritualis eſt ſubſtantiæ, tùm quia ſeparata ſpiritualia tantùm exercet officia, cùm anima ab animando corpore dicatur. Vnde prius animam vocabat, cum diceret: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam*. Quomodo autem differant anima & ſpiritus, Hieronymus in epiſtola ad Galatas his verbis explicat: *Quod vt manifeſtius fiat, aliquod ſumamus exemplum: Caro, terra: anima, aurum: ſpiritus ignis vocetur. Quandiu aurum fuerit in terra, perdit vocabulum ſuũ, & à terra, cui commixtum eſt, appellatur. Cùm verò ſeparatum ab humo, auri & ſpeciem & nomen acceperit; aurum quidem dicitur, ſed necdum probatum. Si autem per ignem excoctum fuerit & purgatum, tunc auri ſplendorem, & ornatus ſui accipit dignitatem. Ita & anima inter humum & ignem, hoc eſt, inter carnem, ſpiritumq; conſiſtens, quando ſe tradiderit carni, caro dicitur; quando ſpiritui, ſpiritus appellatur. Quòd ſi proprio crediderit cogitatus, & abſque gratia Spiritus ſancti inuenire ſe æſtimauerit veritatem, quaſi aurum ſordidum, animalis hominis appellatione ſignatur.* Hæc ille ſatis & doctè, & eleganter. Adhæc ſine menſura ſpiritum Dei acceperat Chriſti anima, totaque erat Deo plena: hunc igitur ſpiritum, tanquam ſupereminens quoddam donum pro omnibus beneficijs in nos collatis Patri obtulit. Pretioſum quidem munus fuit immolatio corporis, & effuſio ſanguinis ſui; verùm hæc ſpontanea oblatio ſpiritus longè eſt excellentior & præſtantior. Ait enim Propheta: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Erat Chriſti ſpiritus magnis tribulationibus afflictus, magna præditus contritione de peccatis noſtris, pro quibus pœnas luebat. Erat humilitate, obedientia, patientia, chari-

AnimamChriſtus cur vocauerit ſpiritũ.

Anima vnde dicta

Ioan. 10.

Anima & ſpiritus quomodo inter ſe differant.

Hieronym. in cap 5 epiſt. ad Galatas ante med tom 9.

Anima pulchre auro comparatur.

Ioan. 3.

Spiritus Chriſti quale munus Patri pro nobis oblatũ.

Pſalm. 50.

tateque plenus, qui omnia corporis & ſanguinis ſui ſacrificia fecerat Deo accepta, pro qua tam ampla menſura, conferta, & coagitata, & ſuperaffluenti nō ambigimus quin affluentiſſimè ſit nobis remetiendum à Patre. Rectè autem dixit: Spiritum meum, non ſpiritum abſolutè. Quia etſi nos animas noſtras Deo offeramus, nihil tamen quod noſtrum dici poſſit, offerimus: nam etſi anima nobis donata ſit, nō tamen tam noſtra eſt, quàm illius, qui donauit, iuxta illud: *Omnes animæ meæ ſunt*. At Chriſtus licèt animam à Deo acceperat, ſua tamen erat, quia Deus erat, & quia nullo peccato eam fecit eſſe dæmonis: ſicut nos peccando facimus, niſi poſtea dono Dei nobis reſtituatur, quemadmodùm Stephano, qui propterea dixit; *Suſcipe ſpiritum meum*, non tantùm ex dono creationis, ſed etiam redemptionis. Ita ergo Chriſtus ſpiritum ſuum offerens, nō aliena munera, ſed propria Deo obtulit: ſic enim congruebat, vt qui pro nobis ſoluere venerat, nō ex ære alieno; ſed ex proprio ſatisfaceret. Subdit Matthæus: *Emiſit ſpiritum*: Ioannes; *Tradit ſpiritum*. Ambroſius ponderat: *Emiſit: & bene tradidit, inquit, qui non intus amiſit. Quod enim emittitur, voluntarium eſt: quod amittitur, neceſſarium.* Deinde obſerua ex Chryſoſtomo, & Euthymio, quod vt ait Ioannes, prius inclinauit caput, poſteà expirauit, ſiue tradidit ſpiritum. At in nobis contrario modo contingit, primò expiramus, deinde caput vita deſertum inclinatur: ſecus in Chriſto, vt ſe dominum vitæ, & mortis oſtenderet. Hinc præclarè Auguſtinus: *Quis ita dormit quando voluerit, ſicut Ieſus mortuus eſt quando voluit? Quis ita veſtem deponit, quando voluerit, ſicut ſe carne exuit quando voluit? Quis ita cùm voluerit, abit, quomodo cùm voluerit, obijt? Quanta ſperanda, vel timenda poteſtas eſt iudicantis, ſi apparuit tanta morientis?* Hæc ille. Et Poëta Ouidius hanc inflexionem capitis naturalem eſſe indicauit, dicens:

Sic corpus moriens iacet & defecta vigore,
Ipſa ſibi eſt oneri ceruix, humeroq; recumbit.

Simili ferè ratione quando homo ſtans aut ſedens dormit, inflectit caput in dexteram. Explicandum eſt, in quam partem caput inclinauerit, & quorſum inclinauerit, quidue eiuſmodi inclinatione ſignificare voluerit. Sed illud ante omnia obſeruandum, hanc capitis inclinationem vix in noſtris moribundis percipi: quia cùm decumbant, & caput ceruicali adhæreat: vnde de Iacob legimus Geneſ. 47. *Adorauit Iſraël Dominum, conuerſus ad lectuli caput*. Hebræa habent: *Inclinauit ſe Iſraël ad lectuli caput*: non ita edunt eiuſmodi inclinationis motum: at Ieſu caput cum omni puluinari, atque ſuſtentaculo eſſet deſtitutum, & non iaceret, ſed ſtaret, facilè eiuſmodi capitis inflexio agnoſci potuit. Refert Suetonius in Veſpaſiano, quòd cū imperator iam morti vicinus eſſet, præceperit à ſeruis ſe ſubleuari: & dum eorum manibus ſubleuaretur, Imperatorem ait, ſtantem mori oportere. Dumque conſurgit ac nititur, inter manus ſubleuantium extinctus eſt. Dio Caſſius in vita Hadriani Imperatoris idem refert accidiſſe Turboni Præfectò prætorij. Nam cùm ille ægrotaret, & in lecto non quieſceret, Hadriano Imperatori conſulenti vt conquieſceret in lecto, illi reſpondit: Præfectum ſtantem mori oportere. Ita Dominus Ieſus ſummus Imperator, in acie contra aërias poteſtates decertans, ac iudex & præfectus Dei prætorio, ſtans mori voluit. Eſt autem inclinare, deorſum flectere, & vt quidam ait, non in latus: aliàs, inquit, ſine magno dolore in humerum non inclinaſſet, & corona ſpinea ſe cruentaſſet. Sed non aduertit, quòd tradito ſpiritu non erat locus ſenſui doloris, vel cruentationi. Ideò dicendum, Dominum caput inflexiſſe in dextrum latus verſus pectus ipſum, quod erat lancea aperiendum: vt etiam pictores oſtendunt, & quidam ex reuelatione tradunt. Nam Dominus crucifixus erat facie verſa ad Occidentem, & verſo tergo, ad Orientem, manu autem dextera reſpiciebat Aquilonem, ex qua parte erat latro bonus conſtitutus. Id enim docet Damaſcenus his verbis: *Verum etiam & Chriſtus crucifixus, ad Occidentem reſpiciebat: & ſic adoramus, ad ipſum ſuſpirantes.* Sedulius quoque in opere paſchali ſic habet:

Neue quis ignoret ſpeciem crucis eſſe colendam
Quæ Dominum portauit ouans ratione potēti,
Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,
Occiduo ſacræ lambuntur ſydere plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læua erigit axem.

à quo idem accepit Beda in Lucam. Et fortaſſe ſitus Virginis matris, ac Ioannis, qui eius faciem intuebātur, ad Aquilonem magis vergebant, quam ad Auſtrum. Chriſtus ergo in eam partem deflectens caput verſus Europam dilectam, & in fide ſtabilem inclinauit: quemadmodùm moribundus qui recumbit in lecto, finemque videt aduentare, in eam partē, vbi viderit ſibi dilectum, caput inflectit. Et vt ait Cicero, hoc eſt à natura datum, vt quàm proximè vultum admoueamus ad auditores, ſi quā rem docere eos velimus. Voluit fortaſſe Dominus præſignare, ſponſam ſuam dilectam,

id eſt,

Marginalia: *Luc 6.* — Spiritū Chriſtus cur ſuum appellauerit. — *Ezech. 18.* — *Actor. 7.* — Chriſtus ſpiritum cur dicitur emiſiſſe. *Matth. 27. Ioan 19. Ambroſ. lib. 10. in Luc. ca 24. tom 5.* — *Chryſoſ. hom. 84 in Ioan. tom 3. Euthym. cap. 17 in Ioan.* — Quid eſt quòd inclinato capite emiſit ſpiritum. *Aug. tract. 120 in Ioan. in fin. tom. 9.* — *Ouidius.* — *Suetonius ca. 24.* — Dictum Veſpaſiani iu ſe...iatoris. — *Dio Caſſius.* — Inclinare quid. — *Epiſcop Conimbricenſ. in Matth.* — Quam in partem Chriſtus moriens caput inclinauerit. — *Damaſc. lib 4. cap. 13.* — *Sedul. libr. 4 ope. paſch.* — *Beda in Lucam. lib 6. ca 23. to 5.* — *Autor ad Heren.* — Quid ſua capitis inclinatione Chriſtus ſignificauerit.

id eſt, Eccleſiam Romanam ex Occidentali parte, ac præcipuè Europa congregandã, magis quàm ex Oriente, & Auſtro, vbi regnauit fidei inconſtantia, & maximę hæreſes in hodiernum vſque diem in illis regionibus graſſantur. Inclinando etiam caput in partem inferiorem, ſignificauit tempus eſſe, vt ſpiritibus prædicaret apud inferos: venit enim, vt tàm viuorum, quàm mortuorum dominaretur: vt teſtatur Cyrillus in Ioannem. Quid ergo ſignificet hæc capitis inflexio, ex parte attigimus. Præterea etiam deſignare voluit ſe ex Patris obediẽtiã mortem obire, vt Paulus docet; quam prætulit ipſi propriæ vitę. Docens nos limites obedientiæ Deo præſtandæ, vt non ſolùm filios, vt Abraham, Deo offeramus, ſed etiam nos. Inclinauit etiã quaſi ſalutando, & valedicendo matri, ac deuotis omnibus. Et ſicut mos eſt quoſdam oſtendere viam errantibus, verbis, alios verò aut ſigno manus, aut nutu capitis: ita Dominus primò verbis prædicando dixit: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum*; deinde facto ipſo, ac nutu humilati capitis, viam paradiſi oſtendit eſſe humilitatem: nam impius incedit erecto collo. Quartò inclinauit caput, à titulo glorioſo Regis recedens, quò doceat nos declinare à magnis & mirabilib. ſuper nos, & ab omni ſpecie vanæ gloriæ. Quintò oſtendit ſe portare crucem: *Cuius*, inquit, *principatus ſuper humerum eius*; & onera peccatorum noſtrorum, ſicut Petrus ait: *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*. vnde mortuus eſt expreſſa forma hominis ſarcina prægrauati, caputq; propterea deflexum habentis. Nam reuera Chriſtus paſtor erat ouem errantem portans ſuper humeros, & vt Samaritanus hominem ſemiuiuum relictum ſuper iumentum corporis ſui modeſtiſſimè geſtans. Expirauit capite inclinato ad nos, vt innuat ſe ſpiritum ſuum in Patris manus ad noſtrum commodum, & beneficium deponere: imò potiùs vt vitę ſpiraculum in faciem noſtram inſpirare ſe declararet, vt qui peccato mortui eramus, iuſtitiæ viuere incipiamus: oculoſque ſuos in nos inclinaſſe, vt videat neceſſitates noſtras, & aures, vt exaudiat nos orantes, iuxta illud: *Quia inclinauit aurem ſuam mihi; & in diebus meis inuocabo*. Denique quaſi gratias Patri egiſſe videtur caput inclinando pro venia peccatorum obtentã, pro victoria contra peccatum, diabolum, mortem, infernum, ac mundum impetrata, & pro Patre placato, ac reconciliato mundo. Cùm enim caput Chriſti ſit Deus, vt ait Apoſtolus; ideò inclinato capite Chriſtum emittere ſpiritum, nihil aliud eſt, quàm Patre reconciliato, & ad gratiam miſericordiæ inflexo, per virtutem ſuæ paſſionis à nobis recedere: vt exponit beatus Laurentius Iuſtinianus. O Chriſte igitur potentiſſime, qui ei, qui te dereliquerat, te commiſiſti, nos te imitantes, tibi, quem & dereliquimus, & impugnauimus, & occidimus, noſipſos committimus: vincat hæc fides peccatum noſtrum. Et ſi aduerſus ſpiritum tuum bonũ contumaces fuerimus, ne deſere nos, ſed rege, ſerua, mirifque, ac inauditis modis ad te pertrahe, ne noſtra iniquitas viciſſe tuam bonitatẽ videatur. Sic ſummus Sacerdos noſter ſacrificium cõſummauit veſpertinum, & ſic cœleſte illud connubium ſanctiſſimę animæ, & carnis mundiſſimæ per gladium mortis diſſolutum eſt; vt nos ad indiſſolubilem vnionem beatitudinis ſuæ reuocaremur. Ita organum diuinitatis, cithara Dauid, & vox dulciſſima Ieſu conticuit diræ mortis ſilentio. Fuit autem in illa animæ diſſolutione à corpore ſtrepitus quidam, ac ſonitus; ſicut cùm in media Iulij menſis æſtate radices ilicum, & arborum eradicantur. Nũquam mors vlla acerbior, quia nullus vnquam ſenſuum viuacitate ita præditus fuit ac Ieſus. Hinc beata Brigitta ait: *Poſtquam dixit: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquiſti? tunc color mortis in partibus, quibus præ ſanguine aſpici potuit, acceſſit, dentibus maxillæ inhæſerunt. Coſta verò attenuatæ dinumerari poterant. Venter autem conſumptu iam humoribus, dorſo applicatur, & iam naribus attenuatis cùm cor prope ſciſſionem eſſet, totum corpus eius contremuit, & tunc barba eius ſuper pectus eius cecidit*. Hæc illa. Ex eiuſdem quoque reuelationibus quidam producunt, illi ſanctæ fuiſſe reuelatum, in hora mortis Chriſti omnium hominum corda ſubitum inuaſiſſe dolorem, atque illum quidem vehementem, etiamſi doloris cauſam ignorarent. Quod ex eo probabile redditur, quia cùm Chriſtus ſit caput omnium hominum; iuſtum erat, ac congruum, vt capiti morienti reliqua membra condoleſcerent, ac extabeſcerent, ſi Sol ſuum ſplendorem ſubtractione radiorum celauit; ſi terra conceptum dolorem ferre non valens, illum ſuo tempore prodidit; ſi denique lapides propria fractione, ſuum dolorẽ cõteſtati ſunt. Ex hac ſpiritus emiſſione, ſiue expiratione iugulatur mendacium apertiſſimũ Machometi, qui aſſeruit Chriſtum non fuiſſe extinctum, ſed paſtorem quendam pro eo: quod omni veritati Euangelicę prorſus aduerſatur. Hunc errorem Baſilides quidam tempore Apoſtolorum, & Marcus quidam poſterior, à quo Marcitę hęretici dicti ſunt,

1 Pet. 3. — *Cyrill. lib. 12 in Ioan. ca. 36* — *Tertium.* — Secundum myſterium ex inclinatione capitis. — *Philip. 2.* — Documentum. — *Geneſ. 22.* — Tertium myſterium. — *Matth. 18.* — Via Paradiſi humilitas eſt. — Quartum. — Quintum. — *Iſa. 9.* — *1 Petr. 2.* — *Luc. 17.* — *Supra 10.* — Sextum. — *Rom. 6.* — *1 Petr. 2.* — *Pſal. 114.* — Septimum & octauum. — *1 Cor. 11.*

B. Laurent. Iuſtinian. de triumphali Chriſti agone, cap. 22 circa med. — Pij commiſſio ad Chriſtum iam ſpirantem apoſt. or. hec. — Sacrificium Chriſtus quãdo veſpertinum conſummauit. — *B. Brigitta li. 4. ca. 70. circa med.* — Chriſti in cruce derelictionem Patris, quæ nam mala ſint conſecuta, teſte Brigitta. *Matth. 27. Brigit. libr. 6. cap. 11.* — Quid verò etiam Chriſto in cruce moriente humana ſenſerint corda, eadem referente. *Matth. 27.* — Machometi Marcitarumq; de falſa Chriſti morte ſtultiſſimum impiiſſimumque figmentum.

Euſeb. libr. 4. Eccleſ. hiſt. c. 8. to. 1.

conſectati ſunt: aſſerentes Chriſtum non verè, ſed putatiuè paſſum, & Simonem Cyrenæum pro eo extinctum: vt docet Euſebius in libris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Velle autem hunc errorem cõfutare, tantùm eſt verba profundere, cùm articulus Fidei ſit, Chriſtum crucifixum, mortuum, & ſepultum, & à mortuis reſurrexiſſe: nam quiſquis negat eum mortuũ, negat conſequenter articulum reſurrectionis. Et hæc portẽta enarraſſe, confutaſſe ſit. Illud magis nobis meditandum, vt gratias de tanto beneficio æterno Patri agamus, ac Filio. Væ tibi ergo, impia Iudæa, & ſynagoga, quæ Regẽ tuum negaſti, quæ ſponſum tuum, & magiſtrum, ac parentem dedecoraſti. Væ tibi cor ingratum, ô Chriſtiane, ſi ad tanti piaculi recordationem præ horrore non ſcinderis: quàm ſtrictè requiretur hic ſanguis innocens à te, ac pro te effuſus, niſi gratias agis, niſi contremiſcas, niſi Chriſto morienti commoriaris, niſi moriantur delicta tua, niſi moriatur amor proprius, vetus homo, & ſpiritus mundi in te; vt dignus ſis cum ſurgente reſurgere Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre, & Spiritu ſancto, æterna ſit laus, virtus, & gratiarum actio, in ſecula ſeculorum, Amen.

Cor humanũ Chriſto quid debeat pro ſe morienti.

TRACTATVS XLVII.

De ſignis editis poſt expirationem Chriſti in Cruce, in illa verba: *Et ecce velũ templi ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo vſque deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt; & multa corpora Sanctorũ qui dormierant, ſurrexerunt: & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius; venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Chriſti paſſi ac mortui cognitio quam ſalutaris.

Eccls. 20. Infr. 41. Eſai. 48. 1. Cor. 1.

CELEBRIS eſt, decantata Sapientis ſententia: *Sapientia abſconſa, & theſaurus inuiſus, quæ vtilitas in vtriſque?* Hinc Deus, qui docet nos vtilia, intelligens quantus theſaurus ſit Chriſtus Dei virtus, & Dei ſapientia, in myſterio carnis, ac crucis abſcondita, in vita per ſigna quidem, atque incomparabilem doctrinam illam detexit, explicuit etiam poſtea per obedientiam mortis, rurſus illam detegit ac pro illo accuſato, illuſo, atque mortuo tot portentis, atque ſignis reſpondet. Ita enim ſolitus eſt Deus pro ſua bonitate illos protegere, ac propugnare, qui ſeipſos non tuentur: eoſque exaltare, qui ſe humiliauerũt, iuxta illud: *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Inprimis igitur ad literam obſeruandum eſt, hæc ſigna à Ioanne quidem omnino prætermiſſa fuiſſe, Marcum verò. & Lucam tantummodo veli templi diſciſſi; & Centurionis confitentis feciſſe mentionem: quanquam Lucas vſus figura anticipationis coniunxerit ſignum tenebrarũ per tres horas ante mortem cum ſigno veli ſciſſi, connectens miraculum miraculo: vt refert Auguſtinus libro de conſenſu Euangeliſtarum. Matthæus verò, atque Marcus in ſuo loco enarrarunt: quia cùm dixiſſent quod clamãs voce magna emiſiſſet ſpiritum, cõtinuò adiungunt: *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes*: vbi illud aduerbium; *Ecce*, exprimit tunc accidiſſe illa ſigna. Deinde obſeruãdum, quòd etſi Ioannes non meminerit horum ſignorum poſt mortem Chriſti editorum, quod nouiſſet illa idoneè ab alijs eſſe enarrata, ſuppleuit tamen omiſſam ab alijs lateris apertionem, & ſignum ſanguinis, & aquæ, quæ ex illo vulnere fluxêre. Matthæus igitur ex ſeptem ſignis enarrat ſex, præter illud turbæ pectora percutientis, cuius ſolus meminit Lucas, ſicut cũ alijs veli ſciſſi, & Centurionis confitentis. Poſtquam Ieſus expirauit, ceſſarunt tenebræ, ſed omnia elemẽta commota ſunt in egreſſu Regis ſui, & in nobis cœpit lumen lucere. Quis ergo elementis ſæuientibus in vltionem Regis ſui obſtitit, niſi ipſe, qui legem diligendorum inimicorum tulit? Ceſſant ergo tenebræ in Chriſti morte, quia in ea illuminamur, quanto pretio nobis remitti peccata voluerit, quantaq́, charitate nos ad ſe pertraxerit. Et deniq; cũ agnoſcere datur, ſicut ipſe prædixerat: *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum.* Tertio circa ſenſum aduertendum eſt, Chriſtum precatum fuiſſe cum clamore valido, & lacrymis, & pro ſua reuerentia à Deo fuiſſe exauditum, primò quidem teſtificando eius innocentiã, & iuſtitiam, deinde quòd poſt triduum eum à mortuis cũ multis alijs ſuſcitauerit. Septẽ ergo diuinitatis Chriſti, eiuſq́; innocentiæ habemus teſtimonia. Primum eſt, quòd velũ templi ſciſſum eſt à ſummo vſq; deorſum: Secundum ſignũ, fuit terræmotus: Tertium, petrarum ſciſſarum: Quartũ, aperitio monumentorũ: Quintũ, mortuorum excitatio: Sextum, cõfeſſio Centurionis: Septimum, turba reuertens, ac percutiens pectora ſua. Vt interim omittamus ſignum aquæ, & ſanguinis fluentis è latere, quod ſolus enarrat Ioannes. De ſeptem ergo prioribus hoc tractatu differendum eſt.

Quos tueatur Deus ac defendat: & quos exaltet.

Iob 22.

Euangeliſtarum in hac narratione diſcrimen.

Alterum.

Aug. lib. 3. de Conſenſ. Euangel. cap. 19. to. 4.

Ioan. 19.

Matth. 5.

In Chriſti morte cur deſierint tenebræ.

Ioan. 8.

Heb. 5.

Quomodo Deus Chriſtũ exaudierit pro ſua reuerentia.

Diuinitatis, & innocentiæ Chriſti teſtimonia ſeptem.

Ioan. 19.

Ad pri-

Ad primi igitur ſigni explicationem, præmittendum ex Origene, duplex fuiſſe velum templi: alterum, Sancta Sanctorum diſtinguens à Sanctis ac ſeparans, alterum verò, Sanctum ab atrio ſeiungens: quodnam horum fuerit diruptum in morte Domini, controuerſum eſt. Origenes in Matthæum, & Hieronymus in epiſtola ad Hedibiam, exiſtimant nō fuiſſe velum interius Sancti Sanctorum, ſed exterius illud: Quia, vt inquiunt, nunc ex parte videmus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum eſt, dirumpetur & velum interius. Quamdiu etenim non patent nobis cœleſtia, quæ erunt in gloria, tamdiu interius velum non detegitur. Alij verò ſcriptores recentiores interius velum putant fuiſſe diſciſſum, vt Euthymius, Lyranus, Caietanus, atque Ioannes Gagneus. Leo quoque ſerm. de paſſion. idem ſentit, dicens: *Velum, cuius obiectu includebantur Sancta Sanctorum, à ſummo vſque ad ima diruptum eſt, & ſacrum illud, myſticumq; ſecretum, quod ſolus Summus Pontifex iuſſus fuerat intrare, reſeratum eſt, vt nihil iam eſſet diſcretionis, vbi nihil reſederat ſanctitatis.* Hæc ille. Eodem ſiquidem die ingreſſi ſunt ſancti Patres in Paradiſum, in quo etiam fuit cum Ieſu latro. Accedit huic ſententiæ ratio: quia Scriptura nullibi mentionem fecit veli ſecundi, ſed tantùm prioris illius, quòd ſancta à Sanctis Sanctorum diſcernit. Sed hæc ratio infirma eſt, & non deſunt qui colligant ex Scripturis in tabernaculo duo fuiſſe illa vela, vt habetur Exod. 26. vbi primò fit mentio veli, deinde etiam tentorij, quaſi rei protſus diſtinctæ. In templo tamen Salomonis vnum tantùm erat, ſcilicet coram Propitiatorio: quia pro priori erant oſtia, & portæ templi; nihil tamen vetabat etiam ante oſtia, & portam fuiſſe aliquod aulæum tegens, vt nobiles in aulis ſuis habere ſolent. Quod ſi plura templi vela fuiſſent, non debuiſſent Euangeliſtæ tam indiſtinctè dicere: *Et velum templi ſciſſum eſt*, ſed opus fuiſſet peculiariter explicare, de quo loquerentur velo. Gloſſa verò vtrumque velum, & interius, & exterius, dirupum fuiſſe ſcribit. Cui ſententiæ libentius ſubſcriberem, ſi tot extitiſſent vela, & liceret ſingulare accipere pro plurali. At duo vela extitiſſe, apertè euincit locus Pauli ad Hebr. cap. 9. *Poſt velamentum autem ſecundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum.* Vbi ſecundum, non poteſt iungi cum tabernaculo, quod Græcè eſt σκηνὴ fœminini generis, ſed cum velo, quod neutrius generis eſt καταπέτασμα, & δεύτερον cum illo neceſſariò coniungitur. Quod ſi ſecundum velum erat illud ante Sancta Sanctorum, erat ergo etiam primum ante Sancta. Patres etiam Veteres, vt Origenes, Hieronymus, diſtinguentes inter primum, & ſecundum velum, & interrogantes de quo velo hoc loco ſit ſermo, neceſſariò ponunt duo vela in templo fuiſſe. Quadrat etiam, vtrumque velum morte Chriſti diruptum: quia non tantùm nobis credentibus, & imperfectè, & in ænigmate Fidei myſteria Veteris Teſtamenti detecta ſunt, ſed etiam perfectè abſque vllo ænigmate reuelata ſunt omnia Patribus per Chriſtum in limbo, & facie ad faciem Deum ipſum quaſi Sancta Sanctorum intuentibus. Et confirmantur ea, quæ dicta ſunt de duplici velo: quia Ariſteas vetuſtus ſcriptor in eo libello, quo Philocrati fratri ſuam ad Eleazarum Pontificem profectionem deſcribit, pro adducendis LXXII. legis diuinæ in Græcam linguam translatoribus, exponit primò Ieroſolymam, & templum, quod oculis proprijs vidit, & adiungit de velo ante Sanctum oppanſo: *Velum item appenſum erat ad ſimilitudinem ianuarum formatum, quod ſpectaculum quoddam iucundiſſimum, & quo nunquam facilè ſatiari poſſes, præbebat: & quidem ideò præcipuè, quia à vento ſubintrante perpetuò mouebatur. Et quidem ſinuatione ab imo vſque ad ſummum, ob ventum à pauimento ſubintrantem.* Hæc ille de externo, quod patere poterat illi velo: nam interius velum ſolis Sacerdotibus in Sancta ingredientibus conſpicabile erat, non alijs, etiam Iudæis, nedum Gentilibus. Atque hanc ſententiam nonnulli ſequuntur, dicentes, Lucam, qui in præfatione pollicitus fuerat omnia ex ordine ſcribere, meminiſſe prioris veli dirupti ſimul cum tenebris, ſi nulla vſus eſt anticipatione, vt quidam docent: Matthæum verò, & Marcum, qui poſt mortem narrant veli diruptionem, loqui de ſecundo interiori velo, vel velum fuiſſe ſciſſum medium vt ait Lucas, non integrum. Alij verò narrant, à ſummo vſque deorſum, & omninò ſciſſum fuiſſe: niſi idem ſit, rumpi medium, & rumpi in duas partes à ſummo vſque deorſum. Quod ſi alterum tantùm diruptum velum fuiſſet, magis accedo ſententiæ veterum Patrum, nō tantùm ob autoritatem eorum, & rationem prædictam, ſed etiam, quia velum interius ſi fuiſſet diruptum, non potuiſſet à populo cerni, ſed tantùm à Sacerdotibus, & illorum vitio potuiſſet occultari: at Ieſus volebat aperta, & firma teſtimonia ſuæ mortis, & quæ doloſè celari non poſſent. Addit beatus Hieronymus ſcribens ad Hedibiam, & in Matthæum, ex Euangelio Hebraicè ſcripto: quod cum

Origenes. Hieron. ibid.

Gemini veli templi dirupti myſterium.

Ariſteas vetuſtus ſcriptor.

Velum templi quale nam apud Iudæos.

B Hierony. in Mat. 27. to. 9

Exod 26

Gloſſ in Mat.

velum ſcinderetur, lapis infinitæ magnitudinis ſciſſus cecidit deſuper liminaribus templi, in ſignum futuræ deſtructionis templi. Et hoc ad terræmotum potius ſpectat, quàm ad ſciſſas petras. Ioſephus quoque refert, virtutes Angelicas præſides quondam templi, tunc pariter conclamaſſe: *Tranſeamus ex his ſedibus.* Teſtatur autem hæc veli diſciſſio facinoris in Chriſtum perpetrati horrorem & blaſphemias in Chriſtum iactatas. Mos enim erat Iudæis, audita blaſphemia veſtes ſibi cõſcindere, vt fecit Caiphas. Vt igitur cœlum aſſumpta veſte pulla, horrendum Iudæorum ſcelus conteſtatum eſt, ita templum, aut templi Dominus, qui in illa habitare, ac motari dicitur teſte Eſaia, illam mortem contra voluntatem eius eſſe, hac veli ſciſſione, quaſi veſtimenti ſui oſtendere voluit. Tertiò aperuit, quid ſua morte conſecuti ſumus, nimirum quòd iam aditus patet nobis ad Deum abſq; vllo velo impediente; quemadmodum gladius flammeus, atque verſatilis à cœleſti paradiſo remotus eſt. Auguſtin. de hoc velo ita habet: *Reuelata iam ſunt myſteria abſcondita, vt iam omnes poſſint in Sancta Sanctorum introire, pretio redemptionis noſtræ Aeterno Patri exhibito: palam fit arca, vbi erat manna, quoniam iam corpus Domini in cœna diei præcedentis inſtitutũ fuit: quod per manna ſeruatum præfigurabatur, vbi erat & virga Aaron, quoniam iam Crux erat erecta in ſignum æterni Sacerdotij Chriſti: Vbi etiam teſtamenti tabulæ aſſeruabantur, quia iam impleta lex erat, & Prophetæ. Nec opus erat arca, cuius iam officium in morte Domini præterierat.* Tùm Ieremiæ impletum eſt vaticinium: *In diebus illis, ait Dominus, non dicent vltra, Arca Teſtamenti Domini, neque aſcendent ſuper cor, nec recordabuntur illius, nec viſitabitur, nec fiet vltra, id eſt, non inſtaurabitur.* Alias elegantes rationes addit Euthym. dicens: *Propriè autem velum templi ſciſſum eſt ad eorum redargutionem, qui contradicere non poſſent: vt ſi niterentur cauſari, & ad ea, quæ naturaliter accidunt, paſſiones obſcurati ſolis, terræmota, petrarumq; ſciſſarum reducere; os illis obturaretur per veli ſciſſionem; cum tale quid eſſe vnquam factum demonſtrare non poſſent. Sciſſo autem velo, oſtendit Deus quòd à templo diuina auolaſſet gratia; quodq; interiora, puta Sancta Sanctorum, omnia peruia, ac conſpicua cõſtituenda eſſent, quod etiam poſtmodum ingredientibus Romanis factum eſt. Quod autem mihi magis placet, accipe. Quia interiora veli, figura erant cœli, exteriora verò terram figurabant. Sciſſum iam velum ſignificauit diuiſum iam eſſe medium parietem inter cœlum, & terram (puta inimicitiam) qui inter Deum erat, & homines: & factum eſſe cœlum hominibus peruium, ſoluto iam per Chriſtum obſtaculo medio, taliq; nobis aſcenſu innouato. Vniuerſaliter autem quæ facta ſunt, diuinæ iræ ſigna erant, Iudæorum inſenſibilitatem reprehendentia, horumq; perditionem prædicantia.* Hæc ille.

Ioſeph. libr. 7. de bell. Iud. ca. 12.

Hæc veli diſciſſio quid ſignauerit.

Matth. 26.

Eſai. 6. & 66.

Geneſ. 3.

Auguſt.

Exod. 16.

Ierem. 3.

Rationes Euthymij ſatis idoneæ, veli templi diſciſſi

Euthy. ibid.

Ioſeph. de bell. Iud. lib. 7. ca. 10.

Interiora veli, & exteriora quid figurarent.

Epheſ. 2.

Secundum ſignum fuit terræmotus non ſolum particularis in Hieruſalem, & Iudæa, ſed etiam in Bithynia, vbi duodecim ciuitates corruerunt teſte Euſebio, & Phlegonte, ſuperius citatis: cuius Plinius meminit, dicens: *Maximus terræ memoria mortalium extitit motus Tiberij Cæſaris principatu, duodecim vrbibus Aſiæ vna nocte proſtratis.* Hæc ille. Accedit quod Michaël Syngellus refert, Dionyſium in Ægypto agnouiſſe inſolitam Solis eclipſin, & tremorem terræ. Quibuſdam etiam alijs in locis dicũtur extare monimenta huiuſce vehementis terræ motionis, vt prope Caietam extant ſaxa ingentia terræmotu eius temporis, vt ferunt, colliſa. Teſtatur autem interdum terræmotus, vel Dei indignationem, & iram, vel Dei præſentiam, & fauorem. De priori dicitur: *Commota eſt, & contremuit terra. & fundamenta terræ conturbata ſunt, & commota ſunt: quoniam iratus eſt eis.* Talis terræmotus fuit tempore Oziæ ad puniendam temeritatẽ, qua voluit in altari thymiamatis thurificare cõtra Sacerdotes: de quo terræmotu habes loquentes Amos, & Zachariam, & Ioſephum in libris antiq. Hic verò terræmotus, ſicut & ſciſſio petrarum, indicabat deteſtabile Iudæorum crimen, & quod creaturæ in Iudæos quodammodo indignarentur. Significare etiam ſolet terræmotus Dei præſentiam, & fauorem, vt olim in egreſſu de Ægypto, de quo Dauid: *Deus cum egrederis in conſpectu populi tui, cùm pertranſires in deſerto; terra mota eſt.* Ita in Actis, cùm oraſſent Apoſtoli, motus eſt locus, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cùm Angelus veniſſet lapidem ab oſtio monumenti ſublaturus, ac Dominus ſtatim appariturus, terræmotus factus eſt magnus. Quia igitur mors Chriſti Deum hominibus propter peccata abſentem recõciliauit, & fecit eſſe per gratiam præſentem; propterea terræmotus in ipſa accidit. Præfigurata eſt autẽ motio terræ humanæ, quæ ad prædicationem Chriſti Cruci affixi vehementer contremuit; nec de fructu eius vllus participare poteſt, qui contritione, ac deteſtatione peccatorũ veluti terræmotu quodã non fuerit prius conterritus. Tertium ſignum, fuit petrarũ ſciſſurum. Apparebat certè quòd non erat Chriſtus pur⁹ homo, quia homine mortuo diuinitas operata eſt: quod ſi permiſiſſet cœlum, terram, & cætera elementa, impetum feciſſent in nos, qui Dominum crucifiximus. Sed ô ineffabilis pietas, ipſe ſolus obſtitit, qui ſuæ vltionis autor eſſe debuiſſet: nec

II. ſignum.

Euſeb. in Chron. to. 2.

Phleg. ibid.

Plin. libr. 2. ca. 84.

Michael Syngell. Dionyſ. ſcholiaſtes.

Terræmotus interdum quid portendat

Pſal. 17.

2. Paral. 26.

Amos 1.

Zachar. 14.

Ioſeph. libr. 9. antiq. cap. 11.

Hic terræmotus vt & petrarum ſciſſio quid ſignificaret.

Pſal. 67.

Act. 4.

Quid etiam præfiguraverit ille terræmotus.

III. ſignum.

Chriſti pietas in nos, & miſericordia quam eximia atque ſingularis.

ſet: nec tantum ſibi, ſed & rebus omnibus creatis animatis in perniciem noſtram obſtaculo fuit: cumq; in nos ſæuire non poſſent, aut vlciſci iniuriam domini ſui, extremum quod poterant, in funere Chriſti officium præſtiterunt, & luctus indicium præbuerunt. Tertium hoc ſignum ſatis confirmatur ex eo ipſo lapide, vbi Crux poſita fuerat. Nam vt teſtatur Anſelmus lib. de paſſione, ille ipſe per terræmotum præciſus fuit, vt in hodiernum vſq; diem teſtantur indicia, columnæq; marmoreæ, ac candidę per medium præciſæ ex Ieroſolymis Romam aduectę, in temploq; Ioannis Lateranenſis collocatæ: vt omittam lapidem illum vaſtum, cuius meminit ſupra Hieron. Hęc autem ſaxa arguebant malitiam, & obſtinationem duriſſimorum cordium Iudęorum quæ cum ſint ſenſus expertia, neci tamen Domini indoluerunt. Teſtantur præterea duritiam cordium humanorum, Euangelica Chriſti mortui prædicatione fore emolliendam, & quod potens eſt Deus de lapidibus Gentium ſuſcitare filios Abrahę, qui Iudæorum præripuerunt benedictionem, & hæreditatem. Quaſi Dominus vellet dicere: Si mea mors animæ, atque ſenſus expertia permouit, quomodò non aliquando, & cor humanum, vt tãtum beneficium agnoſcat, acceptetq;, atque pro illo gratias agat, non commoueat? Sed aduerte, eo viuo Solem obſcuratum: quia ſcilicet nobiliora citius vim diuinitatis, ac radios eius ſenſerunt. Velum verò, terra, ſaxa, atq; monumenta non niſi eo mortuo, vbi maiori diuinitatis virtute commota ſunt. Nam velum, quod terræ, & lapidi, & mortuis obtẽdebatur, ſciſſum eſt. Ipſa verò terra tremuit hoc eſt, animales homines, qui ſecundùm naturam; & terræ commoda ſpectantes viuebant, commoti ſunt, ſtatimq; ſuum minimè probarunt, ſpe ſcilicet facta propinquiore diuinorum. Lapides verò, id eſt, qui iam ante ſuos certos, ſolidoſq; ædificauerant cultus, & ipſi ſciſſi ſunt, neque ſua illis placuerunt, ſed libertatis Chriſti ſpe percepta ſua fregerunt, exiſtimantes velut detrimenta, ac ſtercora, quæ aliàs præclara putarunt. Mortui etiam reſurrexerunt; id eſt, qui Deo mortui erant, & veluti in fœtentibus peccatorum ſepulchris deliteſcebant, tantam ad ſpem reuocati ſunt, vt redierint in ſanctam ciuitatem, ac templum Dei. Quartum ſignum fuit, monumentorum apertio. Intellige autem eadem hora, qua Chriſtus expirauit, ſepulchra fuiſſe aperta ad oſtenſionem mortuorum, quibus per Domini necem vita æterna illorum animis donabatur, ac tẽporalis eorum corporibus

[Left margin notes: Anſelmi de ... de quo ſupra poſita crux ... dictum memorabile. — ... ſciſſio ... quid ... tenderet. — Matth. 3. — Quid quod Chriſto adhuc viuente Sol ... obſcuratus ... verò ... non niſi ... mortem ... rent, ... templi, ... la ... mortuo ... que reſur... quæ ... oſtenta. Philip. 3. — IV. ſignum. Quid monumentorum apertio deſignauit.]

donanda. Quo etiam oſtendatur, quòd is qui ideò facilè poterat mortuos ad vitam euocare, facilius modò poſſet viuos morti dare, ſi voluiſſet: quodq; poſſet ſe, vt dixerat, tertio die ſuſcitare, itaq; ad vniuerſalis futuræ reſurrectionis fidem erigeret. Significata quoq; virtus mortis Chriſti, quòd per eam ſancti, qui in inferno detinebãtur captiui, libertatem aſſequerentur: & qui in peccatis ſuis mortui iacebant, ad vitam gratiæ reuocandi eſſent: quodq; omnes ſancti tandem è ſepulchris exeuntes beata cum Chriſto donandi eſſent corporum reſurrectione. Oſtendit quoq;, quòd non poſſent ſepulchra mortuorum corpora retinere, niſi ad voluntatem eius, qui tùm moriẽdo mortem extinguebat. Videntur etiam certatim omnia ſeſe aperuiſſe ſepulchra, vt ſacrum illud cadauer ſuſciperent, quo ſuſcepto erat illis reſtituenda vita: quemadmodum olim ſepultus in Heliſæi monumẽto, quamprimùm illius oſſa attigit, fuit ſuſcitatus. Quintum ſignum: *Et multa corpora Sanctorum qui dormierant, ſurrexerunt. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Vbi inprimis notandum, horum corpora reſurgentium non niſi poſt reſurrectionem Chriſti exiſſe de monumentis, & apparuiſſe: vt apertè ipſa verba teſtantur, quæ habent: Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius, &c. Nam cùm reſurgerent, vt de Chriſti reſurrectione teſtarentur, quomodò id efficere poſſent Chriſto adhuc iacente, defunctoq;, niſi mẽdaciter? Vnde Hieron. hoc eleganter explicans, ait: *Quomodò Lazarus mortuus reſurrexit; ſic et multa corpora Sanctorum reſurrexerunt, vt Dominũ oſtenderent reſurgentem. Et tamen cum monumenta aperta ſint, non antea reſurrexerunt, quam Dominus reſurgeret, vt eſſet primogenitus reſurrectionis ex mortuis.* Hæc ille. Dicuntur autem Sancti dormire: quia qui in fide moriũtur, expectant quod aliquando per Chriſtum ſint à ſomno mortis excitandi. Vnde Paulus: *De dormientibus nolite contriſtari*, & Dom. *Lazarus amicus noſter dormit.* Ad huius loci faciliorem expeditionem tria ſunt pertractanda. Primũ, an hęc verba verè ſint de textu Euãgelico, & germana atq; indubitata, vt reliqua: nã hanc partẽ, quidã nouatores reuocarunt in dubiũ, ſed nulli protſus ſolido nixi fundamẽto. At reuera cũ Euangelia omnia tã Græca, quã Latina hæc cõtineant verba, de quibus eſt ſermo, illaq; à Patribus in mediũ producta, atq; citata legam⁹ apud Ignatium epiſt. ad Trall. apud Iuſtinũ libro quæſtio. & apud Origenem in Matthæum, & apud Euſebium, & apud Clementes, &

[Right margin notes: 4. Reg. 13. — V. ſignum. Expenditur ab Euangeliſta dictum, ſanctorum corpora qui dormierant non niſi poſt reſurrectionẽ Chriſti reſurrexiſſe. — Hieronym. in Mat. tom 9. Ioan. 11. Apoc 1. Sancti dormire cur dicantur. 1. Theſſ 4. Ioan. 11. An hæc verba de reſurrectione Sanctorum poſt Chriſti reſurrectionẽ eorumq; apparitione ſint de textu, nec ne. — Ignat epiſt. 3. non longè à fine. Iuſt. Mart. li. quæſt. q. 60. tom. 3. Clem. Alex. lib. 6 ſtrom. Orig. tract 35 in Matt to. 2. Euſeb. li. 4. de demon. Euangel. cap. 12.]

apud Epiphanium in Ancorato ferè circa finem, & apud Chryſoſt. in Matt. & in hom. 2. de ſymbolo, & apud Cyprian. lib. de duplici martyrio ſub initium, & apud Cyrill. Ieroſolymitanum, & Hierony. hoc loco, & apud Auguſt. in epiſt. ad Euodium, planum relinquitur, hæc verba tantæ eſſe ſoliditatis, atque firmitatis, ac reliqua, quæ in Mat. habentur: neque par eſt, vt ille eleganter dixit, quolibet effutiente ſermonem, ſolicitari.

Epiphan. Chryſoſt. Cyprianus. Cyrill Ieroſo. Catech 14 circa med Hier. ibid. Auguſtin.

Quo tempori ſanctorum corpora ſurrexerint ante, an poſt Domini reſurrectionem.

Secundò tractandum eſt de tempore, quo iſtorum ſanctorum corpora ſurrexerunt, an videlicet Chriſto exiſtente in Cruce, an poſt reſurrectionem eius: & ſi quidē ante reſurrectionem, vbi manſerunt per illud triduum. Reſpōdemus apertè, textum aſſerere, monimenta fuiſſe aperta ante reſurrectionem Chriſti: & Sāctorum horum reſurrectionem, & apparitionem aſſerit fuiſſe poſt reſurrectionem Chriſti: quemadmodùm expreſsè Origenes in Matthæū docet, & ſuperius teſtimonio B. Hieronymi confirmauimus. Chryſoſtomus quoq; homil. 11. in Symbolum Apoſtolorum: *Deſcendit*, inquit, *ad infernum, vt & ibi à miraculo non vacaret: nam multa corpora Sanctorum reſurrexerunt cum Chriſto, quæ poſteà mortua ſunt: ſicut Lazarus, ſicut filia Archiſynagogi, ſicut filius viduæ: quod fecit in iſtis tribus, hoc fecit per propriam reſurrectionem in multis Sanctis: nam multa corpora Sanctorum reſurrexerunt cum Chriſto, de quibus dixit Apoſtolus: Ex quibus plures manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt.* Hæc ille. Quanquam Theoph. in hunc locum ſcribat: *Quidam autem dicunt, quod poſtquam Chriſtus reſurrexit, reſurrexerint & illi; ſed neſcio an hoc ſit recipiendum.* Hæc ille. Vbi videtur de eo dubitare, quod minimè erat dubitandum. Etſi enim in hoc Doctorum varia ſit ſententia, probabilior tamen eſt, quòd illa reſurrectio Sanctorum non fuerit tunc in Cruce perfecta, ſed in reſurrectione Chriſti: etſi narretur à Matthæo per anticipationis figuram, quia facta fuit in ſignum, & teſtimonium diuinitatis eius, & quòd mors Chriſti contulit nobis vitam æternam: quemadmodùm & alia ſigna à Matthęo, conſcripta teſtantur diuinitatem eius. Proinde ſcopus illorum reſurrectionis fuit, vt apparentes, pro eo tempore teſtarentur de virtute reſurrectionis ſuæ. Sed hoc non fecerunt niſi poſt Chriſti reſurrectionem, vt textus ait; in vanum ergo, ac fruſtra antea ſurrexiſſent. Tertiò, ſi illi reſurgendo præceſſiſſent reſurrectionem Chriſti, præſertim non amplius morituri, vt nonnulli ſentiunt, Chriſtus non eſſet primitiæ dormientium, aut primogenitus mortuorum, vt Paulus teſtatur. Quartò, quia tribus diebus fuiſſent priuati viſione animæ Chriſti beatæ, quæ per illud triduū manſit in limbo: quorſum ergo ponimus illos ſuſcitatos ante Chriſtum? Quintò, nō erat quorſum reſurgerent, & inopinabile eſt prorſus, quod aſſeruit Eraſmus in annotationibus in hunc locum, quod viui manſerint intra ſepulchra. Sed quid hac re abſurdius, aut quis beneficij loco ducat, viuū in ſepultura conditum manere?

Origenes. Hieronym. Chryſoſt to 3

Ioan 11. Matth. 9. Luc. 7.

Theophylact. in Matth.

Si Sanctorum reſurrectio contigit poſt Chriſti reſurrectionem, cur ante à Mat facta narretur. 1l ratio.

Tertia.

1 Cor 15. Coloſſ. 1 & Apocal. 1.

Quarta.

V. contra Eraſmum Roterod.

Tertio loco præcipuum dubium diſcutiendum eſt, an videlicet illi ſancti, qui tūc cum corporibus à Chriſto ſuſcitati ſunt, ad vitam ſurrexerint immortalem, an verò ad mortalem, iterumque morituri: nam hoc valde eſt inter Patres veteres, & recentiores ſcriptores controuerſum. Eos enim ad immortalem vitam ſuſcitatos, & in cœlum cum Chriſto conſcendiſſe, tenet in primis Iuſtinus Martyr in libro quęſtionum (ſi tamen is liber eius ſit) Quærit enim cur iſti dicantur ſuſcitati à morte, & apparuiſſe multis, cùm de Lazaro, adoleſcente, ac puella ſuſcitatis nil tale dicatur? Reſpondet, quod ſicuti cum Scriptura inquit: Qui excitauit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ex mortuis, viuificabit animas, & corpora noſtra, neq; imperfectam illam deſignat reſurrectionem, neque ſpectri præbet ſuſpicionem, ſed abſolutam reſurrectionis fidem, & perſuaſionem: ita & cùm dicit: Excitata ſunt multa eorum corpora, qui obdormierant, Sanctorum, perfectam denotat reſurrectionem. Et infra: Quam ob cauſam reſuſcitati illi denuo mortem non oppetiere, ſed in immortalitate manēt ſicut Henoch, & Helias; cum quibus in Paradiſo ſunt, reſuſcitationem Ieſu Chriſti, & reſuſcitationem ſempiternā primo quoq; tempore, per mutabilitatem futuram, qua (ſicut ait Apoſt.) omnes immutabimur, expectantes. Eandem ferè ſentētiam ſecutus eſt Ambroſ. Catharinus, dicens eiuſmodi Sanctos corpora, quæ acceperant, ſine vllo dolore iterum depoſuiſſe, cum iam priori debito per primam mortem ſatisfeciſſent; aut ſi corpora non depoſuerunt, in terreſtri Paradiſo expectare diē vniuerſalis iudicij. Sed iſti duo autores non aſſerunt propriè ſurrexiſſe ad vitam immortalem, quam adhuc illos pręſtolari tradunt, etſi amplius nō ſint morituri. Sunt tamen alij, qui apertè id tradunt. Vnde Epiph. contra Aëriū ſcribēs. *Multa corpora*, inquit, *Sanctorum ſurrexerunt, & cum ipſo ingreſſi ſunt in ſanctam ciuitatem. Sanctam autem ciuitatem quam dicit? In amb. ab. enim ſermo hic impletur, in ea quæ hic eſt, & in ſuperna. Quod enim in hanc Hieruſalem cum ipſo*

An iſ ſancti qui ſimul cum Chriſto ſuſcitati ſunt, ad vitam ſurrexerint immortalem, necne. 1. opinio.

Iuſtin. Mart lib quæſt. q 85 tom 3. Ioan. 11. Luc. 7. Matth 9. Rom. 8.

Geneſ. 5. 4. Reg. 2.

1. Cor. 15.

Ambr. Cat. li de conſum. glor. Chriſti & B. Virg.

Epiphan. in hæreſ. 75. in f

ingreſſi

ium eſſe ſunt primùm, id manifeſtũ eſt. Antequàm vero aſcenderet Saluator in cœlum, nemo aſcendit, donec cum ipſo aſcenderunt. Nemo enim aſcendit in cœlum, niſi qui ex cœlo deſcendit Filius hominis. Hæc ille, apertè teſtans quod ſunt immortales in cœlo. Ambroſius ſermone de Natali Martyrum in hũc modum ſcribit: *Scriptum eſt in Pſalmo: Notas mihi feciſti vias vitæ. Hæc vtique in reſurrectione ex perſona dicitur Saluatoris, qui dum poſt mortem ab inferis, redit ad ſuperos incipiat notam habere viam vitæ, quæ antè habebatur ignota. Ignota enim erat ante Chriſtum via vitæ, quæ nullius adhuc reſurgentis fuerat temerata veſtigio. At vbi Dominus reſurrexit, nota facta ſolo attrita eſt plurimorum, de quibus ſanctus Euangeliſta ait: Multorum corpora Sanctorum ſurrexerunt cum eo, & introierunt in ſanctam ciuitatem.* Hæc ille. Ex quibus conſtat, quod cum Chriſtus non aperuerit denuo viam reſurrectionis ad vitã mortalem, ſed ad immortalẽ, ideò ad illam inſinuat multa corpora Sanctorũ ſuſcitata fuiſſe. Idem in expoſitione primi Pſalmi: *Sunt qui reſurrexerũt in paſſione Chriſti, & iſti planè beati, quia acceperunt Chriſti gratiam, & audierunt vocem eius illẽ quæ ſcriptum eſt: Venit hora quando mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierunt, viuent: & ingreſſi ſunt in ſanctam ciuitatem. Puto quod magis illam ſignificet ſupernam, quam iſtam Hieruſalem quam reliquit, quam incuſauit.* Et iterum lib. de Fide ad Gratianum Auguſtũ: *Tranſlatus erat Henoch, raptus Helias: ſed non eſt ſeruus ſupra Dominũ. Nullus enim aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit de cœlo. Nam & Moyſen, licet corpus eius non apparuit in terris, nuſquã tamen in gloria cœleſti legimus, niſi poſtea quam Dominus reſurrectionis ſuæ pignore vincula ſoluit inferni, & piorũ animas eleuauit.* Clemẽs quoq; Alexand. lib. Strom. *Corpora multa eorum qui dormierunt, iuxta Euangelium ſurrexerunt: quæ quidem in meliorem ordinẽ tranſlata ſunt.* Et Orig. eius diſcipulus ad Rom. 1. ait: *Primitiuus vel primogenitus ex mortuis dicitur Chriſtus. Sed requirendum nobis eſt, ſi ſolus primogenitus, vel primitiuus ex mortuis, & non habet aliquos ſecum etiã in primatu participes: de quibus dicit Apoſtolus, quia ſuſcitauit nos cum Chriſto, ſimulq; fecit ſedere in cœleſtibus. Ne forte ergo & iſti quos dicit excitatos eſſe cum Chriſto, & cum eo ſedere in cœleſtibus, & ipſi primogeniti ſunt, vel primitiui ex mortuis: ſicut & illi fuerũt, qui cum illi ſuſcitati eſſe dicuntur, cũ monumenta aperta ſunt, et multa Sanctorũ corpora qui dormierant, ſurrexerunt, & ingreſſi ſunt in ſanctam ciuitatem. Et de his talibus fortaſſis dicit Apoſtolus eſſe Eccleſiam illã primitiuorum, quam aſcriptã memorat in cœlis.* Adhæc in 6. Synodo lectus eſt atq; approbatus libellus Sophronij Archiepiſcopi Ieroſolymitani, in quo hæc habẽtur verba: *Dominus triduanus reſurgẽs, de ſepulchro progreditur, et vna ſecũ cunctos mortuos ſuſcitat ex ſepulchro, ex corruptione ad immortalitatem eos perducens per ſuã reſurrectionẽ ex mortuis.* In quibus verbis aut eſt diſtributio accõmoda, vt omnes iuſtos qui erãt in Purgatorio, & limbo Dominus excitauit, quod eſt probabile, vt etiã Magnꝰ Greg. docet. Ad hæc Hier. in ſer. illo de Aſſumpt. Virg. Mariæ ad Paulã & Euſtochiũ, dubitat an iſti reſurrexerint ad vitã mortalẽ: & potius inclinat quod ad vitã immortalẽ ſurrexerint. Vnde ponderat, Petrum in Actis prędicantẽ de Dauid loquendo: *Et ſepulchrum*, inquit, *eius apud nos eſt*, non auſum dicere; Et corpus eius apud nos eſt, quod iã eſſet à morte per Domini reſurrectionem ſuſcitatum. Plures tamen viri docti nõ ſine cauſa de illo ſermone dubitãt an ſit B. Hieronym. & ab alijs tribuitur Sophronio. His accedit B. Leontius, aſſerens illos ſanctos primum comitatũ prębuiſſe Chriſto in terrenã Ieruſalẽ, deinde & in cœleſtem. Adde iſtis Anſel. & Chriſtianũ Druthmarum in c. 27. Matthæi. Ad hæc Remigius in Matth. vt citatur à B. Tho. in catena aurea, ſic ſcribit: *Quæreret autẽ aliquis, quid de illis factum ſit, qui reſurgente Domino ſurrexerunt? Credendum quippe eſt, quoniam ideò ſurrexerunt, vt teſtes eſſent Dominicæ reſurrectionis. Quidam autẽ dixerunt, quod iterum mortui ſunt, & in cinere conuerſi, ſicut & Lazarus, & cæteri, quos Dominus reſuſcitauit. Sed iſtorum dictis nullo modo eſt fides accõmodãda, quoniã maius illis eſſet tormẽtum qui ſurrexerunt, ſi iterũ mortui eſſent, quã ſi nõ reſurgerẽt: Incunctantèr ergo credere debemus, quia qui reſurgente Domino à mortuis reſurrexerunt, aſcẽdente eo ad cœlos, & ipſi pariter aſcenderunt.* Hæc ille. His accedunt nõnulli è recentioribꝰ; vt, Faber Stapulẽ. in priorẽ ad Corint. Ioã. Ferus, & Claudius Guillandus in Matthæũ. Ioan. Gagneus ibidẽ. Beatuſq; Antoninus in vita S. Mariæ Deognis Leodiẽ. producit neſcio quod teſtimonium ex illius ſanctæ dictis. Iſti ſunt teſtes, qui ſtant pro illa ſententia. Quibus accedunt nõnullę rationes prima facie non improbabiles, quarum prima eſt: quia illi nõ ſurrexerunt ad conuiuendum, conuerſandũ nobiſcum in hac mortali vita, quemadmodũ filia Archiſynagogi, & filius viduę, atq; Lazarus: vnde nec edebãt, nec bibebant, ſed tantùm apparebãt multis, teſtãtes Chriſti gloriã. Et deinde vt ponderat Rupert. atq; Caiet. dicuntur apparuiſſe multis, nõ omnibꝰ: quemadmodũ Chriſtus (vt eſt in Actis) nõ omnibꝰ apparuit, ſed teſtibus tantũ præordinatis à Deo: ꝙ videtur confirmare reſurrectionem ad immortalitatem. Sed hoc nõ videtur euincere: nam & Chriſtus ad vitã immortalem ſuſci-

Gregor. hom. 22. in Euang. ante med.
to. 2 B. Hiero. to. 4.
Actor. 2.
B. Leontius Epiſc.
B. Anſelm.
Chriſtianus Druthmarus.
B. Remig. in cap. Matthæi 27.
B. Thomas. to. 15.
Ioan. 11.
Matth. 9.
Luc. 7.
Recentiores ſcriptores.
Faber Stapulenſ in cap. 15. 1. ad Corin.
Ioan Ferus.
Claud. Guilland.
Ioan Gagneus, in cap. 27. Matth.
B. Anton. in parte hiſtoriali
Quibus rationibus nitatur hæc opinio, quæ ſoluuntur.
1. ratio.
Matth. 9.
Luc. 7.
Ioan. 11.
Rupert. Tuitienſ. lib. 42 in Matth.
initio.
Caietan. in præſentem locum.
Act. 10.
Luc. 24.
Ioan. 21.
Act. 10. & ſupra 1.

ſuſcitatus edebat, & bibebat interdum: & Lazarus ſuſcitatus non omnibus, ſed quibus ipſe volebat apparebat, ac teſtabatur.

II. ratio.

Deinde probant: quia animæ illorum Sanctorum beatæ erant per viſionem eſſentiæ diuinæ Chriſti in limbo, non amplius viatrices, cùm Dominus peculiari priuilegio Purgatorium ſpoliaſſet: quare mori amplius non debebant. Sed profectò dici poteſt, Angelos ſpiritus eſſe beatos, atq; immortales, corpora interdum aſſumere mortalia in vſum apparendi: quid mirum igitur, ſi iſti teſtificandæ reſurrectionis gratia, propria reſumpſerint corpora, atq; illa ſine dolore depoſuerint?

III. ratio.

Tertiò, probant, quia non videretur reddidiſſe teſtimonium verum de Chriſto ſuſcitato ad immortalitatem, ſi iterum mortui eſſent: nam ſi adiſſent propria ſepulchra, vidiſſentq; adhuc ibi iacere eorum corpora, exiſtimaſſent reſuſcitationẽ fuiſſe illuſoriam. Sed ſanè Lazarus, & viduę filius egregium perhibuerunt teſtimoniũ de Chriſti virtute, qua ſe poſſet à mortuis excitare, etiamſi iterũ mortua in ſepulchro iacuerint eorum corpora.

Ioan. 12. & ſeq. Luc. 7.

IV. ratio.

Quartò arguunt: Videbant illi Sanctorum animi Deum, nõ ergo viuebant vita mortali: quia Deum nemo vidit vnquam; &: *Non videbit me homo, & viuet*: agebant ergo vitam immortalem. Sed nõ negamus, illorum animos vita immortali potitos fuiſſe, ſed illam nondum diffuderant in corpora ſua: quemadmodũ Angeli aſſumentes mortalia corpora, viuunt quidem ipſi beatam vitam, verùm illã non tribuunt corporibus aſſumptis.

Ioan. 1. Exod. 33.

V. ratio.

Quintò, gloria animę beatę ſuapte natura in corpus redundat, niſi impediatur: quid ergo impediuit, quo minus illi beati eſſent? Sed vt in Chriſto animus à primo ſuæ conceptionis momento beatus extitit, gloriam tamen animæ corpori ſuo non communicauit, vt pro nobis poſſet holocauſtum corporis offerre: ita illorum Sanctorum gloria in corpus non eſt diffuſa, quo ſplendore ſuo eos, quibus apparebant, non offenderent.

VI. ratio.

Sextò, Sanctorum illorum animæ, qui ſuſcitati erant, informando corpora, nõ pendebant ex ſubſidio vllo humano, aut naturali vt viuerent, nec cibo, potu, ſomnoq; indigebãt, nec huiuſmodi paſſionibus noſtris mutabantur, vt exinde mors ſequi poſſet: ſed vt Angelus aſſumẽs corpus, ac poſt relinquẽs non dicitur mori, ita nec illi Sancti. Et nihil refert quod dicantur mori, dummodo labores, moleſtias, dolores, & anguſtias mortis ab illis auferas.

VII. ratio.

Septimò argumentatur Caiet. Chriſtus tantùm ſibi gloriam corporis perfectam promeruit: at perfecta non eſt ſine ſocietate, ſocios ergo in gloria corporis habuit. Reſpondeo perfectionem duplicem eſſe, alteram in ſeipſo, alteram in corpore ſuo myſtico. Priorem quidem habuit Chriſtus, quando reſurrexit: poſteriorem eſt habiturus ſuo tempore: nec enim omnem perfectionẽ, quæ corpori ſuo myſtico debita eſt, vſq; ad poſtremũ generalis reſurrectionis diem eſt habiturus.

Duplex perfectio gloria Christi.

VIII. ratio.

Octauò, Patres olim magnam adhibebant diligentiam de loco, in quo erant eorũ corpora tumulanda, atq; condenda. & præſertim terrã Chanaan in ſepulturam eligebant: & cum abeſſent, eò deduci corpora, ſiue oſſa iubebant, quemadmodũ Iacob, & Ioſeph præceperunt corpora ſua ex Ægypto deferri in terram Chanaan. At hoc ob aliud eſſe non videbatur, niſi vt participes eſſent reſurrectionis Chriſti anticipatæ ante generalem. Sed profectò præter illam rationem erant & aliæ, nimirùm, vt fidem ſuã proteſtarentur, qua Dominũ Ieſum credebant in terra Chanaan appariturum, redemptioniſq; noſtræ myſteria operaturum. Item vt Meſſię miniſtrarent in ferendo teſtimonio de reſurrectione eius; in corpore mortali, an immortali non curantes, neq; cogitantes.

Geneſ. 47 & 49.

Antiqui Patres cur terra Chanaan egerunt in ſepulturam ſibi

IX ratio.

Argumentantur poſtremò: Si iterum mortui ſunt, quando, vbi, quomodò, & quorſum? Et cum nullum horum probabiliter poſſit aſſignari, videtur quod illorum corpora ſint in cœlo immortalia, vt communi omnium cõſenſu de corpore B. Virginis credimus, & de B. quidem Ioan. Euangeliſta teſtãtur præter B. Thomam, Ambroſ. & Leo Papa. Hæc ſunt prioris ſententiæ firmamenta.

B. Thom. ... ſermo pr... cenis ... Ambroſ. in Pſalm. 18 ſerm. 20 ... tom. 4 Leo Pa...

Proponemus ſecundo loco quid alij ſenſerint in oppoſitum, atq; illos Sãctos exhibito teſtimonio reſurrectionis Chriſti, iterũ fuiſſe mortuos comprobabimus. Quod inprimis teſtimonio Hieronymi comprobatur ſuperius producti, qui tradit non ſecus iſtos ſuſcitatos, atque Lazarum: at Lazarus ad mortalẽ eſt ſuſcitatus vitam. Chryſoſtomus in Matthæum ita ſcribit: *Ille*, inquit, *alios ſaluauit, ſeipſum ſaluare non poteſt ipſe verò pendens de Cruce, in ſeruorum corporibus abundantiſſimè illud oſtendit. Nam ſi magnum eſt Lazarum excitaſſe; multò maius profectò eſt multos iam olim mortuos in vitam reduxiſſe: quod reſurrectionis futuræ ſignum fuit. Multa enim corpora qui dormierunt erecta in ſanctam introierunt ciuitatẽ, & multis apparuerunt*. Hæc ille. Qui ergo meminit Lazari, & illos ait ſuſcitatos in ſignũ futuræ reſurrectionis, videtur ſenſiſſe, ad vitam mortalem fuiſſe ſuſcitatos. Idem producitur in ſermone 2. in Symbolum Apoſtolorum apertius dixiſſe: quod & diſcipuli eius confirmant. Ait ſiquidem

... opinio quæ ponit ... Domino ſuſcitatos fuiſſe mortuos. Hierony. loco citato. Ioan. 11. Chryſ. hom. ... in Matt. tom. 2.

Theo-

Theophyl.

Theophylactus: *Reſurrexerunt autem illi tātum ſigni gratia, manifeſtumq; e e.t illud, quod iterum ſunt mortui.*

Euthym. c. 67 in Matth.

Et Euthymius: *Sancti verò ſurrexerunt, vt fide digni videantur, qui de Chriſto loquuntur. Poſtquam autem apparuerunt, iterum dormierunt.*

Damaſcen.

Idē videtur aſſerere Damaſcenus in hiſtoria Barlaam, & Ioſaphat, dicens: *Surrexerunt etiam quidam alij ex mortuis, ſed iterum mortui ſunt & non potuerūt imaginem vitæ futuræ verè exhibere. Solus autem ille reſurrectionis illius princeps factus eſt, reſurgens primus immortali reſurrectione.* Hæc ille.

Aug. tract. in Ioan. ... tom. 9.

Deut. 34.

4. Reg. 2.

Auguſtin. quoque in Ioannem ita ſcribit: *Non enim poſſunt deeſſe qui credant, ſi non deſunt qui etiam Moyſen aſſerant viuere, quia ſcriptum eſt, eius ſepulchrum non inueniri, & apparuit cum Domino in monte, vbi & Helias fuit, quem mortuum legimus non eſſe, ſed raptum: quaſi Moyſi corpus non potuerit alicubi ſic abſcondi, vt prorſus homines lateret vbi eſſet, atque inde ad horam diuinitus excitari, quando cum Chriſto Helias, & ipſe ſunt viſi: ſicut ad horam multa Sanctorum corpora ſurrexerunt, quando paſſus eſt Chriſtus, & poſt eius reſurrectionem apparuerunt multis in ſancta, ſicut ſcriptum eſt, ciuitate.* Hæc ille,

Idem epiſt. 99.

Hebr. 11.

qui rurſus epiſtola ad Euodium, etſi in vtramque partem diſputet, tandem tamen magis inclinat in hoc, quod iterum ſint mortui, propter Apoſtoli teſtimonium, dicentis ad Hebræos: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.*

Idem lib. 3. de mirabilibus ſacræ Script. 13.

Hebr. 11.

Ad hæc libro de mirabilibus ſacræ Scripturæ (ſi tamen ille liber tribuendus ſit Auguſtino) *De corporibus,* inquit, *Sanctorum venientibus de monumentis ſuis poſt reſurrectionem Domini, ſed ſurſum in monumenta, quomodò, & de Moyſe meminimus reintrarunt, vbi reſurrectionem omnium nouiſſimam expectant, vt Apoſtolus ait: Hi omnes teſtimonio fidei probati inuenti ſunt, non acceperant repromiſſionem à Deo pro nobis melius aliud prouidente, vti ne ſine nobis conſummarentur. Si igitur iſti, & Moyſes bis reſurgere in hac oſtenſione vtique, & in nouiſſima cunctorum reſurrectione credendi ſunt,* Et infra: *Talis autem apparitio iſtorum neque ad vitam humanam, neque ad reſurrectionem futuram pertinet ſed conſummationem Dominicæ reſurrectionis: & ad crudelitatem reſurrectionis animarum ex inferis, talis apparitio animos mouet: ſicut in reſuſcitatis mortuis ſimilitudo tantum, non mors continua fieri cernitur. Ita & in his ſimilitudo reſurrectionis, non ipſa reſurrectio oſtendebatur.* Hæc ille ſcienter, & acutè: etiamſi nonnulla ſit de autore libri controuerſia.

D. Thom. 4. ſent. diſt. 43. art. 2. q. 3. ad 1.

Idem 3. p. q. 53. art. 3.

Ad hæc B. Thomas etſi olim in quarto inclinauerit, quòd in perpetuam reſurrexerint vitam, tamen in tertia parte ſummæ, vbi limatius res pertractat, oppoſitam amplectitur ſententiam. Nam propoſita ſententia Remigij ex vna parte, & Auguſtini ad Euodium ex alia, tamen illam Auguſtini ſequitur, vt probabiliorem, eo quod vt ait, efficacioribus nititur rationibus.

Aug. epiſt. 99. non longè ante mediū. tom. 2.

Actor. 2.

Vbi etiam acutè ponderat verba Petri in Actis, quod Dauid ſit mortuus, & ſepultus: *Et ſepulchrum,* inquit, *eius eſt apud nos.* Si autem non intelligeret oſſa Dauidis prophetæ illic iacere, nihil probaſſet, dicēdo ſepulchrum eius apud ſe eſſe, cum etiam eorum, qui ſunt ſuſcitati, ſepulchra exiſterent apud eos.

Ambroſ. Cathari. loco citato.

B. Brigit. lib. 6. cap. 94. initio.

Subſcribunt huic ſententiæ Ambroſius Catharinus, atque alij è recentioribus. Quod ſi quicquam ſit reuelationi tribuendum, conſtat B. Brigittam hoc ipſum non ſemel affirmare. Nam libro ſexto, ſic loquitur B. Virgo:

Vbi animæ illę, quę à limbo liberatæ, Chriſti aſcenſionē expectabant, permanſerint.

Luca. 23.

Sed potes quærere, inquit, *vbi fuerunt illæ animæ, quas tunc liberauit de inferno, vſque dum aſcendit in cœlum? Reſpondeo tibi, quod fuerunt in quodam gaudio noto ſolum filio meo. Nam vbicunque filius meus eſt, & erat, & eſt gaudium, & gloria, ſicut ait latroni: Hodie mecum eris in Paradiſo. Multi etiam in Ieruſalem ſancti mortui reſurrexerunt, quos vidimus quorum animæ aſcenderunt cum filio meo, ſed corpora expectant cum alijs iudicium & reſurrectionem.*

Lib. 7. c. 24.

Alibi quoque ſic habet: *Item ſcias quod nullum corpus humanum in cœlo eſt niſi corpus glorioſum filij mei, & corpus meum.*

Euang. Nicodemi.

Luc. 2.

Adhæc in Euangelio Nicodemi habetur apertè, duos filios ſancti Simeonis, qui Chriſtum tenuit in vlnis, ante quadraginta annos extinctos reſurrexiſſe, exhibitoq; teſtimonio de Chriſto mox euanuiſſe. Poteſt autem in libro non canonico aliqua veritas contineri, vt ſuperius monuimus.

Hiſtor. ſchol. in hiſt. Euāg. c. 178.

Hebr. 11.

Hiſtoriæ quoque Scholaſticæ autor in hiſtoriam Euangelicam ſcribit: *Forte hic fuerunt, de quibus ſuper epiſtolam ad Hebræos legitur, quod multum affectauerunt ſepeliri in terra ſancta, vt Domino reſurgente reſurgerent, vtrum aliqui eorum ita permanſerunt, & cum Domino aſcendente aſcenderint, neſcimus. Quia autem aliqui eorum iterum mortui ſunt, poſtquam Dominum ſurrexiſſe teſtificati ſunt: ſcimus quia corpora quorundam adhuc quieſcunt in Ieruſalem, & ſanctus Scarioth vnus eorum fuiſſe à quibuſdam perhibetur.* Hactenus illa.

Quibus argumentis ſit fulta hæc opinio

1. argum.

Actor. 2.

His Patrum teſtimonijs accedunt etiam nonnullæ rationes. Et in primis non leue eſt illud argumentum Petri, quo probat Chriſtum non vidiſſe corruptionem, ex eo quod Dauid vidit corruptionem: *Et ſepulchrum,* inquit, *eius eſt apud nos vſq; in hodiernum diem.* Vbi non ſimpliciter allegat ipſum ſepulchrum, ſed vt continens ipſum corpus Dauidis, ſiue reliquias eius, alias redditur inualidum eius teſti-

Pſal. 15. monium ad probandũ quod locus ille Pſalmi non ipſi, ſed Meſſiæ quadraret. Deinde optima videtur illa ratio ex Pauli verbis ad Hebræos, vbi teſtatur omnes Patres defunctos, non eſſe ſine nobis conſummandos: quæ confirmatio impletur per reſurrectionem ad vitam immortalem, quæ ſperatur in die reſurrectionis vniuerſalis. Tertiò, ſi in vitam ſurrexiſſent æternam, quomodò reſurrectio poſtremi diei eſſet vniuerſalis, cum tam multi antea ſurrexiſſent, vt textus ait? Et cum Chriſtus apud Ioannem aſſerat veniſſe horam, quando omnes, qui in monumentis ſunt, nemine excepto, audient vocem Filij Dei vocantis ad iudicium? Cùm ergo illi, quorum corpora ſurrexerunt, in monumentis tunc iacere debeât, ſequitur eos aliquando audituros vocẽ illam Chriſti, & de monumentis ad vitam immortalem prodituros. Quartò, Si aliquis ſanctorum ſurrexiſſet ad immortalem vitam; maximè qui inter eos ſanctitate eminebant. Sed conſtat in primis, quod Iob ſanctiſſimus non ſurrexerit, quia ipſe de ſeipſo prædixit: *Et in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum.* Deinde ſurrexiſſet ſaltem Ioannes Baptiſta, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum. Et tamen apud nos eſt caput eius, & Romæ magna religione aſſeruatur: quemadmodum etiam in templo B. Annæ matris diuæ Virginis Filij Dei genetricis Romæ dicato, brachium in Monaſterio eius oſtenditur. Septẽ quoque Machabæorum corpora, ac trium Regum Coloniæ intueri licet. Adhęc oſſa Samuelis Prophetæ à Iudæa in Thraciã tranſlata ſunt ab Arcadio imperatore, vt teſtis eſt Hieron. ad Riparium, contra Vigilantium circa initium: oſſa quoque Habacuc, & Michææ ſub Epiphanio translata ſunt: vt refert hiſtoria Tripart. Quod ſi quiſquã obijciat ex libro Diataxeon Clementis verba illa: *Et valde diuinus inſigni patientia Iob, de quo ait Scriptura: Scriptum eſt autem reſurrecturum eſſe, cum quibus Dominus reſurgit.* Quæ verba annotauit Origenes in epiſtola ad Africanum pro defenſione hiſtoriæ B. Suſannæ conſcripta, non legi hæc apud Hebræos, nec apud Aquilam, ſed bene apud LXX. Interpretes, & Theodotionem: & Olympiodorus in poſtremum caput Iobis ſic ſe ſcriptum in omnibus exemplaribus Gręcis reperiſſe affirmat, tametſi hæc ab alijs adſcripta, & inſerta libro Iobis contendiſſe alios tradat. Tamen quia hodie nec in Hebræis, nec in Græcis codicibus noſtris quæ circumferuntur, iſta inueniuntur, & quia videntur aliquo modo repugnare verbis ipſius Iob dicentis: *Et in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum,* tertius putamus corpus eius nondum ad vitam ſurrexiſſe immortalem. Vides igitur ſanctiſſimos quoſque ex Prophetis, neque Dauidem ipſum, neq; B. Ioannem Baptiſtam, neq; B. Annam ad hoc priuilegium perueniſſe, & tamen volumus his concedere, quod nondum datum eſt Apoſtolis? Quanquam illud hoc loco meritò veniat obſeruandũ, illos ſanctos, quorum corpora ſurrexerunt, nõ opus fuiſſe vt ex antiquis eſſent: quia nõ poſſent facilè ab ijs, qui nunquam eos viderunt, agnoſci, ſed ex recentiorib. ſanctis, qui ante paucos annos è vita receſſerant, ac noti erant pleriſq; viuentium. Quod acutè mihi videtur annotaſſe Epiphanius in Ancorato, his verbis: *Ipſe enim eſt reſurrectio mortuorum: qui ſanè poſtquam reſurrexit ex mortuis, nullum ſuſcitauit ex recens mortuis. Reſurrexerunt autem cum ipſo multa corpora Sanctorum qui dormierunt, & cõſpecti ſunt multis, ingreſſi cum ipſo in ciuitatem Sanctam, velut ſcriptum eſt in Euangelio. Et non dixit: Reſurrexit pars corporum Sanctorum, ſed corpora Sanctorum, & apparuerant multis, non alij, quàm qui mortui fuerant, ſed qui agnoſcerentur à ſuis, ſi non ante multa tempora vita defuncti eſſent.* Hactenus ille, diſputans contra eos, qui non expectabant in reſurrectione integritatem corporum. Confirmat hãc ſententiã B. Ambroſ. in c. 4. epiſtola ad Epheſios: Ex quibus (captiuis quos in cęlum induxit) aliquanti reſurgentes in corporibus multis apparuerunt ad teſtimonium euictæ mortis, vt qui fortè Chriſti reſurrectionem credituri non eſſent, ex horum reſurrectione, quos mortuos ſcirent, rei fierent, hos enim viderunt quos cognoſcerẽt dudum vixiſſe. Sic ſcripſit Ambroſius. Quintò ſi illi ad vitam ſurrexerunt æternam, ergo veriſimile eſt ſimul cum Chriſto aſcendiſſe in cœlum: ad rem tanti momenti in enarranda Chriſti aſcenſione non ſiluiſſent Euangeliſtæ, aut ſi non cum Chriſto aſcẽdiſſent, aliquid de loco, in quo manerent, explicuiſſent. Cum enim hæc res tam ardua ſit, vt nec de beata Virgine ſit firmiter ab Eccleſia acceptum, vt articulus Fidei: ergo illi ſancti ſuſcitati ſunt, vt Lazarus, & alij. Sextò, B. Moyſes in transfiguratione Domini reſurrexit, vt verius opinatur beatus Hieronymus, quoniam Euangeliſta apertè aſſerit apparuiſſe Moyſen, non ſatis eſt autem, vt Moyſes appareat in corpore aëreo, vt ſit verus Moyſes, ſed opus eſt, vt in ſuo proprio corpore apparuerit. Non eſt autem credibile, quod, vel Moyſes, vel Helias, qui viri dicuntur à Luca, immortalitatis gloria amicti fuerint antequàm

Marginalia (left): *Pſal. 15.* — II. argum. *Hebr. 11.* — III. argum. — *Ioan. 5.* — IV. argum. — *Iob 19.* — *Matth. 11.* Vbi Ioannis Baptiſtę caput aſſeruetur. — *B. Hieron.* — *Hiſt. Tripar. lib 9. c. 49.* *Clem lib. 5 conſt. c 8 poſt medium.* *Iob. 10.* *Origenes.* — *Olympiod.*

Marginalia (right): *Iob 19.* — Ij ſancti, qui vna ſurrexerunt cũ Chriſto, quales fuiſſe credendũ ſit. — *Epiphan.* — V. argum. — *Ioan. 11.* — *Matth. 17.* — VI. argum. — *B. Hieron. in c. 17. Matth. tom. 9.*

quàm Chriſtus, quia non eſſet primogenitus mortuorum. Quod autem à Luca dicitur viſus in maieſtate, ſiue gloria: non eſt ad gloriam animæ in gloriam corporis redundantem transferendum; ſed ad claritatem corporis Chriſti transfigurati, diffuſam in illorum corpora. Septimò, non decebat vt quiſquam in corpore & anima ingrederetur ad nuptias Agni ante ſanctiſſimam Virginem primariam Dei ſponſam: quemadmodùm paradiſum terreſtrem primus Adam, & prima Heua coluerunt, ita in cœleſtē in illo terreſtri deſignatum, nemo ante ſecundum Adam & ſecundam Heuam, habitus fuerit dignus qui ingrederetur. Nam etſi gloria corporis extrinſeca ſit, tanta tamen eſt, vt nemo ante matrem eam ſit promeritus: vt vita æterna primò à capite, deinde per Mariam Virginem, quæ venerabile collum eſt huius corporis myſtici, & reliquum totius Eccleſiæ corpus diffundatur. Propoſui hactenus, quibus vtraque nitatur firmamentis ſententia, lector pro ſuo arbitrio ſeligat quam velit: vtraque defendi poteſt, & probabilis exiſtit; poſterior certè apud me probabilior, & firmioribus rationibus niti videtur. Quod autem ait, Sanctorum corpora ſurrexiſſe: intellige per ſanctos, eos, qui in Chriſti venturi fide mortui fuerunt. Nam etſi totus mundus reſurget, & Chriſtus nō minus impios ad iudicium ſuſcitabit, quā pios, & fideles ad ſalutem: quia tamen in gratiam Eccleſiæ ſuæ, & piorum omnium membrorum ſuorum hoc fecit, idcircò Dominus nonniſi fideles, & ſanctos hoc tanto honore dignatus eſt. Quòd verò vocat ciuitatem ſanctam Ieruſalem, in hūc modum explicatur à Hieronymo: *Sanctam autem ciuitatem, in qua viſi ſunt reſurgentes, aut Ieroſolymam cœleſtem intelligimus, aut hanc terrenam, quæ antè ſancta fuerat, ſicut & Matthæus appellatur Publicanus, non quòd & Apoſtolus adhuc permaneat Publicanus, ſed quòd priſtinum vocabulum teneat. Sancta appellatur ciuitas Ieruſalem propter templum, & Sancta Sanctorum, & ob diſtinctionem aliarum vrbium, in quibus idola colebantur* (vera & extitit reſurrectio corporum Sanctorum, vt illa Lazari, & filij viduæ, & puellæ filiæ Iair archiſynagogi.) *Quando verò dicitur: Apparuerunt multis, oſtenditur non generalis fuiſſe reſurrectio, quæ omnibus appareret, ſed ſpecialis ad plurimos, vt hi viderent, qui cernere merebantur.* Hæc Hieronymus. In cuius verbis illud notandum eſt, hoc loco tantùm eſſe mentionem de Ieruſalem terreſtri, non de cœleſti, in qua non opus erat alicui apparere, aut ferre teſtimonium de reſurrectione Chriſti. Et cognomen ſanctæ ciuitatis non arguit eſſe cœleſtem: quia apud Matthæum dicitur, quòd diabolus duxit illum in Sanctam ciuitatem, & ſtatuit illum ſupra pinnaculum templi.

Illud adiungā, quòd vt reſurrectio Chriſti facta eſt monumēto clauſo, in quod nō opus erat reuerti, quia reſurgebat ad vitam immortalem: ſicut Lazarus ſuſcitatus eſt aperto monumēto, ad ſignificandū quod iterum erat illi eò redeundum: ita iſti ſurrexerunt apertis monumentis, quo conſtaret, eos ad hanc mortalem tantùm excitari vitā. In hac autē reſurrectione impletum eſt deſideriū Epulonis rogantis Abraham, vt aliquem ex mortuis in ſeculū hoc mitteret, qui viuos de alterius ſeculi rebus admoneret. Ecce non vnus, ſed multi ad ſanctam ciuitatem venerunt, neq; tamen, ciuitatis vitio, magnū fructum ediderunt. Impletum eſt, & illud: *Ero mors tua ò mors, morſus tuus ero inferne*: quia extinxit mortē, & eos ſanctos, quos infern⁹ poſſidebat, & manducari à Chriſto poterant, momordit.

Sextum miraculum fuit Centurionis confitentis. De quo Matthęus: *Centurio autem* (*qui ex aduerſo ſtabat*, vt ait Marcus) *& qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes, Vere Filius Dei erat iſte.* Vidimus glorificationem Ieſu Chriſto exhibitam à creaturis ratione carentibus: ſed per eas deinde conſecuta eſt à creaturis ratione præditis, hominibus ſcilicet ex vtroque populo Gentili, qui cum Centurione glorificauit Chriſtum, & Iudaico, qui in his, qui reuertebantur ab illo ſpectaculo percutientes pectora, dedit Domino gloriam, & impleri cœpta ſunt quæ illa ſigna portendebant. Iam enim terra cordis hominum commoueri cœpit, & lapidea hominum corda ſciſſa ſunt, & in anima mortui cœperunt per agnitionem ſceleris, & fidei in Chriſtum confeſſionem reſurgere. Vbi primum aduertendum, non ſolum Centurionem, ſed & alios cum eo exclamaſſe, vt videas fructum paſſionis Chriſti, & ſignorum eius, etiam in gentiles, qui non adeò male affecti erant, extenſum. Marcus voce Latina Κεντυρίωνα vocauit, vt Euangelium Syriacum Matthæi 8. habet; Lucas verò Græca voce ἑκατοντάρχην, hoc eſt, eum, qui præſidet centum militibus. Et Marcus addit: *Videns quia ſic clamans expiraſſet*, quòd tanta fortitudine in vltimo vitę ſpiritu exclamaſſet, & quod in libertate Patrem Deum appellaſſet, in manus eius cōmendando ſpiritum, & quod eius expirationem conſecuta eſſent tam horrenda ſigna, pro

[Left margin notes: Ioan. 5. Coloſſ. 1. Apoc. 1. — ...rquæ. — Gen. 2. & ſeq. — Maria Virgo corporis myſtici collum eſt, vt Chriſtus caput. — Vtra magis ſententia ſit probabilis ... — Qui nam illi ſancti fuerint qui cum Chriſto ſurrexiſſe memorantur. — Hieronym. in Matth. 10. 9. ... ciuitas ſancta ... Hieronymo. Matth. 9 — Sancti qui eſ Domino ſurrexerunt, quibus tantum apparuerunt. — Qua de Ieruſalem hoc loco ſit ſermo.]

[Right margin notes: Matth. 4. — Ioan. 11. — Quare hi ſancti ſurrexerint apertis monumentis, Chriſtus verò nequaquam. Luc. 16. — Oſeæ 13. Cor. 15. & 1. Illud Oſeæ: Ero mors tua ò mors, &c. impletū fuerit quando. VI. miraculū mortis Chriſti. — Matth. 27. Marc. 15. — Luc. 23. — Paſſionis et mortis Chriſti fructus. — Centurio quis. — Centurio cur de Ieſu admiratus quod ſic clamans expiraſſet.]

Ieſum tantùm. Reuertebantur ergo à loco Caluariæ in domos proprias præ confuſione, vt laterent, & flerent: quemadmodùm Petrus egreſſus de atrio Principis Sacerdotum fleuit amarè. Nec tantùm pedibus reuertebantur, ſed etiam animo, nempe ab infidelitate ad fidem, à peccato ad pœnitentiam. Cùm igitur vterq; populus Chriſtum viuum in cruce pendentem blaſphemauerit; vterque mortuum glorificauit. De mulieribus, quæ ſtabant à longe, quæ viuenti, & morienti Chriſto ſemper benè fuerant affectæ, miniſtrantes illi de facultatibus ſuis, & luctu mortē eius proſequentes, alio loco ſuperius ediſſertum eſt. Hoc tantùm addendum, quòd etſi probabile ſit nonnullos ex his, qui in Chriſtum credebant, cruci adſtitiſſe tractos à Chriſto, quò teſtes eſſent mortis ſuæ ex tanta charitate ſuſceptæ, & ſignorum, quæ in ea facta ſunt: de mulieribus tamen, non autem de illis Euangeliſtas feciſſe mentionem, quòd illæ feruentiori ſpiritu præditæ, & maiori fide cumulatæ mortem Chriſti acerbiùs tulerint. Porrò in homine iuſtificando ſigna illa, quę in cruce acciderunt, debent concurrere. Primò enim debet Sol nobis obſcurari, vt mundana hæc omnia nobis diſpareant, atque ex oculis remoueantur, & hoc eſt tenebras fieri, quando iam mundana ſplendorem ac lucem non habent in oculis noſtris, & aſpirantes ad æterna, illis valedicimus, ſolo Chriſto contenti. Secundò, interna omnia oportet reuelari peccata, & propriam agnoſcere fœditatem, quæ ſub velo ignorantiæ deliteſcebat: velum etiam in proximum tollendum, vt amicis oculis illum, quem antea limis & inuidis videbamus, cernamus. Tertiò contremiſcendum eſt prę timore diuinorum iudiciorum: quia qui ſine timore eſt, non poterit iuſtificari. Formidandum quoque à grauitate, & turpitudine peccatorum, atque hoc eſt terram moueri: quia nemo timet, nec mouetur in conſcientia, niſi peccatum videat. Quartò ſequitur ſciſſio petrarum, id eſt, contritio, odium, & diſplicentia peccati: ita vt qui prius petra fuerat propter duritiem cordis, & indolētiam, iam det aquas lacrymarum. Quintò ſepulchra ad peccatorum confeſſionem coram Sacerdote aperiri oportet, vt fœtor peccatorum exhaletur. Sextò, oportet exire per abſolutionem, & venire in ciuitatem Hieruſalem, eique vita ſpirituali conciliari: quod eſt corpora Sanctorum reſurgere, meritaque bonorum operum per peccatum mortificata rurſus per pœnitentiam reuiuiſcere. Ad extremūm ore, & opere teſtari, quòd hic eſt iuſtus, & Filius Dei, indignuſque morte, nos autem dignos omni plaga, & percuſſione proteſtari. Qua ratione immenſos meritorum paſſionis Chriſti theſauros nobis comparabimus, & æternam vitam conſequemur: in qua perennes laudes, ac gratiarum actiones, & immortales Patri, & Filio, & Spiritui ſancto decantabimus in ſeculis ſempiternis Amen.

Matt. 26. Iudæi & Gentes qui ſtabant a Chriſti ſpectaculo percutientes pectora ſua. *Luc. 8*

De mulieribus ſolis aſtantibus Dominicæ cruci, cur Euangeliſtæ non meminerint.

In homine iuſtificando quæ ſigna concurrere debeant.

Secundum ſignum.

Tertium ſignum.

Eccleſ. 1.

Quartum ſignum.

Quintum ſignum.

Sextum ſignum.

Septimum ſignum.

TRACTATVS LXVII.

De apertione lateris Chriſti iam mortui, in illa verba: *Iudæi ergo (quoniam Paraſceue erat) vt nō remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus ille dies Sabbati) rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eū iam mortuum, non frēgerunt eius crura; ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua, &c.* Ioan. 19.

PRÆSENS hiſtoria ſingularis eſt planè, ac mirabilis, & ad Chriſti mortui gloriam commendandam aperta, atque adeò à ſolo Ioanne dilecto enarrata, vt amatus, & amans diſcipulus vulnus, quod ad amorem noſtrum exculpendum, valet plurimum, deſcriberet, & poſtremus Euangeliſta vulnus poſtremo loco inflictum ſcripto commendaret. Hinc meritò reprehendendi ſunt illi textus Græci, qui apud Matthæum poſt illud verbum; *Sine, videamus an veniat Helias liberans eum*, hoc eſt, duo codices inſcripti ς. & η. apud Robertum Stephanum habent: ἄλλος δὲ λαβὼν λόγχην ἔνυξεν πλευρὰν καὶ ἐξῆλθεν ὕδωρ καὶ αἷμα. Hoc eſt: Alius autem accipiens lanceam, aperuit coſtam ſiue latus eius, & exiuit aqua & ſanguis. Et ſtatim ſequitur: *Ieſus autem clamans voce magna emiſit ſpiritum.* Ita legit Chryſoſtomus in Matthæum, quam lectionem quidam incertus Cornelij Agrippæ Scholiaſtes conſectatur, ad deteſtandi erroris confirmationem, quem prædictus Cornelius in libro de Vanitate ſcientiarum vehementer impugnat, aſſerens errafſe Matthæum Euangeliſtam, quòd dixerit Chriſtum lancea percuſſum antequam expiraret, contra Ioannis autoritatem, qui eum poſt mor-

Cur ſolus Ioannes Dominici lateris lancea percuſſi meminerit.

Matth. 27. Duorum Gręcorum codicū lectio huius loci deprauata reijcitur.

Chryſ. hom. 89 in Matt. to. 2.

Cornelius Agrippa lib. de Vanitate ſcientiarum. c. 100.

tem lancea perfoſſum narrauit. Sed profectò hac videtur Chryſoſtomi lectione abuſus fuiſſe. Cuius rei duo ſunt argumenta: alterum, quòd hæc lectio nuſquam reperiatur apud Matthæum, neque in codicibus Græcis, neque Latinis, imò neque in commentarijs veterum Patrum: alterum eſt, quòd ipſemet Chryſoſtomus eodem loco aſſeuerat corporis Chriſti exanimati latus fuiſſe vulneratum; atque idipſum repetit ſcribens in Ioannem. In Nicodemi quoque Euangelio poſt primum verbum Chriſti in cruce, & ante ſecundum, quod dixit latroni, habetur: *Accipiens autem Lōginus miles lanceam, aperuit latus eius, & continuò exiuit ſanguis & aqua.* Sed hanc Nicodemi, ſicut & illorũ Græcorum codicum lectionem credimus fuiſſe vitiatã: quis porrò fuerit autor huius corruptionis, non ſatis conſtat. Niſi quòd quidam Petrus Ioannes Minorita, vt teſtatur Guido Carmelita, Helnēſis Epiſcopus, libro aduerſus hæreſes, hunc errorem ſtulto zelo excogitauit, cùm paſſionē, & mortem Chriſti pro cōcione enarraret: finxitq; Chriſtum adhuc viuentem lãcea vulneratum, vt ex amplificatione dolorum Chriſti, populũ magis, ac magis ad miſericordiam ac fletum concitaret. Quem errorem cùm ſemel prolatum tueri vellet, damnatus eſt à Clemente V. in concilio Viennenſi, Titulo de ſumma Trinitate & fide Catholica, his verbis: *Nos igitur ad tam præclarum teſtimonium, ac ſanctorum Patrum & Doctorum communem ſententiam, Apoſtolicæ conſiderationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) aciem cōuertentes; ſacro approbante Concilio, declaramus, prædictum Apoſtolum & Euangeliſtam Ioannem rectum in præmiſſis factæ rei ordinem tenuiſſe, narrando, quod Chriſto iam mortuo vnus militũ lancea latus eius aperuit.* Hæc ibi. Deinde accedamus ad exponenda verba Ioannis Euangeliſtæ, qui ait: *Iudæi ergo (quoniam Paraſceue erat)* In qua præparabantur cibi pro Sabbato ſequenti, in qua quia incidebat Paſcha, & erat annus Iubilei Iudæorum, meritò dicitur quòd erat magnus dies ille Sabbati: vt quando apud nos Natiuitas Chriſti, vel Incarnatio incidit in Dominicam diem. Ideò apud Marcum dicitur Paraſceue, quod eſt, Anteſabbatum, & Lucas ait: *Et dies erat Paraſceues, & Sabbatum illuceſcebat.* Et vt intelligas fuiſſe quoque diem Paſchę, ait ſuperiùs Ioannes: *Erat autem Paraſceue Paſchæ, hora quaſi ſexta.* Sed de his alio loco ſuperius ſatis eſt diſputatum.

Chryſ. ibid.
Idem ho. 84. in Ioan. to. 3.
Euangelium Nicodemi.
Eiuſmodi deprauatæ lectionis occaſio.
Petrus Ioannes Minorita Guido Carmelita.
De ſumma Trinit. & fidem Cathol. tit. 1. c. 1.
Paraſceue quid apud Iudæos. Dies Sabbati cur magnus dicitur ab Euang.
Marc. 15.
Luc. 23.
Ioan. 19.
Lib. 8.

Vt non remanerent in cruce corpora Sabbato. Non ait: Propter ſigna in morte Ieſu; quia illi qui obdurauerant animas ſuas vt non crederēt, nihil honoris Ieſu gratia faciebãt.

Cur Iudæi corpus Ieſu (vt etiam aliorũ) cruce depoſuerint.

Ideò hanc rationem non immeritò Euangeliſta adiungit: *Vt nō remanerent in cruce corpora Sabbato* Paſchali: putabant enim iſti Feſti ſolennitatem tali cōſpectu de honeſtandam ac funeſtandã, cùm expreſſo legis pręcepto cautum ſit, vt eodem die corpora patibulo crucis ſuſpenſa tollantur. Sic enim in lib. Deut. ſtatuitur: *Quando peccauerit homo quod morte plectendum eſt: & adiudicatus morti appenſus fuerit in patibulo: nō permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur: quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in poſſeſſionem.* Hæc ibi. Vbi expende, quòd etiam cruci ſuffixus dicitur ſuſpendi in ligno, & vocatur à Deo maledictus, id eſt, Satis punitus eſt per iudices ille, qui mortu⁹ eſt pro maledicto culpę, & execrabilis factus, vt ne eorum quidē cadauera ſupereſſe in pęnam digni ſint: vt conſtat de his qui flammis abſumuntur quod nō tantùm ob ſolam pœnæ acerbitatē, ſed etiam ob omnimodam dilectionem fit. Cōtaminat cadauer terram, quia inficit aërem, & ſæpè à canibus, & vulturib. voratur: modò verò apud Chriſtianos cadauera patibulo ſuſpenſa, dimittũtur ad maiorem terrorem incutiendum. Atq; adeò hæc lex præcipuè propter Dominum crucifigēdum facta eſt, vt eodem die tolleretur de cruce. Quòd ſi opponas, cadauera nonnunquam ad pœnę augmentum in patibulo relicta, vt legimus de cadaueribus filiorũ Saül, qui in cruce pependerunt vſq; ad pluuiam. At illud diuina autoritate factũ eſt, vt vſq; ad pluuiam, quę ſignũ eſt diuinæ clemētiæ, manerent affixa cadauera ad expiandam pœnã penuriæ annonæ, quæ ex defectu pluuiæ acciderat per trienniũ. Erat quoq; pręceptum, vt damnatus cũ ipſo ligno, quo ſuſpēſus eſt, ſepeliretur ſecundùm Gloſſam Hebræorum, præcepto affirmatiuo 103. Sed hoc non fecit Nicodemus; quare Chriſti & latronum cruces ſub terra conditæ inuentæ ſunt ab Helena Conſtantini matre, vt tradunt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Sed vt ad rē redeamus, populus Iudæorum, & Pontifices omnia per hypocriſin faciebant: ita nolunt corpora Sabbato in cruce pendere, non quò legi parērent, ſed quia indecorum videbatur, & populis ingratum, ſibique periculoſum, ſi remanerent in cruce. Nam metu, & pudore ſuffuſi, ſicut viſis quæ geſta erãt, reſipuerunt multi, vt Centurio cum ſuis, & turbæ quæ reuertebantur percutientes pectora ſua; dubitabãt ſeditionem aliquam in populo facilè oriri poſſe, qua tam ipſi, quàm ſua periclitarentur: ideò maturant abſcondēda eſſe corpora. Hinc Cyrillus in Ioannē

Deut. 21.
Galat. 3.
Quid ſignificet: Maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno.
Contaminet cadauer terram quomodo Chriſtianorũ præpoſteri moris quæ cauſa.
2. Reg. 21.
Ea lex diuina, cruce cadauera deponendi, cur olim interdum neglecta fuerit.
Gloſſa Hebræorum.
Euſeb. lib. Eccle. hiſt. 10. c. 8. 10. 1. & in Chron. to. 2. Hiſt. trip. lib. 2. c. 8. Niceph. li. 8. c. 29.
Cur Iudæi à Pilato poſtulãrint latronũ crura confringi, ac tolli de cruce.
Matt. 27.
Luc. 23.
Cyril. libr. 12 in Ioan. cap. 38. tom. 1.

hanc

Matth. 23. Quemadmodum Iudæi excolarent culicem, camelũ autem deglutirent teſte Cyrillo.

hanc ſententiam confirmat his verbis: *Non religione id à Iudæis factum eſt, ſed quia (vt conſueuerant) excolabant culicem, & camelum glutiebant. Maxima enim delicta temerariè ſuſcipiebant, & de minimis erant curioſi: quod in eodem patuit die. Nam Chriſtum occidere non dubitarunt, & Sabbati honorem illius in re minima conſeruare ſtudebant. Autorem legis interemerunt, & legem ſeruare fingebant. Honorant magnum illius Sabbati diem, qui magni diei Dominum crucifixerunt.* Hactenus ille.

Matth. 12.

Iudæi Pilatum corrogauerint damnatorum vt corpora frangerentur, de cruceque tollerentur.

Rogauerunt Pilatum vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Duo hîc expendenda; alterum, quòd rogauerunt Pilatum, quia circa damnatorum corpora nihil poterat agere abſque Præſidis conſenſu. Qui fortè iam mortis Chriſti pœnitentia tactus erat, nam erat tam ignarus, vt nõ agnoſceret inſolitas tenebras, & horrendum terræmotum, atque alia ſigna, maximè quia Centurionem audierat magna fide de morte, & ſignis Chriſti diſſerentem. Alterum eſt, quod petierunt frangi crura eorum, qui cruci affixi erant, nam crurifragium etiam more Romanorum erat, quo illi vtebãtur, quò citius cruci ſuffixi morerentur; aut ſi fortè diſſimulata morte viui deponerentur de cruce, aufugere ſaltem cruribus effractis non poſſent. Hinc Cicero de quodam Planco cruci ſuffixo, ac cruribus fracto, ait: *Illud tamen verũ eſt, quòd in hoc Planco prouerbij loco dici ſolet, perire eum nõ poſſe, niſi ei crura fracta eſſent: fracta ſunt, & viuit.* Hæc ille.

Romani cur damnatorum corpora ſolerent confringere.

Cicero Phil 3.

Et primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus eſt cum eo. Milites Romani voluntati Iudæorum obſequentes, illorũ crura confregerunt. Et primum quidem aggreſſi ſunt latronem, qui à dextris aſſidebat, qui primus occurrit. Cui eximium & inſigne beneficium contulerunt Romani: nam cùm iam in Chriſtũ crederet, & eum publicè eſſet confeſſus, hæc pœna patienter, & cum fide tolerata, magnũ ei meritum accerſiuit apud Deum. Deinde effractis cruribus, fecerunt eum feſtinantius currere, & ad Paradiſum illi promiſſum citius peruenire. Vnde omni pœna, & martyrio crucis liberatus, ad verum Sabbatum, & quietem, quæ Chriſtus eſt, & qui præceſſerat parare ei locum, & quem cum magno gaudio expectabat, tandem acceſſit: vt ſicut fuerat conſors Chriſti in morte ita fieret & in regno.

Quid profuerit priori latroni, bono videlicet, crurum effractio, e cruceque depoſitio.

Luc. 23. Chriſtus verũ Sabbatum & quis eſt.

Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. Diligenter videntur inſpexiſſe, ac plenè nouiſſe illum expiraſſe; nam imaginem potius mortui, quàm viuentis gerebat: alij verò latrones adhuc viuere ſe indicabant.

Sed vnus militum lancea latus eius aperuit. Quis fuerit hic miles, Euangelium non aperuit; at Euangelium Nicodemi, vt ſuperius vidimus, Longinum vocat, & ita appellat eum Auguſtinus in Manuali. Georgius verò Vicelius ex quorundam ſententia refert ſic eſſe dictum Longinum, à voce Græca, λόγχη, quæ ſignificat haſtam, ſiue lanceam, ab ictu lanceæ, quo Dominum petiuit. De quo hoc refert primò Gregor. in Tragœdia de Chriſto patiente longè ante medium:

Quis ille fuerit miles, qui lancea latus Domini aperuit.

Euang. Nicodemi

Aug. in Manuali, c. 23. tom 9. à medio.

Georgius Vicelius.

Longinus vnde dictus.

Gregor. Naz.

Vbi, inquit, *fixit haſtam defluentis ſanguinis*
Tinctam liquore: & ecce vt vtrãq; è manu
Haurit, oculosq; hoc vngit, hinc vt ſcilicet
Detergat oculum nocte qua cæca obtegit.

Et Mantuanus libro feſtorum dierum ſic habet de Longino Martyre.

Mantuan.

Tu cæcus non mente minus quàm corpore, ſanctum
Lancea, & admoto pectus mucrone petiſti.
Inde cruor confuſus aquis hoſtilia circum
In digitos lapſus tetigit cùm lumina morbum
Suſtulit: iſta Deus collyria miſit: vt atram
Ex animo, ex oculis fugiens Aoraſia nubem
Secum ageret; vitamq; daret te cernere fontem.

Deinde Iſidorus: *Longinus latus Saluatoris aperuit, & tactu ſanguinis Chriſti, cùm eſſet altero oculo priuatus, illuminatus eſt extra, & intus lumine fidei, & per Apoſtolos baptizatus fuit: & poſt longum tempus in eremo, Epiſcopatus honorem, & martyrij coronam inuenit.* Hæc ille. Cuius lanceæ ferrum Romæ ſumma religione apud templum Diui Petri ſpectandum fidelib⁹ proponitur, ac venerandum. Voluit ergo certior fieri, an Chriſtus verè eſſet mortuus. Voluit & Deus vt implerentur Scripturæ, quòd poſſet ad formandam Eccleſiam, aquam, & ſanguinem emittere.

Iſid. Hiſpal.

Lanceæ ferrũ quo perfoſſum eſt Domini latus vbi aſſeruetur.

Sed quid eſt quod Filius Dei tormentis in vita toleratis nõ contentus, voluit etiam poſt mortem vulnera accipere? Dicendum eſt, magnis id de cauſis contigiſſe. Voluit enim poſt mortẽ vulnus lateris accipere, & non ante, ne videretur, vi tormentorum victus exhalaſſe animam: quare cùm nõ haberet vllũ vulnus lethale (vt quidam Catholici viri tradunt) ante tempus morti conueniens (ita vt miraretur Pilatus) extinctus eſt, vt videretur quod oblatus eſt quia ipſe voluit, & quod habebat poteſtatẽ ponendi animam ſuam. Deinde vulnus illud morte præuenit: ne, vt cæteris latronibus, ita ſibi crura frangerentur. Tertiò, vt innoteſceret noſtra immanitas, & ſæuitia, qui etiam in mortuum ſæuimus; cùm tamen Leo non modò mortuo, ſed etiam homini proſtrato generosè parcere ſoleat. Exaggerat

Quare Chriſtus poſt mortem ſibi latus aperiri voluerit.

I. Ratio.

Matth. 27. *Eſai. 53.* *Actor. 8.* *Ioan. 10.*

II. Ratio.

III. Ratio.

Generoſitas Leonis.

B. Chryſoſt. in Ioan. hom. 34. tom 3.
Illudere mortuo, quàm ipſum crucis ſupplicium lõge peius eſt, teſte Chryſoſt.

gerat hoc B. Chryſoſtomus in Ioannem, dicens: *Illudere mortuo, quàm ipſum crucu ſupplicium, longè peius eſt:* Quartò, pœna fuit conueniens hæc lateris plaga, quam tulit Chriſtus pro nobis ad deſignanda delicta noſtra. Nos enim etſi impediti ſimus in omnibus membris noſtris, corde tamen peccamus, quod infectum, omnia noſtra

IV. Ratio.

opera inficit. Nam ita Dominus dixit: *De corde exeunt cogitationes malæ.* Quaſi diceret

Matth. 15.

miles Domino: Non ſatis eſt toto corpore vulnerari, ad profundũ cor perueniendum eſt, & illud aperiendum, vt detegantur ſecreta tua, tam occulta, vt cerni nequeant; & tam magna, vt ad ea expianda nec mors

V. Ratio.

ipſa ſit ſatis. Quintò, declarauit hoc vulnere, poſt mortẽ velle ſe ſoluere pœnas æternas, quas nos poſt mortem temporalem meremur, atque illas perhorreſcimus, de

Supra 10.

quibus Dominus dixit: Timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam: quam Chriſtus clementer vel remittit, vel mutat in pœnam temporalem.

VI. Ratio.
Vulnus Chriſto mortuo illatum quid ſignificet.

Sextò, ſignificat hoc vulnus mortuo illatũ, ictus, & tormẽta quæ Chriſtus in membris ſuſtinet vſque ad finem ſeculi, vnde illud: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* &, *Qui tetigerit vos tangit pupillam oculi mei*; & Apoſtolus teſtatur, peccantes in fratres, in Chriſtum peccare. Sed ipſe emittit ſanguinem, & aquam in ſalutem percutientium, ſi per eos

Actor. 9.
Zachar. 2.
1. Cor. 8.

VII. Ratio.

non ſteterit. Septimò, cor Chriſti examinatum in omnibus dictis, & factis vitæ ſuæ, ſemper inuentum eſt plenum bonis fructibus: at poſt mortem percuſſum porrigit medicinam malis noſtris, ſemperque illud cor generoſum in bono vincit malum noſtrum. Cor autem noſtrum, quia mali ſumus, ſi repentino aliquo malo tangatur, ſtatim ſe prodit quanta ſit infectione plenum, quantaque impatientia, ac de Deo diffidẽtia refertum. Ac cùm diu dubitatum ſit à Philoſophis, & medicis, vbinam anima ſiue hominis, ſiue animalis domicilium habeat, & in diuerſas itum ſit ſententias: nam quidam tradunt illam eſſe in ſanguine, cui videtur fauere illud Scripturæ dictum; *Anima carnis in ſanguine eſt*; alij verò in corde, vt Ariſtoteles; alij rurſus in cerebro; quam ſententiam amplexus eſt Galenus. Iudæi, qui in vanum quæſierunt Chriſti animam, fuderunt Chriſti ſanguinem per flagella, ſentibus acutiſſimis caput pupugerunt, denique lancea latus ſiue cor eius aperuerunt. Vnde B. Brigitta in libris ſuarum Reuelationum: *Et ſic ſtantibus turbis in circuitu, venit vnus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in eius latere dextro, tam vehementer & validè quòd quaſi per aliam partem corporis*

Cordis noſtri ægritudo atque imbecillitas vnde pernoteſcat.

Hominis ſiue bruti anima in corpore vbi ſedem habeat, variæ ſententiæ Philoſophorum.

Leuit. 17.

Ariſt lib 3. de part. c. 4.
Galen. lib 5. de Placitis.
Pſalm. 62.

B. Brigitta lib 7 cap. 15. prope finem.

lancea voluit pertranſire. Alibi quoque ſic habet: *In corde punctus erat tam amarè & immiſericorditer, quod pungens non deſtitit, donec lancea attigit coſtam, & ambæ partes cordis eſſent in lancea.* Hæc illa. Canitur autem ab Eccleſia in Hymno, *Mucrone diro lancea*, crudelem notans, ac ſæuum illum ictum, cum tamen dulces clauos vocet, dulce lignum, ac dulce pondus: quia in mortuum ſæuijt lancea: cætera omnia tormenta viuenti irrogata ſunt Chriſto: non dixit; Aperuerat, ne cogitares viuenti Chriſto latus apertum; ſed, Aperuit, ſcilicet mortuo. Præterea hæc lancea, fidelium, qui aſſiſtebant, corda penetrauit, maximè verò ſanctiſſimæ matris. Latus verò, quod à latendo dicitur, quòd infra alam tam dexteram, quàm ſiniſtram ſitum ſit, de vtroque tam dextero, quàm ſiniſtro vſurpari ſolet. Vnde de ſiniſtro ait Poëta: *Laterique Argiuum accommodat enſem*: ita Dauid: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Hîc tamen accipitur pro dextero latere: tùm quia ſimpliciter dicitur Latus hîc, & paulò inferius; & ideò pro excellentiori capi debet; tùm quia ſic capitur alibi, ait enim Eſaias: *Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis*, id eſt, Ad dextram tanquam Meſſias. Et in huius rei figuram, Ezechielis verba Eccleſia legit de hoc myſterio: Aquæ autem deſcendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris. Et infra: *Ecce aquæ redundantes à latere dextro.* Et in Leuitico dicitur: *Immolabitque ad latus altaris, quod reſpicit ad Aquilonem.* Vt interim omittam Doctores illud atteſtantes, & pictores. Et ad literam ſiniſtrum Chriſti latus reſpiciebat in cruce ad Aquilonem, & latronem dexteræ manus: & vt nos Ieſum crucifixum amplexantes, cor noſtrum in ſiniſtro latere ſitum occurrat vulneri lateris, quod eſt porta Paradiſi. Bernardus in Cantica *Dextrum*, inquit, *mihi latus effodi permiſit, vt à dextera in dexteram tranſeamus.* Vincentius in ſermone de Paſſione ex Alexandri Halenſis doctrina, ſtatuit vulnus lateris Chriſti non fuiſſe inter oſſa pectoris, ſiue inter coſtas, vt communiter pingi ſolet, cùm ſine oſſium diminutione non poſſet lancea penetrare, ſed inter mollem carnem; quæ eſt inter oſſa femoris & pectoris: & ſic ſurſum aſcendit vſque ad cor, quod penetrauit. Gregorius Nazianzenus in Chriſto patiente teſtatur, latus dextrum fuiſſe lancea percuſſum & apertum. Ponderat beatus Auguſtinus ſuper Ioannem, illud verbum; Aperuit: *Vigilanti*, inquit, *verbo Euangeliſta vſus eſt, vt non diceret, Latus eius percuſſit, aut vulnerauit, aut quid aliud, ſed, Aperuit, vt illic*

Lib. 1. c. 21 initio.

Sæua cur lancea Chriſti quæ latus pupugit, ab Eccleſia nominetur.

Latus vnde dicatur.

Virg. lib. 2. Æneid.
Pſalm. 90.

Dextrum an ſiniſtrum Domini latus fuerit apertũ à milite.

Ioan. 20.

Eſai. 14.

Ezech. 47.

Leuit. 1.

Vnde etiam cõiter dextrũ Chriſti latus fuiſſe perfoſſum.

Bern. ſer. 30. in Cant.
Myſtica porta paradiſi.
S. Vincent.
Alexander. Halenſis.
Vulnus lateris Chriſti vbi ſitum fuerit.

Gregor. Naz.

Aug. ſerm. 120. in Ioan. init. tom 10.
Latus Chriſti cur apertũ, n[...]

quodam-

[...]ſum fuiſ[...] [...]at Euan[...]

Gen. 6.

quodammodo vitæ oſtium panderetur, vnde Sacramenta Eccleſiæ manauerunt, ſine quibus ad vitam, quæ vera vita eſt, non intratur. Et infra; *Hoc prænuntiabat, quòd Noë in latere arcæ oſtium facere iuſſus eſt, qua intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur Eccleſia. Propter hoc prima mulier facta eſt de latere viri dormientis, & appellata eſt vita, materq; viuorum. Magnum quippe ſignificauit bonum ante magnum præuaricationis malum. In habitu tacentis, & dormientis hic ſecundus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, & vnde ei formaretur coniux, quod de latere dormientis effluxit. O mors vnde mortui reuiuiſcunt! Quid iſto ſanguine mundius? Quid vulnere iſto ſalubrius?* Hæc Auguſtinus.

Chriſti lateris aperio vbi delineata.

Geneſ. 2.

Infr. 8.

Quid lateris Chriſti apertio nos doceat.

Hæc apertio lateris Chriſtum à nobis eſſe guſtandum docet, amoremque eius, & dulcedinem, quaſi cõdimentum cum voluptate percipiendum. Eſt enim Ieſus verus agnus, igne veri amoris, ac doloris in cruce aſſus. Soletque coquus ictu gladij explorare an caro ſit rubra an alba, & conſequenter ſatis decocta. Et ſatis profectò mortuum animæ palatum habet, qui Chriſtum pro ſe crucifixum non deguſtat. Deinde ſignificat, cor Chriſti noſtri amoris cauſa fuiſſe confixum: quemadmodum pater patratus olim miſſus ad tractandum ea, quæ pacis ſunt, lanceæ cuſpidem geſtabat cõtra ſeipſum, partem ligneã, & ferro deſtitutam contra alios. Poteſtque Chriſtus dicere ad Eccleſiam: *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa.* Quidã de Deo, ac natura conqueſti ſunt, quòd feneſtram cordi perinde, atq; linguæ non tribuerit: quia ſæpè aliter lingua loquitur, quàm cor præſcribat eſſe loquendũ. Verùm hoc magna prouidentia factũ eſt; ne quiſquã furtiuè ab altero corda prædetur; & quia ſeipſum alteri donare, ipſi ſoli cõuenit, vnde Deus ad hominem dicit: *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Tamen Dominus quò certos nos redderet, quòd non ſolùm lingua, & factis, ſed etiam ex corde diligeret, permiſit ſibi cor aperiri.

Ioann. 1.

Exemplum.

Cur myſticè perijt palatũ.

Patris patrati officium apud Romanos.

Cant. 4.

Quare Deus & natura feneſtram cordi perinde atque linguæ non tribuerit, vt quidam conqueſti ſunt.

Prouer. 23.

Tertiò ſignificat hæc apertio, paradiſi ianuam Adæ peccato clauſam, Chriſti morte eſſe reſerandam. Dicebat enim Chriſtus: *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur*; perinde ac ſi porta arcæ Noë in latere poſita, qua intrant iuſti, tanquam animalia, à diluuio peccati, & mundi ſalui fiunt. Eſt porta aurea, & ſpatioſa templi, apud quam mendicantes, vt claudus à Petro ſanatus, diteſcunt, & impetrant omnia. Eſt arcta porta, & anguſta, quæ ducit ad vitã, per quam ſarcina mundi, & peccatorum onuſti nequaquam ingrediuntur, Eſt porta Domini illa Dauidis: *Iuſti intrabunt in eam.* Adhæc intelligimus nouam generationem factã hominũ per hoc Chriſti vulnus. Nam Ieſus ſua morte homines viuificat, non ſecùs atque Pelicanus, qui ſanguine pectoris roſtro ſuo percuſſo, pullos ſuos ad vitam reuocat: & de Domino intelligi poteſt illud: *Similis factus ſum Pelicano ſolitudinis.* Et interdum contingit, vt matre extincta propter infantem, quem in vtero habet, aperiatur eius vterus, quò infans viuat in morte matris.

Vulnus etiam lateris Chriſti vbi fuerit adumbratum.

Ioann. 10.

Geneſ. 6.

Actor. 3.

Matth. 7.

Pſalm. 117.

Chriſtus Pelicano ſimilis.

Pſalm. 101.

Et continuò exiuit ſanguis, & aqua. Vt conſtaret per pèccatum occiſionis Chriſti, non eſſe extinctam in ipſo charitatem, & amorem erga nos. Tria ſimul in hoc edita etiam ſigna licet colligere. Primùm, quòd de corpore mortuo exiuit ſanguis: ſecundum, quia exiuit vera aqua. Conſtat enim diſcedente anima, omnes humores corporis cõgelari, ac proinde cadauera vulnerata nullum ex ſe mittere humorẽ. Tertiũ eſt, quòd vt piè creditur, Longinus miles illuminatus à Deo in Ieſum credidit. Probat ex his verbis Innocentius III. in tit. de celebratione Miſſarum, cap. in quadam, Chriſtum verum hominem fuiſſe, non autem phantaſticum, vt Manichæi aſſerebant. Nam, vt ait Ioannes, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo,* ſcilicet de diuinitate, *Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant de terra,* de vera ſcilicet humanitate; *Spiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres vnum ſunt,* vel in vnum ſunt. Aqua verò & ſanguis facto vulnere profluxerunt. De ſpiritu dicitur; quòd inclinato capite tradidit ſpiritum, dicendo: *In manus tuas commendo ſpiritum meum,* id eſt, animam ratione præditam. Per hoc autem, quòd vnus militum lancea latus eius aperuit, probatur, quòd Chriſtus verum corpus habuerit, quia de Phantaſtico corpore non exiſſet ſanguis, vel aqua: vnde ille qui vidit, teſtimonium perhibuit, quia Chriſtus ſit verus homo, ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens. Nam ſpiritum emiſit vitalẽ, & rationalis anima nõ poſſet viuificare, niſi corpus humanũ, ex quibus duob. verus homo cõſiſtit. Et ſicut fuit verus ſpiritus, & verus ſanguis, ita procul dubio fuit vera aqua, cùm Chriſtus ſit veritas, & à veritate omnis fallacia penitus ſit aliena. Nam ſi nõ fuiſſet aqua, ſed phlegma, quod de latere Saluatoris exiuit, ille qui vidit, & teſtimoniũ veritati perhibuit, profectò non aquã, ſed phlegma dixiſſet. Nec in hoc verũ regenerationis ſacramentum fuiſſet oſtenſum, cùm per ſacramentum baptiſmi non regeneremur in phlegmate, ſed in aqua: neque per hoc poſſet vero argumẽto probari, quod in Sacramẽto Euchariſtiæ admiſcẽda ſit aqua vino, ſi de latere Chriſti non aqua, ſed phlegma

Cur ex latere Chriſti exiuit ſanguis, & aqua.

Quæ tria in eo miracula ſint facta.

Innoc. III.

1. Ioann. 5.

Luc. 23.

Verum corpus Chriſtum habuiſſe.

Ioan. 19.

Athanaſ. in ſymbolo.

Ioan. 14.

Quod vera illa aqua fuerit, quę de Domini latere fluxit.

Elegans vulneris Christi in latere figura.

cum ſanguine profluxiſſet. Sed nec vera fuiſſet figura, quæ ſuper hac re præceſſit in Veteri Teſtamento, quando Moſes virga percuſſit ſilicem, & ex ea non phlegma, ſed aqua emanauit. Reſtat igitur, vt qualiſcunque fuerit illa aqua, ſiue naturalis, ſiue prodigioſa, ſiue denuò diuina virtute creata, ſiue de componentibus ex parte aliqua reſoluta, proculdubio vera fuit, vt naturaliter poſſit & compoſitum in componentia, & elementatum in elementa reſolui: quemadmodum verus extitit ſudor ipſius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Cùm autem ad compoſitionem humani corporis quatuor elementa concurrant, videlicet terra, aqua, aër, & ignis, & ad vegetationem eiuſdem corporis quatuor humores conſimiles illis conueniant, videlicet ſanguis, cholera, phlegma, & melancholia: vt veritatem humani corporis expreſſiùs demonſtraret, vnum ex illis, & vnum ex iſtis Ioannes expreſſit, illa quæ potiùs ex illis, & ex iſtis, quæ magis myſterio congruebant, ex elementis aquam, & ex humoribus ſanguinem: in quibus duobus duo maximè ſacramenta, redemptionis videlicet, & regenerationis elucent. Hæc omnia ex Innocentio produximus: quę confirmantur autoritate B. Thomæ, qui in tertia parte ita philoſophatur: *Aqua fluens de latere Chriſti pendentis in Cruce, non fuit humor phlegmaticus, vt quidam dixerunt. In tali enim humore non poſſet fieri Baptiſmus: ſicut nec in ſanguine animalis, aut in vino, aut quocunque liquore alicuius plantæ. Fuit autem aqua pura miraculoſe egrediens à corpore mortuo, ſicut & ſanguis, ad comprobandam veritatem Dominici corporis, contra Manichæum errorem; vt ſcilicet per aquam (quæ eſt vnum quatuor elementorum) oſtenderetur corpus Chriſti verè fuiſſe compoſitum ex quatuor elementis; per ſanguinem verò oſtenderetur eſſe compoſitum ex quatuor humoribus.* Hæc ille: qui iterum eadem repetit in alia quæſtione eiuſdem tertiæ partis. Ex quibus colligimus, quòd verus fuit ille ſanguis, & vera aqua, ad veritatem humani corporis comprobandam: deinde miraculo profluxiſſe, quia non eſt naturale cadaueri habere ſanguinem, vel aquam, vt docet B. Thomas. Quanquam Pontifex Innocentius non auſus fuerit definire. Sed vt ſanguis cum ſudore emiſſus in horto, miraculo fuit tribuendus, ita iſte poſt mortem. Ad quod indicandum, Euangeliſta quaſi narraret rem nouam, & inſolitam, ſubiunxit: *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius*, quæ de re naturali & conſueta non dixiſſet Ioannes. Quintò perpende, quod ſcribit Nicephorus Calliſtus in Hiſtoria Eccleſiaſtica: *Et corpus mortuum*, inquit, *aliquamdiu ita pendebat; cùm ex militibus quidam, Iudæorum genti gratificaturus, latus eius lancea perforat: ex quo vulnere ſanguis & aqua, præter opinionem omnem profluxit. Cùm verò metu homicidarum omnes profugiſſent, ſola ibi aderat mater, & quem diligebat, diſcipulus, qui omnia, quæ vel ante, vel poſt mortem eius geſta eſſent, oculis ipſi ſuis expectarunt: ſanguinemque, & aquam è latere eius, quaſi adhuc viuentis, recens profluentem, religioſè ſimul, & honorificè admodum vaſculo exceperunt.* Hæc ille: quæ ſi vera ſunt, vt certè eſſe poſſunt (& exemplis Martyrum confirmari poſſunt: nam B. Potentiana Martyrum ſanguinem religioſè colligebat, & ſeruabat: & B. Ianuarij ſanguinem collegit fœmina quædam deuota, qui hodie in inclyta Neapolis vrbe ſpectandus omnibus, & venerandus proponitur: qui capiti eiuſdem Martyris vbi coniungitur, non ſine nouo miraculo ex arido, & terreo liquidus, & fluidus, & interdum bulliens cernitur. Quibus addi poteſt, Domini particulam aliquam Ieſu ſanguinis inſtrumentis Dominicæ paſſionis hæſiſſe in hodiernum vſque diem, vt columnę, cui alligatus eſt ad flagellationem, cruci, clauis, & ferro lanceæ, & quod ipſe ſtupendo quodam ſigno ſanguinem ſuum pretioſum ſub ſpecie vini in Euchariſtiæ myſterio ad ſalutem noſtram promouendam aſſeruauit.) Quæ, inquam, ſi vera ſunt, vt certè eſſe poſſunt, cùm nihil Euangelicis dictis repugnent, docent nos, vt magna religione ſanguinem illum, & aquam in vaſculo cordis noſtri recondamus, atque honorificè de illo ſentiamus: in quo medicina omnium peccatorum, & vitæ æternæ arrha conſiſtit. Cyrillus Hieroſolymitan. Cateche. 13. *Lignum*, inquit, *Moyſis tempore dulcem effecit aquam: & de Chriſti latere aqua effuſa fluxit in ligno. Initium ſignorum tempore Moſis ſanguis, & aqua: & vltimum Ieſu ſignorum hoc idem.* Quartò aduerte, mixturam aquæ cum ſanguine, obſeruatam fuiſſe à Domino in circuncisione, in horto, & in flagellatione, & in Cruce, ante, & poſt mortem. Emiſit autem ſanguinem, & aquam, in ſignum duorum Sacramentorum, Baptiſmi, in quo aqua tingimur, & Euchariſtiæ, in quo ſanguine potamur: vt teſtatur Cyrillus, vel in ſignum redemptionis, & purificationis. Sic enim ait Ambroſ. lib. de Sacramentis, *Quare aqua, quare ſanguis? Aqua, vt emundaret; ſanguis, vt redimeret.* Hæc ille. Vel in ſignum duorum Baptiſmatum, quorum vnum eſt in aqua fluminis, alterum ſanguinis: vt docet Theophylactus

Exod. 17. — *Luc. 22.* — *Vnde conſtet corpus humanum.* — *B. Thom. in 3. p. q. 66. art. 4 ad 3.* — *Idem q. 74. art. 7. ad 3.* — *Idem lectu. 5. in Ioan. 19.* — *Innoc. III.* — *Luc. 22.*

Niceph. l. 1. c. 30. in fine. — *Ioann. 19.* — *Cyril. Hieroſolym.* — *Exod. 15.* — *Luc. 2.* — *Infr. 22.* — *Ioann. 19.* — *Cur è Chriſti latere fluxerit ſanguis, & aqua.* — *Cyril l. 12. in Ioann. tom. 1.* — *Amb lib 3 de Sacram ca 1. in fi. tom. 5.* — *Duplex baptiſmus.*

[...]minis, & [...]guinis.

lactus. Et ſicut ex latere Adæ dormientis fabricata eſt Eua, ita ex latere Christi dormiẽtis in Cruce, formata eſt Eccleſia Chriſti ſponſa, quæ generatur aqua, & nutritur Euchariſtia. Euthymius in hæc verba Ioannis ita ſcribit: *Sanguinem, & aquam ſcaturire fecit, duo deſignans Baptiſmata: vnum quidem per ſanguinis martyrium, alterum verò per aqua regenerationem: atque horum fluxu peccati fluxum demergit. Prætereà aliter: nam duos ſcaturire fecit fontes: aqua quidem purificans Eccleſiam, ſanguine verò, eam enutriens. Siquidem per aquam renaſcimur, per ſanguinem autem, & carnem paſcimur, quæ diuina ſunt, ac myſtica. Itaq; cùm ad tremendum acceſſeris poculum, perſuadeto tibi, quòd ex Dominico bibis latere, & eo modo ſis affectus.* Hæc ille. Quòd igitur dici ſolet, hoc ſanguine redemptam eſſe Eccleſiam, atq; hac aqua ablutam fuiſſe, cautè intelligendum eſt. Docet enim Epiſcopus Abulenſis ſuper Geneſim, Dominum Ieſum ſanguine ſuo in vita effuſo, & ſudore nobis redẽptionem ac purificationem promeruiſſe; iſto verò ſanguine & aqua ſignificare redemptionem, & ablutionem, non promeruiſſe, quoniam poſt mortem nõ eſt locus meriti. Poſt ſanguinem verò fluxit aqua, ad ſignificãdum, quòd totum ſanguinem profuderat, quò nos ad bibendum de aqua vitæ æternæ inuitaret, gratis quidem nobis exhibita, at non ſine ſanguine, quem Chriſtus loco pretij pendit. Datur etiam aqua, vt lauemur à maculis peccatorum, vt ita mundi reddamur ad fundendum ſanguinem noſtrum pro Chriſto, & reſiſtamus peccato ad ſanguinem vſque; aut ſaltem ſi ſanguinem non fundimus, aquam fundamus ſudando pro eo, & ad proximum miſericordiæ opera ex corde impendendo. Nam qui vel calicem aquæ frigidæ propter Chriſtũ proximo impenderit, non perdet mercedem ſuã. Aquas Baptiſmi comitatur ſanguis, quò eas reddat efficaces; ſicut & aquas lacrymarũ in pœnitentia, quò grata ſit Deo, & nobis ſalutaris noſtra reſipiſcentia. Adhæc aquas quaſi in benefactis ſudando fundimus, quibus illa accepta Deo reddantur: nam bonum operari poſt peccatum ſine difficultate non contingit, & vt ille dixit: Virtutem poſuere Dij ſudorẽ parãdam.

Theophyl. in Ioann.
Geneſ 2.
Euthym. in c. 17. in Ioa. c. 19

Quo ſenſu dicatur, ſanguine & aqua e Chriſti latere effuſa redemptam eſſe Eccleſiam, atque ablutam.
Epiſ. Abulenſis
Quare poſt ſanguinem aqua profluxerit.
Hebr. 12.
Matt. 10.
Baptiſmi aquas quid reddat efficaces.
Cur operemur bonum non ſine difficultate, & moleſtia.
Heſiod.

Magno autem myſterio aqua ſanguini fuit coniuncta: quia vt aqua ſine ſanguine prodeſſet nihil, ita nec ſanguis ſine aqua Baptiſmi. Redẽptio enim nihil nobis proficeret, ſi permaneremus quales priùs eramus, & non ablueremur. Quamuis negare nõ poſſimus infinitam ſanguinis virtutem Baptiſmo aquæ nõ adſtringi: conſtat enim efficacem extitiſſe in latronis conuerſione, etiam citra aquam. Sed hæc priuilegia ſunt.

Quare ſanguinem cũ aqua Chriſtus effuderit.
Sanguinis Chriſti efficacia.

Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius. Ne quis de inſolita, & priùs inaudita re admiretur, vel dubitet, ait ſe vidiſſe, Et dignus eſt fide diſcipulus, tantam magiſtri contumeliam deſcribens ſui: nam contumelia erat in mortuum ſæuire, licèt ad hanc apertionem conſecutum ſit miraculum, *Et ille ſcit, quia vera dicit; vt & vos credatis.* Verùm ſe oſtendit hiſtoricum, qui quæ vidit, ſcripſerit: nam ἑωρακὼ Græcis idem eſt quod videre. Tanta autem aſſeueratione eſt vſus, ne fideles quouis modo de hoc myſterio ab alijs prætermiſſo, & à ſe ſolo enarrato titubarent, ſed firmi perſiſterent, non obſtantibus Iudæis negantibus, & vt per eiuſmodi fidem, fructum paſſionis Chriſti ſibi applicarent.

Cur Ioannes hoc ſignum teſtetur ſe vidiſſe.
Eius teſtimonij veritas.

Facta ſunt enim hæc, vt Scriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: videbunt in quem transfixerunt. Duos tantùm allegant locos, alterum ex lege in Exodo perſcripta, alterum ex Propheta: cùm tamen multi loci ex Scripturis impleti ſint. Nam vulnus hoc figuratum eſt in arca Noe, vt ſuperiùs ex Auguſtino produximus. Prædictum eſt in fonte illo, de quo Zacharias; *In die illa erat Fons patens domus Dauid, &c.* Quod de hoc myſterio interpretatur Rupertus Tuitienſis. In Sponſi corde vulnerato ab Sponſa in Canticis: Delineatum in vulnere illato Regi Achab, qui percuſſus fuit inter pulmonem & ſtomachum in curru ſuo: In petra percuſſa, & dante aquas abundantes, de quo Apoſtolus; *Petra autem erat Chriſtus*: In tribus lanceis, quibus percuſſus fuit Abſalon, dum hæreret per capillos in quercu. Nec enim nouum eſt in ſacris literis, in hiſtorijs, aut geſtis virorũ malorum Chriſti facta repræſentari; aut contra, in rebus geſtis virorum iuſtorum adumbrari mores, euentuſque reproborum. Eſt.n. Abſalon filius Regis Dauidis, inſigni pulchritudine præditus: talis eſt Ieſus Dei Filius, qui dicitur ſpecioſus forma præ filijs hominum: hic mortuus eſt in quercu Crucis: & vt illius morte pacificatũ eſt regnum illius, ita morte Ieſu mundus cum Deo. Et vt Ioab occidit Abſalonem Patre Dauide repugnante; ita populus Hebræus Ieſum occidit, Patre cœleſti ſua lege prohibente. Occiſus eſt Abſalon, at Ieſus magna cum parentum ſuorum irreuerentia, ac magna cum populi, & regni vtilitate. Quòd Abſalon tribus lanceis ſit confixus, rectè ſignificat Chriſtum vna lãcea perfoſſum: q[ui]a ſimul Chriſti cor & matris, ac dilecti diſcipuli, q huic aderat ſpectaculo, corda pene-

Exod. 12.
Num. 9.
Zacha. 12.
Apoc. 1.
Apertio lateris Chriſti vbi præfigurata.
Geneſ. 6.
Aug. ſupr. citatus.
Ruper. Tuit. li. 15. in Zach.
Cant. 4.
3 Reg. 22.
Exod. 17. & Nume. 20. & 1 Cor. 10.
2. Reg. 18.
Non rarò malorum hominum res geſtæ, bonorum res geſtas repræſentant, & è contrario, more ſcripturæ.
Sup 14.
Pſalm. 44.
1. Corin. 5.
2. Reg. 18.
Abſalon tribus lanceis confixus quid myſticè.

Ioann. 19.

Exod. 12.
Ioan. 1.

Ieſu crura, latronum inſtar aliorum cur minimè frangi debuerint.

Ieſu crura minime fracta quid ſignificent.

da penetrauit. Ioannes tamen præter teſtimonium ſuum, qui oculis proprijs aſpexit, producit teſtimoniũ ex lege in Exodo contenta: *Os non comminuetis ex eo.* Hic enim erat verus Dei agnus, qui tollit peccatum mundi, ad veſperam immolatus: cuius crura, ſiue oſſa minimè ſuffringuntur, contra Iudæorum voluntatem, qui primùm oſſifragium propter Ieſum petebant, vt intelligamus ex diuina id factum diſpoſitione, ob integritatem, & dignitatem Chriſti, & fidem reſurrectionis ſolidiùs aſtruendam. Signant autem primò crura non effecta, diuinitatem, quæ expers fuit paſſionis. Et vt os ſeruat medullam, quæ eſt intra, & carnem ei adhærentem: ita diuinitas animam, & corpus, quæ ſeparata inter ſe ſunt, non tamen à diuinitate. Secundò, hæc oſſa intacta adumbrant merita ſua ad æternam gloriam comparandam integra, nullaque fracturæ macula cõtaminata, & conſequenter repræſentant eius virtutes, hoc eſt, obedientiam, humilitatem, patientiam, atque charitatem; quas Dominus in morte non ſolùm non amiſit, ſed perfecit, integraſque atq; infractas oſtendit. Tertiò, repræſentarunt vniuerſas Domini vias in cruribus ſignificatas, rectas exiſtere, atque inuiolabiles: atque idem de iuſtis faciunt, quorum virtutes in paſſionibus roborantur, iuxta illud; Virtus in infirmitate perficitur. Vnde per Dauidem ait; *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum: vnum ex his non conteretur.* Ad hæc Chriſtus extinctus plus cuſtodiuit oſſa, quã viuus carnes proprias. Oſſa ſunt electi, alba caſtitate, & quibus nituntur carnes, nerui, & ſanguis: & ita in electis ſtabilitur Eccleſia. Moris nobis eſt, carnem nobis retinere, oſſa proijcere: Chriſtus contrà, in vita deſeruit carnes, oſſaque ſolida, & ſtabilia ſeruauit: quia vel vnum mundo mortuum, ac ſanctum virum, plus quàm multos in carne nitentes diligit. Caro editur à carne, os autem roditur tantùm: quia dæmon edit carnales, tentatq; perfectos, & ſpirituales viros. Imò vt plerunq; canis læditur ab oſſe, ita dæmon illuditur à perfectis, ſicut Dauid ait in figura ceti: Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei. Alterum deinde ex Prophetis deſumit teſtimoniũ, quòd ex Zachariæ capite 12. deprompſit, dicens; *Et effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum: & aſpicient ad me, quem confixerunt.* Videtur loqui de his, qui reuertebantur percutientes pectora ſua. Hæc autem ſententia ſignificat interdum impios in hoc mundo prçualere, ſed ita, vt ſuo ſe gladio iugulent: & quò magis in ſuis conatibus proſperantur, eò

Iuſtorum virtutes in paſſionibus roborantur.

2. Cor. 12.
Pſalm. 33.

Oſſa Chriſti quæ myſticè.

Chriſti amor in homines iuſtos.

Quid draco formatus ad illudendum homini apud Prophetam.

Pſalm. 103.
Zachar. 12.
De quibus dicatur per Prophetam; Et aſpicient in me, quem confixerunt.
Luc. 23.
Impiorum aduerſus iuſtos conatus quo tandem recidant.

iuſtiorem eſſe cauſam ſuam arbitrantur. Sed cæci in grauiſſimum Dei iudicium incidunt. Vt enim in ſomno accidere ſolet, vt ſomnians pugno ſe hoſtem putet percutere, excitatus poſteà ſentiat, quòd ſe ſuis pugnis percuſſerit: ita qui pio iniurias infert, videtur eſſe ſuperior, vel propter pij, & iuſti viri imbecillitatem, vel quòd vltro in futurum differatur: tamen reuera ſuo ſe gladio ferit. Ita Pharao oppreſſit Iſraelitas, quo facto verè ſeipſum oppreſſit: Saul Dauidem perſecutus, vel potiùs ſeipſum: ita Iudæi Chriſtum pupugerunt, vel corda ſua potiùs. Et idem eſt dicere in tertia perſona: Videbunt quem confixerunt, ac dicere in prima: *Aſpicient ad me quem confixerunt.* Hoc autem quoniam in textu Græco non habetur, Euthymius affirmauit à Iudæis expunctum eſſe poſt prædicatum Euangeliũ. Sed non aduertit, quòd illud habeat Hebræa veritas, & Latina lectio, quas ipſe non conſuluit, ſed tantùm Septuaginta Interpretum editionem. Ideò neceſſaria fuit Eccleſiæ Dei verſio ex Hebræo B. Hierony. & ob hunc, & ob alios locos, qui ex eius verſione inueniuntur in Scripturis Hebraicis, qui non habentur in verſione Septuaginta. Porrò interpretatur: Adſpicient ad me, id eſt, videbunt ipſum de cœlo deſcendẽtem in die iudicij: reſpiciens ad illum Apocalypſis: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Ex quo videtur intelligi, Dominum venturum ad iudicium cum vulnerum crucis cicatricibus, ad maiorem impiorum condemnationem. Sed quia tunc tardè, & ſine fructu videbitur confixus, demus operam, vt nunc fidei oculis videamus eum paratum ad ſaluandum nos, qui pupugimus eum peccatis noſtris: & ſpectemus eum, quo à ſerpentũ ignitorum venenatis morſibus nos liberet. Et quia Chriſtus eſt fructus ligno ſcientiæ boni & mali reſtitutus pro Adæ peccatis, & vt iam maturus inclinat caput; contendamus, vt ſaltu aliquo terram relinquentes, manu fidei apprehendamus, ac charitatis dentibus edamus: quoniam eſt dulciſſimus, ac ſuauiſſimus hic fructus terræ ſublimis Dominus noſter Iesvs Chriſtus; cui cum Patre, & Spiritu S. omnis cultus, & obſequium ab omni creatura debetur, per omnia ſecula, Amen.

(∴)

Simile.

Exod. 5. & ſeq.
1. Reg. 18.
1. Reg. 18. & inde.

Euthymius refellitur.
Hieronymianæ verſionis ex Hebræo ſacrarum literarum neceſſitas.

Idem.

Apoc. 1.
Dominus cũ vulnerũ Crucis cicatricibus venturus creditur ad iudicium.

Eſai. 5.

TRA-

TRACTATVS XLIX.

De ſepultura Chriſti Domini à Ioſepho Arimathæo, & Nicodemo exhibita, in illa verba: *Cùm autem ſerò factum eſſet, venit quidam homo diues ab Arimathæa, nomine Ioſeph, qui & ipſe diſcipulus erat Ieſu. Hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu.* vſq; ad, *Sedentes contra ſepulchrum.* Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. & Ioan. 19.

Officij ſepulturæ mortuorum commendatio.

LAVDIBVS celebrantur in ſacris literis, qui ſeriò operi pio mortuos ſepeliendi incumbunt, & inter alios ſummè commendatur Tobias ſenior; & à Dauide commendantur viri Iabes Galaad, quod cum vitæ diſcrimine corpus Saul ex muro Beth-ſan, in quo fuerat appenſum, attulerint, & honeſtè tumulauerint. Teſtatur Curtius hiſtoricus, Sarmatas non tantùm pro filijs tuendis, & vxoribus, quantum pro paternis defendendis ſepulchris eum hoſtibus decertaſſe. Hieronymus extollit formicas, minutum animaliũ genus, quòd mortuas inter eas ſepulturę commendent. Quanta igitur ſit gloria, honor, & commemoratio in Eccleſia Dei Ioſephi, & Nicodemi, qui honorificè Chriſti corpus, magnaque cum fide ſepulchro condiderunt, teſtantur quatuor Euangeliſtæ, quorum vnuſquiſque non putauit hanc hiſtoriam ſibi eſſe ſilentio ſupprimendam. Spectat autem ad glorificationem Domini (vt præcedens ſignum) hæc tam honorifica, & illuſtris ſepultura à viris ſanctitate, & nobilitate conſpicuis exhibita, & impletum vaticinium Eſaiæ dicentis: *Erat ſepulchrum eius glorioſum*; vel, vt Hebræa litera habet, Et erit requies eius gloria. Quare circa ſepulturam Chriſti cõſiderabimus in primis, quòd ipſe Chriſtus de illa ſtatuerit; deinde quid diſcipuli eius olim occulti, atque amici fecerint; tertio loco quid Iudęi cogitauerint, & quam muniendo, atque cuſtodiendo ſepulchro adhibuerint curam. Ad primum reſpondendum, Chriſtum nihil de ſua cõſtituiſſe ſepultura: tum quia damnati à magiſtratu non habent ius quicquam de corpore ſuo ſtatuendi, ſed illud totum eſt iudicis, & magiſtratus, tum quia paruo tempore erat in ſepulchro moram habiturus, nimirum ad quadraginta ferè horas. Reliqui magna diligentia curãt ſepulchra, quia expectaturi ſunt diem iudicij, ac reſurrectionem, non Chriſtus, qui ſtatim erat excitandus, & caro eius corruptionem non erat viſura. Tum denique, quia erudire nos voluit, vt ſpiritus noſtri curam diligentem habeamus, illumque Patri commẽdemus; cæterùm de ſepulchro parum ſimus ſoliciti. Nam vt imminente communi incendio, & in totam domum graſſante, ſtultum eſt relictis pretioſis gemmis, aut aureis poculis, & ornamentis veſtes detritas, ac laceras velle ſeruare; ita profectò à ratione eſt alienum, de corpore viliſſimo, & à vermibus edendo eſſe ſolicitum, & quo loco, templove ſit tumulandũ, & an cum pompa honorifica, an ſine ea, an lapides marmorei, ac diuerſi colores ſint adhibendi, necne, an cũ egregio epitaphio ad illuſtrãdam familiam accommodato, an ſine eo. Rectè profectò dixit ex Ethnicis quidam:

Tob. 2. & 12.
2. Reg. 2.
2. Reg. 21.
Q. Curt.
B. Hier. in vita Malchi monachi, circa med. to. 4.
Quatuor Euangelistæ Christi Domini sepulturæ meminerunt.
Esai. 11.
Cur Christi sepultura.
Cur de sua sepultura nil Dominus statuerit.
Simile.
Psal. 15.

Facilis iactura ſepulchri eſt.

Et alius,

Cœlo tegitur qui non habet vrnam.

Virgil. 2. Æneid. poſt med.
Luc. lib. 7. Pharſalia, in fine.

Non negauerim tamẽ piam eſſe, & admodum vtilem cogitationem de ſepulchro, vt ſancti Patres in Scripturis commẽdati prodiderunt, & ad meliùs, atque ſanctiùs vitam inſtituendam, & ad ſuperbiam comprimendam. Vnde olim Imperatori electo quatuor ſolebãt proponi marmoris genera, vt ſeligeret ex quo maximè vellet ſepulchrum conſtrui, ne de tanta gradus altitudine efferretur, cognoſceretque ſibi eſſe aliquando moriendum. Adhæc etſi Chriſti anima ſeparata fuerit à corpore, ſine qua mors eſſe nequit, diuinitas tamẽ ab vtroq; non fuit ſeparata, ſed vtrumq; Verbum æternum ſuſtentabat. Nam vt articulus fidei tradit, Deus eſt crucifixus, & mortuus, ita & Deus eſt ſepultus. Gregorius Nazianz. in Tragœdia de Chriſto patiente: *Corpus,* inquit, *Chriſti exanimatum, adoratur ab ipſa ſancta Deipara.* Theodoticus in dialogo ἀπαθὴς ita ſcripſit: *Quemadmodum diuinam quidem naturam dicebas è cœlis deſcendiſſe, Filium autem hominis propter eam vnionem vocatum eſſe dixiſti; ita ligno quidem carnem eſſe affixam conuenit dicere, ſed diuinam naturam ab eo inſeparabilem confiteri, & in cruce, & in ſepulchro paſſionem illinc non ſuſcipientem, quandoquidem nec ad patiendum, nec ad moriendum ſua natura apta eſt, ſed habet immortalem, & impatibilem ſubſtantiam. Hac vtique ratione Dominum quoq; gloriæ crucifixum appellauit; impatibilis naturæ nomen patibili tribuens. Quoniam eius corpus appellatum eſt,* Athanaſius epiſt. ad Epictetum, ſub finem: *Ac iam inde,* inquit, *in ſilentium traduntur, qui dicebant eum, quia ex Maria prodijſſet, non eſſe eundem Chriſtum, & Dominum, & Deum. Si enim Deus in corpore non erat, quomodo ſtatim vbi editus erat à Maria, vocatus*

Cur olim Imperatori electo quatuor marmoris genera proponi conſueuerant.
Quod in triduo mortis Chriſti nequaquam diuinitas ab anima & corpore fuerit ſeiuncta.
Greg. Nazianz.
Theodoric. dialogo 3. ἀπαθὴς, paulò ante med. tom. 2.
B. Athanaſ. tom. 1. ſub initium.

Matth. 1. Emanuel quid. Rom. 9.

eſt Emanuel, quod interpretatum ſonat, Nobiſcum Deus? Cur item Paulus, ſi Verbum in carne non erat, Romanis ſcripſit: Ex quibus Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt Deus ſuper omnia benedictus in æternum, Amen? Quapropter confiteantur ſe erraſſe, qui priùs inficiati ſunt, eum, qui in cruce erat, Deum fuiſſe, fidem habentes cunctis Scripturis, & in primis Thomæ, qui poſtquam viderat in eo clauorum ſigna, exclamauit, Dominus meus, & Deus meus. Dominus enim, & Deus gloriæ Filius in corpore erat cruci affixo, & ignominiosè habito: corpus quidem cruciatus patiebatur, fluxitq́ ab illius latere ſanguis & aqua. idem tamen, quia templum Verbi Deitate adimplebatur. Hæc ille. Quod ergo Epiphanius contra Marcionem ait: *In morte Chriſti anima cum diuinitate emigrante, corpus ſine ſpiritu manſit:* & in Ancoratu tractans illud Prophetæ: *Non derelinques animam meam in inferno; nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Quod autem,* inquit, *corpus, & animam habens venit Verbum, perſuadeant ipſos diuinæ Scripturæ Veteris, ac Noui teſtamenti, &c. Quo compoſitio Dominus hominis intelligatur, & clarè de hoc cognitio nobis contingat, quò confirmet animam cum Deitate per triduum depoſitam fuiſſe; quò carnem ſanctam oſtendat, & Deitatem cum anima, ita vt non contineretur in inferni myſterium perfeciſſe.* Sed profectò vel deſerendus eſt Epiphanius, vel piè interpretandus. Quoniam ergo diuinitas erat corpori coniuncta, à qua ſeparari non potuit, de corporis ſepultura nihil voluit mandare, vt qui per Deitatem ſuam viueret Chriſtus in corpore. Et hæc ſint ſatis de primo.

Ioan. 20. Epiphan in hæreſin. 42. Pſal. 15. Dictum Epiphanij cautè accipiendum.

Ioſephi, ac Nicodemi circa Domini ſepulturam officium quantæ ſedulitatis.

Ad ſecundum, celebrantur hi duo viri nobiles, & iuſti, qui corporis Ieſu exequias celebrare curarunt. Inſtabat autē hora corporis Domini ſepeliēdi; nec videbatur vllū tantæ audaciæ futurum, qui hoc faceret, propter odium Iudæorum, & rabiem: & ecce hi duo ſe offerunt quaſi ex improuiſo, non tamen ſine Dei conſilio, & præordinatione. Diligenter autem Euangeliſtæ vtriuſque perſonam, & ſtudium in ſepeliendo Chriſto deſcribunt: erat enim res vt non ſine periculo, ita notu digniſſima ad exemplum noſtrum. Verùm Ioſephi quatuor Euangeliſtæ meminerunt, quòd ille audacior ad Pilatum introierit, & ſumptus ad funus præparauerit: Nicodemi verò tantùm meminit Ioannes, quòd ſe comitem Ioſepho adiunxerit, & quia ſolus Ioannes alibi eius meminerat. Ioſeph igitur inprimis deſcribitur à ciuitate Arimathæa oriundus, quæ alio nomine dicitur Rhamata, patria Samuelis in monte Ephraim, quæ primo Regum volumine dicitur Ramathaim Sophim, & Hieronymus libro de locis Hebraicis litera R. vocat eam Ruma, quæ & Aarima, vbi ſedit Abimelech in libro Iudicum: & diſtat per viginti millia paſſuum ab Ieroſolyma. De hoc teſtatur Ioannes, quòd fuerat occultus Chriſti diſcipulus propter metum Iudæorum: Matthæus verò vocat eum diuitem: Marcus, nobilem Decurionem, ſeu honeſtum Conſulem: Lucas verò vocat eum Decurionem, ſeu Conſulem, ſeu Senatorem; id enim ſignificat Græca vox βουλευτὴς. Et addit, *Vir bonus, & iuſtus; hic non conſenſerat conſilio, & actibus eorum* (ſcilicet Iudæorum) *&c. qui expectabat & ipſe regnum Dei.* Magnifici ſanè, ac perilluſtres iſti ſunt tituli. Nicodemus verò ſuis etiam encomijs inſignitur. Conſtat enim ex Euangelio, quòd eſſet Phariſæus & Iuriſperitus, & magiſter in Iſraël, & quòd venerit nocte ad Ieſum, & diſputauerit cum eo de renaſcentia, & Chriſti patrocinium aſſumpſerit in concilio Phariſæorum. Erat igitur Ioſeph Senator, Nicodemus Legiſperitus, vterque diues, ac potens, ac coram mundo iuſtus habitus; denique, quod maius eſt, vterque Chriſti diſcipulus, etſi occultus. Vbi vides, nullum tempus tam malum eſſe, quin Dominus ſuos habeat, illoſque à periculis ſeruet, ac liberet, vt ſaltem aliquod ſemē iuſtorum virorum remaneat: quemadmodum cùm omnia eſſent idolis plena tempore Heliæ, diuinum oraculum reſpondit: *Derelinquam mihi in Iſraël ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal, & omne os quod non adorauit eum, oſculans manum.* Nemo igitur quantumuis tribulatus, vel in doloribus poſitus deſperet: quia cùm minus cogitabis, ſuſcitabit Deus alterum Ioſeph, qui ſine pretio, vel ſine precibus deponat te de cruce, & conferat tibi aliquod ſolatium, aut ſepulturæ quietem. Et vide quàm aptè nomen illi Ioſeph quadret: eſt enim nomen Deo acceptum, & ſanctis viris in Scriptura collatum. Nam Ioſepho filio Iacob crediderat Deus ingreſſum populi ſui in Ægyptū: qui etiam pia patris ſui Iacob ſepultura non parùm ſibi ſplendoris conciliauit. Deinde Ioſepho Virginis ſponſo, ingreſſum Filij Dei in hunc mundum. Demùm iſti Ioſepho poſt mortem ſacrum corpus commiſit. Itaque Deus non tantùm virum iuſtum delegit, qui deponeret eum de cruce, ſed etiam ſancto nomine inſignitum & decoratum. Secundò vocatur diues: quæ conditio erat conueniens, vt poſſet habere facultatem ſepeliendi Ieſum, & autoritatem accedēdi ad Pilatū, & impetrādi quod vellet.

Ioſeph ab Arimathia cur omnes Euangeliſtæ meminerint. Mar. 15. Ioan. 3. Arimathæa, Ramatha alias dicta. 1. Reg. 1. B Hieron. tom. 3. Iudic. 9. Ioſephi Arimathæi illuſtres tituli. Nicodemi encomium. Ioan. 3. Infra 7. 3 Reg. 19. Rom. 11. Nomen Ioſeph quàm aptè ei conueniat. Gen. 46. Infra 10. Luc. 1. Matth. 1. Ioſeph Arimathæus ab Euangeliſta cur dictus diues.

let. Dicitur ergò diues, vt etiam diuites habeant, quo promereantur Chriſtum: & hic eſt vſus ſanctiſſimus diuitiarum, transferre illas in cęlum. Velle autem Dominum, per diuites pauperem Chriſtum ſepeliri, ſignificat diuites præſertim ad opera miſericordiæ corporalia obligare: atque ita illi, qui opibus deſtituuntur, nō ita adſtringuntur. Sed hęc obligatio lucroſa eſt, quia fœneratur Domino, qui meſeretur pauperis. Secundò, ponit conditiones, vt ſepeliendo Ieſu aptus eſſet, & tanto dignus myſterio, inter quas prima eſt, quòd eſſet nobilis Decurio, ſiue honeſtus Senator, aut Conſul: qui erant Senatores municipales, quos vocamus Conſules vrbis, qui pro diuerſitate vrbium vocari ſolent electi, aut Syndici, aut Iurati. Erat autem Ioſeph Senator vrbis Ieroſolymitanæ: nam etſi eſſet oriūdus ab Arimathia ciuitate, erat tamen incola Ieruſalem, quod ſatis teſtatur ſepulchrum, quod ſibi exciderat in horto extra muros Ieruſalem. Non eſt ergo nomen Decurionis nomen officij militaris, ſed nomen dignitatis municipalis: nam qui Romæ dicebatur Senator, in municipijs, & in colonijs vocabatur Decurio. Vt enim Chriſtus noluit carnem aſſumere, niſi de Regibus; ita noluit de mundo egredi, niſi per nobiles & honeſtos viros, & ſepeliri, quò oſtendat, Chriſtū non dedignari nobiles, modò credant, & humilientur. Voluit igitur, nobiles & primatos viros, omniq; exceptione maiores de morte Chriſti, ac ſigillo, & reliquis teſtificari: quibus tamen non obſtantibus Dominus ſurrexit. Hinc Chryſoſt. in homilia quadam: *Chriſtus, inquit, honorificentiſsimè ſepultus à duobus nobilibus Ioſeph, & Nicodemo: quod illi euenit præter morem aliorū Principum. Quando enim Reges, & Principes viuunt, delicioſè agunt: quando verò moriuntur, vix eſt linteum, quo tegantur. Nam ſeruorum quiſque rapinæ, & deprædationi eſt intentus, & parum curat de corpore Principis.* Hæc ille. Quartò dicitur, quod eſſet vir bonus, & iuſtus, quod magnum eſt encomium diuitis, & Senatoris. Seruare enim iuſtitiam ad alterum in his, quæ illi debemus, & bonitatem, id eſt, diffuſionem, communicationemq; in his, quę maximè non ſunt debita, perquam eſt honorificum, & laudabile. Nam ſcriptum eſt: *Beatus diues, qui inuentus eſt ſine macula; & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia, & theſauris.* Vt omittam, quòd ſanctū Chriſti corpus non decebat, niſi à ſanctis & iuſtis contrectari. Quintò dicitur diſcipulus Chriſti, id eſt, auditor, occultus tamē propter metum Iudæorum, ne videlicet pelleretur de Synagoga, vt ait Ioannes. Euthymius ſcribit, hunc Ioſeph fuiſſe ex numero ſeptuaginta diſcipulorum: quod apud aliū autorem legi neminem. Amabat hic doctrinam Chriſti; malebat tamē eam occultè profiteri, quàm publicè: vel ex diuina prouidentia, vt eſſent qui ſepelirent eum; vel quia diuitiæ, & gloria huius mūdi, quibus hi duo conſpicui erant, impediebant, ne apertè Chriſti profiterētur doctrinam, ne illa relinquere cogerentur; vel quoniam Deus ad tempus fert noſtram imbecillitatem, & metu ſinit agitari, vt aliquando illo propulſato in publicum prodeamus. Nam charitas vera ſufficit ad ſalutē, etiamſi omnem pellat timorem: quia ſolùm perfecta charitas illum foras mittit. Ita fecit Chriſtus cum multis Martyribus, qui primo per fugam ſe ſubtraxerunt: imò interdum pecunia data vitam redemerunt, poſteà tamen ſanguine, & morte teſtati ſunt. Erant quidam, qui Chriſtum ſequebantur, ſed non ita diligebant, vt erant multi ex turba: contrà verò alij diligebant: ſed non ſequebantur, vt Ioſeph, Nicodemus, & Gamaliel, atque Lazarus: rurſus quidam, qui & amabant, & iuxta ſequebantur, vt Apoſtoli ac ſeptuaginta diſcipuli. Quia in Eccleſia quidam futuri erant manifeſti, qui confiterentur Chriſtum coram tyrannis, & ſe pro eo martyrio exponerent. Quidam verò non ſunt ita fortes, qui primùm quidem ſibi ipſis per vitam conſulerent, & præ caſus timore deliteſcerent: parati tamen confiteri, ſi caſus ferat, & quæuis potius tormēta ſuſtinere, quàm Chriſtum abnegare. Quidam tamen ſunt, qui apertè quidem & clarè ſequuntur Chriſtum; at ipſum ex corde non diligunt, ſed potiùs ſe ipſos, & bona, quæ in Chriſto ſunt aduentitia: cuiuſmodi ſunt carnales Eccleſiaſtici, & paſtores, ac religioſi mali, qui in bonis Chriſti delicciantur, & nihil præterea aliud requirunt: Ioſeph ergo erat Chriſti diſcipulus. Quod diuerſum nō eſt ab eo, quod Marcus & Lucas aiunt, quod videlicet ſpectabat regnum Dei, ſcilicet ſpirituale, non temporale, vel carnale, quod in hodiernū vſq; diem carnales expectant Iudæi, terræ tantùm inhiantes. Hoc autem ſpirituale Dei regnum conſequitur æternum Chriſti regnum in ſpiritu, & in carne: & hoc regnum debet veros Chriſti diſcipulos nunc ſuſpenſos tenere, & ſolicitos, ne temporalibus, & mundanis bonis impediti illud amittant. Sextò, ſcribit de iſto Ioſeph Lucas, quòd non conſenſerit conſilio & actibus Iudæorum, ſcilicet contra Chriſtum. Et idem dicitur de Nicodemo apud Ioannem. Atq; vtinam multi nunc eſſent

[Left margin notes:]
[Vſus] diuitiarū [ſ]anctiſſimus quiſ[n]am.
Cur Deus per [d]iuitem hominem, Chriſtum pauperē [ſep]eliri voluerit.
[P]rou. 9.
Decuriones qui vocentur.
Chryſoſt.
Chriſti ſepultura ab illa Regū & Principum huius ſeculi quàm ſit ratio diuerſa.
Ioſeph Arimathæus cur dicitur bonus, & iuſtus.
Eccli 31.
Idem qualis erat diſcipulus Chriſti.
Ioan 12.

[Right margin notes:]
Euthym. c. 6[?] in Matth.
Cur Ioſephus & Nicodemus occulti eſſent diſcipuli Chriſti.
Quæ charitas ſufficit ad ſalutem.
Ioan. 4.
Varius ordo diſcipulorum Chriſti.
Ioſeph Arimathæus quale Chriſti regnum expectabat.
Conſilio, & actibus Iudęorum quibus non cōſenſit ille.
Luc. 23.
Ioan. 7.

ſimiles in Concilijs, aut generalibus, aut prouincialibus, aut diœceſanis, aut in Capitulis Eccleſiarum, aut in comitijs & conuentibus ſecularibus, qui exitialibus prauorum conſilijs, ac conatibus ſe opponerent. Quare in Exodo cautum eſt: *Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies.* Quare etſi noſtra ſententia non poſſit impedire aliorum, qui numero vincunt, ſuffragia: tamen propter Deum, & conſcientiam, ſi non poſſumus impedire, debemus ſaltem illis non conſentire, iuxta illud: *Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum:* quem Pſalmum de iſto Ioſeph ad literam exponi poſſe, in Matthæum tradit Hieronymus. Adhæc propter cohoneſtandam veritatem liberè confitendũ eſt, quod intus ſentimus: vt ſi quis noſtra authoritate ductus, velit à ſuffragio dato reſilire, poſſit. Septimò, acceſſit Ioſeph ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu, vt ait Matthæus: Marcus addit, quòd audacter introiuit ad Pilatum. Potiò hanc audaciam præſtitit intus vera fides, quæ eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium, de qua ait Apoſtolus: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam,* & quæ ſequuntur. Extra verò Chriſti mors, & ſanguis recens effuſus adiumento fuerunt ad pellendum omnem timorem. Qui ergo Chriſto adhuc in viuis agente metuebant, & non accedebant, propter metum Iudæorum, vbi primùm eum extinctum intellexerunt, ceſſauit metus ab eis: non enim iam hoſtem eorum ſeruare videbantur, ſed tantùm pium officium in amicum præſtare: & expectatio ſi qua erat in Ieſu viuente, quod aſpiraret ad regnum, iam ceſſauerat: & eò magis officium pium præſtabant, quo putabant eum omninò perijſſe. Et nihil in eo eſſe præſidij. Ab his diſcimus, etiam amicis, à quibus nihil ſperemus, præſtanda eſſe amicitiæ officia. Et hic Chriſto non mediocria, neque vulgaria impenſa ſunt munera: nam damnatus erat conſenſu publico vel ſeductor, itaque inuidioſa res videri poterat, illi aliquid honoris impendere. Quare virtus quædam noua eſt hæc, quæ audaces amicos fecit; alioqui ſi deceptos ſe ab eo putaſſent, inimici ei iam eſſent, vel eſſe poterant, & erubeſcerent in aliquo deceptori ampliùs fauere. Petijt ergo corpus Ieſu: quia corpora damnatorũ non poterant ſine licentia magiſtratus qui damnauit, tolli. Expende obſecro quis petat, id eſt, Ioſeph: qui petit, Corpus Chriſti: à quo, id eſt, Pilato Præſide: quomodo, id eſt, cum audacia, & feruore fidei: quando nimium eodem die, quo Chriſtus Cruci eſt ſuffixus: ad quid petit, id eſt, ad ſepeliendum. Quoties enim Scriptura aliquod heroicum enarrat factum, minutè vniuerſas operis deſcribit circumſtantias. Hi duo, Ioſeph, & Nicodemus, ſatis reipſa teſtati ſunt, quantum animo commiſerarentur Chriſtum, etſi in Ieſu promerendo præcedat Pilatus, & vxor, qui eius ſunt teſtificati innocẽtiam: & Centurio, qui cum ſuis dixit: *Verè Filius Dei erat iſte.* Ad hos accedunt ſanctarum mulierum planctus, lamenratio, ac ſedulitas. Poſt hos venit latro computandus, qui Chriſtum Regem confeſſus eſt: atque iuxta hos ſequitur duorũ diuitum officioſum munus. Cœluſque proſpectum fuiſſe videtur, vt iſte Ioſeph diues eſſet, vt haberet quod exhiberet in ſepulturam Domini: vt eſſet nobilis Senator, ac Decurio, quò ad Præſidem facilè poſſet habere acceſſum: & vt iuſtus eſſet, quò corpus Domini ſanctum pertractare poſſet.

Pilatus autem mirabatur ſi iam obijſſet. Et accerſito Centurione, interrogauit eum ſi iam mortuus eſſet. Et cùm cognouiſſet à Centurione, donauit corpus Ioſeph. Hanc admirationẽ, & Centurionis confeſſionem adiunxit Marcus Matthæo. Pilatus enim ſperabat tardiùs Ieſum moriturum, quòd cruci ſuffixi ſoliti ſint non tantùm ad aliquot dies adhuc viuere: & quia habebat Dominum Ieſum tãquam diuinum quendam hominem, qui cæteris excelleret: & quia virum florentis ætatis eſſe ſciebat, præſertim cùm nondum illi eſſent crura præfracta. Sed ipſe præmortuus eſt, quia multa per totam noctem erat perpeſſus, & mane flagellatus fuerat, ac malè tractatus. Quòd ergo interrogauit Pilatus centurionẽ de morte Ieſu, Deo diſponẽte, id eſt factum, quò ita magis mors Ieſu innoteſceret, ac proinde clarior eſſet, ac certior reſurrectionis Chriſti gloria. Quòd ergo iuſſerit Pilatus reddi corpus ipſi Ioſeph, magni muneris loco fuiſſe illam donationem interpretatur Theophylactus: ac ſubdit: *Nam cùm vt ſeditioſus eſſet occiſus: reliquum erat vt inſepultus abijceretur. Verùm cùm Ioſeph diues eſſet, veriſimile eſt, quòd Pilato aurum dederit.* Hæc ille. Fortè etiam, quia ſemiinuitus damnauerat Ieſum, & quia miracula illa partim viderat, partim à Centurione acceperat, propenſus fuit ad donãdum corpus, vt ſepeliretur: maximè quia, vt ait Salomõ: *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.*

Et accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud in ſindone munda; & poſuit illud in monumento nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit ſaxum ad oſti-

Marginal notes:

Exod. 23.

Pſal. 1.

Hier. to. 9.

Hebr. 11.

Ibidem.

Ioſeph, atque Nicodemus vnde inutilẽ, & vanum occulti diſcipulatus Chriſti timorem excuſſerint.

Ioſeph, ac Nicodemus Dominum ſepelientes nobis documenta quæ præbeant.

Ioſeph cur petierit à Pilato corpus Ieſu.

Mos Sacræ Scripturæ.

Matth. 27.

Pilati de citæ morte Chriſti admiratio vnde profecta ſit.

Cur Pilatus interrogauerit Ioſeph de Ieſu, ſi iam obijſſet.

Pilatus cur donauerit corpus Ieſu Ioſeph.

Theophyl. in Matt. 27.

Prou. 21.

ad oſtium monumenti , & abijt. Marcus habet: *Ioſeph autem mercatus ſindonem, & deponens eum inuoluit in ſindone.* Lucas adiungit de monumento, *In quo nondum quiſquam poſitus fuerat.* Ioannes verò addit hiſtoriam Nicodemi, dicens: *Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primùm, ferens mixturam myrrhæ & aloes, quaſi libras centum. Acceperunt autem corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus eſt, hortus; & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo propter Paraſceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum.* Et ſubdit Lucas: *Et dies erat Paraſceues, & Sabbatum illuceſcebat.* Hæc omnia expendenda ſunt, atque expandenda. Primùm igitur aſſerit Marcus, Ioſeph emiſſe ſindonem mundam, non parcens ſumptibus, vt honorificè ſepeliret. Et illa ſindon duplicata fuit, etſi in ſingulari dicatur ſindon, quia Ioannes in plurali ait ſepeliſſe cum linteis & aromatibus, & rurſus infra linteamina poſita. Atque ita in duplicato linteo effigies CHRISTI induti emerſit, & anterior, & poſterior. Hanc autem Dux Sabaudiæ in ciuitate ſua Ducali, vulgo Zamberic, prius habuit, deinde verò propter bella in Nicæam prouinciæ ciuitatem tranſtulit: vbi in die Sabbati ſancti venerabiliter toti populo ſpectanda proponitur. Altera pars ſindonis huius, maximè quæ referebat anteriorem partem, in Beſantio ciuitate Burgundiæ religiosè conſpicienda exhibetur. Neque mirum eſſe debet in dùplici linteamine inuolutum CHRISTVM, ſi in triplici velo, quo abſterſit ſudorem vultus ſui, eiuſdem imaginem impreſſit. Secundùm eſt, quòd venit Nicodemus, ne deeſſet collega in hoc tam pio, & præclaro munere obeundo, vt in ore duorum, vel trium ſtaret omne verbum: non minori autoritate, aut inferiori pietate inſignis, quàm Ioſephus. Venit autem non noctu, vt olim, cùm adhuc eſſet eius fides infirma, ſed palam, vt tolleret corpus Ieſu, & ſepulturæ mandaret, non ſolùm non veritus aut Pilatum, aut Iudæos, ſed neque legem Moyſi, quæ tangentem lignum funeſtum Crucis pollui, & contrectantem morticinia inquinari docebat: quia fide vim diuinam ei nouerat ineſſe, atque ex eius attactu potius hominem ſanctificari, quam pollui. Itaque illi duo viri ſancti contrectato Ieſu corpore, ad eſum agni ſe purificatos nouerunt, vel abſtinuerunt ab eſu agni illius paſchalis, qui illum, qui in agno deſignatus erat, tractando, ac eum lachrymis vngendo & ſepeliendo ſciebant ſe in ſpiritu ediſſe. Quò verò melius hæc percipiamus, plerique admirari ſatis nequeunt, cur hominis mortui contactum prohibuerit in lege Deus, eandemque prohibitionem toties repetierit Sacerdoti, Pontifici, Nazaræo, denique & omnibus, cùm tamen inter miſericordiæ opera præcipuum habitum ſit ſepelire mortuos, vt legimus apud Tobiam. Huius ergo tam ſeueræ legis eam rationem eſſe putamus; quod cum citra mortuorum reſurrectionis ſpem vana ſit omnis fides, & inanis (teſte Paulo) nullaque poſſit eſſe pietas in illis qui aliam vitam non expectant, ne populus ab hoc fidei fundamento reſiliret, tam ſeuerè interdixit Dominus ingreſſum ad mortuum. Fiebant ſiquidem in mortuorum funeribus apud Ethnicos prodigioſæ ſuperſtitiones, & contriſtabantur ſicut & Gentes quæ ſpem non habent. 1. Theſſal. 5. aliquando & filij, & vxores cum defuncto ſe ſepelientes, vt hiſtoriæ profanæ paſſim docent. Vt ergo ab hoc contagio, quòd fidem eneruare poterat, abſtinerent, nec Ethnicas illas congregationes ad mortuum admitterent, legem hanc tam ſtrictam tuliſſe credendus eſt. Tertium eſt, quòd depoſuerunt Chriſtum de cruce, qua in re ſcalis, atque alijs ferreis inſtrumentis, atque miniſtris eorum operam iuuantibus, vſi ſunt: magnaque reuerentia ac fidei deuotione detractis clauis pedum & manuum ſacrum illud corpus contrectarunt, & in terram depoſuerunt, vt prius de more lotum, & vnctum pretioſis vnguentis, & aromatibus ſepelirent. Sic enim mos eſt Iudæorum ſepulturæ corpora mandare, ne videlicet quis de nimio ſumptu admiretur. Vt ergo olim mater accepit Chriſtum vt lactaret, & Simeon in vlnas vt benediceret; ita hi ſancti vt ſepelirent. Intelligo in quibuſdam prouintijs hanc Chriſti de cruce depoſitionem magna hominum frequentia in die Sabbati ſancti publicè repræſentari, quò videlicet populus Chriſtianus ad deuotionem & lacrymas illa ſenſibili repræſentatione commoueatur. Sed profectò vt ſententiam meam non diſſimulem: quia res hæc non habet exemplum antiquitatis, & repræſentantes huiuſmodi actiones lucro ſuo inhiantes, atque ſub prætextu religionis multi viri ac mulieres confluunt ad tale ſpectaculum, & ex tali concurſu magna plerumque peccata carnis aut fiant, aut deſignentur, quibus potius CHRISTVS denuo crucifigitur, non deponitur de cruce, & potius irridetur quàm plangatur, conſultius foret, vt

Ioan. 3.

Ioan. 20.
Duplex Sindon qua inuolutum corpus Domini fuit, quibus locis habeantur.

Nicodemi officium in Dominicam ſepulturam plenum pietatis.
Deuter. 19.
Matth. 18.
Ioan. 3.

Num. 19.
Dominicæ cadaueris vis atque energia.

Exod. 12.

Contactus morticini corporis humani, pius alioqui, cur olim diuina lege prohibitus Iudæis.

Tob. 12.

1. Cor. 15. & ſequent.

Depoſitio Chriſti de cruce.

Iudæorum mos ſepeliendi.

Luc. 2.

Ex fidelium quorundam populorum Chriſti de cruce depoſitionem repræſentantium conſuetudo notatur, ac reprehenditur.

Epiſcopi edicto cauerent, ac prohiberent eiuſmodi ſenſibiles actiones, ac repræſentationes, cum potius hiſtrionicæ confictæq; videâtur, quam res ſacroſanctæ: quales illæ Chriſti eſſe deberent. Non nego tamen, ſi hæc per viros ſpirituales, ac graues agerentur, atq; occaſiones peccãdi de medio tollerentur, poſſe cum fructu aliquo repręſentari. Sed quoniam nos natura ſumus procliues ad malum, optima quæq; atque ſanctiſſima in carnales, & obſcœnos vſus nouimus conuertere, præſtat ab illa abſtinere. Vna eſt repræſentatio mortis Chriſti ab ipſo Domino indicta, quæ in ſacrificio Miſſæ fit, illaq; debemus eſſe contenti, atque alijs quibus Catholica Eccleſia per hebdomadã ſitam ad ſuorum filiorum ędificationem vti conſueuit. Perſanctè etiam à quibuſdam Epiſcopis vetari exiſtimo, ne concionatores nocturno tempore paſſionem Dominicam populo prædicarent, ob eãdem ſcilicet cauſam, vt caueantur multa peccata, quæ ſub prætextu deplorandæ Chriſti paſſionis interdum per carnales admittuntur.

Chriſti mortis, ac ſepulturæ viua repræſentatio, optima, & per quã ſalutifera quęnam illa.

Quartũ eſt, quòd Nicodemus attulit mixturam myrrhæ, & aloës, quaſi libras centum, id eſt, vnguentum ex myrrha & aloë confectum, & magno pretio redemptum, atque ad corpus à putredine ſeruandum accommodatum, & in tanta quantitate, vt liceat colligere corpus Chriſti non leuiter fuiſſe perunctum vnguento, ſed in illo veluti ſepultum fuiſſe, atq; immerſum. Atque hæc quidem vnctio figurata fuit in illa corpori Iacob iuſſu Ioſeph filij eius adhibita honorifica vnctione opera medicorum facta, quò commodiùs poſſet ex Ægypto in terram Chanaam deferri: vt Geneſis tradit. Sed illi, vt eſt probabile, priùs exenterarunt corpus Iacob: quod Ioſeph, & Nicodemus non fecerunt, quia corpus Chriſti poſſe putreſcere, vel corrumpi non putabant, quòd eſſet diuinitatis tabernaculũ, quæ ab omni corruptione ſaluum ſeruaret: quod ita ſe credere ipſi condimentis declarauerunt. Ex myrrha enim thymiama conficiebatur, quod vni Deo adolebatur; atque etiam oleum, quo altare, ac vaſa Deo dicata cõſecrabantur, vt in Exodo habetur. Quod & peritiſſimus magiſter in Iſrael Nicodemus nõ ignorabat. Et ideò ſi hominẽ illum tantum, aut Prophetam magnum, non aũt Deum cognouiſſet, nequaquã fortaſſis tali myrrhæ mixtura condidiſſet: alioqui legis præuaricatores fuiſſent, quippe qui in hominem mortalem contuliſſent, quod ſoli Deo conueniebat. Vnde Romani eiuſmodi odoramẽtis, & aromatibus eos ſolos efferre conſueuerãt, quos in Deorum numerum referre volebant. Cùm ergo iſti ſancti, Ioſeph, & Nicodemus, apud omnes teſtatum relinquere vellent, Chriſtum ſic mortuum immortalem eſſe Deum, myrrhæ, & aloes vnguentis illum ſepelierunt.

Nicodemi mixtura myrrhę, & aloes corpori Dominico quorſum adhibita, & vbi præfigurata.

Geneſ. 50.

Quid hęc Nicodemi vnctio Dominici corporis cum linteis, & aromatibus teſtaretur.

Exod. 30.

Ioann. 3.

Romani quẽ inter Deos referre vellent, eius defuncti corpus odoramentis, & aromatibus efferre conſueuerant.

Quòd ſi mos hic ſepeliendi Iudæos obijcitur: quia dicitur à Ioanne: *Ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire*: ita vt ille mos referatur nõ tantùm ad linteamina, & vincula, & corporis lotionem, vt de Tabitha in Actis refert Lucas, & Chryſoſtom. affirmat talem Iudæorum fuiſſe morem lauandi corpora: ſed etiam ad myrrhã, & aloes vnguenta, quibus ſolum CHRISTI corpus perunctum, & conditum legimus: vnde & mulieres præparauerunt aromata, vt vngerent, & Maria Magdalenæ præuenerat vngẽdo corpus ad ſepulturam: atque ita Auguſtinus libr. de conſenſu Euangeliſtarum videtur morem illum intelligere.

Obiectio de modo ſepulturæ Domini à Ioſepho, & Nicodemo adhibito.

Act. 9.

Chryſ. ho. 84. in Ioa. tom. 3.

Marc. 16.

Supr. 14.

Aug. libr. 3. de conſen. Euan. c. 23. tom. 4.

Reſponderi poſſet, hoc factum eſſe, vt ea re teſtarentur ſe credere, noſtra hæc corruptibilia corpora per reſurrectionem immortalitate aliquando donanda: Ioſeph tamẽ, ac Nicodemum hanc operam corpori Chriſti non perinde, atque corruptibili præſtitiſſe homini, qui poſtremo die ſit ad vitam reuocandus, ſed veluti incorruptibili Deo cum noſtra humanitate cõiuncto, qui ſua ſe virtute breui eſſet excitaturus ad vitam: maximè quia legerant illud: Nõ derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem: & cùm eſſent diſcipuli Chriſti, qui ſæpè ab eo audierant, die tertio à morte reuicturum. Quod & Maria credens futurum, priuſquam necaretur, huiuſmodi odoribus caput illius delibutum largiſſimè perfudit. Quòd ſi nunc adfuiſſet Iudas, multò audacius obmurmuraſſet, ac dixiſſet: *Vt quid perditio hæc? potuit enim vnguentum iſtud venundari multo, & dari pauperibus.* Nam profectò niſi hac tanta fide præditi fuiſſent, ſic Chriſtum plus eſſe, quàm hominẽ, Ioſeph, & Nicodemus honeſtiſſimi, & ſumma ſapientia ornati viri, nequaquam cum dignitatis, & capitis ſui periculo Pilatum adijſſent, & abominãdam iuxta legem non conſcendiſſent crucem atq; cruentum illud malè ab omnibus vndiq; audientis cadauer non ſuſtuliſſent, atque cum aromatibus non condidiſſent, neque ſepulchro honorificè inſtructo mãdaſſent. Sed quoniam nõ tantùm homini, ſed Deo, vel Prophetę magno ſeſe exhibere officiũ perſuaſum habebant, minimè dubitaſſent vitã, & nomen, ac fortunas in apertum diſcrimen adducere. Nam tãtum illis tribuere fidem, quòd Ieſum vt Prophetam haberent, & hominem innocẽtem breui à

Reſponſio.

Pſalm. 15.

Ioan. 12.

Matt. 26.

Ibid.

Inſignis plane Nicodemi & Ioſephi in Chriſtum fides.

Deut. 21.

morte excitádum, parum erat viris in lege doctis, & exercitatis, & qui ſe diſcipulos Chriſti, licèt occultos, profitebátur. Nó nego tamen, in eorum fidẽ potuiſſe incidere aliquam hæſitationem, ac tribulationem, quemadmodùm & in fidẽ Apoſtolorum. Inuoluunt ergo corpus Chriſti linteis cum aromatibus, abſcóditum illum eſſe Deum confitentes, vt docet Eſaias. Inuoluũt corpus Chriſti linteis, ſicut mater in Bethleem eum pannis inuoluit: quem apud nos perpetuò ſub Sacramentorum inuolucris non quidem mortuum, ſed viuum permãſurũ cognoſcimus. Cum odoramẽtis conditur: quia mors illius in odorem vitæ in ſe credentibus futura erat.

Quid Nicodemus & Ioſeph Chriſti corpus linteis cum aromatibus inuoluendo teſtarentur. *Eſa. 45.* *Luc 2.*

Cum odoramentis corpus Chriſti cur cõditum fuerit

Erat autem in loco vbi crucifixus eſt, hortus: & in horto monumentum nouum. Non prorſus in eodẽ loco montis Caluariæ, ſed non longè ab illo. Quod diuina prouidentia factum eſt: nam locus ille diſtinctus erat à monte Caluariç. In horto ſiquidem Adam olim peccauerat: in horto Chriſtus paſſionem ſuam auſpicatus fuerat, orádo ad Patrem: in quo & captus eſt, & ibidem eam conſummauit, vt peccatum antiquum in horto commiſſum remitteretur, & per ipſum Chriſtum aditus nobis patet ad cçleſtem paradiſum. Adhæc vt anima Chriſti ſanctiſſima ad inferos deſcendẽs ſanctorũ Patrum animas liberauit; ita corpus Chriſti ſeminatum fuit in horto, vt fructum ferret, ſuſcitando omnia corpora electorum ſuorum, quemadmodùm granum integrã producit ſpicam, & Heliſçi corpus tactum mortuum excitauit.

Quare Chriſtus in horto cõdi voluerit. *Gen. 3.* *Matt. 26.*

4 Reg 13.

Et in horto monumentum nouũ. Erat fortaſſis ille hortus laudatus à multis, & commẽdatus, licèt illi obijcerent nonnulli fçtorẽ, & propinquitatẽ montis Caluariæ, in quo moris erat damnatos ad mortem interfici: ſed glorioſus, & omni memoria dignus hortus ille fuit, in quo Filio Dei, & Meſſiç ſepulchrum fuit conſtitutum. Nec tantùm nouum, quòd nouo homini conueniebat maximè; ſed etiam, vt Matthæus, & Marcus addunt, quòd exciderat in petra; ne poſſent Iudæi corpus effoſſum è terra per cuniculos ſecretos, & ſic à diſcipulis raptũ calumniari. Lucas verò, & Ioannes adiungunt: *In quo nondum quiſquam poſitus fuerat.* Vt intelligas fuiſſe nouum, firmum ac ob id honorificum, & nondũ alicuius mortui depoſitione maculatũ; atq; ita eſſet certior, & plenior fides de reſurrectione ex eo loco, ex quo aliꝰ reſurgere potuiſſet nemo.

Horti ſepulturæ Domini honorificentia

Sepulchrum Domini cur exciſum in petra.

De ſepulchro Domini cur additum ab Euangeliſtis: In quo nondum quiſquam poſitus fuerat.

Ibi ergo propter Paraſceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt Ieſum. Volebát itaq; hũc in alio digniore monumẽto, vt teſtis eſt Euthymius, quod longius à ciuitate diſtabat, collocare: ſed propter Paraſceuen Iudæorum, quç videlicet à Iudæis ad veſperã obſeruabatur, quo tempore fas non erat aut longius ambulare, aut amplius operari, magis autem quia & Paſcha aduenerat, in propinquo poſuerunt eum; diuina gratia ita diſpenſante, vt & ſanctæ fœminæ, & Chriſti diſcipulæ conſpicerent vbi poneretur, & diſcipuli poſſent propter propinquitatem proficiſci, ac viderẽt quæ poſtmodum facta ſunt miracula.

Vbi Ioſeph & Nicodemus Domini corpus niſi dies

Paraſceues c[...] ſtitiſſet, con[...] ac diſpoſuiſſent. *Eutym in c. Ioan. 28.*

Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria ſedentes contra ſepulchrum. Hanc alteram Mariam Marcus explicat fuiſſe Mariam Ioſeph, ſcilicet matrẽ. Et ſubdit quid agerent: *Aſpiciebãt*, inquit, *vbi poneretur.* Cogitabant enim de reditu ad vngendũ Chriſtum poſt Paſcha. Ideò ipſç primum videre meruerunt Ieſum ſuſcitatum, quæ poſtremæ fuerãt in videndo Chriſti corpore. De tertia verò Maria matre filiorum Zebedæi nulla fit mentio, quia fortaſſis aſſiſtebat beatæ Virgini cum ſancto Ioanne. Verum prçter illas, duas alias adfuiſſe, patet ex Luca, qui generaliter dicit, mulieres quæ venerãt cũ eo ex Galilæa, vidiſſe monumentũ: quas enumerat, cùm receſſet eas redijſſe ad monumẽtum. Certè Gregorius Nazianzenus in Chriſto patiẽte Chriſti corpus in manibus & ſinu Virginis Deiparæ à Ioſepho collocatum refert: quem multis lacrymis deplorat & adorat B. Virgo. Alij verò nõ tantùm ſepulturç adfuiſſe beatã Virginem, ac Ioannem ſanctum, ſed & Petrũ, & Iacobum fratrem Domini, affirmant vt Anſelmꝰ in libro illo de Paſſione: & rationi, & pietati eſt valde conſentaneum, licet de illis nihil referat textus Euãgelicus: aut fortaſſis quòd Ioſeph, & Nicodemus ſoli impetraſſent licentiã ſepeliendi, ſiue quòd cõſultò nullus Apoſtolorũ Domini adfuerit, ne putarentur à ſepultura corpus Chriſti abſtuliſſe, vel finxiſſe quòd ibi ſepelierint, quẽ in alio loco condidiſſent. Fortaſſis etiã mater ob id aberat, quòd illi properarent, ac vrgerent funus, ac ne nimio conficeretur dolore; ac proinde impeditura funeris celeritatem videretur.

Quænam illa altera Maria, quæ cum Ma[g]dalena ſedebat contra ſ[e]pulchrum.

Marc. 16. *Luc 16.* *Ioan. 19.*

Greg. Naz.

B. Anſelm.

Addit Lucas: *Et dies erat, & Sabbatum illuceſcebat.* Quibus verbis ſignare voluit tẽpus, quo Dominus conditus eſt in ſepulchro. Et cur non ipſæ mulieres hũc vngere feſtinauerint? *Quia dies*, inquit, *erat & Sabbatum illuceſcebat.* Quod nouo modo hic poſitum videtur, pro eo quod eſt, Sabbati dies incipiebat appetere. Cùm enim Sabbati dies à veſpera apud Iudæos inciperet, & dies aliqua illuceſcere ꝓpriè dicatur, cũ

Dies Sabbati olim apud Iudæos à veſpera incipiebat.

illa incipiat: ita Sabbatum quoque illuſceſcere dicebant, cum Sabbatum inciperet, etiamſi non à luce, ſed à tenebris inciperet. Iſtud diligenter eſt obſeruandum, quia ſeruit vt intelligamus illum locum obſcurum, *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati.* Cùm ergo dixiſſet Lucas: *Dies erat Paraſceues*, adiecit: *Et Sabbatum illuſceſcebat*; vt ſignificaret diem Sabbati iam appetere,& eam fuiſſe cauſam, cur mulieres vngere Dominum non potuerint.

Matth. 28.

Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta, & Sabbato quidem ſiluerunt ſecundùm mandatum. Ne ſcilicet putes, ipſas in via emiſſe aromata, quod fortè ob feſtum Azymorum non licebat: ſed reuerſæ quæ domi habebant, parauerunt: aliæ autem, quæ non habebant, emerunt. Et eſt pro reuerſę, accipiendum reuertentes, vt conueniat cum Marco, qui aſſerit eas poſt Sabbatum elapſum emiſſe aromata. Et profectò cùm illæ veſpere redierint, probabile eſt vniuerſas tabernas clauſas extitiſſe. Poſtremò adiungit Matthæus: *Et aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abijt.* Non ſolus, ſed auxilium præſtante Nicodemo, & miniſtris, quo tutum eſſe corpus à feris,& effractoribus ſepulchrorum.

Piæ mulieres quando emerint aromata ad vngendū corpus Dominicum.
Marc. 16.

Erat autem ſepulchrum in modum cuiuſdam ſpeluncæ, totum exciſum de petra, & vt tradit Beda, domuncula erat rotunda tantæ altitudinis, vt vix poſſet homo manu extenta culmen attingere. Oſtium paruum habebat ab Oriēte: in parte verò eius Aquilonē ſpectante, locus erat Dominici corporis de eadem petra exciſus, longitudinis ſex pedum, altior verò, atque eminentior reliquo pauimento tribus palmis, quaſi ſarcophagus quidam patulus. Oſtium verò tam erat paruum, vt ingredi volentem oporteret caput inclinare. Ideò de venientibus diſcipulis dicitur à Luca, & Ioanne, quòd inclinauerunt ſe, vel procubuerunt. Color verò monumenti, ac loculi, rubicundo, & albo dicitur eſſe permixtus. Hoc ſepulchrum dicitur glorioſum futurum ab Eſaia, vel propter Chriſtum quem continuit, vel propterea quod primum ſepulchrum eſt, quod corpus creditum rediuiuum ad vitam immortalem reſtituit. Adde, quòd inter tot fidei hoſtes tot ſeculis illud occupantes glorioſum & honorificum exiſtit; & à cunctis fidelibus ex toto orbe ſumma veneratione viſitatum eſt, & frequentatum. Adde deinde, quòd eiuſdem ſepulchrum quotannis à cunctis fidelibus in quolibet templo religioſiſſimè, & honorificentiſſimè recolitur, & repræſentatur: quemadmodùm exequiæ paſſionis & mortis eius perpetuò in Eccleſia celebrantur in iugi Euchariſtiæ ſacrificio, ne tantæ rei memoria vllis vnquam ſeculis intercidere, aut euaneſcere poſſit. Nam ad primum melius præſtandum, eriguntur noua monimenta in quibus die Iouis ſancti includitur Euchariſtia: quæ ſequenti die recluditur, & magna,& honorifica pompa circumgeſtatur.

Sepulchrum Chriſti deſcribitur.
Beda in Matth 27. tom 5.
Ioan. 20.
Eſa. 11.
Sepulchrum Chriſti glorioſum futurum prędixit Eſaias quatuor de cauſis.

Hic verò parumper ſiſtendum eſt, & illud ſeriò expendendum, cur nimirum Chriſtus voluerit ſepeliri, & cur in monumento tam honorificè inſtructo, alieno, nouo, exciſo in petra, grandi lapide clauſo, & quòd ipſe Ioſeph exciderat ſibiipſi. Primùm igitur ſepeliri voluit magna ſapientia, quo ſe verè mortuum oſtenderet, non enim viui, ſed qui verè mortui ſunt, ſepeliuntur: ſeque valentem prodere, dum poſt tantam ignominiam liberè perlatam tam glorioſum ſortiretur tumulum. Cùm tamen ex humilitate & paupertate nihil teſtatus ſit de pompa funerali; acceptam tamen habuit charitatem impenſam ſibi: & quia ſub terram miſſus eſt cœli Dominus, homo terra honorificatus eſt atque eleuatus. Impleuit quoque iuſtitiam, cuius eſt reddere vnicuique quod ſuum eſt; dum Chriſtus Patri reddidit ſpiritum, à quo acceperat, & corpus hominibus, quia ex illis ſumptum erat. Denique indicauit ſuam liberalitatem, excitando animum Pilati, vt tanto dono afficeret fidem Ioſephi. Quòd verò ſepulchrum honorificum voluerit, iuſtis rationibus non caret. Cùm enim ſatis eſſet factum diuinæ iuſtitiæ pro peccato hominis, tempus erat vt iam eius gloria coruſcaret. Deinde voluit Scripturam impleri, quæ habet: *Et erit ſepulchrum eius glorioſum.* Cæterorùm enim hominum, etſi illuſtrium, & clarorum ſepulchra magnis ſint ſumptibus conſtructa, magnificeque exornata, temporis proceſſu tamen indecora, & obſoleta ſunt reddita, quia defunctorum cadauera, vermibus, tabeque conſumpta continent, & eorum nomina obſcurata ſunt: nam vt ille dixit:

Sepeliri cur voluerit Dominus.
Proprium munus iuſtitiæ.
Cur tam honorificè Chriſtus ſepeliri voluerit.
Eſa. 11.
Hominum inter,& Chriſti ſepulchra quantum interſit.

Mors etiam ſaxis, nominibusq; venit.

Auſon. Gal.

At Chriſti ſepulchrum cùm illum Deum & immortalem hominem declarauit, eius nomen & gloriam maximè illuſtrauit, & in hodiernum vſque diem illuſtre remanſit, & glorioſum. Sepulchrum enim Moſis vſque modò ignotum eſt, vt in Deuteronomio perhibetur; Iouis quoque monumentum, qui ſummum numen dicebatur, nec non aliorum, qui dij falsò nuncupantur,

Deut. 34.

pantur, ſepulchra & in Creta, & in Græcia viſebantur, falſos fuiſſe deos, & diuinitatis vſurpatores teſtantur, quia eorum cadauera æquè perierint, ac mortales omnes conſueuerunt corrumpi. Solùm ergo Chriſti ſepulchrũ ſpectabile eſt & illuſtre, quia etſi illum mortalem oſtenderit, ſimul tamẽ illum immortalem eſſe docuit, dum incorruptum ac glorioſum poſt triduum ſempiternæ vitæ reſtituit.

II. Ratio honorifici Chriſti ſepulchri.

Adhæc à morte voluit, ac ſepultura ſua oriri gloriã, vt erudiamur, noſtram gloriam à morte incipere, quẽadmodum in ſepultura mundi gloria terminatur. Fuit autem Chriſti corpus vitę, & incorruptionis ſeminarium, quia diuina virtus à Chriſti corpore cœpit in ſepulchrum Ioſephi, & ab illo dimanauit ad noſtra. Ideò ipſo à mortuis reſurgente, multa defunctorum reſerata ſepulchra, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt. Cumque Chriſti ſepulchrum ob eius anguſtias nos omnes capere nequiret; ipſe pro infinita ſua ſapientia ac virtute rationẽ reperit, qua ſecum omnes crucifigi, cõmori, ac conſepeliri poſſemus; nec tamen vllam crucis, aut mortis, aut ſepulturæ iniuriam ſentiamus, ſed tantùm illius virtutem per baptiſmum percipiamus, in quo peccato morimur, ac ſepelimur, & ad vitam, & iuſtitiã æternam excitamur.

Virtus baptiſmi. Rom. 6.

Sepulchrum igitur Chriſti etſi vacet Dominicis mẽbris, vt teſtis eſt Bernardus, noſtris tamẽ eſt plenum, quæ ille ſua virtute ſeruat.

B. Bernard. ſerm. ad milites templi, cap. 11.

III. Ratio.

Adhæc ſepeliri voluit Dominus, quo ſimul declararet, peccatum proditionis & mortis peſtiferum fontem, ſua opera eſſe deletum, & ſuo cruore in cruce extinctum. Sed quoniã ab inſepultis quandoq; mortuis timor nobis incutitur, illud quoque ſecum ſepeliri voluit, ne vlterius formidabile eſſet, illudque inſtar leonis ſpirantis non timeremus, ſed mortuum potius ac ſepultum contemneremus, ac illudentes eius vellicaremus barbam. Quare illud vbique ſuperauit, ac profligauit Dominus, & in terra dum viueret, & in aëre, dum penderat in cruce, & in ſepulchro, quando in eo iacuit: ad inferos quoq; deſcendẽs illud debellauit, quò ſi nobis eſſet deſcendendum, illius vim, ac ſæuitiam minimè timeremus.

In alieno monumento cur Dominus ſit ſepultus. Luc. 2. Infra 9. Pſal. 15. Act. 2. Ambr. lib. 3. de Virgin. aliquanto ante medio 3.

Ad tertium, ſepultus eſt in alieno monumento ob commendandam paupertatem, quemadmodum in aliena domo naſci voluit, & in aliena domo dum vixit, cõuerſatus, cùm non haberet vbi caput reclinaret. Deinde vt oſtenderet quòd non debebat detineri à morte, & in cineres redigi. Quod ponderans Ambroſ. lib. de Virginibus: *Bene etiam* (ait) *ſecundùm literam alienum monumentũ fuit, quia ſuum monumentũ Dominus nõ quæſiuit. Habeant tumulũ, qui ſub lege ſunt mortis, victor mortis ſuum tumulũ non habebat. Non enim ille ſepulchrũ mortis deſiderabat, qui de morte trophæa referebat.* Hæc ille. Conueniebat quoq; ei aliena ſepultura, qui pro aliena culpa mortẽ ſuſtinebat.

Cur conditus ſit in monumento nouo.

In monumento verò conditus eſt nouo, non ſolùm quòd paucis ante dieb. fuerat à Ioſepho ſibi exciſum, ſed ob id maximè, quia nemo in eo adhuc poſitus fuerat, ne alius ab eo crederetur ſurrexiſſe, vel virtute alterius Sancti, vel Prophetæ ibi ſepulti ſuſcitatus fuiſſe: ſicut olim mortuus tangẽs oſſa Heliſæi Prophetæ eſt excitatus ad vitã. Hinc Ambroſ. eodem loco ait: *Bene & Matthæus monumentũ dixit nouum, ne ex monumento veteri reſurrexiſſe alius crederetur.* Sic ille.

4. Reg. 13. Ambr. ibid.

Deinde propter reuerentiam corporis Chriſti, ꝙ nouum erat, quia opera Spiritus ſancti formatũ, & corpus Dei, atque hominis innocentis, & ſine peccato. Et ſicut in vtero Virginis nemo poſt eum cõceptus eſt, ita in hoc monumẽto nemo ante eum, & nullus poſt eũ ſepultus: vt egregiè docet Orig. in homilia illa: *Cùm eſſet deſponſata mater Ieſu Maria.*

Orig. hom. 1 in diuerſos. Matth. 1.

Adhæc nouum quid, & inauditum futurum in illo ſepulchro portendebatur: nemo enim ex mortuis redierat ad vitam, & in illo mors amara in placidiſſimum conuertenda erat ſomnum, ex quo electi aliquãdo erant excitandi. Hinc ab Athanaſio in Oratione in ſanctam Paraſceuen, monumentum illud vocatur immortalitatis locus, officina reſurrectionis, diſſolutio ſepulchrorũ: in quo mors definit eſſe mors, in quo vita ſeritur finem non habens. Hęc ille.

B. Athanaſ. Dominici ſepulchri encomium ex Athanaſio.

Quare aduolutum ſaxum magnum ad oſtium monumenti.

Appoſitum eſt ergò ſepulchro ſaxum grãde, tùm ne locus peruius eſſet beſtijs, tùm ne mulieres ſine aliorum ope ſaxũ mouere poſſent. Quod ſi fuiſſet multis lapidibus fabricatum, tumuli fundamẽtis ſuffoſſis ſublatus fortè à diſcipulis crederetur, vt ait Thomas. Ponitur ergo Chriſtus petra in petra, nouus in nouo, vniuerſorum Dominus in alieno ſepulchro, vt ita magis cõſpicua reddatur diuinę reſurrectionis veritas.

B. Thom. in Matth. 10. 14. 1. Cor. 10.

Cur in monumento iuſti Ioſephi Dominus ſit conditus.

Deniq; in ſepulchro iuſti Ioſeph cõditus eſt: qui enim inter peccatores vixerat, & in medio latronum crucifixus erat, quò ſignificaret ſe incarnatum, & immolatum pro peccatoribus: nõluit tamen condi, niſi in monumento iuſti Ioſephi, quia non vult amplius intereſſe cõſortijs peccatorum. Chriſtus enim reſurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.

Rom. 6.

A quibus nolit Chriſtus in Euchariſtia contrectari.

Nec ab iniuſtis Sacerdotibus, aut peccatoribus vult in Euchariſtia contrectari, ſiquidem in Altari ſancto Euchariſtiæ adeſt petra ſacra, adſunt cor-

poralia

poralia, tanquam ſindon, ſiue linteamina, debēt adhiberi aromata virtutum, vt cum amaris lactucis edatur agnus. Debet quoq; adhiberi nouitas hominis interioris, vt in illo poſſit quieſcere, & apponi ſaxum voluntatis ſolidæ in bono: excauandum tamē amore proprio, quò ſit fortior.

Exod. 12.

Quid fecerint Iudæi circa Domini ſepulchrum.

Iam dicendum quid fecerint Iudæi circa ſepulchrum. Ait ſiquidem ſolus Matthæus: *Altera autem die, quæ eſt poſt Paraſceuen, conuenerunt Principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, dicentes:* Domine, *recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens, Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque in diem tertium; ne fortè veniant diſcipuli eius & furentur eum, & dicant plebi eum reſurrexiſſe à mortuis: & erit nouiſſimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam? ite, cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.* Spectant & hæc ad Chriſti Ieſu glorificationem: quò magis enim impedita eſt reſurrectio, & veritas eius humanis conſilijs & conatibus obſcurata, eò eſt glorioſior & maior. Et vide quàm ſit meticuloſa malitia: *Non eſt enim pax impijs, dicit Dominus:* & ſemper præſumit, ſæua perturbata conſcientia. Iudæi ergo in ſua perfidia permanentes, dati ſunt in reprobum ſenſum, ac Deo ipſi bellum indicere moliuntur: ſed iſtis ſuis machinationibus glorioſum Ieſu ſepulchrum reddere ſe ignorabant, ideo contra ſtimulum calcitrabant. Per alteram diem poſt Paraſceuen, intelligunt quidam diem ipſius Sabbati. At ſi verum amamus, quemadmodum Remigius, & Albertus Magnus annotarunt, per hanc alteram diē intelligunt illam eandem ſextæ feriæ, ſed iam ſub veſperam noctis, à qua incipiebat dies Sabbati: nam more Hebræorum feſta incipiebant à veſpera. Et cōgruit, vt Chriſtus, poſtquàm in ſepultura conditus eſt, ſaltem adhibita ſit cuſtodia, ne fortè mentiri poſſint, Ieſum ab Apoſtolis illa nocte furto ſublatum, & vt ita teſtentur Iudæi ſe nonnihil à Chriſto mortuo timuiſſe: nihilque illi autoritatis imminutum per mortem exiſtimarent, ac viderent, ſed potiùs poſt diſceſſum magis dilectum fore putarent. Curandum igitur illis erat ne reſurgeret, ne ſi omnia illius dicta impleta eſſe conſtaret, haberetur pro vero illo Propheta, quem Deus poſt Moyſen vēturum promiſerat. Et dicēdo altera die poſt Paraſceuen, periphraſticè deſcripſit diem Sabbati, non ſuo nomine, eò quod nō eſſet Sabbatum, quantum attinet ad Iudæorum inſaniam. Lex enim prohibebat, ne quis ſe die Sabbati loco moueret; iſti autem præuaricatores pergunt ad alienigenam Pilatum, & quia iam Sabbatum cum legalibus omnibus extinctum fuerat per Chriſti necem. Dei autem diſpenſatione fit vt muniant ſepulchrum, & cuſtodiant, vt reſurrectio inimicis teſtibus comprobetur, vt teſtatur Theophylactus. Vocant autē dominum, Pilatum, adulantes ei, quem peius cane oderant, & angue. Appellant Ieſum ſeductorem, nuntium diuinæ veritatis, & qui dixit: *Ego ſum via, veritas, & vita*: nec fuit aliter ſeductor, niſi quomodo Ieremias Deum bene ſeducentem vocat: *Seduxiſti me Domine*, inquit, *& ſeductus ſum*. Notandum, *Recordati ſumus*. Non quidem bonorum, quæ dixit, aut beneficiorum, quæ illis contulit, nam horum obliti erant, ſed eorum, quæ ſibi negotium putabant faceſſere, vt obſiſtant. Confirmant eius mortem, dicendo. Adhuc viuens: quaſi verò tunc non viueret is, qui Deus erat immortalis. At dicentes: *Iube cuſtodiri ſepulchrum*, atteſtantur quòd ſepultus ſit; atque ita oſtendunt ſe credere incipere ſigno Ionæ Prophetæ: & pro munitione intelligunt cuſtodiam militarem. Indicant etiam his verbis metum & formidinem, quam de Ieſu mortuo cōceperant. Euthymius contendit nunquam dixiſſe: Poſt tres dies reſurgam, ſed, *Tertia die reſurgam*: vt Matth. 12. 16. 17. 20. Sed profectò dicitur Marc. 8. *Poſt tres dies reſurgam*, etiam in Græco codice. Sed idem eſt dicere, Poſt tres dies, ac dicere, In die tertia, vt alio loco in Marci verba annotaui. Quemadmodum Ioan. 20. cùm dicitur: *Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus*, idem eſt, ac ſi dixiſſet, octauo die. Et ſic eſſe intelligendum hoc loco, probat quod ſequitur: *Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum*: quia tunc corpus eius erit corruptum, & verbum eius falſitatis conuictum. Erat fortè horum conſilium; corpus Ieſu tertia die, vel quarta populo oſtendere, ne quis de illo mentiri poſſet quod ſurrexiſſet: quia ſi primo die ipſum combuſſiſſent, omnino dici poterat ipſum tertia die ſurrexiſſe, niſi illud tertia die ſpectandum populo exhiberent. Primo enim, & altero die, qui feſti erant, non poterant iam oſtendere, tertia verò die potuiſſent illud de ſepulchro educere. Sed Dominus illorum cogitationes anteuertit. Expendit acutè Origenes, Sacerdotes, ac Phariſæos data opera verba Chriſti, quæ in ipſorum concilio inuerterant, vt teſtimonio falſo illum grauarent, protuliſſe. Supra enim de templo illum lapideo dixiſſe aſſerebant: *Poſſum deſtruere templum Dei*; & in cruce pendenti inſultabant: *Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo readificas.*

Hic

Iudæorũ peruerſæ cōſcientiæ metus terroreſque.

Eſai. 48.
Sap. 17.

Quænam dies altera illa poſt Paraſceuen.

Remig. in Matthæum.
Alber. Mag. ibidem.

More Hebræorum feſta incipiebant à veſpera.

Deut. 18.

Alteram diem poſt Paraſceuen Euangeliſta cur Sabbatum appellauerit.

Exod. 18.

Quare Pilatũ Iudæi dominũ appellauerint.

Theophyl. in Matth.
Ioan. 14.
Ierem. 20.

Iudæorum in Chriſtum pectus ingratum.

Ion. 2.
Matth. 12.
Infra 16.
Euthym. c. 6? in Matth.

Cur Iudæi à Pilato petierint ſepulchrũ vſque in diem tertium cuſtodiri.

Orig. tract. 3? in Matt. 10.
Matth. 26.
Ioan. 2.

Hic autẽ de reſurrectione corporis ſui locutum eſſe dicũt; *Poſt tres dies reſurgam.* Quis non videat malitiam Iudęorum omnia ad victoriam detorquentium? Et ſubiungunt: *Ne fortè veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis.* Hæc commẽta fraudulenti Principes cęperunt diſſeminare, vt veritatem reſurrectionis, quam metuebant, infirmare poſſent, vt poſtea fecerunt. Ac fingũt ſe diſcipulos metuere, quos metu latitare ſciebant. Et quã ineptè, ƀone Deus, cogitabant de diſcipulis, quòd ſi Chriſtus (vti prædixerat) non reſurgeret, illos tamen velle fraudibus mendacium Chriſti tutari, & non potius ſcandalizatos ab eius veſtigijs & ſequela ſe ſubtracturos. Sed qua ratione, quæſo, diſcipuli vellent corpus eius furari? an vt ſeipſos vltro deciperẽt? an vt alios in ſuam ipſorum ruinam traherent? Nam quis crediturus erat, ſi redivivum nõ vidiſſet, quem mortuum certiſſimè nouerat? niſi fortè in diſcipulis magna quædam fides illius viuentis reluceret. Volebãt ergò corpus furari, quia ab eo acceperant poteſtatem mortuos ſuſcitãdi, & ita eum volebãt à mortuis reuocare? At verò ſi talis in eis ex illo poteſtas ſupererat, & non erat cum ipſo extincta, dignus erat qui pro Meſſia reciperetur. Alij cuſtodiri ſepulchrum eius volebant, vt in eo illum rurſus interficerẽt; adeò vt ſi compareret iterum, rurſus eum morti traderent: at hoc erat in Deum pugnare. Et ſubdunt: *Et erit nouiſſimus error peior priore.* Prior error fuit credere Filium Dei: poſterior, quòd reſurrexerit à mortuis. Erit etiam prior error minor ſequenti, non ad ſenſum, quo illi ducebãtur, ſed ad noſtrum. Si prędicantibus Apoſtolis ipſum reſurrexiſſe, populus eis non crederet, & milites nõ adeſſent, quorũ cuſtodia excluderetur calumnia, dicentium corpus Ieſu furto ſublatum; verùm ipſi tãtum milites hoc dicerent, quibus non crederetur allegantibus turpitudinẽ propriam & neglectam cuſtodiam. Item vt præclarius vinceretur malitia à mirabili prædicatione diſcipulorum. Nam ſi Chriſtus non ſurrexiſſet tertia die, vt promiſit, eſſent Apoſtoli decepti, & propter eum ab omnibus odio habiti, & extorres Chriſtum vt impoſtorẽ abominati eſſent: neq; perſuadere populo potuiſſent, quòd à mortuis ſurrexiſſet. Cui enim ſolido nixi eſſent fundamẽto ad rem tam nouam, & inauditam alijs perſuadendam? Illi autẽ impetrata à Pilato facultate, dicente: Habetis, ſiue, vt Gręcè dicitur, Habete cuſtodiam, hoc eſt, accipite: *Ite,* inquit *cuſtodite, ſicut ſcitis.* Non permiſit vt ſoli milites munirent ſepulchrũ, vt annotat Euthymius, ſed Principibus Sacerdotum ac Phariſæis præcipuè commiſit ea, quæ munimĩnis erant, ſequente eos cuſtodia. Ita enim Deus ordinauit, ne poſt reſurrectionem dicere poſſent, quòd cùm ſoli milites ſepulchrum muniuiſſent, tradiderant corpus diſcipulis. Quare ſubiungit Euangeliſta: *Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum; ſignantes lapidem cum cuſtodibus, ſeu adhibita cuſtodia.* Verbo Latino Cuſtodię vſus eſt Matthæus Græcus, quòd eſſet à Romanis iam in Iudæa vſurpatum: quemadmodum & nomen Centurionis, & alias pleraſque voces Latinas vſurpauit, vt ſuperius annotauimus. Iudæos autem dicit munijſſe ſepulchrum obſignato ſiue ſigillato ſaxo, adhibitaque cuſtodia militari. Circa primum de obſignatione lapidis vide quid ſcribat Nicephorus Calliſtus libro Eccleſiaſticæ hiſtoriæ: *Traditum,* inquit, *nobis eſt ab antiquis, Iudæos lapidem eum, qui in ſalutiferum illud ſepulchrum pro operculo poſitus fuerat, ad ſummum monumenti labrum, petramq́; illi inferne ſe coniungentem, ferramentis quibuſdam fabrili lapicidarium arte perforaſſe, ferrumq́; ingens à fabro ex propinquo acceptum, per vtrumque foramen immiſiſſe, & in circi ſiue annuli formam circumegiſſe, atque ita firmiter capitibus commiſſis, omni ex parte vinculum circumduxiſſe, vt lapis qualicunque modo loco ſuo reuelli, aut ſaltem ratione aliqua moueri (niſi arte quapiam, & vi adhibita neceſſariò, aut ferrum confringeretur, aut petra perrumperetur) non potuerit. Atque ad hunc modum cum magna cura, atque etiam ſigno appreſſo, cùm ſepulchrum firmiſſimè communiſſent, cuſtodia inſuper competenti adhibita eos abyſſe.* Hæc ille. Pulchrum eſt autem cernere quàm appoſitè, & eleganter veteres Patres eiuſmodi cuſtodiam mortuo adhibitam irrideãt. Etenim Athanaſius ſermone in ſanctam Paraſceuen, ita habet: *Miſer, & infelix Iudæe, qui mortis vincula diſſoluit, non ſoluet ſepulchri ſigilla? qui ſpoliauit infernum, timebit monumenti ſignacula? Muni ſepulchrum, ſigna lapidem, ſtatue milites, obſide monumentum cuſtodibus: iſto modo egregium opus maius efficis. Statuis enim ſpectatores, ac teſtes reſurrectionis, meorumque miraculorum præcones miniſtros tu præparas.* Amphilochius verò ſermone de ſepultura Domini: *Quis vnquam vidit mortuum aſſeruari, vel potius quis vidit vnquam mortuum belligerare? Quis audiuit aliquando mortuum, & vndique circumſeptum, metum eis incutere, qui eum interemerunt? Quis odium in inimicum non depoſuit, cuius vitam abſtulit?* Hæc ille. Hæc cuſtodia præfigurata fuit in ea, qua Saul ſuos miſit ſatellites, qui domum, in qua Dauid iacebat, vallarent: ille autem monitu vxoris Michol, ſe per feneſtram,

[illegible]orum in[illegible] nequi[illegible] fraudes, [illegible] men[illegible]dacia.

[illegible] In[illegible] ea [illegible] Chri[illegible] [illegible] [illegible]pus [illegible] ſubſtuliſſe.

[illegible] Iu[illegible] [illegible] E[illegible] erit [illegible] mus [illegible] peior [illegible]e.

[illegible] Pilatus [illegible] Princi[illegible] Sacer[illegible] corpus [illegible] Domini [illegible] cuſtodirent. [illegible] Euthymius.

Niceph. li. 1. cap. 32. circa med.

Quomodo Iudæi munierint ſepulchrũ ſignantes lapidem cum cuſtodibus, vt ait Euãgeliſta.

Iudæorum illa Dominici ſepulchri cuſtodia quàm ridicula Patribus viſa ſit, & plena ſtultitiæ *B. Athanaſ.*

Amphilochius.

Dominici cuſtodia ſepulchri vbi fuerit adumbrata.

1. Reg. 19. *Ion. 2.*

non per ianuam ſubduxit, atque ita euaſit. De hac cuſtodia dixit Ionas: *Ad extrema montium deſcendi: terræ vectes concluſerunt me in æternum.* Hæc ille, vocans cuſtodes, & ſigilla terræ, vectes, quibus erat concluſus. Sed Chriſtus in ſepulchro Deum precabatur, dicens: *Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant iuſti, donec retribuas mihi,* nam iuſti expectabant, vt Chriſto mortuo vita retribueretur, certi idem ſibi à Deo aliquando propter Chriſti merita tribuendum. Nos igitur ſuauiter Chriſtum in cordibus noſtris ſepeliamus cum mixtura aloë, & myrrhæ, id eſt, contritione, & deteſtatione peccatorum, cum odoriferis aromatibus virtutum: diligentemque cuſtodiam illi ſepulto adhibeamus, ne nobis dormientibus tantus theſaurus ſurripiatur. Nam olim in ſepulchris theſauri ſoliti erant recōdi: nullus autem maior theſaurus ad ditandam paupertatem noſtram eſt Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre, & Spiritu ſancto detur omnis gloria, honor, & imperium perpetuis ſeculis, Amen.

Pſal. 141.

Chriſtus, vt ſit à nobis ſepeliendus, cuſtodiendusque.

Vbi olim theſauri ſoliti erant recondi.

TRACTATVS L.

De deſcenſu animæ Chriſti ad inferos.

CVM frequenter Iudæi à Domino ſigna de cœlo peterent, Chriſtus tantùm de terra ſignum promiſit: *Generatio,* inquit, *mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Eſt autem cor terræ centrum eius, in quo ſitus eſt infernus, ad quem Chriſtus ſecundùm animam non ſine magno ſanctorum Patrum fructu, & ſpei noſtræ in eo exhibitæ adminiculo deſcendit. Quare cùm articuli Fidei ita ſint in Symbolo concinnati: *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus: deſcendit ad inferos:* cùm iam de reliquis diſſeruerimus, de Chriſti deſcenſu ad inferos nobis inſtituenda diſputatio eſt. Ac primum quidem quid nomine inferorum in ſacris literis intelligamus, explicandum: deinde tractandum, an verè, & reipſa deſcenderit Dominus ad inferos: tertiò, quomodo deſcēderit qui omnia implet: quartò, quorſum Dominus in infernum voluerit deſcendere, cùm poſſet nos citra illum liberare.

Ierem. 23.

Ad primum igitur ſatisfacere volentes, permittimus, variam eſſe huius vocis ſignificationem. Eſt enim infernus inferior, ac proinde illi è regione reſpondens infernus ſuperior. Deinde locus infernus reſpectu noſtri, vt ex Patrū traditione indicata per Scripturas accepimus, quatuor receptacula, ſeu manſiones continebat; primam, infimam damnatorum, quæ etiam inferior infernus à Dauide vocatur: *Eruiſti,* inquit, *animam meam de inferno inferiori:* vbi Rabbini non ineptè tradunt, viam adulterorum eſſe profundum inferni, ſeu infernum inferiorem, à quo fuit liberatus Dauid, non quidem actu, cùm nunquam ibi extiterit, ſed ab eius merito, & reatu, cùm audiuit à Natan Propheta: *Dominus tranſtulit peccatum tuū.* Infernus verò ſuperior dici poteſt continere illa tria receptacula ſuperiora, videlicet manſionem, quæ dicitur limbus Patrum, & illam purgatorij, & tertiā puerorum, qui abſque Circumciſionis, vel Baptiſmi Sacramento deceſſerunt. A limbo verò Patrum nemo liberatus eſt, donec Chriſtus pretium redemptionis exoluit. Cùm igitur legamus in ſacris literis inferni nouiſſima: *Ignis,* inquit, *ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima;* Et in Prouerbijs: *Vt declinet de inferno nouiſſimo.* Et Iob, *In profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea,* oportet quoq; eſſe ſuperiora inferni, ſeu portas inferi, de quibus Ezechias. *Ego dixi in dimidio annorum meorum, Vadam ad portas inferi:* imò Iacob abſolutè dixit: *Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos,* hoc eſt, ad eos qui comparatione viuētium dicuntur inferi. Superior ergo infernus diuidi poteſt in limbum Patrum, ſeu ſinum Abrahæ, in quem Lazarus ab Angelis adductus eſt, & in limbum puerorum, & in purgatorium locum. Locus verò damnatorū ſimpliciter dicitur infern⁹, & locus tormētorū, idem à Chriſto caminus ignis, gehenna ignis, ignis æternus, à Ioanne Baptiſta ignis inextinguibilis, à Ioāne verò in Apocalypſi ſtagnum ignis, & ſulphuris. Dicitur & Thopheth præparata apud Eſaiam, & Ieremiam. Quòd verò eſſet locus ille ſiue limbus puerorum, in quem deſcenderent olim pueri incircumciſi, vel nūc nondum baptizati, non tantùm conſtat ex traditione, ſed etiam ex verbo Dauidis de filiolo ſuo extincto dicētis: Ego vadam magis ad eum, ille verò nō reuertetur ad me. Quod etiam nomen inferorum comprehenderit eos, qui expiatorio igne purgabātur, ex verbo Petri elici poteſt, cùm dixit de Chriſto: *Quem Deus ſuſcitauit à mortuis ſolutis doloribus inferni:* iuxta quod impoſſibile erat tene-

Inferorum vocabulum in Scripturis quā latè pateat.

Locus infernus reſpectu noſtri quæ receptacula contineat.

Pſal. 85.

A quo profundo inferni Dauid fuerit liberatus, & quomodo.

2. Reg. 12.

Infernus ſuperior tres manſiones continebat.

Deut. 32. *Prou. 15.* *Iob 17.* *Eſa. 38* *Gen. 44.* *Luc. 16.*

Inferni propriè accepti variæ appellationes in ſacris literis.

Ibidem *Matth. 13.* *Supra 5.* *Infra 25.* *Supra 3.* *Apoc. 2.* *Eſai. 30.* *Ierem. 7.* *2. Reg. 12.* *Act. 2.*

Oſeæ 13.
1. Corin. 15.

ri illum ab eo. Et rurſus Propheta: *Ero mors tua, ò mors, morſus tuus ero inferne*, & Eccleſia, quæ dum precatur pro defunctis, ait: *Erue Domine ab inferis animam eius*, hoc eſt, à purgatorio igne, cùm modo non extet ampliùs ſinus Abrahæ.

Philip. 2.

Dicitur etiam, quòd omne genu flectitur Chriſto, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et cùm ſermo ſit de genuflexione ſpontanea, ac libera, conſtat, illam, quæ ab inferno exhibetur, tantum eſſe ab electis, qui in igne purgatorio vexantur.

Ad quænam loca ex prædictis Chriſtus deſcenderit, & qua ratiõe.

Si quis ergo quærat, ad quæ loca ex prædictis Chriſtus deſcenderit in infernum; reſpondendum planè ad omnia, verùm ad Patres limbi, & purgatorij pœnis detentos re ipſa: ad infantes verò, ac damnatos per effectum, ſua quodammodò præſentiæ virtute, malos exterrens, ac crucians. Quidam verò non improbabiliter putant, ad locum damnatorum etiam deſcendiſſe, ſi eis prædicauit, vt B. Petrus docuit, ſiue etiam vt hoſtes ſuos præſentia maieſtatis ſuæ grauiùs torqueret, atq; cruciaret, & id videntur nonnulli ex veteribus Patribus aſſerere. Et hæc de primo.

An Chriſtus verè ad inferos deſcenderit.

Ad ſecundum dicendũ eſt, re ipſa Chriſtum ſpiritu ſuo ad inferos deſcendiſſe: quanquam prima facie cùm nullus ex quatuor Euangeliſtis huius deſcenſus meminerit, Chriſti mortem, ſepulturam, ac reſurrectionem enarrantibus, oppoſitum videretur eſſe dicendum.

Eraſmi de hac re ſententia tanto digna Theologo & Doctore.

Vnde quibuſdam negotium faceſſit hic articulus; adeò, vt Eraſmus in libr. quem ſcripſit, Catechiſta, affirmet: *Hic eſt*, inquit, *articulus, quem Cyprianus aſſerit in Symbolo non haberi, ſed nec apud Orientis quidem Eccleſiam.*

B. Cyprian. in expoſit. Symboli.

Addit, Nicenæ Synodi Symbolum eius non meminiſſe. *Videtur*, inquit, *in textum emblema. An Thomas Aquinas addiderit, ſubdubito: nonnulla eſt ſuſpicio hanc particulam ab aliquo adiectam. Vetuſtiſſimi Patres magna religione cauebant, ne quid aſſeuerarent, quod non eſſet euidenter expreſſum in Scripturis vtriuſque Teſtamenti, Tales ſunt omnes articuli, hoc vno excepto.* Et interroganti quare poſteriores addiderunt, reſpondet: *Quia videntur hæc ex ſacris literis diligenter excuſſis collegiſſe: quibus addunt nonnullas rationes, quibus id probant, non illas quidem adamantinas, ſed tamen non prorſus improbabiles.* Et cùm adduxiſſet Catechumenus aliquot Scripturas, quibus probaretur deſcenſus Chriſti ad inferos: reſpondit non certò haberi per illos locos animam Chriſti per ſe ad tartarum deſcendiſſe: *Sed Scriptura* (ait) *mortem; & ſepulturam vocat inferos.* Et concludit: *Hæc & ſimilia audiantur, vt hominum pia contemplationes, non vt articuli fidei. Nobis illud ſatis eſt; quòd ſemel natus eſt homo, verè paſſus eſt, & verè mortuus eſt, ac ſepultus; verè reuixit eádem anima in ſuum corpus reuerſa.* Hæc ille tam liberè ac confidenter de vno articulo Fidei ediſſerens. Non dubitamus, non ita apertè, & expreſſè hunc articulum eſſe ſacris Euãgelijs declaratum, vt reliquos ad Chriſti humanitatem ſpectantes; adeò, vt Franciſcus de Mairon in 3. ſententiarum aſſerat, Scotum putaſſe non probari per Scripturas deſcẽſum Chriſti ad inferos.

Franciſ. de Mairon.

Et idem docuit Durandus in eodem libro.

Durand. in 3. diſt. 22. q. 3.

Eraſmi, & ſimilium opinio cõfutatur de hoc Fidei articulo dubitantium.

Veruntamen iſti non expendunt alios locos Scripturarum, vel Symbola Fidei ab Eccleſia tradita, vel priſcorũ Patrum conſentientem traditionem, ex quibus poterant huius articuli notionem accipere. Quare vanũ eſſe exiſtimare, Thomã adiecisse hunc articulũ Symbolo, quaſi antè in Eccleſia non fuiſſet, aut non caneretur in Symbolo, aut quaſi tantæ arrogantiæ fuerit Thomas, vt Symbolo adiungeret articulum. Deinde iniquum eſt non eſſe articulum, quia in Nicena Synodo non continetur.

Secundum argumentum.

Sed ſatis eſt in Apoſtolico haberi: & vt vnus Euangeliſta alterius ſupplet defectum, ita Symbolum Symboli ſupplet defectum. Quidam meditantur, eiuſmodi articulum ablatum eſſe à Symbolo propter Arrianos dicentes, Chriſtum, ſicut & cæteros, deſcendiſſe ad infernum tãquam creaturam, non vt Deum, & Dominum, ac victorẽ. Producit præterea Eraſmus Cyprianum malignè; cùm tamẽ non ignoraret illam expoſitionẽ in Symbolum nõ eſſe Cypriani, cùm in eo opuſculo hæreſes Cypriano poſteriores recitentur: vnde & communi conſenſu Ruffino tribuitur. Illud etiam pulchrum eſt, quod etiam articulum ſepulturæ magna ex parte nobis adimit. Ait enim; nõ certo haberi cõiunctam cum corpore Chriſti diuinitatem: quod eſt non verè Chriſtum fuiſſe ſepultũ. Sed quomodo ait Scriptura, *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*; vocãs corpus ſanctum Dei, eò quòd verbo Dei eſſet vnitum, ſicut & anima illi vnita erat?

Pſalm. 15.
Chriſti deſcenſus ad inferos probatur Scripturis.

Sed iam accedamus ad Scripturas, & firmã, & certã reddamus huius articuli fidem.

Primus locus.
Pſalm. 15.

Inprimis Dauid in perſona Chriſti orat: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Profectò nõ derelinquitur qui in eo non eſt: ſicut non derelinquitur in puteo, vel in morbo, qui in illud non incidit. Quòd ſi dicat Eraſmus, nomine inferorum ſignificari ſepulchrum, ridiculum eſt commentum; quaſi verò animarum ſit manere in ſepulchris: ita Patres Veteres interpretantur hunc locũ, Cyprianus ſerm. de paſſione, & altero de reſurrectio-

Cyprian.

Atha. Cyril. Alex. Aug. to. 11.

ne. Athanaſ. oratione 2. in Arianos, Cyrill. lib. de recta fide ad Reginas, & Auguſtin. epiſtola 9. ad Euodium, & epiſt. 57. & 59. Accedit & ratio, quia homo primùm moritur, deinde corpus conditur in ſepulchro & tùm demum etiam deſcendit in locũ inferorum: ita Chriſtus mortuus fecit, vt hominum animas, & corpora liberaret. Vnde Pſal. 88. *Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem: Eruet animam ſuam de manu inferi.*

Secundus locus. *Actor. 2.*

Secundò idem probatur ex verbis Petri in Actis dicentis: Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. Non ignoro quoſdã Græcos codices habere, Solutis doloribus mortis: ſed tamen præſtantior, ac melior eſt Latina lectio: tum quia dolores mortis in cruce perſoluit, nec tunc ex cruce ſuſcitatus eſt; tũ quia Petrus poſt illa verba ſubdit teſtimonium Dauidis: *Non derelinques*, inquit, *animam meam in inferno, &c.* Et ſubinfert: *Propheta igitur cùm eſſet, &c.* Prouidés locutus eſt de reſurrectiõe Chriſti, quia neq; derelictus eſt in inferno neq; caro eius vidit corruptionem. Tùm denique quia Patres hanc lectionem ſequũtur, & ponderant, & exponunt dolores inferni: vt Polycarpus epiſtola ad Philippenſes: *Qui ſuſtinuit*, inquit, *pro peccatis noſtris vſq; ad mortem, quem reſuſcitauit Deus, diſſoluens dolores inferni.* Idem quoque facit Irenæus libr. aduerſus hæreſes Valentini, & ſimilium; Cyprian. ſerm. de cœna Domini, & iterum ſerm. de paſſione; Theophilus Alexandrinus in lib. Paſchali, & Epipha. libr. aduerſus hæreſes in hæreſim Tatianam, vbi exponit illa verba de dãnatis, quorum quoſdã miſericordia Dei ab inferni cruciatu liberatos tradit. Auguſtin. quoq; libr. ſuper Geneſim ad literam, & in epiſt. ad Euodum explicat inferni dolores ſolutos, vel in ſe ipſo, ne eũ tangerẽt, vel quia aliorum, qui in purgatorio detinebãtur, dolores exoluerit. Si ergo Chriſti anima dolores inferni ſoluit, à quibus nõ poterat teneri: nã ex natura rei cùm anima eſſet beata, & ex diuinæ iuſtitiæ prouidentia, quia Chriſtus mortis debitor nõ erat, & ideò doloribus inferni non potuit detineri, nec infernus vllũ valuit ius habere in eum. Hic autem ſermo re ipſa ponit animã Chriſti in inferno fuiſſe, à quo teneri minimè potuit: ſicut nec cetus Ionã Prophetam detinere valuit, quem coactus fuit viuũ euomere. Tertio idẽ deſcenſus Domini ad inferos probatur ex verbo Matthæi: *Sicut enim Ionas*, inquit, *fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ſic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Et vt cor in animalis medio conſiſtit, ita &

Hæc lectio Latina Solutis doloribus inferni cur ei Græcorum lectioni præſtet: Solutis doloribus mortis.

Polycarp.

Irena li. 3. ca. 20. ſub init. Cyprianus. Theophilus. Alex. li. 1. Paſchali. Epipha. lib. 1. ſuper Geneſim ad literã, c. 33 tom. 3 & ep. 99. tom. 2.

Ioann. 2.

Tertius locus. *Matt. 12.*

Ioann. 2.

Situs cordis.

infernus in medio terræ. Non fuit autem in corde terræ ſecundùm corpus, ſed in ſuperficie: ergo intelligendum eſt de anima, quæ re ipſa deſcendit ad inferos, vt exponit Caietanus. Atque hic ſenſus confirmatur ex verbis Prophetæ Ionæ, qui ait: *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferni clamaui, & exaudiſti vocem meam. Et proieciſti me in profundum in corde maris.* Hæc ille, vbi aquæ partem profundiſſimam cor vocat, & ventrem inferni. Ita ergo cor terræ ſignificabit vel medium, vel profundũ terræ, in quod corpus non deſcendit, ſed anima. Et rurſus cõfirmatur hæc expoſitio, quia ab hora nona, qua expirauit in cruce, vſq; ad reſurrectionẽ computãtur ab Auguſtino quadraginta horæ, nempe quatuor feriæ ſextæ, & viginti quatuor integræ horæ diei Sabbati, & duodecim horæ noctis Dominicæ vſque ad auroram, in qua ſurrexit; nec aliter poſſunt per Synecdochen tres dies, & tres noctes inueniri. Nam cum ſepultus ſit appetente veſpera Sabbati, de die illo Veneris nihil ſupererat, vt per Synecdochen poſſet dici vnus dies. Si autem numeramus ab hora nona, qua Chriſtus in cruce expirauit, ſupererant tres, aut quatuor horæ diei Veneris, quæ poſſunt, ſumẽdo partem pro toto, accipi pro vna die, ac nocte. Quarto idem probari poteſt ex illo Petri teſtimonio: *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu. In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patiẽtiam in diebus Noë.* Vides Chriſtum in carne mortuum, & ſpiritu viuum deſcendiſſe ad ſpiritus, qui erant in carcere, & prædicaſſe illis? Verè in anima deſcendit in carcerem, & innuit ſe prædicaſſe nudis ſpiritibus, qui corpore deſtituti erant: quare illos vocat ſpiritus. Et rurſus infra ait: *Qui paratus eſt iudicare viuos & mortuos. Propter hoc enim & mortuis euangelizatum eſt, vt iudicentur quidem ſecundùm homines in carne, viuant autẽm ſecũdùm Deum in ſpiritu.* Vbi mortui non intelliguntur impropriè, qui per peccatum Deo mortui ſunt, ſed propriè corpore mortui, & in limbo exiſtentes.

Ibid.

Quid cor maris, & cor terræ ſignificet.

Aug. lib. 3. de conſ. Euang. c. 24. tom. 4.

Quomodò conſtet illud triduum, quo Dominus in corde terræ requieuit.

Quartus locus. *1. Petr. 3.*

Geneſ. 6.

1. Pet. 4.

Mortui qui myſticè.

Quinto eſt locus Eccleſiaſtici, nomine Sapientiæ, vbi habetur: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Quæ ſententia etſi in Græcis codicibus qui nunc extant, non inueniatur: minimè tamẽ dubium eſſe debet, quin eam apud Græcos interpretes legerit: alioqui tã inſignem ſententiam

Quintus locus. *Eccleſ. 24.*

tentiam

tentiam de ſuo nequaquam additur erat, ſi nihil reſpóderet in Græco. Et cùm paulò antè dixiſſet; *Doctrinam quaſi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo eam vſque longinquum*; promittit Sapientia ſe non tãtum lucis ſuæ radios per vniuerſi orbis latitudinẽ ſparſuram, ſed etiam peruenturam ſe ad inferiores partes terræ, hoc eſt, ad mortuos, quos & dormientes vocat Scriptura ob reſurrectionis ſpem.

Mortuos Scriptura cur vocet dormientes.

Verbum vt penetrauerit omnes inferiores partes terræ, ſi Deus erat.

Deinde nota, ſermonem eſſe de Verbo incarnato, quod Sapientiæ nomine ibi loquitur, & quòd penetraturum ſe promittit omnes inferiores partes terræ: nam Verbũ quatenus Deus eſt, in illis partibus, ſicut & vbique, ſemper erat. Item ſi penetrauit inferiores partes terræ; ergo maximè infirma, & inferna loca.

Quartò ait: *Inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino*. Omnes oculis ſuæ ſapientiæ, & iuſtitiæ perſpexit; non tamen omnes illuminauit, ſed tantùm ſperantes in Domino, in quos ſolos redemptionis beneficium contulit, & tales cum pietate dormitionem acceperant.

2. Macha. 12.

Sextus locus.
Epheſ. 4.
Pſalm. 67.

Sexto, eſt locus Pauli ad Epheſios: *Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit primum in inferiores partes terræ.* Pro cuius intelligentia loci expendendum eſt, in ſacris literis eſſe ſupernum, & infernum, altum & imum, ſummum & infimum. Summum eſt ſuper omnes cœlos, vbi thronus Dei eſt: & ſimiliter altum & ſupernum, de quibus Propheta: *A ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.* & rurſus, *Aſcendens in altum*; & iterum, *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum*. Inferna ergo dicuntur, quæ ſummè diſtant à throno gloriæ Dei, quæ à Paulo dicuntur inferiores partes terræ. Conſtat enim, quòd ſuperior pars terræ non ſummè diſtat à gloria Dei: vnde Iob exiſtens in ſuperficie terræ, ait: *Deduceti canos meos cum mœrore ad inferos*, id eſt eos, qui viuunt ſub terra, Core quoque, Datan, & Abiron ſtantes ſuper terram, viui deſcenderunt per voraginem ad infernum. Et in Iob de impijs dicitur, *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*, Et ad Philippenſes, & in Apocalypſi diſtinguitur inter cœleſtia, terreſtria, & inferna.

Variæ loci differentiæ in Scripturis contentæ quæ ſint illæ.

Pſalm. 18.
Pſalm. 67.

Inferiores partes terræ quæ nam Apoſtolo.

Geneſ 44.

Numo. 16.

Iob 21.

Philip. 2.
Apoc. 5.

Quo in loco pondera, Apoſtolum antitheta, atque oppoſita quæ ſibi reſpondeant, coniunxiſſe. *Deſcendit*, inquit, *in inferiores partes terræ, & aſcendit ſupra omnes cœlos.* Nec vt contentus fuit dicere, Aſcendit in cœlos, ſed dixit quod plus eſt, *Aſcendit ſupra omnes cœlos*, ita non ſatis illi fuit dicere, deſcendit in terram, ſed maximè à ſummo cœlo diſtinctam per inferiores partes terræ explicauit. Nam in Scripturis cùm longiſſimum interuallum Aſcenſus, & deſcenſus poni ſolet, per cœlum, & inferos, ſiue inferiora terræ, & non per ſimplicem terrã complectitur, quia terræ ſuperficies à cœlo maximè diſtat. Vnde illud, *Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades*; & Iob; *Excelſior cœlo eſt, & quid facies; profundior inferno, & vnde cognoſces?* Et Chriſtus Dominus, *Et tu Capharnaum, nunquid vſque in cœlum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes.* Et Sapientia clamat ſe penetraſſe omnes inferiores partes terræ; Dauid etiam, *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori.*

Paulini teſtimonij producti vt vltima prima reſpondeant.

Cœli, & inferorum nomine quid ſoleãt ſignificare Scripturæ.

Pſal. 138.

Iob 11.

Matt. 11.

Eccleſi. 24.

Pſal. 85.

Chriſtus ergo, qui aſcendit in altum, deſcendit priùs in inferiores partes terræ, id eſt, non ſolùm homines viuentes ſuper terram, qui iuuandi erant, ſed etiam ad inferiores partes terræ, vbi erat Patrũ defunctorum captiuitas. Qui ergo deſcendit (ſc. in inferiores partes terræ) ipſe eſt, qui & aſcendit ſupra omnes cœlos, vt adimpleret omnia, ſcilicet quæ prædicta erant, ac promiſſa à Prophetis. Vel vt impleret omnia, ſcilicet loca, non quæ tenuit, & occupauit Chriſti humanitas, ſed in quibus aliquando ſubſtitit, vt ſua præſentia omnem creaturã diuerſis in locis agentẽ ſibi ſubderet, & in poſſeſſionẽ acciperet vniuerſa cœleſtia, terreſtria, & inferna. Impleuit enim terram ſua præſentia, & ſalutari doctrina, ac pretioſis donis. Deinde impleuit infernum, id eſt, antiqua deſideria Patrum, qui in inferno delitescebant, ſua præſentia, & doctrina illuſtrauit. Vltimò impleuit cœlum beatis, & captiuitate ducta in redemptionis peractæ primitias: quod etiam nunc facit, & hominibus qui in terra ſunt, gratiam conferendo, & animas de purgatorio eruendo, & cœlum beatis implendo.

Quomodò Chriſtus, vt Apoſtolus dixit, adimpleuit omnia.

Epheſ. 4.

Philipp. 2.

Septimo probatur iſte articulus ex Symbolo Apoſtolorum, quod habet: *Crucifixus, mortuus, & ſepultus, deſcendit ad inferos: reſurrexit à mortuis: aſcendit ad cœlos.* Vt ergo præcedentia, & ſequentia deſcenſum ad inferos re ipſa contigerunt, ac ſolida ſunt, ita & ipſe deſcenſus ad inferos. Aliôqui ſi tantùm de affectu interpreteris, fuit certè Chriſtus illo triduo in cœlis beando Angelos, & Ieroſolymis in Apoſtolis ſpem reſurrectionis ſuæ eligendo, & contritionem de peccato ſuo crucifigentibus largiendo. Adhæc Concilium Lateranenſe II. ſub Innocentio IV. ita habet: Deſcendit ad inferos; reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœ-

Septim. locus.

Luc. vlt. & ſeq. ſup. 23.

Concil Lateranenſe II. c. 1. circa med.

in cœlũ. Sed deſcendit in anima, reſurrexit in carne, aſcenditque pariter in vtroque. Eandem quoque veritatem apertè tradit Concilium Toletanum IV. ac Patres veteres. Quos inter Beatus Ignatius epiſtola 5. ad Trallianos: *Deſcendit*, inquit, *in infernum ſolus, aſcendit verò cum multitudine, & dirupit maceriam, quæ erat à ſeculo*, &cæt. quæ videtur æmulatus Euſebius libro 1. Hiſtor. Eccleſiaſtic. capite vltimo, vbi tradit, Abagarum Regem poſtulaſſe à Thaddæo breuem narrationem: & ex Syriaca lingua hæc tranſtuliſſe in hunc modum: *Quomodò mortuus ſit, quanta à Iudæis perpeſſus, ac quomodò crucifixus, atque ad inferos deſcenderit, ſepemque antea nunquam diſruptam ſciderit; Reſurrexerit etiam, ac mortuos, qui à ſeculo dormierant, vnà excitauerit*, &cæt. Adde etiam Origenem, qui libr. 2. contra Celſum Philoſophum, qui aſſerebat CHRISTVM non potuiſſe cuiquam in terris perſuadere, tradit ad inferos demiſſum, vt ſuam opinionem induceret. Et reſpondet Origenes: *Vbi è vita exceßit Dominus depoſito corpore in animam nudam redactus, cum animis etiam corpore vacuis, nudatiſque verſabatur, ex his ad ſe reuocans, quos vel ſequi ſe vellet, vel pro cognitis ſibimet rationibus aptiores videret, quos ad ſe conciret.* Hieronymus in illud ad Epheſ. 4. *Quod autem aſcendit, quod eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ*; ita ſcribit: *Infernum ſub terra eſſe nemo iam ambigat. Qui deſcendit cum anima in infernum, ipſe cum anima, & corpore aſcendit in cœlum.* Hæc ille ferè. Baſilius item in Pſalmum 44. & 48. id explanans; *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me: Palam*, inquit, *vaticinatur* CHRISTI *ad infernum deſcenſio qui vnà cum alijs Prophetæ ipſius animam ſit liberaturus, vt ibi nequaquam remaneat.* Et vt alios multos, & grauiſſimos autores prætermittam, produco etiam eos Patres, qui peculiares ediderunt homilias de hoc deſcenſu CHRISTI ad inferos: quemadmodum Epiphanius, & Cyrillus Ieroſolymitanus, & Auguſtinus, atque alij quamplurimi, quos enumerare longum eſſet.

Toletan. IV. cap. 1. Patres. *D. Ignat. Epheſ. 2.* *Euſeb. Cæſar. tom. 1.* *Orig. tom. 2.* Celſi Philoſophi neſcio cuius inſipientiſſima, impiaq; de Chriſto ſententia. *Hier. tom 9.* *Baſil. tom. 1.*

Gnoſtici Hæretici hanc olim habuere ſententiam ad tollendam reſurrectionem, quam nunc Brentiani de inferis tenent. Ait enim Irenæus libro 5. in fine, *Si Dominus legem mortuorum ſeruauit, vt fieret primogenitus à mortuis, & commoratus eſt vſque in tertiam diem in inferioribus terræ, poſt deinde ſurgens in carne, &cæt. quomodò non confundentur qui dicunt, inferos quidem eſſe hunc mundum, qui ſit ſecundùm nos, interiorem autem hominem ipſorum delinquentem hic corpus, inſuper cœleſtem aſcendere locum?* Ita quoque nunc Caluinus, Chriſtum per animam revera deſcendiſſe ad inferiores partes negat, ne cogatur ad ſtatuendum purgatorium, aut nullum tertium animarum receptaculum admittere in mortis triduo, in quod Chriſtus penetrauerit, vnde Patres educeret, qui in pietate, ac Redemptoris fide obdormierant. Et interpretatur articulum: *Deſcendit ad inferos*, ſpiritualiter pro cruciatu damnatorum, quem anima Chriſti ſubijt in cruce, cùm dixit; *Deus Deus meus, vt quid me dereliquiſti?* Quam impietatem, & blaſphemiam hauſit ex Bucero pio & religioſo viro, ſicut alia multa vel auditu horrenda. Ponit enim animas piorum in cœlum ingreſſas antè: nec veretur affirmare; animam CHRISTI damnatorum cruciatus pertuliſſe, & de ſalute ſua non ſolùm deſperaſſe, ſed etiam inferos in crucem geſtaſſe. Limbum, & locum, in quo aſſeruabantur piorum animæ vſque ad Chriſti deſcenſum, fabulā non veretur vocare, hominumque eſſe inuenta, quæ de limbo Patrum, & reali deſcenſu Chriſti ad inferos traduntur: Chriſti ſanguinem, & mortem corpoream pro redemptione mundi non ſuffeciſſe. Contenditque inferos in Scripturis nil aliud ſignificare, quàm æterna damnatorum ſupplicia, non autem locum corporalem illis, qui damnantur deputatum: nihil actum fuiſſe morte ſua, niſi ſeueritatem diuinæ vltionis ſenſiſſet, & iræ ipſius intercederet, & vt iuſto iudicio Dei: & opus poſt crucis ſupplicium fuiſſe, vt tormenta, & cruciatus, quos nos iuſto Dei iudicio paſſuri eramus, ipſe pro nobis ſubiret. Ecce verba clara Caluini: *Nil actum erat, ſi corporea tantùm morte defunctus fuiſſet Chriſtus*: quod figmentum Caluini Brentiani amplexati ſunt, & Semidelinus in vulgus ſparſit, & commendauit publica concione Auguſtæ habita, & Tubingæ excuſa. Beza diſcipulus Caluini omnem hanc doctrinam amplectitur, & omnes locos Scripturæ, quibus hoc poteſt reuinci, tropis, & ſchematibus confictis de capite ſuo corrumpit, vt tantum Fidei articulum corrumpat. Ambroſius in caput 5. ad Romanos ſcribit, Arrianos inter articulos Symboli iſtum minimè recenſere: & tamen Caluinus poni reum inter præcipuos, etiamſi peruersè interpretetur, & propter illum ponat, CHRISTVM in cruce tuliſſe pœnas damnatorum, propter noſtram redemptionem, & ſalutem, vt magis illi debeamus, quàm cruci, aut morti, aut effuſioni ſui ſanguinis.

Gnoſtici cur negauerint Chriſti deſcenſum ad inferos. *B. Irenæ.* *Matt. 16. & alibi paſſim.* Chriſti quoq; ad inferos deſcenſum in a-

nima, Caluinus cur per neget. *Caluin. lib. Inſtit. cap. 1.* Quomodò illum afferat inferos deſcendiſſe. *Pſalm. 21. Matt. 27.* Eiuſdem de limbo Patrum de paſſione Chriſti, & mortis eius impia dogmata atq; peruerſ Caluini ſectatores. *Ambr. to. 4*

Sed iſta fabuloſa, impia, & hæreticiſſima ſunt,

Chriſtum in

cruce damnatorum pœnas minime [illegible] contra Caluinum.

ma ſunt, & Apoſtolis, & traditioni Fidei aduerſantur. Si enim in cruce ſoluit iſtas pœnas pro nobis Dominus, articuli non eſſent diſponendi illo modo. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Deſcendit ad inferos: ſed deberet præcedere mortem deſcenſus ad inferos: ſed ait infernum collocatum poſt mortem cum debuiſſet eum antecedere: poſtpoſitum tamen, quia rem ſpiritualem continet, quę geſtis corporeis, ſcilicet paſſioni, & morti, nō decebat tamen interſeri, ſed potius ſubijci. Sed ſi hæc ratio valet, ergo etiam deſcendit ad inferos. Et poſt illum, Reſurrexit, & aſcendit, exprimendus erat, quia reſurrectio, & aſcenſio corporaliter accidit. Certè Petrus in concione ſua Actor. 2. inter mortem Chriſti, & eius reſurrectionem ponit deſcenſum ad inferos, ſicut etiam in Symbolo ponitur. Non ergo deſcenſus Chriſti ad inferos recitatus in Scripturis poteſt intelligi de cruciatu, quem anima Chriſti ſubijt in cruce: imò potius hic articulus reponendus, aut ſubintelligendus erat in illis verbis: *Paſſus ſub Pontio Pilato*; aut illos animi angores non complecteretur, ſed tantum carnis afflictiones. Adhæc ſuper illam animi anguſtiam ſatisfecit Patri, & redemptionem noſtram fecit, non ergo mors Chriſti, & ſanguis pro peccatis noſtris ſufficiebant, imò nihil omninò profuerunt, quia nihil egiſſent: ergo nec paſſione, nec morte Chriſti expiati ſumus, ſed deſcenſu Chriſti ad inferos: at id quomodo conueniat cum doctrina Pauli Hebræ. 9. Coloſſ. 1. Epheſ. & Rom. 3. vbi omnis remiſſio & redemptio tribuitur ſanguini, & morti Chriſti? ſed vel hæc tantum recitaſſe; expugnare erat, quia ſua ſe falſitate euertunt, & deſtruunt. Beza tueri hoc volens; huc & illuc ſe conuertit, vt videatur illa cōfirmare. Sed illud intollerabile, quod locum Dauidis à B. Petro citatum: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*, corrupit, & legit; *Non derelinques cadauer meum in ſepulchro*: vbi multa peccauit, primum, quod contra Lucam, & Septuaginta interpretum lectionem legit pro ψυχὴν, id eſt, animam, cadauer: & quid magis diſtat ab anima quā cadauer? Et reddit rationem, quod Nephes interdum ſignat cadauer. Leuit. 21. Sacerdos ad omnes animas mortui non ingredietur. Caſtallio dimicat cum Beza, & nunquam dicit animam poni pro cadauere, nec in illo textu, ſed pro homine, vt ſtatim declarat infra: Super animam non contaminabit ſe quiſquam, ſed ſuper propinquo ſuo, & matre ſua. Vbi quod dixerat, explicat propinquos, & parentes.

Actor. 2.

II. Ratio.

Hæc Bezæ interpretatio [illegible] non derelinques animam meam in ſepulchro, quam falſa & abſurda.

Pſalm. 15.

Actor. 2.

Prima ratio.

Leuit. 21.

Anima quid ſignificet ſecundum Caſtallionem.

II. Ratio.

Secūdo peccauit Beza, quod relicta verſione inferni pro voce Hebręa Schol, maluerit Rabbinizantem, & Iudaizantem interdum Pagninum ſequi, quam Septuaginta interpretes, & B. Lucam, & Patres omnes veteres Græcos, & Latinos, & B. Petrum in prima Concione, Act. 2. vbi habetur εἰς ᾅδου. Et conſonat ſibi Lucas, qui Luc. 16. infernum vocat ᾅδην. Et licet concedamus, vocem Schol interdum ſignificare foueam, ſepulchrum, vel hiatum; frequenter tamen Septuaginta vocē illam vertunt infernum; cùm tamen Beza impudenter teſtetur nūquam in Scripturis ſacris Hebræis pro inferorum loco poni; & tamen Septuaginta ferè ſemper vertunt Infernū, non Sepulchrū, & vix etiam ipſi Poetæ, qui ſibi quantā volunt, arrogant licentiam ᾅδην ponunt pro ſepulchro. Certè Genebrardus Hebręarum literarum profeſſor doctiſſimus, lib. 3. De Trinitate: *Sicut in errore, inquit, verſantur, qui nunquam ſepulchrum deſignare contendunt; ita perfrictæ ſunt frontis, qui vſpiam regionem Gehennæ ſignificare negant. Tantum enim abeſt, vt eam non ſignet: vt eam primo, propriè ac per ſe ſignificet: nec niſi per quendam tropum ad ſepulchri acceptionem transfertur. Quod primum apparet ex veteribus tunctis interpretibus, & præcipuè Septuaginta, qui conſtanter Schol reddunt voce ᾅδης. Deinde Thalmudiſtæ, & Chaldæi paraphraſtæ dum detractant locos Pſalmorum; Redimet animam meam de manu Schol: &, Conuertantur peccatores in Schola, exponunt, Gehinnum, id eſt, vſque in gehennam. Impij enim non tantum ad infernum, ſed etiam ad inferiorem partem inferni deſcendunt. Conſtituunt enim Iudæi varia inferni receptacula, vt in Pſalmo nono docet Rabbi Dauid Kimhi, & ſeptem à ſuis maioribus ponit Rabbi Salomon ſub finem vigeſimi quarti capitis Eſaiæ. Et ſolet explicationis cauſa poni Schol cum Abadon, quod ſignat Abyſſum inferni, perditioniſq́ locum Apoc. 9. ſic Iob 26. Nudus eſt Schol coram illo, & non eſt veſtimentum ipſi Abadon, & Prouerb. 15. Infernus & perditio coram Domino.* Hæc ex illo retulimus.

Act. 2.
Infra 13.

Bezæ temeritas & impudētia.

Genebrardus recens autor.
Schol Hebręis propriè tantū infernum, impropriè ac metaphoricè ſepulchrum ſignificare.

Pſal. 48.
Pſal 9.

Rabbi Dauid Kimhi.

Abadon quid Hebraicè.
Apoc. 9.
Iob 26
Prou. 15.

Nec valet ratio Bezæ, qui pro ratione ſuæ verſionis poſt Caluinum, conijcit idē efferri per poſteriorem, & priorem partē, vt idem ſit; Non derelinques animam, vel cadauer in ſepulchro; nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem; vt ſæpè ſolet Dauid in verſiculo vno idem repetere. Non eſt tamen hoc ſemper firmum, & inuiolatum, ſed libranda eſt, & ponderanda ratio, quæ membra vnius verſiculi coniungat, vel diuidat. Et apparet, Dauidem eo

Idem Beza in illud: Non derelinques animam meam in inferno, quid falſo ratiocinetur.

loco ab enumeratione partium, quibus homo conſtat, & quorum ſeparatione mors euenit, duo ac diſtincta membra ponere, vnum ratione animę, alterum ratione corporis, & ita beatus Petrus partitus fuit verſiculum: facit enim mentionem animæ & corporis, quorum vtrunique ad reſurrectionem neceſſarium oſtenditur. Hanc diſtinctionem ipſe Dauid alio in loco docuit, cum Pſalm. 88. dixit: *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem* (quod dicitur ratione corporis) & ratione animæ ſubdit: *Eruet animam ſuam de manu inferni?* Hoc etiã ex Homero diſcere poterat, ſi attendiſſet,

Homerus.

Ait enim libr. 1. Iliados.

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων, αὐτοὺς δὲ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν,
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι.

Narra, inquit, *ô Muſa, Achillis iracundiam.*
Quæ tot generoſas animas procerum demiſit in Orcum,
Et eorum cadauera canibus atque auibus lanianda expoſuit.

vbi ψυχὰς, propriè pro animabus poſuit, & earum receptaculum poſt mortem ἄδην, nõ ſepulchrũ, ſed infernum cũ Dauide ſtatuit. Haud diſſimili ratione euertit locũ. 1. Pet. 3. & 4. vt ab illo tollat veritatem deſcenſus Chriſti ad inferos. Et hactenus dictum ſit pro fide huius articuli ſtabilienda.

Tertio loco dubitatum fuit, quomodo deſcenderit qui vbique eſt; & cur corpus remanſerit in ſepulchro. Reſpondemus, Chriſtũ nec deſcendiſſe, nec aſcẽdiſſe, quatenus Deus eſt: nã vt talis omnia implet. Deinde nõ deſcendit ſecundum corpus, quod per triduũ in ſepulchro hæſit vſq; ad horã reſurrectionis, ſed tãtum deſcendit ſecundùm animam pręcipuam hominis partẽ. Et tamen duplici ratione verè dicimus Chriſtum ad inferos deſcendiſſe: altera quidem more vulgato: & vſurpato à Scripturis, & Eccleſia. Dixit namq; Domin⁹ latroni; *Hodie mecum eris in paradiſo*: id eſt, Anima tua apud animã meã glorioſa verſabitur. Ita dicimus hominẽ ſepultũ, etiamſi corpus tantũ ſepeliatur: dicimus B. Petrum eſſe in cęlo animo ſcilicet; & eſſe Romæ quãtum attinet ad ſacrũ illius corpus. Altera verò ratio eſt in Chriſto, qui cõſtabat anima, corpore, ac diuinitate. Quanquam per mortem animę vinculum ad corpus ſolutum ſit, & anima à corpore ſeparata, ſine qua ſeparatione non eſt vera mors. Vtraque tamen pars manſit vnita Verbi diuinitati. Quam veritatem comprobat Damaſcenus lib. De fide Orthod. dicens: *Quanquam mortuus eſt, vt homo, & ſancta eius anima ab incontaminato ſeparata corpore; non tamen Diuinitas ab vtroque ſeparata remanſit, ab anima, inquam, & corpore: & neque ſic vna hypoſtaſis diuiſa eſt in duas hypoſtaſes: nam & tunc corpus & animam ſecundum idem à principio in Verbi hypoſtaſi habebant exiſtentiam, & in ipſis in morte ab inuicem ſeparatis vnum quodque eorum manſit, vnam verbi habens hypoſtaſin. Quare vna Verbi hypoſtaſis, & Verbi, & animæ, & corporis fuit hypoſtaſis.* Hæc ille.

Cum Chriſtus omnia impleat; ad inferos quomodo deſcendit?

Ierem. 23.

Luc. 23.

Tria ſunt in Chriſto.

Damaſc. lib. 3. c. 27.

Adde Magnum Athanaſium in Tract. De ſalutari aduentu Chriſti, in Appollin. vbi agens in Arrianos, ait: *Vos è diuerſo dicitis, quaſi qui Apoſtolis ſitis ſapientiores, & in myſterijs Prophetis peritiores, grauiores Euangeliſtis, & quaſi maioris autoritatis, quam vel ipſe Dominus emẽtitia illa veſtra in dicendo cautione, abnegata veritate contra diuinitatem gannitis, cum res ipſa liquidò pateat, & in cruce declarata ſit, & ſanguinis è carne profluxione confirmata, non vt tandem ſegregatio Deitatis, ſed vt corporis mortificatio oſtenderetur, quo tempore Diuinitatis neque corpus in monumento, neque animam in inferno deſtituit. Hoc enim eſt, quod dictum eſt per Prophetas, Non relinques animam meam apud inferos, neque dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Ideo quoque Dominus locutus eſt: Nemo tollit illam à me, ſed ego à me ipſo illam depono, hoc eſt; Præſens declaro. Quocirca in animam quidem Chriſti mors deuicta eſt, reſurrectioq; ab inferis deprompta, & ſpiritibus annuntiata eſt: in corpore verò Dei corruptio abolita eſt, & incorruptibilitas è ſepulchro emicuit. Quapropter non homo à Deo ſegregabatur, neque Deus hominem dereliquit: neque mortificatio, ſpiritusq; abſceſſio, tranſitus erat Dei è corpore, ſed animæ à corpore ſegregatio: noſtra enim mors ibi deſcribebatur. Quòd ſi Deus ſegregatus fuit à corpore, & ita mors vim ſuam explicuit; quomodo corpus viduatum immortali Deo, incorruptibilitatem oſtendere potuit? aut quomodo Verbum deſcenſum ſuum ad inferos peregit? aut ab inferis reſurrectionem produxit? an ſcilicet ipſum Verbum in viuem, locumque noſtræ animæ reſurrexit, vt noſtræ reſurrectionis imaginem concinnaret? At, quis fieri poteſt, vt talia de Deo cogitemus?* Leo quoque in ſerm. quodam: *In tantam vnitatem Dei & hominis natura conuenit, vt nec ſupplicio potuerit dirimi, nec morte disiungi.* Et Auguſt. contra Filiciadum; Chriſtus in ſepulchro animam ſuam non deſeruit. Qua ratione dicitur Deus ſepult⁹, Deus deſcendiſſe ad inferos, Dei ſanguis abluiſſe peccata, quia illa omnia Dei Verbo per vnionem erant coniuncta. Quare ſacri Theologi, pręſertim verò beatus Thomas, aſſerũt Chriſtũ in triduo nõ fuiſſe hominẽ; in triduo tamen fuiſſę in ſepulchro, & in inferno. Quemadmodum ſi duo ligna ferro cõiuncta fortiſſimo, paruaq; tabula cõtigua, & continuata, ſi medię tabulę vinculũ rumpatur, & ab ſe inuicẽ ea ratione ligna

Athan. to. 3.

Arrianorum arrogantia.

Ioan. 10.

Animæ & corpori Chriſti et iam morte ſeparatis Verbi diuinitas indiuidua remanſit.

Non ſi indiuidua permanſit, quid inde ſecundum Athanaſium.

Leo Papa ſer. 17. de paſ. Domini in princ. Aug. c. vlt. ad ſenſum. tom. 6. ad finem.

D. Thom. 3. part. q. 50. art. 4. to 13.

Qualis vnio Verbi cum corpore & anima Chriſti morte diſiunctis in triduo.

Prima ratio, cur Verbum nunquam fuerit diſiunctum ab humana natura.
Rom.11.
Eſa.53.
1. Petr. 2.
Secunda ratio ex Damaſc.
Oſee 2.
Tertia ratio.
Zachar.9.
Luc 23.
Pſalm.15.

diſiunguntur, nõ tamen diuiduntur ratione ferri illius fortiſſimi, quo arctiſſimè coniunguntur. Ratio autem huius indiſſolubilis nodi eſt: quia Deꝰ nunquã ſubrahit donum gratuitum abſque præcedenti aliqua culpa: quia ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei. Chriſtus autem peccatum nõ fecerat, neque dolus inuentus erat in ore eius. Deinde vt teſtatur Damaſcenus à Scholaſticis citatus: Verbum quod ſemel aſſumpſit, nunquã dimiſit, nec matrimonium, quod ſua natura eſt indiſſolubile, ac de quo dixerat: *Sponſabo te mihi in ſempiternum*, nunquã diſſoluit. Adhæc aliàs corpus corrumpi potuiſſet in ſepultura, & animã non potuiſſet extrahere, nec educere vinctos de lacu, in quo non erat aqua, ſi diuinitas vtrique cõiuncta non adfuiſſet; nec beare ſanctos Patres valuiſſet anima Chriſti, ſi purus tantũ ſpiritus fuiſſet: nec potuiſſet dicere, Nõ dereliques animam meam in inferno; nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem: Et hactenus de tertio.

Quare Chriſtus ad inferos deſcenderit.

Ad quartum, quorſum ſcilicet deſcẽderit, diſſerendum eſt: quo in loco quædam cauſæ à quibuſdã producuntur, quæ nõ ſatis omnibus ſunt certę atque cõſtantes. Eas igitur primo loco pertractabimus; deinde quæ certiores videntur atq; firmiores producemus. In primis igitur arbitrãtur quidã eum deſcendiſſe vt pateretur pœnas inferni pro nobis, quẽadmodùm in cruce mortem pro nobis ſuſtinuit. Aſſerunt tamẽ iſti, aliter pœnas inferni, quàm dãnatos paſſum fuiſſe: damnati ſiquidem inuiti, & pro ſuis demeritis, & ſine vlla ſpe prorſus liberationis illis pœnis ſubiacerẽt; at Chriſtus ſpõtè & quantũ illi placuit deguſtare, & non pro vlla propria culpa, ſed pro noſtris peccatis: & non tantùm cum certa & ſecura ſpe breui euadẽdi, ſed cũ plena poteſtate ſoluendi & beneplacito ſuo terminãdi illos dolores. Hanc opinionem ſecutus eſt Iacobꝰ Faber Stapulenſis, & ante eum Nicolaus Caſſanus in illa verba Prophetæ: *Quoniam defecit in doloribus vita mea; & anni mei in gemitibus*. Videtur in eum inclinare Cardinalis Seripandus in expoſitione Symboli. Cõfirmant autẽ illas his argumentis. Primò, quia in Actis dicitur: *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni*, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. Deinde quæ non ſatis expreſſa habentur in Euangelio, ex Prophetis colligenda ſunt: & quia Dauid expreſſit Chriſti dolores non eſſe in morte finitos, ſed etiam poſt mortem permanere; ideò dicendum videtur animã Chriſti paſſam in inferno fuiſſe. Hinc Dauid cùm dixiſſet: *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me*: ſtatim poſt dolores mortis dictos ſubdit de doloribus inferni: *Dolores inferni circumdederunt me; præoccupauerunt me laquei mortis.* Vides igitur præter dolores mortis paſſum fuiſſe dolores in inferno, atq; in eo detentum, ne rediret in vitam. Tertiò, Pſalmo 87 in quo ſecundùm Hieronymum, myſteria paſſionis continentur, ita habetur: *Quia repleta eſt malis anima mea; & vita mea inferno appropinquauit. Aeſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum: factus ſum ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber, &c. Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis, & in vmbra mortis.* Et ſubdit: *In me confirmatus eſt furor tuus; & omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* In quibus cernis varios deſcribi dolores, & pœnas Chriſti poſt mortem, niſi dicamus in his duobus locis eũ induiſſe perſonam electorum, qui in purgatorio cruciantur. Quartò producitur Pſalmus CXLI. vbi Chriſtus precatur Patrẽ vt ab inferno liberetur, cùm ait: *Educ de cuſtodia, vel de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo.* Verùm huic loco reſpõderi poſſet, Chriſtũ precari pro reſurrectione, & nihil de pœnis inferni loqui: quemadmodùm cùm dixit: *Non derelinques animam meam in inferno*; & reliqua. Adhæc agunt rationibus. Primò, ſi Chriſtus vt liberaret à prima morte, & daret vitã immortalẽ, voluit mori, ac reſurgere; ergo vt liberaret à morte ſecunda, ſuſtinuit pœnas inferni, non eo modo quo damnati. Sed profectò ſicut Chriſtus nos liberauit à peccato, nec tamen ipſe quouis modo peccauit; ita & à gehennæ ſupplicijs tãetſi illa minimè pertulerit. Secunda ratio: Si Petrus reprehenſus eſt à Domino, & vocatus ſcandalum, & Satanas, quod videretur indignum Filio Dei pati; & ita timendum eſt, ne negans ſanctam, & iuſtam animã Chriſti dolores inferni perpeſſam, vt rẽ indecoram & indignam, ne meritò reprehendatur vt ignorans diuinæ miſericordię, & bonitatis metas, quę plus voluit pro nobis perpeti, quàm nobis videretur conueniens. Sed de cruce conſtat ex Scripturis; de pœnis verò inferni non eſt certum, cùm Eccleſia Dei ſine reprehenſione vlla crediderit oppoſitum. Tertia ratio: Quò magis Chriſtꝰ pati pro me voluit, eò magis cogor confiteri magnitudinem bonitatis ſuæ, & enormitatem, ac abominationem peccati mei; ac proinde me illius pedibꝰ magis ſubijcere. Sed non ſatis eſt, ad hoc vt verũ ſit aliquod dogma, quod per illud magis videamus charitatem Chriſti, & noſtrã iniquitatem valeamus agnoſcere: ſed opus eſt vt illud in Eccleſia Dei tanq̃ tale agnoſcatur.

Prima ratio quorundam.
Faber Stap.
Nicolaus Buſſanus
Pſalm 30.
Cardinalis Seripandus.
Primum argumentũ Chriſtum aſſerentium damnatorum ſupplicia pertuliſſe.
Act. 2.
Secundum argumentum.
Pſalm.17.
Tertium argumentum.
B. Hieronym. tom.8.
Secunda ratio.
Matth.16.
Tertia ratio.

tur. Ad hæc quanquam hæc pia, & probabilitatem habere videantur; adferunt tamẽ in primis ſecum nouitatem, & ignotã quãdam tot ſeculis in Eccleſia Dei opinionem. Deinde pugnat hæc ſententia cum verbis Chriſti, dicentis: *Hodie mecum eris in paradiſo*: non ergo Chriſtus, aut latro poſt mortem ſuam in paradiſo, id eſt, loco deliciarum, aliquam moleſtiam, aut pœnam paſſi ſunt. Quomodo ergo poſt expirationẽ æternos cruciat⁹ paſſus eſt Chriſt⁹? Hiccine eſt Proteſtantium, qui hoc aſſerũt paradiſus? Tertiò repugnat huic ſententiæ verbum Chriſti in cruce prolatum: Conſummatum eſt. Quod verbũ explicãs Apoſtolus ad Hebręos, inquit: *Vna enim oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos*. At quomodo dici poſſet myſterium redemptionis cõſummatum, ſi adhuc anima Chriſti debebat in inferno grauiores, & acerbiores pœnas pro noſtra redemptione perpeti? Quartò Scriptura frequẽter teſtatur, omnia peccata noſtra Chriſti morte expiatã, purgata, atq; abluta fuiſſe: imò ſanctos ipſos eductos de lacu, in quo nõ erat aqua, per ſanguinẽ teſtamenti: & rurſus: *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*: & ad Coloſ. Apoſtolus ait: *Chriſtus pacificauit per ſanguinem crucis ſuæ, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris, reconcilians nos in corpore carnis eius per mortem*. Nihil ergo pœnarum remanſit ſubeũdum poſt mortem, alioqui ea reconciliatio non fieret in corpore carnis ſuæ, ſed in anima ſeparata à corpore: quod inauditum eſt in Eccleſia Dei. Cur non igitur Scriptura mẽtionem feciſſet, Chriſtum gehennæ ſupplicijs nos liberaſſe, vt nos ſaltem ad commemorationem tanti beneficij, & gratiarum actionem eius excitàret? Quintò horrendum videtur dictu, Chriſtum ſolùm inter exiſtentes in limbo pœnam ſenſus perpeſſũ fuiſſe, vel quòd latro, & alij ſancti Patres ante perfectam pretij ſolutionem, in poſſeſſionẽ vitæ æternæ introierint. Quod ergo dicitur à Petro, Chriſtum ſuſcitatum ſolutis doloribus inferni: reſpondendum eſt, Chriſtum in cruce exoluiſſe, vt merito mortis ſuæ mutata ſit pœna æterna in temporariam. Deinde pendit in ſeipſo, non incurrendo illos dolores, vt ſubditur: Iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo; ſed liberando ſanctos Patres, & animas purgatorij, quæ aliquo modo cruciabantur: quemadmodùm ad Euodium docet Auguſtinus. Ad Prophetæ teſtimonia reſpondendum eſt, vt ſuperius attigimus, vel Prophetam induiſſe perſonam ſeruorum Chriſti, qui ibi detenti erant, vel ſpe ſalutis diuturna affligebantur, vel igne purgatorio excruciabantur. Sunt igitur in inferno tres pœnæ. Prior damni dicitur, quæ eſt viſionis Dei priuatio: quæ nullo modo ſanctiſſimæ Chriſti animæ ſemper beatæ, & vnitæ Verbo Dei conuenire potuit. Altera eſt, pœna ſenſus in igne æterno deſignata, in quã damnati deſtinantur cum diabolo, & angelis eius: & hęc Chriſti animę purę, ac à peccato mundæ minimè conueniebat: nã ille locus tantùm reprobis, ac immundis ſpiritibus debitus eſt. Tertia dicitur carceris locus, quia infernus inſtar erat carceris viliſſimi, ac ſordidiſſimi, & longè à Deo diſſiti. Dauid igitur pro beneficio ducit ab inferno liberari, iuxta illud: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*: Ergo in inferno manere, nonnulla pœna fuit ob peccatum Adæ. Nec obſtat Thomas in opuſculo quinto, vbi exponendo Symbolum, tradit quatuor rationes, quibus Chriſtus in anima ad infernum deſcendit. Prima eſt, vt ſuſtineret totam pœnam peccati, ac ſic totam culpã expiaret: pœna enim peccati omnis non ſolùm erat corporis mors, ſed etiam animæ cruciatus, quæ puniebatur carentia viſionis diuinæ, pro qua abolenda nondum erat diuinæ iuſtitiæ factum ſatis: hinc poſt mortẽ deſcendebãt omnes ſancti Patres ad infernum. Vt ergo Chriſtus totam ſuſtineret peccatoribus pœnã debitã, non ſolùm voluit mori, ſed etiã ſecundùm animam ad infernum deſcẽdere. Hęc Thomas. Sed profectò ſanctus Doctor his verbis nihil aliud probare voluit, quàm quòd ipſe deſcenſus ad infernum, erat pœna debita animabus peccantium: quam Chriſtus ſecundùm animam deſcendens ſuſtinere voluit, vnde congruè omnes ſanctos Patres educeret. Et hactenus de hac cauſa deſcenſus. Altera proponi ſolet, quæ & ipſa ſano intellectu indiget. Aiunt ſiquidem nonnulli, Chriſtum deſcendiſſe ad infernum, vt prædicaret mortuis; quatenus illi credẽtes verbo prædicato fierẽt ſalui. Hoc autem ex duobus Petri Apoſtoli locis probatur, nempe 1. Petri. 3. & 4. Nam apertè dicitur, Chriſti ſpiritum prædicaſſe ſpiritibus, qui in carcere erant, & euangelizatũ eſſe mortuis. Et textus quidem apertus eſt, & clarus; verùm dubium eſt, qualis fuerit illa Chriſti prædicatio. Dicendum eſt, dupliciter illum locum exponi à Patribus. Primò quidẽ Auguſtinus epiſtola ad Euodium, & beatus Thomas in tertia parte interpretantur hunc locum non de deſcenſu Chriſti ad inferos, ſed de operatione diuinitatis eius, quam à principio mundi exercuit: vt ſcilicet ſit ſenſus: In quo (ſcilicet diuinitatis ſuæ ſpiritu veniens) per Noë, & Prophe-

Luc.23. — Paradiſus quid ſonet. — *Ioan.19.* — *Hebr.10.* — *Zachar.9.* — *1.Petri 2.* — *Actor.2.* — *Auguſt. epiſt. 99 tom. 2.*

Triplex inferni pœna, damni, & ſenſus: & quid ſint. — *Matth.25.* — *Pſalm.15.* — Deſcenſus Chriſti ad inferos quatuor cauſæ Thomæ Aquinatis. — Altera cauſa huius deſcenſus. — Qua ratione Chriſtus à Petro dicatur apud inferos prædicaſſe. — Primus ſenſus. — *Auguſtinus epiſt 99. B Thom. 3. part. q 52 artic. 2.*

Prophetas prædicauit, nimirum per internas inſpirationes, & admonitiones externas per ora iuſtorum factas (ſic enim dicitur Ioannes veniſſe in ſpiritu, & virtute Heliæ ſpiritibus, qui erant in carcere concluſi) id eſt, animabus viuentibus, quæ erant non tantùm in carcere corporis mortalis, ſed etiam in cuſtodia originalis peccati, & erroris: his enim prædicauit, qui increduli fuerant aliquando Noë, ſcilicet prædicanti: & quia non crediderunt, diluuio ſunt ſubmerſi, vt nunc infideles, qui baptizari renuunt, damnantur. Et quod hic dicitur, ſpiritibus qui in carcere erant, prædicatum fuiſſe; ita infra Petrus aſſerit mortuis eſſe euangelizatum, non mortuis carni, ſed mortuis gratiæ Dei, de quibus: *Sine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos*; &, *Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur.* Verùm huic expoſitioni repugnare videtur ipſe contextus, quia in priori teſtimonio apertè loqui videtur Petrus de Chriſto carne mortificato, ſpiritu verò viuificato: ita enim habet Græca litera, & hanc lectionem agnoſcit Auguſtinus in dicta epiſtola: propterea non videtur loqui de operatione Chriſti ante eius mortem. Et in ſecundo teſtimonio Petri cùm dixiſſet paratum eſſe Chriſtum iudicare viuos & mortuos, ſubiungit: *Propter hoc enim & mortuis euangelizatum eſt.* Quod non niſi valde violentè ad mortuos ſpiritui, ſiue gratiæ Dei trahi poteſt. Deinde nullibi in Scripturis homines viuentes, deprehendes dici ſpiritus abſolutè. Tertiò, quia dicuntur ſpiritus in carcere: corpus autem nõniſi metaphoricè vel allegoricè dicitur carcer ſpiritus, propriè autem infernus nomine carceris appellatur. Quartò, apertè veteres, ac ſancti Patres teſtantur Chriſtum prædicaſſe apud inferos in illo triduo mortis. Hinc Iuſtinus in Dialogo aduerſus Tryphonem Hebræum ſub Ieremiæ verbis producit (deinde Clemens Alexandrinus li. Strommatum non ſemel) *Prædicauit Dominus ijs quoque qui erant apud inferos.* Inſuper Irenæus libr. aduerſus hæreſes ſub nomine Prophetiæ profert hoc teſtimonium: *Et commemoratus eſt Dominus ſanctus Iſrael mortuorum ſuorum, quia dormierant in terram ſepultionis* (alij legunt, *Terram ſtipulationis*, ſed melior videtur prior lectio) *Et deſcendit ad eos euangelizare ſalutem quæ eſt ab eo vt ſaluaret eos.* Athanaſius in epiſtola ad Epictetum Corinthiorum Epiſcopum, ait: *Corpus tùm quippe in ſepulchro erat poſitum, cùm Verbum abijt vt prædicaret ſpiritibus, qui in carcere tenebantur, vt dixit ſanctus Petrus.* Cyrillus in Ioannem ſuper illud: *Inclinato capite tradidit ſpiritum,* ita ſcribit: *Cumq; tempus iam eſſet, vt etiam ſpiritibus apud inferos prædicaret (venit enim, vt tàm viuorum, quàm mortuorum, dominaretur) mortem pro nobis ſuſcepit.* Gregorius Nazianzenus, orat. ſecunda, in Paſcha circa finem: *Si in infernum Chriſtus deſcendat, ſimul deſcende. Ea quoque myſteria cognoſce, quæ Chriſtus illic deſignauit: quod duplicis deſcenſus conſilium, quæ ratio fuerit, vtrùm omnes ſine vlla exceptione aduentu ſuo ſaluos fecerit, an illic quoque eos duntaxat, qui crediderunt.* Et hunc duplicem ſenſum declarat Damaſcenus, libro de Orthodoxa fide: *Deſcendit in infernum anima Deificata, vt quemadmodùm ijs, qui in terra iuſtitiæ ortus eſt Sol, ſic & eis, qui ſub terra in tenebris, & in vmbra mortis ſedebant, lux infulgeret. Et vt quemadmodum in terra euangelizauerat pacem, captiuis remiſſionem, cæcis viſum, & ijs qui crediderunt, factus eſt cauſa ſalutis æternæ; incredulis autem, infidelitatis improperium, & redargutio: ſic & ijs, qui in inferno, vt ipſi omne genu flectatur, cæleſtium, & infernorum.* Idem libro de his qui in fide hinc migrarunt, teſtatur, dicendo quòd Chriſtus bonis profuerit in inferno, infidelibus autem, & bonis operibus carentibus nihil profuerit. Ex noſtris B. Hilarius in Pſalm. 118. in litera Caph, ſuper illud: *Defecit in ſalutare tuum anima mea: Scit ergo,* inquit, *exhortationem hanc ſanctos quieſcentes in inferno deſiderare. Scit teſtante Apoſtolo Petro, deſcendente in inferna Domino, etiam his, qui in carcere erant, & increduli quondam fuerant in diebus Noë, exhortationem prædicatam fuiſſe.* Hæc ille. Adde B. Ambroſium in cap. 4. ad Epheſios: *Triumphato ergo diabolo, deſcendit in cor terræ, vt oſtenſio eius prædicatio eſſet mortuorum, vt & quotquot cupidi eius eſſent liberarentur.* Hactenus Ambroſius. Et in illud ad Roman. 10. *Quis deſcendit in abyſſum,* ſic habet: *Ideò paſſus eſt Chriſtus, vt expoliatis inferis virtute patris, deuicta morte reſurgens cum animabus ereptis in cælum aſcenderet: omnis enim quicunque viſo Saluatore apud inferos ſperauit de illo ſalutem, liberatus eſt, hoc teſtante Petro Apoſtolo, dicit enim; Quia & mortuis prædicatus eſt.* Caietanus exponens hunc locum B. Petri, tradit: *Clarè Petrus docet, quòd Chriſtus deſcendens ad inferos in anima, prædicauit animabus illorum, qui fuerãt increduli in diebus Noe. Et ex eo quod horum tantùm meminit, ſignificat, quod non loquitur de prædicatione, qua manifeſtauit apud inferos ſeipſum eſſe Meſſiam, & conuicit tàm dæmones; quàm incredulos omnes: huiuſmodi enim prædicatio communis fuit omnibus apud inferos: hæc autem, de qua Petrus loquitur, peculiaris deſcribitur illis, qui erant tempore quo fabricabatur arca. Vnde inſinuatur quod prædicatio hæc fuit fructuoſa. Et ad hoc faciunt verba: quando expectabatur Dei longanimitas; vt per* hoc

Luc. 2. Gen. 6. Infra 7. 1. Petr. 4. Luc 9. Ezech. 18. Refellitur multiplici ratione. *B. Iuſtinus martyr. Clem. Alex. lib 6. Strom. multò antè med. tom. 2. Iren. lib 5. prope finem. B. Athan. to. 1. vt eius verba producit Epiph. in hær. Dimeritarũ. 1. Petr. 3. Cyril. lib. 12. in Ioan. c. 36. eius. tom. 1.*

Ioan. 19. Rom. 14. Greg. Naz. Damaſcen. lib. 3. cap. 29. Luc. 1. Eſai. 61. Luc. 4. Hebr. 10. Supr. 45. Rom. 14. Philip. 2. Idem Damaſc. B. Hilarius. 1. Petr. 3. Ambr. to. 5. Alter ſenſus. *Caietanus.*

Gen. 6.

hoc intelligamus, illos non fuiſſe incredulos, hoc eſt, ſine vera Dei fide, ſed incredulos Noe dicenti, diluuium imminere: & cum hac incredulitate expectaſſe Dei longanimitatem, hoc eſt, confiſos fuiſſe in longanimitate Dei, quòd non induceret vniuerſale iudicium: & propter huius confidentia meritum placuiſſe Deo, vt anima Chriſti prædicaret eis. Hæc ille, qui exponit, illam prædicationẽ fuiſſe fructuoſam; verùm tenorem prædicationis nõ aperit, & quomodo fuerit, aut potuerit eſſe fructuoſa, nõ declarat: quem enim fructum poterat inde colligere ex his qui increduli fuerant, & contumaces? Adhæc addit, illos non fuiſſe ſine vera Dei fide, licèt increduli fuiſſent Noë, quia confidebant in lõganimitate Dei: ſed quomodo fuere increduli Noë, & non etiam Deo loquenti per Noë? aut quomodo potuit illis prodeſſe, quòd crederent Deum eſſe, cùm dæmones id credant, & cõtremiſcant? aut qua ratione expectare Dei benignitatem, & longanimitatem, perſiſtentes in peccato ſubleuabat, cùm illa expectatio Dei eſſet tentatio, iuxta illud: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* Adhęc ſi illi iam increduli fuerunt iudicati per ea quæ egerunt in vita; quem fructum potuit adferre illis noua prędicatio? B. Thomas in tertia parte, docet hanc prædicationem Chriſti in inferno, de qua Petrus loquitur, non aliud fuiſſe, quam diuinitatis manifeſtationem ſuæ per efficacem virtutis deſcenſum, ac confutationem quãdam damnatorum. Sed hæc expoſitio non explicat cur Petrus meminerit tantùm eorũ qui increduli fuerunt tempore Noë: & hęc prædicatio non minùs facta eſt dæmonibus, ac reprobis hominibus, quàm iuſtis. Adde euangelizationem nunquam in ſacris literis accipi in malam partem. Sunt qui putant ſermonem eſſe apud Petrum de Chriſti prædicatione apud inferos, quando poſt mortem illuc deſcendit, & viſitauit eos: nam hic dicitur locutus fuiſſe his qui fuerunt increduli in diebus Noë, & ideò perierunt ſecundùm corpus: & tamen ſalui facti ſunt Dei clementia multi illorũ, vt eſt veriſimile, quia illos ſuæ perfidiæ, & malè actæ vitæ pœnituit, quemadmodùm latro, qui in cruce pœnitentiam egit. Illi ergo in extremis illis periculis fidem acceperunt, & gratiam. Ad hos ergo ſermonem habuit Dominus, vt agnoſcerent per quem ſalutem adepti fuiſſent; quod explicitè cùm viuerent, non nouerunt. Tanquam ad eos diceret Ecce ego, quia non eſt aliud nomen ſub cęlo datum, per quod cuique contingere poſſit ſalus. Nec huic ſenſui repugnat, quod inprimis B. Gregorius in Regiſtro, epiſtola ad Georgium Presbyterum, & Theodorum Diaconum Eccleſię Conſtantinopolitanę conſcripſit: *Prætereà* inquit, *poſt diſceſſum veſtrum dilectiſſimis filijs meis Diaconis narrantibus agnoui, quod dilectio veſtra dixiſſet, omnipotentem Dominum Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum ad inferos deſcendentem omnes qui illic confiterentur eum Deum, ſaluaſſe, atque à pœnis debitis liberaſſe. De qua re volo vt fraternitas veſtra longè aliter ſentiat. Deſcendens quippe ad inferos, ſolos per ſuam gratiam liberauit, qui eum & venturum eſſe crediderunt, & præcepta eius viuendo tenuerunt. Conſtat autem, quia poſt incarnationem Domini nullus ex his etiam ſaluari poteſt, qui fidem illius tenent, & vitam fidei non habent; quia ſcriptum eſt: Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant: & Ioannes ait: Qui dicit, quia nouit eum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt. Iacobus quoque frater Domini ſcribit, dicens: Fides ſine operibus mortua eſt. Si ergo fideles tunc ſine operibus bonis non ſaluantur; & infideles ac reprobi ſine bona actione Domino ad inferos deſcendente ſaluati ſunt; melior illorum ſors fuit, qui incarnationem Domini minimè viderunt, quàm horum, qui poſt incarnationis eius myſterium nati ſunt. Quod quanta fatuitatis ſit dicere, vel ſentire, ipſe Dominus teſtatur diſcipulis dicens: Multi Reges, & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis; & non viderunt. Sed ne dilectionem veſtram in mea diſputatione immorer, quid de hac hæreſi Philaſter in libro, quem de hæreſibus ſcripſit, dixerit, cognoſcat. Cuius hæc verba ſunt: Sunt hæretici, qui dicunt, Dominum in infernum deſcendiſſe, & omnibus poſt mortem etiam ibidem ſe nuntiaſſe, vt confitentes ibidem ſaluarentur; cùm hoc ſit contrarium dicenti Prophetæ Dauid: In inferno autem quis confitebitur tibi? Et Apoſtolus: Quotquot ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt.* Cuius verbis B. quoque Auguſtinus in eo libro concordat, quem de hæreſibus ſcripſit: *Hæc itaque omnes pertractantes nihil aliud teneatis, niſi quòd vera fides per Catholicam Eccleſiam docet: quia deſcendens ad inferos Dominus, illos ſolummodò ab inferni clauſtris eripuit, quos viuentes in carne per ſuam gratiam in fide, & bona operatione ſeruauit.* Hactenus ſanctus Pater, cuius verba dictis noſtris non repugnant: nos enim tantùm de illis loquimur, qui dum viuerent, fidem implicitam habuerunt, & bonis operibus illam exornarunt, aut pœnitentiam de malè actis egerunt. Et videtur hoc loco ſoluere Petrus quęſtionem, quam quidam proponere ſolent: Si ad vtilitatem hominũ Filius Dei homo factus eſt, cur nõ ante multa retro ſecula hoc præſtitit? Ecce ſpiritibus, qui erant in carcere, prædicauit, vt eos liberaret, quicunq; credituri fuerant in eum, ſi in eorum

Margin notes (left): Iac. 2. — Rom. 2. — Tertius ſenſus, qui etiam improbatur. — B. Thom 3. p. q. 52. art. 2. — Quartus ſenſus. — Euangelij ſeu Euangelizandi verbũ nunquam male ſonat in Scripturis ſanctis. — Luc. 23.

Margin notes (right): B. Greg. lib. 6 Regiſtri, epiſt. 15 ſiue c. 179. tom. 2. — Tit. 1. — 1. Ioan. 2. — Iacob. 2. — Matth. 13. — Philaſter. — Pſal. 6. — Rom. 2. — B. Aug. de hær. num. 79. tom. 6. initio. — Quadruplex obiectio diluitur. — Si humanæ vtilitatis gratia filius Dei homo factus eſt, cur nõ ante multa retro ſecula hoc præſtitit.

eorum tempora aduentus eius in carnem incidiſſet: hi enim in inferis Dominum agnouerunt,& prædicantē fructuoſè audierunt.

Secunda obiectio.

Deinde non obſtat quòd iſti dicũtur fuiſſe increduli:quia dici poteſt ꝙ olim fuerunt increduli,nunc amplius nō ſunt, quia flagellis admoniti reſipuerunt.

Tertia.

Tertiò non obſtat ꝙ ſequitur: Expectabat Dei patientiam in diebus Noë. Quod illis minimè conuenire videtur: ſi enim increduli erāt, non curabant Dei longaminitatem: cùm verò repentinus eis ſuperuenit interitus, non erat iam longanimitas Dei: & in Scri-

In Scripturis expectare Dei longanimitatem,iuſtorum eſt tantum.

pturis expectare Dei longanimitatem, ſeu patientiam,tantùm iuſtorum eſt. Eſt tamē alia Græca lectio,quæ habet.Quādo ſemel expectabatur longanimitas Dei: & poſſumus intelligere quòd nō expectabatur ab illis incredulis,ſed ab alijs,à Noë,&filijs eius, qui fortè ante irruptionem aquarum

B.Aug.locis pacatus.

mortui ſunt cùm pietate. B.tamen Aug.legit:*Quando expectabant Dei patientiam:* cui lectioni vox Græca cùm ſit mediæ & cōmunis ſignificationis ἐξεδέχετο. non repugnat. Patientia ergo vel longanimitas Dei erat, quæ ſemel,id eſt vſq; ad pręfixū terminum centū viginti annorū expectabat conuerſionem illorū.

Quarta.

Nec quartò obſtat,ꝙ cū hęc prædicatio congrueret multis alijs, qui in eadē cauſa inueniebātur,de his tātùm fuerit facta mentio, qui fuerūt tempore Noë,

Gen. 19.

cur non etiā ijs prædicatū fuit,qui perierūt per ignem in Sodoma, & alijs ciuitatibus?

Exod.14.

cur non etiam illis, qui ſubmerſi perierunt in mari rubro? aut illis,qui in deſerto mortui ſunt,& multis alijs ſimilibus, quos pari

Num. 26. 1.Cor. 10.

ratione in tanto diſcrimine per pœnitentiam fuiſſe ſalutem aſſecutos, pium eſt credere.Sed poteſt non ineptè reſponderi,ſatis fuiſſe,proponi illud magnum originalis mundi exēplum propter numeroſiſſimam turbam,vt ex illo Dei iudicio ſimilia in cęteris coniectaremus.

Anaſtaſij Antiocheni traditio de Platone Philoſophorū Principe atq; Duce.

Et huic ſenſui videtur fauere Anaſtaſius quidā Antiochenus, qui fuit in ſexta ſynodo,in libro, quē inſcripſit ὁδηγὸς,hoc eſt,Itinerarium,vbi refert,Chriſtum ad inferum deſcendentem prædicaſſe ſpiritib. illic detentis:& cōqueritur quēdam ex ScholaſticisPlatonem damnaſſe vt incredulū, & illi maledixiſſe;quē tamē per ſomnium illi apparuiſſe ſcribit, ſeq; ex primis,qui in Chriſtum crediderunt, fuiſſe in deſcenſu eius ad inferos. Hæc ille in ſenſu: quam etiam hiſtoriam recitat Nicetas in orationem ſecundam Gregorij Nazianzeni in Paſcha. Et ſubiungit ibidem Anaſtaſius: *Verùm cùm hæc audis,ne exiſtimes ſemper eſſe pœnitentiam in inferno:ſemel enim hoc contigit,cùm Chriſtus deſcendit in inferos ad eos viſitandos,quicunque in ſeculo obierant.* *In hunc autem ſenſum comprobandum,videntur dicta veterum Patrum, præſertim Irenæi, Clementis, & Damaſceni inclinare,quod prædicatio,ſiue Euangelizatio(quæ nūquam in Scripturis capitur in malam partem) ſalutaris extiterit,atq; fructuoſa:ad quid enim aliàs euangelizauit Saluator mundi ,ſi nullus erat fructus colligendus?* Ex quo loco ita expoſito elicimus,aliquos, dum viuerent, fidem claram,ſiue expreſſam de Chriſto minimè habuiſſe:in deſcenſu tamen Domini ad inferos ſe illis in Meſſiam,& Saluatorem detegentis,illos & credidiſſe , & ſaluos factos fuiſſe:quemadmodùm B.Hieron.in Nahū Prophetam tradere videtur.

B. Hieron. tom. 6.

Et cōfirmatur hic ſenſus;nam Epiphan.in hær.46. in Tatianum,docet, Chriſtum veniſſe vt his qui olim illū cognouerūt, & ab ipſius Deitate nō aberrauerūt, verum propter errores in inferno detenti ſunt indulgētiam largiretur.

Epiphan.

Hæc ille.Deus etiam Falconillæ idololatrę extinctæ,&Traiano mortuo vt tradit Damaſcenus,pepercit & alijs infidelibus à morte per Apoſtolos ſuſcitatis veniam largitus ; quid mirum ſi erga tales ſpiritus in inferno detentos prædicationem, & ſalutem diſpenſauerint.Et hæc pauca pro intellectu loci B.Petri ſint ſatis.

Rationes Chriſti deſcenſus ad inferos.

Iam vt eò redeat oratio, vnde digreſſa eſt;deſcendit Chriſtus ad inferos,vt totam peccati pœnā ſuſtineret, cui⁹ pars erat deſcenſus ad inferos, quēadmodùm ſuperius ex B.Thoma produximus.

B. Thom. opuſc. 5. Secunda.

Secunda cauſa eſt , vt perfectè ſubueniret amicis omnibus,hoc eſt,habentibus fidem viuam , ſiue charitatē.Habebat enim amicos, tū in terra, tùm in inferno : permulti ſiquidem in inferno erant,qui in charitate,& fide Meſſiæ venturi extremum diē clauſerānt, quēadmodùm Abrahā,Iſaac,& Iacob,Moſes; Dauid,atque alij iuſti,&profecti viri.Cùm ergo ſuos,qui in mundo erant,viſitaſſet,& per mortem ſuā ſubueniſſet eis; voluit etiam ſuos in inferno poſitos amicos inuiſere, atque illos ſubleuare , iuxta propheticum teſtimonium:Tu quoque in ſanguine teſtamēti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu,

Zachar. 9.

in quo non eſt aqua.Etſi enim in cruce debellator mortis, & dæmonis extiterit; debuit tamē ſpolia , ac prędā non relinquere, vt victores facere cōſueuerūt. Et ita deſcēdit ad inferos Dominus,nō vt debitor, ſed vt inuaſor:

Chriſti dominium in inferno. Pſalm. 87.

Factus ſum, inquit,*ſicut homo ſine adiutorio, inter mortuos liber.* Solus à peccati debito liber, & liberator aliorum, vt exactor,non vt peccator,vt iudex,non vt ſupplex:venit ad carcerem vt eriperet, non vt maneret:deſcēdit Rex cęli ſine ignominia, aſcendit cum ingenti gloria: non vt vinci-

retur

retur, ſed vt vinctos diſſolueret: nõ vt præda fieret, ſed vt prædam raperet, & cõpleret verbum ſuum: *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum; in pace ſunt ea quæ poßidet. Si autem fortior eo ſuperueniens vicerit eum; vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet.*

Luc. 2.

Sed cũ apud inferos quatuor ſint ſuperius dicta receptacula, nimirũ ſinus Abrahæ, locus animarum, quæ igne purgatorio luſtrabantur, infantes ante Sacramentum decedentes, atque ipſi reprobi ad ignis gehennam damnati, dubium eſt, an ex omnibus locis omnes eripuit, an quoſdam tantummodo? Reſpondendũ eſt peculiariter de ſingulis. Quãtum attinet ad damnatos in gehenna detentos, nullus videtur liberatus fuiſſe, quia in inferno nulla eſt redemptio, & quia nullus illorum fidẽ habuit vel charitatem, vt illis medijs poſſet fructus paſſionis Chriſti applicari. Quare neque illorum aliquem liberauit, ſed eos tantùm de ſua incredulitate, & malitia confutauit: nec enim in illorum locum per corpoream præſentiam deſcendit, bene tamen ſua virtute illos confutando. Vnde Epiphanius in Marcioniſtas refert, Marcionem dixiſſe Dominum deſcendiſſe in infernum, vt ſaluaret Cain, Core, Dathan, & Abirom, & Eſau, & omnes gentes, quę non nouerãt Deum Iudęorũ; Abel autem, Enoch, Noë, Abrahã, Iſaac, & Iacob, Moyſem quoq;, Dauidẽ, atque Salomonẽ illic reliquiſſe, propterea quòd cognouiſſent Deum creatorẽ eſſe Iudæorum, ac conditorem, & quòd officia ipſius fecerunt, & non Deo inuiſibili ſeipſos addixerunt. Sed vtrumq; perinde falſum eſt, & cum mendacij impietate cõiunctum. Non deſunt tamen alij, qui dixerunt, Chriſtum nonnullos ex cruciatibus gehennę propriè dictę liberaſſe, vt ſe Principem legibus ſolutum, & ſolum Dominũ oſtenderet, qui poſſet omnia, & omnibus quibus vellet condonare. Sed hoc facilius dicitur, quam probatur, præſertim legibus fidei generalibus in contrarium ſtantibus. Id tamen aſſerere contendũt Epiphanius, & Auguſtinus. Ait enim Epiphanius in hęreſin Tatianorum: *Chriſtus venit, vt his quidẽ, qui olim ipſum cognouerunt, & ab ipſius Deitate non aberrauerunt, verùm propter errores in inferno detenti ſunt, indulgentiam largiretur. His quidem qui adhuc in mundo ſunt, per pœnitentiam; qui verò in inferno, per miſericordiam & ſalutem.* Auguſtinus verò libro ſuper Geneſim ad literam: *Quomodo enim,* inquit, *aliter accipiendum ſit quod dictum eſt: Quem Deus ſuſcitauit ex mortuis, ſolutis doloribus inferorum, quia non poterat teneri ab eis; non video niſi vt quorundam dolores apud inferos eum abſoluiſſe accipiamus, ea poteſtate qua Dominus eſt, cui omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, per quam poteſtatem etiam illis doloribus quos ſoluit, non potuit teneri.* Idem docet epiſtola ad Euodium. Verùm hi loci gloſſam admittere poſſunt, ſi dicamus, quod illa dicta ſint de electis, qui in purgatorio igne cruciabantur: quanquam cùm liberatio ab igne purgatorio ordinaria poteſtate fiat, adhuc pugnare videtur verbo Auguſtini, q̃ ſoluit illos dolores ea poteſtate qua Dominus eſt, cui omne genu flectitur, cęleſtium, terreſtrium, & infernorum, in quo videtur ſingularem Dei potentiam, & abſolutam denotare. Quod ſi quis vrgeat exemplum Traiani Imperatoris precibus B. Gregorij de inferno eruti, & Falconillæ fœminæ, vt docet Damaſc. in ſermone illo, De his qui in fide hinc migrarũt; & ne cuiquã falſum, aut fabuloſum commẽtum produxiſſe videri poſſit, addidit Damaſcenus: *Teſtatur Oriens, & Occidens miraculum hoc germanum, & irrefutabile.* Sic ille. Non vtique reſpondere negando hiſtoriã tanto à Doctore cõſcriptam, quẽadmodũ Melchior Canus in locis Theologicis quibuſdam ex temporum ratione atque Hiſtoricis dictis rationibus demonſtrare cõtendit, ſed parum meo quidem iudicio ſolidis ac firmis. Nam vt illud omittam, quòd ſi ſermo ille minimè à Damaſceno eſſet cõſcriptus, profectò Oecolampadius homo hæreticus nequaquã librũ, in quo maximè ſua dogmata cõfutabantur, in Latinũ vertiſſet ſermonẽ. Quòd ſi dicas, librũ illum antequam in hæreſim prolaberetur, & eiuſmodi orationem tranſtuliſſe: ſatis tamen eius ſtylus, ac dicendi character ſe eſſe Damaſceni oſtẽderet. Veterũ quoq; Patrum productio, quos ille de more interdũ allegare ſolet in libris de fide Orthodoxa, idem comprobat. Præterea Ioannes quidam Diaconus, vitæ B. Gregorij conſcriptor, huius miraculi, nimirum Traiani precibus Gregorij ſuſcitati fidẽ facit, atque confirmat: referens olim Gregorium per forum Traiani procedentem, iudicij eius, quo viduam conſolatus fuerat, recordatum fuiſſe, atque admiratum: quare ſancti Petri baſilicam cum perueniſſet, tãdiu ſuper errore Traiani defleuiſſe, vt ſequẽti nocte reſponsũ acceperit ſe pro Traiano fuiſſe exauditum: tantùm pro nullo vlterius pagano preces effunderet. Hęc ille. qui cõtra quoſdam hoc ſignum infirmare volentes, & allegantes, pro infidelibus in inferno poſitis non eſſe preces fundendas: reſpondet, Gregoriũ non oraſſe, ſed fleuiſſe tantũm, ac fletu ipſo impetrauiſſe. Adhæc ſi

Verum Chriſtus aliquos damnatos ab inferno liberauerit.

Epiphan. in hær. 42.

Marcionis dogma falſiſſimum.

Epiphan. in hær. 46. ſub finem.

Aug. li. 12. ſuper Geneſim ad literam, c. 33. in med. tom 3.

Actor. 2.

Philip. 2.

Idem epiſt 69 tom. 2.

Damaſcen

Melchior Canus.

Hiſtoria Traiani per B. Gregorium ab inferno liberati vera oſtenditur, & fide digniſſima.

Oecolamp. homo hæretic.

Ioan. Diac. lib. 2. vita B. Greg. c. 44 tom. 1.

hæc ſi Ioannis Damaſceni manus, quæ pro imaginibus colendis præclare ſcripſerat, à Leone tertio præciſa fuit; & deinde Virginis precibus reſtituta fuerat, quomodo potuit Damaſcenus Gregoriū antecedere, qui tempore Leonis fuit, Gregorius autem tempore Mauritij. Quare potuit Damaſcenus noſſe hiſtoriā illā Gregorij, vtpote ſuperioris. Adhæc cùm Cōcilium Nicenum Secundū, quod ſeptima ſynodus dicitur, & in eo pro venerādis ſanctorum imaginibus perplura veterum Patrum teſtimonia producantur, ac nunquam Ioānis Damaſceni ſententiæ; qui tamē multas præclaras orationes de illis compoſuit, citētur; argumēto eſt, Damaſcenum non eſſe tam antiquū, aut Gregorio antiquiorem. Nam cùm multas orationes, atq; illas quidem elegantes, ac doctas huius argumenti conſcripſerit, nulla efficax ratio, quod non fuerit in Cōcilio productus, adferri poteſt, niſi quod poſterior fuit Concilio, aut ſaltem σύγχρονος. Ac proinde ruūt, quæ Melchior Canus in negāda hac hiſtoria ꝓtulit, qua poſita vt vera, aſſerimus hæc non pugnare cū dictis: vel quia res, quę rarò à Deo fiunt pro abſoluta ſua potentia, non ſunt in conſequentiā trahenda; aut fortaſſis Traianus ad gehennæ ſupplicia non erat damnatus. Ac licèt fide Chriſti explicita non eſſet præditus; habebat tamen fidem in Deum quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator ſit, multaque virtutū officia, quibus Romanū imperium adminiſtrauit; vt propter eà ad gehennæ ſupplicia ad tempus tantùm dānatus fuerit, vt fletu, & precibus Gregorij liberari poſſet, aut denique aliam non incōmodam diſſoluēdi nodi illius rationem excogitare, quò veritate illius ſigni poſita, fidei placitis non repugnare oſtendatur. Et hactenus de his qui ſunt ad gehennæ ignē damnati.

Conc. Nicen. ſecundum ſeu 7. ſynod.

Hær. 11.

Deinde ſtatuimus, Chriſtum ad inferos deſcendentem, infantes cum ſolo originali peccato decedentes minimè liberaſſe: quia cùm tales fide carerent in Chriſtum, & Sacramento ſalutari, non habeant quicquā, quò fructus mortis Chriſti applicaretur illis. Tertiò, eos, qui in purgatorio detinebantur, ſentit Thomas in tertia parte, non omnes liberaſſe; niſi illos tantùm, qui in virtute paſſionis Chriſti tales erant iam diſpoſiti, vt à pœnis illis liberarentur. Cuius ſententiæ ſubſcribūt & Durandus, & Marſilius in tertio ſententiarū. Nō tamē deſunt Doctores Scholaſtici, qui aliter ſentiāt: qui Scripturis, ac Patrū ſententijs, & firmioribus rationibus contrariā ſententiā tueantur, nimirū beatus Bonauentura, & Ioānes

Nemo qui cum originali deceſſerant fuerunt à Chriſto liberati.

An etiam Chriſtus ſuo deſcenſu liberauerit animas à purgatorio. Prima opinio.

D. Thomas in 3. par. q. 52. art. 8. Durandus in 3. ſentent. Marſilius. ibidem. Secunda opinio.

S. Bonauent.

Maioris, & Gabriel Biel. Habes Scotum in Quarto, vbi ait: *Si rigorem iuſtitiæ Dei ſpeculemur, ita dicendum eſt, vt Thomas ait. Sed nihil abſurdi eſt, ſi quis dixerit ex ſingulari priuilegio tunc omnes Chriſtum liberaſſe: idque virtute ſuæ paßionis. Nam eadem virtute, qua indulgentiæ Pontificiæ modò nituntur, propter aliquod celeberrimum factum, vel feſtum, & nonnullæ liberationes animarum à purgatorio, nihil mirum, ſi in tanta feſtiuitate, quantam tum Chriſtus præſentia ſua inferis attulit, libertate omnes donarentur, qui filij Dei erant.* Hæc ille. Scotus quoque in Quarto affirmat, Ieſum deſcenſu ad inferos euacuaſſe purgatorium per viam indulgentiæ. Secundò producuntur quidam loci ex Scripturis, vt ille: *Ero mors tua: ô mors, morſus tuus ero inferne*: at hic morſus efficacior eſſe intelligitur, ſi ex quatuor receptaculis euacuauerit duo. Morſus autem in pomi parte ſana, relicta putri ac corrupta, id eſt, damnatis, qui deuorari non poterant, eſt exponendus. Deinde Zacharias inquit: *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu.* Vbi perpende illud: *Vinctos tuos*; nam omnes in charitate exiſtentes erant vincti Dei, ſiue Ieſu: at qui in purgatorio pœnas luebant, magis propriè ſunt vincti, quàm ſancti Patres in limbo, vt de Lazaro dixit Abraham. Adhæc ait Petrus in Actis: *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni*: quod Auguſtinus ad Euodium de quorundam debitorum in inferno ſolutione interpretatur. Adhęc quod Petrus ait: His qui in carcere erant ſpiritibus, veniens prædicauit: at animæ purgatorij magis erant in carcere, quàm illæ, quæ in ſinu Abrahę: igitur illis profuit deſcenſus Chriſti ad inferos. Eò etiam referenda ſunt teſtimonia antiquorū Patrū, nempe Epiphanij & Auguſtini paulò antè producta & explicata, quod ſaltem ad animas purgatorij pertineant. His adiūgitur beatus Gregorius, qui tractans illud: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*, ſcribit: *Omnia etenim traxit, qui de electis ſuis apud inferos nullum reliquit. Omnia abſtulit, vtique electa.* Et rurſus alibi ait: *Deſcēdens quippe ad inferos, ſolos per ſuam gratiam liberauit, qui eum & venturum eſſe crediderunt, & præcepta eius viuendo tenuerunt.* Hæc ille: at tales ſunt omnes qui in purgatorio verſantur. Idē in libro 13. Moralium capite vigeſimo: *Dum conditor, ait, ac redemptor noſter clauſtra inferni penetrans electorum exinde animas reduxit*: & Damaſcenus ſermone De his, qui in fide hinc migrarunt, ait, quòd eduxit omnes, qui in fide formata hinc diſceſſerunt: ſed tales ſunt omnes, qui verſantur in purgatorio.

Ioannes Maioris. Gabriel Biel in 3. diſtinct. 22. q. 3. Scot. in 4. diſt. 43. art. 2.

Scotus in 4. diſt. 43. q. 2. art. 1.

Oſea 13. Iohannis Scripturæ teſtimonijs nititur hæc opinio. Primus locus. Secundus locus. *Zach. 9.*

Luc. 16. Tertius locus. *Act. 2. Auguſt. epiſt. 99 tom. 2. 1. Petr. 3.*

B. Greg. hom. 22 in Euang. paullò ante med. tom. 11. Ioan. 12. Idem lib. 6. regiſtr. epiſt. 139 ſeu cap. 179. to. eodem.

Idem to. 11.

Damaſcenus. Idem ſenſus rationibus oſtenditur.

Prima ratio. Accedunt & rationes non contemnendæ. Prima, quia illud videtur Chriſto eſſe tribuendũ, quod eius maieſtatem & gloriã magis illuſtrat,& poteſtatẽ amplificat. Sed cui dubiũ eſſe poteſt,hanc à ſupplicijs purgatorijs liberationem eius poteſtatem magis exornare? Deinde ſi latro Ieſum in cruce aſpiciens,& in eum credens,audiuit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*; ergo & animas eum ibi adeſſe credentes, ac perſentientes credendum eſt eadem die in paradiſo fuiſſe. Tertio in aduentu eius in die iudicij, ad iuſtitiam Dei, quæ propalabitur, ſpectandã omnes liberabuntur; ergo in aduentu miſericordiæ & gratiæ ſuę pleno ſaltẽ per pœnarum intenſionem, vt tunc continget electis,& modò factum eſt. Quartò, autoritate excellentiæ, qua poteſt præſtari effectus Sacramenti ſine Sacramento, dedit iubilęum latroni in cruce, & ante eum peccatrici; ergo & eadem vſus,eos,qui erant in purgatorio,liberauit. Quintò, dicitur in plurali deſcendiſſe ad inferos, ſiue ad inferiores partes terrę: ergo non tantum in ſinum Abrahæ,ſed & in purgatorium deſcẽdit. Sexto, Reges in primo ingreſſu ſuo in ciuitatẽ regni,vel in die magna lætitiæ, & triumphi ſolent reis interdum capitalibus parcere,vt Pharao pincernæ ſuo, & vel populus Hebræorum efferatus ſolitus erat per diem feſtum Paſchæ vinctum vnum ſoluere,quẽ voluiſſent,& Principes ſeculares in diebus Paſchatis dimittunt reos non condẽnatos in cauſa capitali;& Epiſcopi, ſiue Paſtores Eccleſiaſtici pœnitentiarum debita iniunctarũ relaxant,vt actione 11. quartæ Synodi innuitur: Quid ergo de patre miſericordiarũ ac Deo totius conſolationis Ieſu Chriſto cogitandum, cũ potentiam ſuam parcẽdo maximè & miſerãdo reddat manifeſtã? Septimò,Sacramentũ Euchariſtię vim habet, atq; efficaciam animas à purgatorio eripiẽdi igne: vnde precamur; vt hoc Sacramentum ſit viuorum,atque mortuorum fideliũ remiſſio omnium delictorum; ergo multò magis illud ipſum præſtabit rei ipſius præſentia,quã ipſa Chriſti oblatio. Nam propterea dicitur in Apoc. habere claues mortis & inferni: dicitur etiã clauis putei abyſſi: ergo hæc tam decantata Chriſti poteſtas in abyſſum,vel in infernum, aliquem inſignẽ effectum debuit operari. Quod ſi ſuffragãtibus nobis,& ſubſidia illis pia impendentibus,euacuari purgatorium quandoq: cõtingit; quid ni ergo ipſo Chriſto redẽptore abundè ſuffragãte,& iuſtũ pretiũ ſoluente.

Luc. 23. II. Ratio. III. Ratio. IV. Ratio. Poteſtas excellentię quę ſit. *Luc 7.* V. Ratio. à more Magiſtratuum. *Epheſ. 4.* VI. Ratio. *Gen 40.* *Matt. 27.* Quarta Synodus. *2. Cor. 1.* VII. Ratio. *Apoc. 1.* *Infra 9.* *Infra 20.*

Thomæ ac Durandi aliter ſentientium argumenta ſoluuntur. Ad argumenta igitur Thomæ, ac Durandi dicendum eſt,hanc gratiam illis collatã per Iubileũ, ſiue indulgentiã plenariã, per tres illos dies facto purgatorio paradiſo. Et de his hactenus. Ex quibus elicimus, omnes patres,qui in ſinu Abrahæ continebantur,atque vniuerſas animas in purgatorio igne detẽtas clemẽter à Chriſto liberatas fuiſſe. Tertia ratio cur deſcẽderit Chriſtus in infernũ,eſt; vt pfectè Chriſtus de diabolo triumpharet, non ſolùm eum in certamine debellãdo, ſed inuadẽdo eũ in domo ꝓpria, & præclara animarũ ſpolia ſubtrahendo. Quarta ratio: vt qui in terra poſſeſſionem acceperat eius, poteſtatẽ quoq; inferni in illum deſcendendo caperet, ſicut aſcendendo aſſumpſit & cœli; vt ita in nomine Ieſu flectatur omne genu, cœleſtium, terreſtrium,& infernorum. Adhæc inſtruimur de firma ſpe concipienda in Deum, ꝙ ſi in afflictione & tribulatione ſumus, tandem ſua nos miſericordia eripiet. Nã ſi Orpheus,vt fabulantur Poëtæ, tanta prædiius fuit charitate, vt deſcenderet in infernũ ad extrahendam inde dilectam Eurydicẽ vxorem ſuam; ſuaque lyra ſuauiſſima eduxiſſe quidem vſq; ad oſtium inferorum, at nihil poſteà præſtitiſſe: Chriſtus tamẽ reuera inferos penetrauit, neque vnam tantùm animã, ſed innumerabiles ſponſas ſuas renitẽte extraxit inferno. Et quanquam nobis facilis ſit deſcenſus Auerni; ſed reuocare gradũ, ſuperaſq; euadere ad auras, nobis eſt operoſum,ac difficile: Chriſto tamen Dei filio æquè facilè eſt ab inferno egredi: atque ingredi in illum. Eſt tamen vnde etiã cõcipiamus timorẽ,& arrogantiam omnẽ à nobis depellamus: Nam etſi Chriſtus deſcenderit ad inferos, non tamen omnes eripuit, ſed eos tantùm qui etãt ſine peccato mortifero; ideò null⁹ illic macula cõtaminatus deſcendens ad inferos vllã ſperet veniã. Danielẽ quidẽ de lacu leonum liberauit,& ad illũ miſit prandiũ per manũ Habacuc, quia ſuffragia illis, qui in impietate decedũt, nõ valent, ſed illis tantùm, qui cum pietate, ac iuſtitia dormitionẽ acceperunt. Prętereà erudimur de ſolicitudine, ac dilectione mortuis impẽdenda. Si enim ꝓ ſalute noſtra eò deſcendit Chriſtus, debem⁹ & nos frequẽter cogitatione illuc deſcendere, vt noſtros liberemus, qui in illo tetro carcere detinẽtur, nec poſſunt ſeipſos iuuare, quique voces illas querulas ad nos emittunt: *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur. Deſcendamus ergo in infernum viuentes, recogitando nouiſſima noſtra, ne morientes eò deſcendamus. Poſtremò erudimur de gaudio ineffabili animarum ſanctarum, quæ per tot

III. Ratio Chriſti in infernum deſcenſus. IV. Ratio. *Philip. 2.* Chriſtus ad inferos deſcendens nob. documenta ... præbeat. Poetarum de Orpheo figmentum. *Virg lib 6. Æneid ſub initium.* *Dan. 14.* Quibus tamen prodeſt ... defunctorum ſuffragia. Secundum documentum. *Iob 19.* *2. Mach. 12.* Tertium documentum.

annorum

annorum millia hoc anxio deſiderio tenebantur videndi Meſſiam: *Multi*, inquit, *Prophetæ, & iuſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt.* Ipſe prætereà dicitur Deſideratus cunctis Gentibus, & Deſiderium collium æternorum. Hunc diem Abraham deſiderauit videre, vidit tandẽ, & gauiſus eſt. Tũc Ioannes alta voce dixit: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Tunc vniuerſi Patres cõcordi voce præcinuerunt Domino: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorẽ deiecit in mare Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutẽ: iſte Deus meus. & glorificabo eũ; Deus patris mei, & exaltabo eum,* & reliqua. Huius quidem Cantici Iſraëlitæ cantum planum, ac figurantem decantarunt; tunc verò ſancti Patres ſupremum, ac figuratum cecinerunt, quia illi in figura liberati, iſti in veritate. Vnde pulchrè Auguſt. ſermone de deſcenſu Chriſti ad inferos ſcribit: *Cumq; tenebrarum terminum, quaſi quidam deprædator ſplendidus ac terribilis attigiſſet, aſpicientes eum impiæ, ac tartareæ legiones, territæ ac trementes inquirere cœperunt, dicentes; Quiſnam eſt iſte terribilis, & niueo ſplendore coruſcus? nunquam noſter talem excepit tartarus, nunquam in noſtram cauernam talem euomuit mundus. Inuaſor iſte, non debitor: exactor eſt, non peccator. Iudicem videmus, nõ ſupplicem: venit iubere, non ſuccumbere: eripere, non manere. Vbi iam ianitores noſtri dormierunt, cùm iſte bellator clauſtra vexabat? Hic ſi reus eſſet, tam potens non eſſet. Si eum aliqua peccata fuſcarent, nunquam noſtra tartara ſuo diſſiparet fulgore.* Et infra: *Poſt iſtas crudelium miniſtrorum infernalium voces, ſine aliqua mora ad imperium Domini, & Saluatoris noſtri omnes ferrei confracti ſunt vectes: & ecce ſubitò innumerabiles ſanctorum populi, qui tenebantur in morte captiui, Saluatoris ſui genibus aduoluti, lachrymabili eum voce cum obſecratione depoſcunt, dicentes, Aduenisti redemptor mundi, aduenisti quem deſiderantes quotidie ſperabamus. Aduenisti, quem nobis futurum lex nunciauerat, & Propheta. Aduenisti donans in carne viuus indulgentiam peccatoribus mundi, ſolue defunctos inferni. Veniſti poſt longas lachrymas, eripe ſolus qui paſſus es pro nobis. Cæli conditor, ad inferos intrare dignatus es. Te enim noſtra vocabant ſuſpiria, te larga requirebant lamenta. Vnde ſpes deſperatis, vnde conſolatio in tormentis? In aduentu tuo catena noſtra cecidit, nox effugit. Vita veniente mors moritur, nec tortor inſtat, nec percuſſor.* Hæc ille de Chriſto Domino victore, ac triumphatore, cui cum Patre, & Spiritu ſancto perpetuus reddatur honos, gloria, & imperium in ſempiternis ſeculis, Amen.

...b 13. *Agg. 2.* *Gen. 49.* *...an. 8.* *...pr. 1.* *... 15.* *Aug. serm. 2 de ... Christi ad in... tom. 137 ... 10 10*

TRACTATVS LI. AC POSTREMVS.

De rationibus, propter quas dies Sabbathi dicatus eſt B. Virgini, ac de eiuſdem ſanctiſsimæ Deiparæ lamentatione, & ſolicitudine eius, quam in morte Filij perpeſſa eſt.

QVEMADMODVM certi quidã, ac ſtati dies, in quibus aut Apoſtoli, aut Martyres pro Chriſto ad mortem vſque decertarũt, celebres, ac glorioſi exiſtunt, ac meritò quotannis commemorantur: ita profectò præclarè ſtatutũ, vt ſanctiſſima Deipara diem aliquem certum ſibi vẽdicaret, in quo cum laude, & gloria eius memoria recoleretur, & tantò iuſtiùs, quanto ipſa inter ſanctos eſt ſanctiſſima, inter Martyres pluſquam Martyr, inter Apoſtolos Apoſtolorum colũna, & magiſtra, inter virgines prima, & ſumma, & verè Virgo virginum. Vt ergo Dominus Ieſus diem Veneris, in hebdomada ſancta ad memoriam ſuæ Crucis, ac mortis repræſentandam ſelegit, ita etiam diem Sabbati voluit propriã eſſe, ac dicatã Matris ſuæ martyrio. Quod mihi quidem triplici de cauſa factum eſſe videtur. Nam in primis diua Virgo ingentia, & grauiſſima in Chriſti cruce pertulit ſupplicia: nam omnia vulnera, quæ corpus Chriſti vexabant, vulnerabant eius animã, acetum illam potabat, improperia illam affligebant, nuditas Filij ipſam confundebat; adeò, vt eſſent tanquam duo ſpecula inuicem oppoſita, in quorũ quolibet ſplẽdebat alterum, velut aquæ maris euntes, & redeũtes in mare: ita dolores à Filio in Matrem redundabant, & contrà à Matre in Filium. Et cùm die Veneris communes eſſent dolores; Chriſto tamen per mortem extincto, & animo impaſſibili facto, & corpore ſenſus experte reddito, totius paſſionis, ac mortis Chriſti dolor in ſolam eius genitricem chariſſimam emanauit. Secundò, tribuitur illi Sabbati dies, quod in ea ſola fides explicita reſurrectionis Chriſti ſolida, atque integra permanſit: nam etſi aliqua fidei ſcintilla in aliquo Apoſtolorum remanſit, aut in Ioſeph, aut Nicodemo, propter quam digni ſunt, qui minimè infideles dicantur: illa tamen tenera, ac infirma fuit, & minimè cum illa diuæ Virginis cõparanda. In cuius rei fidem neque cum reliquis ſanctis mulieribus legitur inuiſiſſe ſepulchrum, quæ à Filio ſuo paulò poſt ſe certò fore inuiſendã nullo modo dubitabat:

Deiparæ Virginis merita, & prærogatiuæ ſigulares.

Prima ratio propoſitæ quæſtionis.

II. Ratio.

Marc. 16.

bat: neque cum illis parauit aromata, vt vngeret eum, quæ ſciebat Filium ſuum oleo diuinitatis delibutum, in corruptionẽ deſcendere minimè potuiſſe: denique neque ei apparuiſſe Filiũ vlla Scriptura prodidit Euãgelij: quòd illę omnes apparitiones quæ legũtur, incredulis fierent ad fidẽ reſurrectionis faciendã. Tertiò, meritò hic

III. Ratio.

dies illi adſcribitur, propter myſteriũ: quia vt olim Deus ſex diebus mundũ condidit, & ſeptimo ab omni opere quieuit, ꝙ patrarat; ac propterea benedixit, ac ſanctificauit illũ: ita Dominus Ieſus peracto opere inſtaurationis mundi à Dominica die cœpto, in quo ſe Regem proclamari à toto populo voluit, & die ſexta perfecit, cùm dixit: *Conſummatum eſt*, ac die ſeptima in monumento conditus quieuit: excellentius tamen requiem quærens in B. Virgine inuenit, in qua Ieſus Deus verus & homo tãquam in ſepulchro nouo quieuit. Quid enim magis nouum, quàm Mater, & Virgo? aut quid magis nouũ, quàm id quod mundũ eſt non ſolùm ab omni actuali, verùm etiam originali peccato? Eſt ergo diua Virgo ſepulchrum nouum: eſt exciſum de petra fortiſſima Chriſto: nam & ipſa quoque propter conſtantiam, & firmitatem petra dicitur apud Prophetam: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Sion.* In hoc ſepulchro nullus ante poſitus fuerat, nec poſt Chriſtum poſitus eſt: quia Virgo permanſit antè partum, in partu, & pòſt partum. Erat ſepulchrum Ioſeph; ꝙ ipſa in poteſtatẽ ſanctiſſimi Ioſeph, tanquam viri & ſponſi ſui, tradita eſſet. Deniq; vbi iuxta ſpiritum aderat pura mundę conſcientiæ ſindon, & odoramenta illa, ſiue aromata virtutum, quæ Deum è cęlo in terram traxerunt, de qua in Canticis ipſa dicit: *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.* Et hæc de primo.

Gen. 1. & ſeq.

Matth. 21.

1. Cor. 10.

Maria Virgo cur petra à Propheta vocetur.

Quomodo in myſtico Domini ſepulchro B. Virgine nullus antea, nec poſt poſitus fuerit.

Quò verò vberiùs meditari valeamus Matris Deiparæ ad Ieſum Cruci, & morti traditũ commiſerationem, perſpice B. Virginem duplex Canticũ ceciniſſe in vita ſua, alterum profundiſſimæ lamentationis, alterum altiſſimæ exultationis. Hoc cecinit, dum apud ædes Zachariæ vidit ſe matrem Meſſiæ, vterq; Dei detectam: alterum, dũ ſtans iuxta crucem, & cùm cadauer Domini Ieſu iam mortui in ſinu ſuo cõtrectaret, de quo olim Simeon, quaſi de gladio animã eius pertranſeunte, & Patres Gregorius Nazianz. B. Ephrem, Auguſtinus, Bernardus, & Anſelmus philoſophati ſunt.

Duplex B. Virginis cant cũ longè diuerſum ab ea decantatum, g[illegible]d j, & mœſtum.
Luc. 1.

Infra 2.

Verum obſtrepit nobis hoc loco Bullingerus, homo hæreticus, & impius Ioan. 19. ſcribens: *Deus bone, quanta nugarum plauſtra inuexerunt ſpermologi veriùs quàm ſermologi Papiſtici, quantas excitarunt de compaſſione beatæ, & intemeratæ Virginis Mariæ tragœdias. Adeò autem inoleuit apud pleroſq; compaſſionis illius exiſtimatio, vt hiſtoriam paſſionis non plene videatur expoſuiſſe, tametſi fide optima omnia, quæ de Chriſto Domino noſtro ſcripſerunt Euangeliſtæ, enarrauerit, quiſquis iſtorum quoque non adiecerit de cõpaſſione Virginis figmenta.* Rurſus addit: *Quorſum pertinet prodigioſa quadam de Mariæ ploratu, & lamentatione apud plebem deprædicare, & ad commiſerationem propenſa pectora ad largiſſimas prouocare lachrymas? Nam hæc quorundam monachorum hac in re vnicus finis eſt.* Hæc ille nebulo, ſine ſenſu, & ratione loquens, tragicas voces in odium Catholicorum ſpargẽdo, & id in quo vnus, aut alter errare ſolet, toti Eccleſiæ tribuendo, & quæ veteres Doctores ſenſere, meras nugas vocando. Cùm tamẽ naturalis ſit hic commiſerationis affectus, & in Scripturis inuentus, & à Patribus comprobatus. Quis enim ignorare valeat, à natura hominis inditum cõmiſerationis affectum, quo teſtari valeat ſibi ſupplicia: & aduerſa, & mortem innocẽtis, vel dilecti, & ſanguine cõiuncti ſibi diſplicere, atque illo maximè ſubleuari eum qui patitur, ſi viuat adhuc, & ob eum vſum lachrymas homini datas, de quibus egregiè quidam Poëta dixit:

Refellitur Bullingerus, Matrem Domini negans mortẽ eius luxiſſe, atque planxiſſe.

Molliſſima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur,
Cum lachrymas dedit hæc noſtri pars intima
ſenſus.

Lachrymæ homini cur datæ. Iuuenalis.

Ita olim fleuit Dauid, & lugubre carmen condidit in morte Saul, & Ionathæ, & in Euangelio Chriſtus Dominus lacrymas dedit in morte Lazari, & planctu ſororũ eum deplorantium; & dum videns ciuitatem, fleuit ſuper illã, exui vult prorſus hominis naturam, & indui ferinam, aut belluinam, qui vetat matrem in filij dilectiſſimi funere flere. Ratio enim corrigit naturã, & gratia Dei non tollit, ſed perficit. Poteſt enim hic affectus cõpaſſionis & à ratione moderationem accipere, & pietate ornari.

2. Reg. 1.

Ioan. 11.

Luc. 19.
Effectus diuina.

Perpende obſecro verba Bernardi, magni, ac prudentis viri, qui in morte fratris ſui Gerardi magnum concepit dolorem, dicens: *Plango primùm ſuper mea ipſius plaga, atque huius iactura domus. Plango deinde ſuper pauperum neceſſitatibus; quorum Gerardus pater erat. Plango certè, & ſuper vniuerſo ſtatu noſtri Ordinis, noſtræ profeſſionis, qui de tuo Gerarde zelo, conſilio, & exemplo robur non mediocre capiebat. Plango poſtremo, etſi non ſuper te, propter te tamen. Hinc prorſus, hinc afficior grauiter, quia vehementer amo. Et nemo mihi moleſtus ſit, dicens, non debere ſic affici, cum benignus Samuel*

Omditur. B. Bernard ſerm. 26. ſuper Cant. prope finem.

1. Reg. 15.
2. Reg. 17.

ſuper

ſuper reprobo Rege, & pius Dauid ſuper parricida filio ſatisfecerint affectioni, & non ad iniuriam fidei, non in ſuperbi ſigillationem iudicij: Abſalon fili mi, (ait ſanctus Dauid) fili mi Abſalon: & ecce plus quàm Abſalon hic Saluator quoq; videns ciuitatem Ieruſalem, & prauidens ruituram, fleuit ſuper eam. Et ego propriam, & quæ in præſenti eſt deſolationem non ſentiam? Plagam meam recentem & grauem non doleam? Ille fleuit compatiendo, & ego patiendo non audeam? Et certè ad tumulum Lazari, nec flentes arguit, nec à fletu prohibuit, inſuper & fleuit cum flentibus. Et lachrymatus eſt (inquit) *Ieſus. Fuerunt lachrymæ illæ teſtes profectò naturæ, non iudices diffidentiæ. Deniq; & prodijt mox ad vocem eius qui erat mortuus, ne continuò putes fidei præiudicium dolentis affectum. Si nec fletus vtiq; noſter infidelitatis eſt ſignum, ſed conditionis indicium.* Hæc ille pientiſſimus Pater, probans Scripturæ exemplis fletum, & dolẽtis affectum, & excuſans apud ſuos. Quæ ſi transferãtur ad Mariam, valde confirmant eius acerbos dolores & planctum lamentabilem propter Filium Dei ſponte ſuſceptum.

Luc. 19. — Ioan. 11. — Idem. — Rom. 12.

Certè Scriptura de Chriſto teſtatur: *Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & nõ fuit; & qui conſolaretur, & non inueni.* Et flentes poſt ſe baiulantem crucem filias Ieruſalem repreſſit, non niſi quia putabant vt hominẽ morti adiudicatum, & nolenrem, & inuitum perire. Adde quod alio loco habet Dei verbum: *Plangent eum planctu quaſi ſuper vnigenitum, & dolebunt ſuper eum, vt doleri ſolet in morte primogeniti. Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum:* ſignificans amaram, & vehementem compaſſionis affectionem. Et Eccleſia illud præcipuè Chriſto tribuit: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite, & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus!* Et idem poteſt optimè teneræ, ac ſanctiſſimæ Virgini quadrare, quæ ſuo modo excellentiùs dolores Chriſti cõmiſerata, & fletu, & lachrymis eſt cõteſtata, ablatis tamen omnibus defectibus, quos paſſio vehemens ſolet adiungere, & clamore furioſo, laniatione faciei, & capitis, & exanimatione interna, lamentis indignis, & omni ratione vacuis de medio ſublatis: hæc enim mulierculæ faciunt fractæ doloribus, quæ eiulãt, & pectus pugnis pulſant, capillos lacerant, & ſe ipſas ter miſeras clamitant. Quia cõſtantiſſima fide ſtetit iuxta crucem, quæ cũ vulneribus, & tormentis Chriſti Filij ſui torqueretur, & fides eius tentaretur, non tamen expugnabatur.

Pſalm. 68. — Luc. 23. — Chriſtus filias Ieruſalem ſuper ſe cur flere prohibuerit. — Zachar. 12. — Ierem. 6. — Thren. 1. — Ioan. 19.

Iam verò, ſi Doctores ſacros conſulas, vide quid dicat Gregorius Nazianzen. in Tragœdia de Chriſto patiente.

Gregor. Naz. quantò breuius à principio.

Eamus ergo, eamus, hinc abſit pauor:
Hic vita nobis eſſe quæ ſuauis poteſt?
Quin efferamus hinc pedem, & videam mei
Tormenta nati, hei hei mihi miſerrima:
Chara ô ſodales, cerno nihil hic filij,
Vſq; adeò forma rara mutata & color.
Dilecta, ô inquam filij vt vultum mei
Squallore vidi plurimo, & ſaniæ obſitum,
Mors ſola votum eſt, vita, mors tantùm mihi:
Agite iam, agite vos, non fero vitam amplius.

S. Ephrem, B. Baſilij diſcipulus lamentationem integram habet Mariæ, quæ incipit: *Stans apud crucem puriſſima Virgo, Saluatoremq; in ligno ſuſpenſum ſuſpiciens, plagas reputans, intuens & clauos, querelas, colaphos, ac flagellationem, cum grauibus ſuſpirijs, cum fletu ingenti, cum lamentis doloroſiſſimis, exclamauit dicens: Mi fili dulciſſime, dilectiſſime fili, quomodo crucem ſuſtines, &c.* Rupertus Tuitienſis in cap. Ioan. 19. *Si Apoſtolos tuos in hora illa ſua paſſionis Dominus mulieri parturienti rectè comparauit, quantò magis mulierem hanc ſtantem iuxta crucem ſuam, mulieri parturienti, talem matrem, talis filius ſimilem duxit? Quid autem dico ſimilem, cùm verè ſit mulier, & vera mater, & veros habeat in illa hora partus ſui dolores?* Idem lib. 6. de diuinis offic. cap. 3. admonet, vt quoties illa ſolennis memoria Crucifixi celebratur, iuſtitia regnet in nobis ad pœnitentiam, vt exemplo Mariæ ferrum Dominicæ paſſionis noſtram pertranſeat animam: vt claui manuum, ac pedum eius carnem noſtram configant, & vt crux eius noſtram ſuſpendat concupiſcentiam. Bernardus feria quarta Hebdomadæ Pœnoſæ, ſermonis initio: *Vniuerſi Chriſtiani ſacra hac ſeptimana, aut pro ſolito, aut præter ſolitum pietatem colunt, modeſtiam exhibent, humilitatem ſectantur, induunt grauitatem, vt Chriſto patienti quodammodò compati videantur.* Sophronius, vel Hieron. in ſerm. de Aſſumptione B. Mariæ circa finem: *Alij ſancti etſi paſſi ſunt pro Chriſto in carne, tamen in anima (quæ immortalis eſt) pati non potuerunt. Beata verò Dei genitrix, quia in ea parte paſſa eſt, quæ impaſſibilis habetur, ideò (vt ita fatear) quia ſpiritualiter & caro eius paſſa eſt gladio paſſionis Chriſti, pluſquam Martyr fuit.* Et Anſelmus libro de excellentia B. Virginis Mariæ: *Quicquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leue fuit, aut potius nihil comparatione tuæ paſſionis* (alloquitur Mariam) *quæ nimirum ſua immenſitate transfixit cuncta penetralia tua, tuiq; benigniſſimi cordis intima. Et vtiq; pia Domina non crediderim te potuiſſe vllo pacto ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere, niſi ipſe Spiritus vitæ, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſſimi tui filij, pro quo moriente conquerebaris, tantopere torquebaris, te confortaret, te conſolaretur, te intus doceret non eſſe mortem eum aſſumentem, ſed magis triumphum omnia ei*

B. Ephrem. — Rupert. Tuit. lib. 13. in Ioan. — Idem. — B. Bernard. — B. Hieron. tom. 4. ante medium in Ioan. — Mariam Virginem pluſ quam Martyrem cur vocet B. Hieronymus. — Luc. 2. — D. Anſelm. cap 5 à medio, tom. 2. prope finem.

ſubijcientem. Habemus ergo, ſanctam & veram commiſerarionem Mariam Deiparam habuiſſe in cruce ad Chriſtum, & perpetua memoria illam nobis recolendam eſſe. Et quia tam Filius, quàm mater vehementer noſtram vicem indoluerunt, & pro nobis ab æterna morte liberandis nos commiſerati ſunt, ne ſurda aure hæc myſteria tanquam inſenſati audire videamur, poſſe nos, ac debere idem ſentire in nobis quod & in Chriſto Ieſu, & B. Virgine, atque ex intimis ſenſuum noſtrorum medullis, illis tanta, & tam horrenda tormenta pro nobis ſuſtinentibus, compaſſionis affectu tangi, & condolere, ſi tanti capitis ſumus membra, & ſi tam piæ matris filij ſumus.

Philip. 2.

Mariæ Virginis què cepit ex morte Filij ſui magnitudo doloris triplici ex capite colligi poteſt.

Vt autem magnitudinẽ dolorum quibus B. Virgo perculſa fuit, melius inſpicere valeamus, præmittendum eſt, ſacros tradere Theologos, triplicẽ Chriſto Dño gratiã infuiſſe. Primã, vocãt gratiã vnionis hypoſtaticæ: ſecundã, gratiã capitis: tertiã, ſingularis perſonæ gratiã: ex quib᷒ illi multas præclaras veritates excerpere ſolẽt. Eodẽ quoque modo in B. Virg. triplex genus gratiæ cõſiderant. Primũ, Maternæ vnionis gratiã: ſecundò, colli gratiã: tertiò, ſingularis gratiã perſonæ. Et ex harũ qualibet cognoſcẽdus venit dolor B. Virg. qui totus ex virtute, & gratia profectus eſt. Nã etſi naturaliter doluit vt mater; tamen vt mater efficeretur, nonniſi ſponte ſua, & ex gratia accepit.

Vt igitur ab infima gratia, quã vt perſona ſingularis habuit initiũ dicendi ſumamus. illa ſanè in cognitione Dei, atq; amore cõſiſtebat. De cognitione quidẽ teſtatur Bernard. in ſermone ſuper verba Apoc. *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius*, dicens: *In Sole nimirũ & feruor, & ſplendor ſtabilis; in Luna ſolus ſplendor, atq; hic omnino mutabilis, & incertus, qui nunquã in eodẽ ſtatu permaneat. Iure ergo Maria Sole perhibetur amicta, qua profundiſsimã diuinæ ſapientiæ vltra quã credi valeat, penetrauit abyſſum, vt quantũ ſine perſonali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inacceßibili videatur immerſa*. De amore quoque eiuſdem Virginis idẽ ſerm. ſuper Cantica in illud: *Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi*, teſtatur: *Eſt etiam ſagitta electa amor Chriſti, quæ Mariæ animã nõ modo confixit, ſed etiam pertranſiuit, vt nullã in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret, ſed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret, & eſſet gratia plena. Aut certè pertranſiuit eam, vt veniret vſq; ad nos, & de plenitudine illa omnes acciperemus*. Hæc ille.

B Bernard. Apoc. 12.

Idẽ ſerm. 29. in Cant. ſub finem. Pſalm. 27. Deut. 6. Matth. 22.

Luc. 1.

Ex quibus elicimus, Mariæ Virginis dolores ex his duob᷒ fontibus recogitãdos eſſe, nimirum ex perfecta cognitione, qua ipſa prædita erat de dignitate ſui Filij patientis; de Iudæorũ paſſionẽ inferẽtiũ peruerſitate, de viliſſimo, & cõtempto Caluariæ loco; de tẽporis, dieiq; ſolẽnitate, de generali Chriſti afflictione in omnib᷒ membris, ac ſenſibus dira patientis, de indecoro, ac truculẽto lattonũ comitatu: vnde Chriſtus horrẽs cũ ſceleratis deputari, dixit: *Ne perdas cũ impijs Deus animã meam, & cùm viris ſanguinũ vitã meam*. Denique limpidè cernebat fructus raritatẽ, & tenuitatẽ, quã ingratus mundus ſuo vitio erat exhibiturus. Quod ſi horum ſingula quæque dolorẽ exculpere valebãt, quãtò magis ſimul collecta, atque in Virginis corde cõiuncta. Secunda radix doloris eſt amor: qui quò eſt vehemẽtior, eò dolorem efficit intenſiorem. Cùm enim amoris ingeniũ ſit, amãtem transformare in amatũ; magnitudo amoris exiſtẽtis in Virgine, in cauſa erat, vt omnia vulnera, ſpinæ, & claui, atque ictus carnẽ Chriſti rumpentes totidẽ eſſent ſagittæ per oculos Virginis in animam ſuam penetrantes: vt propterea Hieron. dicat eam pluſquã Martyrem fuiſſe, & Bernard. martyriũ Virginis inter duodecim diadematis eius ſtellas enumerat. Et ſicut charitas, qua maiorem nemo habuit, fecit vt Chriſtus moreretur pro nobis; ita charitas, cui poſt illam ſimilis in altero non fuit, in cauſa fuit, vt Maria corde Chriſto commoreretur. Et vt omittã interim diſputationem illã, an verũ, & reale fuerit martyrium, nec ne, an verò metaphoricum, vt S. Thomas aſſerit: illud certè negari non poteſt, verũ ac maiorẽ dolorẽ, atque triſtitiam in anima Virginis fuiſſe ex charitatis radice genitã, quã in animo cuiuſuis alterius Martyris. Vt enim ex amore naturali animæ ad corpus mẽs dolorẽ percipit in læſione, ſiue in diuiſione corporis, quã vt incõmodã, & inconuenientẽ apprehendit: ita poteſt quis tanto amoris affectu alterũ diligere, vt ſui oblit᷒ plus ſentiat diuiſionẽ carnis alterius, quàm ſuæ. Nã ita in Chriſto maior erat cõmiſerationis affectus ex amore ad nos, quã in ſe ipſum vehemẽtiſſimis doloribus afflictũ. Quare plus paſſa eſt B. Virgo, quã ſi re ipſa vulnera excepiſſet, ac dolor plus penetrabat ipſius animum, quàm tormenta illata B. Laurentio eius animam excruciabant. Nam ibi vnio corporis ad animã naturalis erat; hîc autẽ vnio Virginis ad Ieſum ſupra naturam. Hic autẽ dolor interior profluebat in corpus: quia Spiritus triſtis, vt ait Sapiens, exſiccat oſſa. Et ſic debetur ei excellentior aureola, (id eſt, ſingulare præmium, quo afficiuntur peculiariter, qui ꝑ Chriſto tormẽta ſuſtinent) quàm alijs Martyribus. Addit etiam Alb. Magn. in libro, quem ſuper miſſus eſt Ang. Gabriel, edidit, nõ permiſiſſe

Eſai. 53. Pſalm. 25.

Amoris ingenium, & natura.

Hier ſerm. de aſſumpt. B. Virg Maria ad Paulam. & Euſtoch ſub finem. tom 4 Bern. ſerm. de verbis Apoc. Signum magnũ apparuit &c. ſub fine B. Thomas

Prouerb. 17 Aureola quid ſit.

Albert. Magnus.

…19.

miſiſſe Chriſtum, vt cũ dolore vitam finiret in morte ſua, quia nouerat, quod ſicut iuxta crucem ſerò dolores ſoluerat, quibus in partu antè caruerat; ita citò præuentione quadam ibi exoluit dolores, quos naturali ratione ſuo in tranſitu perſolutura erat. Et triſtitiam quidem habuit idoneam, quæ mortem efficeret, niſi Deus miraculo illam ſuſtentaſſet.

1. Reg. 4.

Minor ſiquidẽ dolor erat vxoris Phinees, quę audiens arcam Domini captam & virũ ſuum extinctũ, repentinis doloribus circũuenta peperit, atq; expirauit, quàm extiterit ille diuæ Mariæ, quæ cernebat verã Dei arcã inter ſpinas & clauos detineri. Cõmuni ſenſu traditur, miraculum fuiſſe, quod Chriſtus nõ citiùs moreretur, attenta magnitudine doloris, atq; triſtitiæ:

Mar. 15.

quãuis Pilatus improuidè rẽ cõſiderans, miraretur ꝙ tã citò obijſſet, cũ potiùs eſſet mirandũ ꝙ viueret. Docent Phyſici neminẽ in hac vita triſtitia poſſe extingui, niſi illa ſenſui cõmunicetur. Sed diuinitas in Chriſto ꝑmittebat ſenſũ pati vſq; ad inſtãtẽ mortẽ, ac rurſus virtutem nouã ei cõmunicabat vt magis pateretur: qua ratione nõ ſemel, ſed plures dolorem mortis ſentire potuit: ideò derelicta humanitas exclamare potuit:

Pſal. 21. Matth. 27.

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Ad hũc modũ afflicta eſt Beata Virgo ad mortẽ, ſed conſeruata tamen, ne moreretur. Habebat prætereà peculiares rationes magis percipiendi crucis dolores:

Charitas in Martyribus erat temperamentum doloris, in Virgine tamen non item.

nã charitas, quę in Martyribus erat temperamentũ doloris, hæc in martyrio Marię non imminuebat, ſed illos potius augebat. Vt enim leue eſt pati pœnã pro eo, qui ſummè eſt dilectus, ita valde eſt acerbũ, videre patiẽtem eum, quẽ maximè diligas. Adhæc B. Deipara cũ eſſet maximè redempta, hoc eſt, ex morte eius præuiſa ab omni labe ſeruata, æquũ fuit, vt vehementiùs quã cæteri in amore Crucifixi torqueretur.

Cant. 2.

Hinc ipſa tanquã colũba formoſa in Canticis inuitatur ad foramina petræ, & ad cauernam maceriæ: quia quę vincit cęteros dilectione, & ſimplicitate, atq; pulchritudine, debet quoq; perfectiùs in Chriſti crucẽ transformari. Prætereà quę altiùs cęteris cũ Chriſto cõregnare debuit, & profundiùs vno ſenſu doloris cũ Chriſto affici.

Matth. 20.

Hinc ad filios Zebedæi dexterã & ſiniſtrã in regno eius petentes, reſpõdit: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?

Pſal. 44.

ita B. Virgo, quæ exaltanda erat, vt tanquã Regina aſtaret à dextris Dei in veſtitu deaurato, debuit prę cæteris calicẽ Domini bibere.

Secunda radix magnitudinis dolorum B. Mariæ de Filij ſui morte.

Secundo loco meditanda eſt gratia colli, qua inſigniter dotata fuit B. Virgo: vt enim Chriſtꝰ caput eſt Eccleſiæ, ita B. Virgo collum eſt corporis eius, ex quo dona in totũ corpus deriuãtur, & per quod omnes noſtræ preces ac vota ad Chriſtum ſunt fundenda, quò facilius exaudiãtur. Et vt Chriſtus eſt omnium redemptor, ita Maria omniũ genitrix, mediatrix, ac recõciliatrix, atq; aduocata omniũ peccatorũ dici poteſt: atq; hoc didicit à Filio ſuo, & aduocato noſtro iuſto, ac ſupremo. Et cũ eſſet mũdi aduocata, tantũ dolorẽ viſceribus eius infudit Spiritus S. quantũ ſat erat omniũ electorum genetrici ad excuſandum ingratũ genus humanum, ꝙ ipſum mũdi auctorem de ſua fabrica expellebat; cùm tamen ipſe ad eos de faucibus mortis eruendos ex ſinu Patris deſcenderit.

Virginis matris apud Chriſtum erga nos obſequia.

Maria igitur luctu ſuo, ac lacrymis tunc ꝓmeruit, vt nos modò adiuuaret, pro nobis neceſſaria dona impetrando: interdũ etiã Angelis, ac ſanctis, quos deſtinare voluit, noſtri curã cõmittendo, cum ſit ſuprema in hierarchia cœleſti poſt Filiũ purgans, illuminãs, & perficiens: quãdoq; etiã per ſe ipsã cooperans, præſentiamq; ſuam aliquando, tam in vita, quã in morte miraculo exhibens. Ideò tãto debuit luctꝰ, & ſenſus Chriſti mortis excedere, quanto in opitulando, & adiuuando mundo cæteris antecelluit.

Tertia radix.

Tertiò cõſiderãdus dolor, qui ex gratia maternæ vnionis efficitur, Erat enim in Maria naturalis affectus (pręter illũ dictum charitatis) quem ad Chriſtum verum filium ſuum illa gerebat, atq; exinde dolor eius intendebatur. Cuius amoris naturalis circunſtantiæ ſunt plures.

Plures circunſtantiæ amoris Chriſti naturalis in Virgine.

Primò, quia mulier erat, quæ natura ad ſentiendũ dolores mollior eſt. Secundò, quia virgo, quæ adhuc eſt tenerior. Tertiò, quia mater, cuiꝰ eſt ſummè filios diligere. Quartò, quia mater vnigeniti, q ſicut alios amores ſuperat, ita eius amiſſio maiorem parit dolorem. Et vtriuſq; meminit Scriptura.

2. Reg. 1. *Ierem. 6.*

Amoris quidem; quando ait: *Sicut mater amat vnicum filium ſuum, ita ego te diligebam*: de dolore verò ait Ieremias, *Luctũ vnigeniti fac tibi planctum amarum.* Quintò, quia ſola Virgo eum genuit. Omnis enim alius filius cõmunis eſt patri, & matri; at Chriſtus ſolius eſt Virginis proles, iuxta illud:

Infra 32.

Fœmina circumdabit virum. Solet enim homo illud, quod ſibi eſt proprium, & non alienũ, circumdare: at B. Virgo ſola de ſua ſubſtantia genuit; ob id rectè dicitur circumdare.

Fœmina virum circumdare à Ieremia cur dicatur.

Adde quòd circularis figura eſt illa, quę vnica linea clauditur: ita Chriſtus ex linea Mariæ ſingulari, reliqui omnes ex duobus matris, ac patris lineis fiunt. Adhæc vt illud quod circũdat, ex nulla parte eſt apertum: ita diua Maria in partu, & ante partum, & poſt partum virgo extitit. Eſt ergo Chriſtus ſolius Virginis filius, quæ ad eum vtriuſq; parentis gerebat amorem: & dolor, qui ſolet eſſe de amiſ-

ſione filij communis vtrique parenti, in B. Virgine fuit coniunctus. Quòd ſi fuêre aliquando parentes, qui de percepta filiorum morte adeò contriſtati ſunt, vt animam exhalauerint, quid dicendum eſt de Virgine in horrendo interitu tam ſancti filij? Erat quidem ille filius ſibi cum Patre æterno cõmunis: ſed vt Chriſtus in natura, quam à Patre habuit, pati non potuit, ita nec Pater æternus compati ei poterat: quare luctum, quem in ſe habere non valuit, orbi toti cõmunicauit. Cùm igitur diua Virgo cerneret ſuper Filium flere cœlum, & terram, & cognoſceret ſibi potiùs eſſe lugendum, quàm cęteris omnibus creaturis, hinc ſummum doloris ſenſum habuit, & Chriſto cõmortua eſt morienti. Sicut ergo in cæteris virginib. præſtatur gratia per partes, in Maria verò totam infudit plenitudo gratiæ, ita tunc cæteris creaturis dolente Creatore præſtabatur dolor per partes, in Mariam verò tota ſe infudit plenitudo doloris. In hoc igitur communi, & generali luctu quãdiu Dominus in aſſumpta natura ſic dolebat, Angelos ipſos in aſſumptis corporibus mortem Domini luxiſſe tradunt B. Bernardus, & B. Auguſtinus ſerm. de lamentatione B. Mariæ Virginis. His adiunge B. Birgittam, quæ libr. 6. Angelorum, & omnium creaturarũ luctum his verbis in perſona B. Mariæ dictis deſcribens, ait: *Congregati Angeli etiam quaſi turbari videbantur, cùm viderent Deum in humanitate pati in terra. Sed quomodò turbari poſſunt Angeli, qui immortales ſunt? vtiq; ſicut iuſtus, cùm viderit amicum ſuum pati aliqua de quibus conſequeretur maximam glòriam: & gauderet quidem de gloria eius adipiſcenda, ſed tamen propter paſſionem ſuam quaſi quodammodò contriſtaretur. Sic Angeli quaſi contriſtabantur de pœna eius; cùm tamen impaſſibiles ſint: ſed gaudebant de gloria eius futura, & de vtilitate ex paſſione eius electis ventura. Omnia quoque elementa turbabantur, & Sol & Luna dimiſerunt ſplendorem ſuum, terra tremuit, lapides ſcindebantur, ſepulchra aperiebantur in hora mortis Filij mei. Omnes Gentiles turbabantur vbicunque erant, quia in corda eorum venit quaſi quadam punctura doloris, licet neſciretur vnde eſſet. Tribulabatur etiam cor crucifigentium eum in illa hora, ſed non ad gloriam eorum. Adhuc etiam immundi ſpiritus turbabantur in illa hora, & quaſi in vnum congregati turbabantur. Illi autem qui erant in ſinu Abrahæ multum turbabantur, in tantum, quòd maluiſſent in æternum eſſe in inferno, quàm talem pœnam videre in Domino ſuo. Ego autem quæ tunc eidem Filio meo aſtabam Virgo, & mater eius, qualem dolorem tunc patiebar, nullus poteſt conſiderare.* Hæc illa: Nec miteris quod ait de ſpiritibus immundis: quia etiam Euſebius Cæſarienſis in libris de præparatione Euangelica producit teſtimonium ex Plutarcho in libro de oraculis deficientibus, magnos vlulatus, atque clamores auditos fuiſſe à quibuſdam nauigantibus Romam verſus tempore Tiberij, dicentibus, Pan Deus magnus mortuus eſt. Nam vbi Chriſtus ſpiritum emiſit, Satanam caput dæmonum debellauit, atque alligauit in inferno: vnde ſpiritus immundi fletibus, & clamoribus in corporibus aſſumptis ſuam teſtificabantur ruinam. Verùm redeamus ad ſanctam Virginem, quæ quatenus mater Chriſti erat, plurimas rationes dolendi habebat in morte Chriſti. Is inter alios filios diligi ſolet, qui vel pulchritudine, vel ſapientia, vel virtute, atque adeò obedientia erga matrem cæteris antecellat: at Chriſtus ſpecioſus erat forma præ filijs hominum, ſapientia magna, & omnium virtutum choro ornatus, atque adeò amabilis, vt quidam ex reuelatione tradant, nullum quamuis magna triſtitia affectum, in eum oculos intendiſſe, qui non peculiarem conſolationem ex præſentia eius acciperet. Vnde & dolentes dicere conſueuerant: *Eamus, & filium Mariæ videamus, vt ſaltem tantopere reuelemur.* Hæc, & ſimilia cum & pietati, & rationi coniuncta maximè eſſe videantur, pro ſimplicitate mea libenter auribus excepi, atque credidi. Sicut igitur Iacob noluit conſolari, exiſtimans Ioſeph filium ſuum pulchritudine, prudentia, atque obſequijs præ cæteris ſibi amabilem, à fera deuoratum; quid ſentiendum eſt de ſanctiſſima Virgine, quæ non tantùm auditu, ſed etiam viſu percepit, qua ratione filius eius à fera peſſima deuoraretur? quæ videbat eum quaſi leproſum, & cui non erat aſpectus, neque decor? Adhæc matri nonnullum conſueuit eſſe ſolatium, quando filium in morte poteſt aut oſculari, aut amplecti, aut aliquod myſterium impendere; àt ſanctiſſima Dei genitrix dicenti, *Sitio*, non poterat potum porrigere, vulnera non valebat alligare, aut linteo abſtergere, nec pendulum caput ſuſtentare, nec flentem, ac mœrentem conſolari, nec ſpiritum emittentem deoſculari. Quid ergo ſentiret, quæ filium ſuum quaſi dimidium cordis ſui, & animæ ſuæ in tali afflictione poſitum ſpectabat? Hinc ipſa apud ſanctam quandam fœminam pęr reuelationem patefecit: *Cùm naſceretur*, inquit, *ex me* (ſcilicet filius meus) *ſenſi ego, quòd quaſi dimidium cor meum naſceretur, & exiret ex me, & cùm ipſe pateretur, ſenſi quòd quaſi cor meum patiebatur. Sicut enim illud quod dimidium eſt extra, & dimidium*

Matth. 2.

B. Bernard.
B. Auguſtin.
B. Birgitta. lib. 9. c. 11.

Exemplum B. Birgittæ de modo doloris Sanctorum Angelorum de Chriſto patiente.
Matt. 27.

Euſeb. Cæſar. lib. 5 de præp. Euangel. c. 9. tom. 1.
Plutarch.

Pſal. 44.
Chriſtus quã amabilis fuerit.
B. Birgitta lib. 4. cap. 78. in fine.

Geneſ. 37.

Eſa. 53.

Ioan. 19.

B. Birgitta lib. 1. reuelat. ca. 35.

Apta comparatio.

dium intra, & ſi illud pungitur, quod eſt extra, æquè ſentit dolorem quod intus eſt: ſic ego, cum flagellaretur, & pungeretur filius meus, quaſi cor meum flagellabatur. Deniq; naturali voto quæcunque mater præmori filio ſuo optat, rectè vt dixerit Poëta quidam:

uid ep. 1.

Dij precor hoc iubeant, vt, euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

aria Virgo charitate in onem filij co ſenſit. redeptionē eris humani.

Quare ex hoc capite ingens fuit dolor ſanctiſſimæ Virginis. Hoc tamen tanto dolore, atque triſtitia paſſioni, ac morti filij ſui voluntate ſua non repugnauit, conſenſit in Chriſti crucem, ac mortem pro noſtra redemptione peragenda, imò illius fuit appetentiſſima: fortiorique animo, atq; conſtantiori offerebat filium ſuum in cruce immolatum, Deo, quàm olim Abraham in ſacrificando filio; aut Machabæorum ſeptem Martyrum mater, quę pereuntes ſeptem filios vnius diei tempore ſiccis oculis aſpexit: imò patria voce adhortata eſt ad retinendā in tormentis conſtantiam, fœmineæ cogitationi maſculinum animum inſerens, vt ait Scriptura: Plus etiam quàm B. Felicitas, quæ ſeptem filios ad martyrij tolerantiam, & mortis contemptum excitabat. Legimus apud Ioſephum in Antiquitatibus, matrem Hyrcani, quàm Ptolemæus torquebat, atque eam Hyrcano ſuo ex caſtro Dagon ſpectandam exhibebat, vt Hyrcanus ab obſidione diſcederet, manus ſuas filio protendiſſe, ne propter ipſam diffideret, ſed maiori impetu caſtrum inuaderet, & ſuperato hoſte redderet retributionem. Quidni igitur conſtantiſſima, atq; inuicta Maria proprios ſibi cruciatus ſufferret, dummodò expugnaretur dęmon, & homo redimeretur? Quæ igitur Chriſtum, verum ſuum, ac Dei Filium, vt pareret; minimè doluit; ſecùs tamen fecit in parturiendo Chriſto myſtico,

Geneſ 22.
Macha. 7.

Virginis in um filiū amor, & nas cui è præferē videatur ſtrum in fio charitati.

Ioſeph. l. 13. de Antiq. c. 14.

hoc eſt, Eccleſia, pro qua iuxta ſpiritum parturienda, acerbiſſimos dolores ſuſtinuit: ſi Paulus tànto dolore parturiebat Galatas, vt ipſe teſtatur.

Vt ergo diua Virgo ob triplicem rationem propoſitam Chriſtum filium ſuum commiſerata fuit, ita & nos illi tanquam innocentiſſimæ Virgini, & redemptorum, ac redemptoris genitrici condoleamus, eiuſque doloribus, ac laboribus pro nobis toleratis grati exiſtamus, & illud memoria repetamus, quod ſenior Tobias iunio ri ſuadebat: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ eius. Memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo.* Ita nos debemus meminiſſe eorum dolorum, quos Beat. Mater pro nobis ſuſtinuit. Nam vt grauior eſt, ac moleſtior dolor ex iactura finis, quàm eorum, quæ ſunt ad finem, quemadmodum acerbiùs quis dolet de pruina, vel tempeſtate auferēte fructus, quàm de labore viti, atque laboribus impenſo: ita in Chriſto, atque genitrice maior extitit mœror, atq; triſtitia de paucitate ſeruandorum; atque ingrati animi vitio, quo humanum genus tanto amori; ac beneficio reſponſurum erat. Oculos ergo mentis nobis aperiri à Deo ſeriò, & inſtāter deprecemur, quò tanti beneficij per matrem Dei exhibiti nobis recordationem è mente noſtra excidere patiatur, ac vt dignis pęnitentiæ, ac iuſtitiæ fructibus nobis promereamur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſingularem mundi victimam, agnum tollentem peccata mundi, atque adeò ſalutis noſtræ tutiſſimam puppim, ac proram; cui cum Patre, & Spiritu ſancto perpetuas & immortales laudum hoſtias immolemus in ſempiternis ſeculis, Amen.

Gal. 4.

Tob. 4.

Chriſtum ac eius matrem quódnam potiſſimum afflixerit, & excruciauerit.

Ioann. 1.

LIBRI DECIMI FINIS.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Prior numerus paginam: ſecundus columnam indicat.

Ex libro Exodi.

Cap.28. *DEORSVM ad pedes eius tunica per circuitum,&c.pag.* 98.2

Ex Deuteronomio.

Cap. 21. *LAVABVNTQVE manus ſuas ſuper vitulam.* 271.col.2

Ibidem. *Quia maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno.* 390.2

Cap.28. *Et erit vita tua quaſi pendens à me,&c.* 302.1

Ex lib 2.Regum.

Cap.12. *DOMINVS tranſtulit peccatum tuum.* 21.1

Cap.61. *Dominus præcepit ei vt malediceret Dauid.* 263.1

Ex Iob.

Cap. 1. *DOMINVS dedit, Dominus abſtulit.* 263.1

Cap.9. *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* 373.2

Cap.10. *Manus tuæ, Domine, fecerunt me, &c.* 375.1

Ex libro Pſalmorum.

Pſal.2. *PRINCIPES conuenerunt in vnum aduerſus Dominum,&c.* 234.2

Pſal. 10. *Mirificauit miſericordias ſuas ſuper timentes ſe.* 51.1

Ibidem. *Diſperſit, dedit pauperibus,&c.* 63.2

Pſal. 16. *Oculos ſuos ſtatuerunt inclinare in terram.* 161.2

Pſal.21. *Deus Deus meus, reſpice in me,&c.* 47.& ſeq.

Ibidem. *Ego autem ſum vermis,& non homo,&c.* 243.1

Ibidem. *Foderunt manus meas & pedes meos. pag.* 395.2

Pſal. 22. *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* 339.2

Pſal.25. *Lauabo inter innocentes manus meas.* 271.2

Pſal.40. *Homo pacis meæ, in quo ſperaui,&c.* 142.1

Pſal.41. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum,&c.* 360.2

Ibidem. *Dederunt in eſcam meam fel,&c.* 362.1

Pſal.50. *Tibi ſoli peccaui,& malum coram te feci.* 11.2

Pſal. 68. *Infixus ſum in limo profundi.* 77.2

Ibidem. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ, &c.* 364.2

Pſal.77. *Percuſſit inimicos ſuos in poſteriora.pag.* 273.1

Pſal.93. *Sacrificium & oblationem noluiſti, &c.* 303.2

Pſal. 95. *Tunc exultabunt omnia ligna ſyluarum, &c.* 308.2

Os peccatoris & doloſi ſuper me apertum eſt. 88.2 Pſal. 108.

Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. 355.2.356.1 Pſal. 120.

Torrentem pertranſiuit anima noſtra, &c. 99.2 Pſal. 123.

Et copioſa apud eum redemptio,&c. 22.1 Pſal. 129.

Ex prouerbijs.

NON contriſtabit iuſtum quidquid ei acciderit. 106.2 Cap. 12.

Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. 252.2. Cap. 31.

Ex Eccleſiaſte.

NON iteres verbum in oratione tua. 125.2 Cap. 7.

Ex Cantico Canticorum.

FASCICVLVS myrrhæ dilectus meus mihi, &cæt. 55.2 Cap.1.

Videte Regem Salomonem in diademate, &c. 254.2 Cap.3.

Sub arbore malo ſuſcitaui te,&c. 299.1 Cap. 8.

Ex libro Sapientiæ.

OPPRIMAMVS pauperem iuſtum,&c. 34.1 Cap.2.

Contumeliâ, & tormento interrogemus eum. 166.1 Ibidem.

Ex Eccleſiaſtico.

ADMITTE ad te alienigenam, & ſubuertet te,&c.pag. 345.col.2 Cap.11.

Ex Eſaia.

SEDEBO in monte Teſtamenti, &c. pag. 392.2 Cap.14.

Erit ſepulchrum eius glorioſum. 397.1.404.2 Cap.21.

Sicut enim in monte diuiſionum ſtabit Dominus, &c. 22.2 Cap.28.

Væ coronæ ſuperbiæ ebrijs Ephraim,pag. 100.2 Ibidem.

Non erit triſtis, neq; turbulentus,pag. 107.1 Cap.42.

Ecce ſeruus meus exaltabitur,&c. 87.& ſequ. Cap. 52.

Quis credidit auditui noſtro, &c. 86.& ſequ. Cap.53.

Ex Ieremia.

FACTA eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua. 242.2 Cap. 12.

Et appendi ei argentum ſeptem ſtateres,&c. 218.1 Cap.32.

Ex Threnis.

IVDICASTI Domine cauſam animæ meæ. 44.2 Cap. 3.

Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. 252.2 Ibidem.

Ex Ezechiele.

Cap. 18. SANGVIS eius in ipſo erit. 272.2
Cap.37. Sume tibi lignum, & ſcribe ſuper illud, Iudæ, & Iſrael, &c. 302.2
Cap. 39. Et ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos. 66.2

Ex Oſea.

Cap.13. ERO mors tua, ô mors, morſus tuus ero, inferne. 387.2

Ex Michæa.

Cap.2. ASCENDET pandens ante eos iter. pag. 47.2

Ex Habacuc.

Cap.3. CORNVA in manibus eius, pagina. 93.1

Ex Zacharia.

Cap.11. ET acceperunt triginta argenteos, &c. 217.1
Cap.12. Et aſpicient in me quem confixerunt. 396.2
Cap.13. Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum, &c. 62.& ſequent.
Ibidem. In die illa erit fons patens domui Dauid, &c. 66.2

Ex Matthæo.

Cap.5. EGO autem dico vobis, non reſiſtite malo. 155
Cap.19. Nunc iudicium eſt mundi. 44.2
Cap.20. Non venit filius hominis miniſtrari, ſed miniſtrare. 226.2
Cap.27. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me. 8.1

Ex Marco.

Cap.14. COEPIT triſtari & mœſtus eſſe. 10.5
Reliqua huius capitis explicantur à fol.138. vſque in finem libri.

Ex Luca.

Cap.22. APPARVIT Angelus de cœlo confortans eum, &c. 127.& ſeq.
Ibidem. Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. 263.1

Ex Ioanne.

Cap.2. SOLVITE templum hoc, &c. 139.2
Cap.12. Non enim veni vt iudicem mundum. 44.2
Ibidem. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. 226.1
Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me, &c. 299.1 Ibidem.
Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. 18.1 Cap.14.
Hæc cum dixiſſet, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis, &c. 98.2.& ſequent. Cap.18.
Lancea latus eius aperuit. 69.2 Cap.19.

Ex Epiſt. ad Romanos.

LIBERAVIT me à lege peccati, & mortis. 120.1 Cap.8.
Non voſmetipſos defendentes, chariſſimi 155.2 Cap.12.

Ex 1. ad Corinth.

SED faciet etiam cum tentatione prouentum. 120.1 Cap.10.
Charitas patiens eſt, benigna eſt, &c. 69. & ſequent. Cap.15.

Ex Epiſt. ad Galat.

FACTVS ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, &c. 47.2 Cap.3.
Quia maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno. 390. Ibidem.

Ex Epiſt. ad Epheſ.

POSSITIS comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, &c. 301.2 Cap.6.

Ex Epiſt. ad Coloſſ.

DELENS quod aduerſus nos erat chirographum, &c. 367.1 Cap.2.

Ex Epiſt. ad Hebræos.

RECOGITATE eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus, &c. 1 Cap.2.
Et gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem. 358.2 Cap.2.
Exauditus eſt pro ſua reuerentia. 378.2 Cap.5.
Nullus ſanctorum accepit repromiſſiones. 335.2 Cap.11.
Acceſſiſtis ad Eccleſiam primitiuorum. 383.1 Cap.12.

Ex Ioannis 1.

TRES ſunt qui teſtimonium dant in terra, &c. 393.2 Cap.5

Ex Apocalypſi.

DILEXIT nos, & lauit nos à peccatis noſtris, &c. 49.& ſequent. Cap.1.
Agnus occiſus ab origine mundi. 5.1 Cap.13.

INDEX RERVM OMNIVM
QVAE IN HOC DECIMO TOMO CONTINENTVR.

A

ABBATISSAE quæ dicantur, pag. 347.1 col.2
Abſalon tribus lanceis confixus quid myſticè. 395.2.
Abſynthium diſtillatum dulceſcit. 102.2
Accuſationes falſæ quomodo depellendæ Chriſtianis. 236.1
Acetum Domino cur ſit porrectum, & à quo. pag. 361.1
Aceto crucifigendi potabantur. 363.1
Acetum cur Dominus ſitiens acceperit. ibid.
quo Aceto Chriſtum nos potemus. 365.2
Adam de paradiſo cur fuerit excluſus. pag. 334.2
Adam quo die peccauerit. 266.2
Adami multiplex peccatum. 60.2
Adoleſcens qui nudus ſequebatur Chriſtum comprehenſum à Iudæis, quiſnam fuerit. pag. 164.1
Adiurare quid ſit. pag. 183.2
Adiuratio Caiphæ Chriſto facta. 183. & ſequent.
Adiurare quibus liceat. 188.1
Adiurare creaturas, dæmones, & Deum, qua ratione quis poſſit, aut non poſſit pag. 188.1.2
Adiurandi ſubditos mos apud Iudæos. p. 188.2
Adoptare filios cui licebat iure Romano. pag. 343.1
Adoptio filiorum Dei in quo ſita ſit. pag. 344.1
de Aduentu Chriſti ad iudicandum quomodo Scriptura loquatur. 184.2.185.1
Aduentus ſui ad iudicium hic meminit Chriſtus coram Iudæis, & quibus de cauſis. pag. 207.2
Adultorum ingenium. 233.2
Adulteram quomodo Chriſtus abſoluerit. 237.2
Aduocatus noſter qualis ſit Chriſtus. 324.1
Ager ſanguinis emptus pretio quo Chriſtus venditus eſt, quid ſignificet nobis. 216.2
Ager ille vbi ſitus eſſet. ibidem.
Agri figuli quales apud Iudæos. 216.2
de Agro hoc empto cuiuſnam Prophetæ teſtimonium adducat Euangeliſta Matthæus. 217.1
Ager hic cur emptus ſit à Iudæis in ſepulturam peregrinorum. 218.1
Agricola quomodo fuerit Chriſtus. 67.1
Agno & oui comparatur Chriſtus. 93.2.368.2
Agonalia quid apud Romanos. 132.1
Agonia quid ſit, & vnde proficiſcatur. ibid.
Agoniæ duæ ſpecies, quas Chriſtus non eſt paſſus. 132.2
Agonia Chriſti in horto vnde orta. 132.2
Alapa Ieſu Chriſto cur fuerit impacta à miniſtro iudicis. 175.2. & quiſnam fuerit hic miniſter, & quis eum imitetur. 176.2.177.1
Alapa olim percutiebatur ſeruus libertate donandus 176.2
Alpa huius Chriſto inflictæ figura. 177.2
Ambitionis quid proprium. 70.2
Ambitio longè abfuit à Chriſto. ibid.
Amicus in Scripturis ſæpè accipitur in malum ſenſum. 143.1
Amicorum idem debet eſſe velle, & idem nolle. 244.2
Amor Dei erga Chriſtum & erga nos inter ſe comparatur. 27.1
Amor Chriſti erga genus humanum. 20.1
Amor Chriſti in nos quid effecerit. 54.2
Amor Chriſti in nobis quid reſpexerit. ibid.
Amoris Chriſti erga nos argumenta. 55.1
Amor Codri Regis Athenienſium, & aliorum, erga patriam. 57.2
Amoris quid ſit proprium. 71.1
Amoris proprij conditiones. 72.1
Amor Chriſti in ſuos diſcipulos. 114.1
Amor Chriſti erga iuſtos. pag. 306.1
Amores duo in Chriſto inter ſe contrarij. pag. 133.1
ab amore proprio fugiendum. pag. 147.1
Amor cur pingitur à Poetis cæcus. 190.2
Amoris diuini effectus. ibid.
Amoris inimicorum exempla. 318.1
Amoris inimicorum exemplum nobis præbuit Chriſtus. 322.1
Ancillæ oſtiariæ vſus apud Iudæos. 172.1
Anima cur dicatur à Chriſto vnica mea. 83.1
Anima nihil nobis charius poſt Deum. ibid.
Animam ponere, in Scripturis quid deſignet. 96.2
Animam ſuam Chriſtus ponendi ſingulariter habuit poteſtatem. 372.1
Animam ſuam cur dicatur Chriſtus tradidiſſe. 372.2
Animæ iuſtorum quò decederent ante mortem Chriſti. 374.2
de animarum ſtatu poſt mortem, Philoſophorum error. 375.2
Anima vnde dicta. ibid.
Anima auro comparatur. ibid.
Anima & ſpiritus quomodo differant. 375.2
Animæ quæ detinebantur in limbo, vbi permanſerint ante Chriſti aſcenſionem. 383.2
Anima animalium vbi ſedem habeat. 392.1
Angelus quando apparuerit Chriſtum confortans 125.2. & quo ſenſu intelligatur hæc confortatio. 127
Angelum in horto apparuiſſe Chriſto, quidam errantes negarunt. 127.2
Angelus hic apparens Chriſto quiſnam fuerit. 128.2
Angelorum officium. 13.1
Angelus Chriſtum confortans, quibus verbis vſus ſit. 130.2
Angeli orantibus aſſiſtunt. 131.2
Angeli in ſtola candida cur dicantur apparere. 131.1
Angelorum officium quid præſtent. 131.2
Angeli in Scripturis milites vocantur. 152.2
Angeli cur nec patres nec filij propriè dicantur. 50.1
ad Annam cur Chriſtus adductus eſt 165.2
Annas pecuniam Iudæ proditori perſoluit. 167.2
Annas & Caiphas ſimoniæ arguuntur. 167.2
ad Annam primùm ductum eſſe Ieſum docuit Ioannes & cum Euangeliſtis conciliatur. 168.2
Apoſtoli firmamenta Eccleſiæ. 81.1
Apoſtolos cur elegerit Deus infirmos & imbecilles. 102.2

Apoſtoli ad quid electi à Domino. 117.1.
Aqua & ſanguis è latere Chriſti profluens, quid portendat. 60.1.
Aquæ in Scripturis quid ſæpè ſignificent. 92.2
Aquæ Maræ quid denotent. 300.1
Arcus figuram agit Chriſtus in cruce. 301.1.
Arenoſis in terris conſitæ plantæ quales ſint. 90.2.
Argentei triginta quid ſignificent. 218.2
Arma Chriſtianorum aduerſus perſecutores & hoſtes. 256.1
Arma dæmonis, contra quæ Chriſtus pugnauit. 255.1.
Arundo in manu Chriſti ad illuſionem poſita. 256.2.
Arundo hæc quid myſticè deſignet. ibid.
Arundo ſerpentibus mortifera. 256.2.
Aſcenſio Chriſti in cœlum. 47.2.
Athleta quis bonus. ibid.
Auaritiæ effectus. 214.2
Auaritia reprehenditur. 216.1.
Audire Chriſtum in corde qui ſoleant. 228.1.
Aula propriè quid ſit. 195.1.
Aurea corona & aureola quæ ſit. 256.1
Auri optimi conditiones. 204.1.
Auricula reſtituta Malcho à Chriſto. 150.2.
Auriculæ huius præciſio quid ſignificet. 150.2.

B.

BAbylonica captiuitate vſque ad Chriſtum, quot anni interceſſerint. 356.1.
Baptiſmus cuius rei ſit ſignum. 3.
Baptiſmus duplex, ſanguinis & fluminis. 394.2.
Baptiſmo quid tribuat efficaciam. 395.1.
Baptiſmi virtus. 405.
Barabbas cur obiectus Iudæis à Pilato comparatione Chriſti. 237.2.
Barabbas quibus de cauſis peti debuit à Iudæis. 237.2
Barabbam vt peterent potius quàm Chriſtum, quibus rationibus ſeniores perſuaſerint turbis Iudæorum. 241.2.
Barabbas per ſimplex reſcriptum quid ſignificet: & quid per duplex. 242.2
Barabbæ electio, & Ieſu abiectio, vbi figurata. pag. 243.1.
ex Barabbæ poſtulatione contracta Iudæis immunditia. 243.2
Barabbam Chriſto præferre quid ſit. 243.2.
Bellum non interdixit Dominus Chriſtianis. 153. & ſeq.
Bellum licitum eſſe, multis oſtenditur. 153. & ſeq.
Belli quis ſit finis. 154.2.
Bellum ingredienti quid meditandum. ibid.
Bellum quodnam ſit iuſtum. 154.2
Bellum quibus minimè licitum ſit. 156.1
Belli autor ac Princeps quid curare debeat. ibid.
Bellum quomodo liceat clericis. 157.1.
Bellum quales homines reddat. 157.2.
Bellum diuturnum quomodo ſoleat terminari. pag. 367.2
Beneficia ſua in quos Chriſtus conferat. 63.2.
Benoni quid ſonet. 73.2.
Blaſphemias falsò Chriſto obiicere Iudæi. 371
Blaſphemiæ graue ſcelus. 156.1.
Bonitas, & malitia actus humani vnde ſumatur. 192.2
Bonorum temporalium contemptus. 224.2.
Bona noſtra, Chriſti ſunt. 225.1
Brachium Domini dicitur Chriſtus. 89.1

C.

CAdauer quomodo contaminet terram. 390.2
Cadauera cur apud Chriſtianos relinquantur in patibulo. 390.2
Cadaueris depoſitio de cruce, vide Depoſitio.
Cadaueris Chriſti vis atque energia. 409
Cadaueris morticini contactus olim prohibitus Iudæis. 401.2
Cadere in terram qui dicantur. 145.1
Cadere in faciem, quid ſit, & quid retro. 146.1. 172.2
Cædes cuiuſdam Romani Senatoris iniuſta. 37.2
Caiani hæretici Euangelium Iudæ venerantur, & quare. 211.2
ad Caipham cur Chriſtus adductus. 166.1
in Caipham inuectiua Magni Leonis. 186.1
Caiphæ malignitas in Chriſtum. 179.1
Caiphas vt quid Chriſtum de diſcipulis & de doctrina interrogauerit. 172.2
Caiphas mortem ſibi conſciuit. 214.2
Calix quomodo mortem Domini deſignet. 115.1.
Candidati quinam apud Romanos. 233.2
Canes in Scriptura Gentiles ſignificant aliquando. 314.1.
Caniculæ effectus ex Plinio. 365.2
Capitis inclinatio in cruce, quid ſignificet. 51.2
Capite inclinato cur Chriſtus moritur: & in quã partem inclinauerit. 376.2.
Capitis inclinatione quid Chriſtus ſignificauerit. 376.1
Caput Eccleſiæ Chriſtus. 387.1
Captiuitas à qua Chriſtus nos liberauit. 26.1
Capri immolandi ritus lege præſcriptus. 243.1.
Cardinales in quem finem creantur. 165.1.
C[illegible] hominis ingenium. 102.1
Certamen noſtrum cum dæmone. 43.1.
Ceruæ quando parere ſoleant. 73.2
Ceruinæ carnis eſus quid efficiat. ibid.
Cerui ingenium. 360.2
Chaldæa lingua à quo tempore vtebantur Iudæi. 316.1
Charitas Chriſti erga nos. 20.1
Charitatis effectus. 61.2
Charitatis conditiones, præſertim quindecim ab Apoſtolo traditæ explicantur. 62.2
Charitatis conditiones quomodo Chriſto conueniant. ibid.
Charitatẽ nunquã excidere, intelligitur in patria. 72.1.
Charitatis ordo quomodo à Chriſto ſeruatus. 355.1
Charitas abſentiam Dei maximè timet. 114.1
Charitas proximi iuxta legem Chriſti, & legi mundi contraria. 278.1.
Charitas proximi commendatur. 311.1.
Charitatis erga proximum, & erga patriam exempla inſignia. 313.2
Charitas quænam ſufficiat ad ſalutem. 399.2
Chlamys quid ſit, & quis primùm apud Romanos ea vſus. 251.2
Chriſtus ſolo vnico opere potuit nos redimere. 14.2
Chriſti opera, vide Opera.
Chriſti humanitas ſoli comparatur. 23.1
in Chriſto duæ naturæ impermixtæ. 23.
Chriſti nomina. 31.2
Chriſti innocentia, & iuſtitia latè probatur. 32. & ſeq. *vide* Innocentia.

Chriſti aduentu nihil iocundius potuit mundo accidere. 35.2
Chriſtus in omnibus quæ prædixit, verus 37.1
Chriſti quadruplex ſcientia. pagina 37. *col.* 1. *vide* Scientia.
Chriſtus verus Dei filius 37
Chriſti vita Iudæis diſsimilis 37.2
Chriſtus teſtis fidelis 50.2
Chriſti hominis propria 74.2
Chriſti derelictio in cruce 75.1
Chriſti conceptio in ventre, quàm diuerſa ab aliorum hominum conceptione. 80.1
Chriſtus à quibus propriè crucifixus ſit. 81.2
Chriſtus primogenitus & vnigenitus. 83.2
Chriſtus ſeruus Dei, & quando primùm eſſe inceperit. 87.2
Chriſti præſtantia, & excellentia. ibid.
Chriſtus Domini ſceptrum eſt. 88.3
Chriſtus cur brachij nomine ſignificetur in Scripturis. 89.1
Chriſti admirabiles progreſſus quàm diuerſi ab alijs Principibus. 90.1
Chriſtus varijs rebus comparatur. ibid.
Chriſtus à Deo percuſſus & humiliatus cur dicatur. 92.1
Chriſtus quomodo abſciſſus de terra viuentium. 94.1
Chriſtus Meſsias promiſſus qualis futurus eſſet. 97.1
Chriſti cibus quis fuerit. 97.1
Chriſtus ad iudices nocte paſsionis quoties adductus. 170.1
Chriſtiani quales eſſe debeant. 173.3
de Chriſtianis honorificum Plinij teſtimonium. ibid.
Chriſti diuinitatem vnde potuerint Iudæi agnoſcere. 184.2
Chriſti modeſtia & prudentia in reſpondendo Iudæis, vide Reſponſio.
Chriſti teſtimonium Deum eſſe teſtificantis, quanti momenti eſſe debeat. 205.1
Chriſtus populum nunquam turbauit. 230.2
in Chriſtianos conſpiratio Gentium, & Iudæorum. 234.2
Chriſti cum Adamo comparatio. 235.1.258.1
Chriſti virtus & potentia. 239.2
Chriſtum quomodo imitari debeamus. 244.1
de Chriſto crucem baiulante pia meditatio. 280.2
Chriſtum crucem baiulantem multi ſequuntur. 281.1
Chriſti patientia, vide Patientia.
Chriſti crucifixi omnia ad ſe trahentis varia ſimilitudines. 301. *& ſequens.*
Chriſtum ab inimicis ſuis defendere debemus, more boni latronis. 331.2
Chriſti variæ figuræ antiquæ in Scripturis. 309.1.2
cum Chriſto eſſe quid ſit. 337.1
Chriſti in matrem ſuam amor. 337.2
Chriſtus filius Dei naturalis, & non adoptiuus. 345.1
Chriſtus ceruo comparatur. 360.2
Chriſtus quodnam chirographum in cruce deleuit. 367.1
Chriſtus leoni comparatur. 371.1
Chriſtus commendat moriens ſuum ſpiritum Patri. 372.2. *& quare ſic orauerit.* ibid.
circa Chriſti naturam variæ hæreſes confutantur. 375.1
Clamor Chriſti in cruce. 77.2
Clamor Chriſti die & nocte quomodo dicatur non exauditus. 78.1
Clamor Chriſti cur hora nona, & quare voce magna. 355.1
Clamare voce magna, proprium Chriſti morientis. 371.1
ex Clamore Chriſti cur Centurio conuerſus. 382.2
Clauis quot fuerit Chriſtus crucifixus. 296.2
Claui iſti quid denotent. 296.2
Clauis an fuerint crucifixi latrones. 297.1
Claui quibus affixus eſt Chriſtus, cur appellentur dulces, & lancea ſana. 392.2
Clauis Paradiſi crux Chriſti eſt. 354.2
Clericis quomodo liceat bellum. 157.1
Coccinea veſtis ornamentum Imperatorum. 252.2
Cæli ianuam quomodo aperuiſſe dicatur Chriſtus. 47.2
Cæli in baptiſmo Chriſti cur ſint aperti. 45.1
qui Cæli annuntiant iuſtitiam Dei. 55.2
Cogitatio prima Verbi incarnati, Deo ſe offerentis. 52.2
Comprehenſionem Domini quæ præceſſerint. 101.2
Comprehendentium Chriſtum ſtultitia, et peccati graue. 140.2
Comprehenſio Chriſti vbi figurata. 141.2
Comprehenſionem Chriſti quatuor miracula præceſſerunt. 144.1
Comprehenſores Chriſti qua virtute proſtrati ſint in terram. 145.2
ex Comprehenſione Chriſti quem fructum colligere debeamus. 147.2
Comprehendi cur Chriſtus ante paſſionem non potuerit. 144.2
Comprehenſorum Chriſti furor. 161.2
de Comprehenſione Chriſti piæ aliquorum meditationes. 162.1
Concionatoris quis futurus ſinis. 97.1
Concionatores vitia reprehendant. 159.2
Concionatores quibus ſunt ſimiles. 201.2
Concionatorem aut amicitiam, aut veritatem perdere oportet ſecundùm Senecam. 225.2
Concionatores audiendi. 231.1
Concionatores ſunt tuba Dei. 233.2
Concilium Iudæorum in Chriſti mortem quater coactum. 204.1
Concilium Seniorum Iudæorum vocatum Sanedrim à quo fuerit inſtitutum. 205.2
in Concilio hoc interrogatus Chriſtus an eſſet Meſsias. 205.2
Concilium hoc quando fuerit ſublatum. ibid.
Condemnatus cur ſit Chriſtus à Pilato. 226.1
Condemnari per Principes Iudæorum cur Chriſtus voluerit. 166.2
Condemnatus Chriſtus iniuſtè. 187.1. *vide* Mors.
Confeſsio veritatis in iudicio quando neceſſario facienda. 206.1
Confortatio Chriſti facta ab Angelo explicatur. 128. *& ſequens.*
Confortandi verbum ſacris tantùm autoribus vſurpatum. ibid.
Confortatio Chriſti cur per Angelum, & non per hominem facta, nec per Deum immediatè. 129.1
Confortatione hac Chriſtus indigere voluit, & quare. ibid.
Conſcientiæ morſus humanis laudibus non ſedatur. 212.1
Conſecrationis verba alta olim voce proferebantur. 84.2
Conſiliarius quis ſit bonus. 24.2
Conſilia impiorum qualia ſint. 184.1
Conſolandi aliquem rectus modus. 130.2
Conſulentes malum reprehenduntur. 220.2
Conſummare quid in Scripturis ſignificet. 366. *& ſequent.*

Conſummauit Chriſtus omnẽ voluntatem Patris. 368.1
Conſummare ad quem propriè pertineat ibid.
Contaminationes & ſordes horrendæ Iudæorum. 210.1
Contaminari cur timerent Iudæi in prætorio Pilati. 210.1
Contumelias quot paſſus eſt Chriſtus. 5.2. & ſequent.
Conuerſio peccatoris. 202.2
Conuerſio ad Deum ſtatim facienda. 337.2
Corbona cur penes Sacerdotes erat. 218.2
Corona ſpinea Chriſti ex qua materia fuerit confecta. 253.1. *Eius forma.* 253.2. *Vbi aſſeruetur.* 254.1
Corona ſpinea mille punctura caput Chriſti diuiniſſimum punxit, teſte Chryſoſtomo. 263.2
Coronarum varia genera apud Gentiles, & Iudæos. ibid.
Corona victimas coronabant Romani & Iudæi. 254.2
Coronam ſpineam cur Chriſtus acceptauit. 254.2
Corona hæc ſpinea vbi olim figurata. 254.2
de Corona ſpinea Sybillæ vaticinium. 255.1
Corona ſpinea Chriſti quid nobis oſtendat. ibid.
Corona aurea, & aureola. 256.1
Corpus Chriſti verum fuiſſe. 393.2
Corpus humanum ex quibus conſtet. 347.2
Correptionis fraternæ vtilitas. 147.2
Correptionis fraternæ præceptum Chriſtus obſeruauit. 147.2
Creaturæ omnes aduerſus impium, & perſecutorem ſeruorum Dei. 176.2
Cruci Domini aſsiſtentes quid conſecuti ſint. 3.1
Crucis meditatio quantæ vtilitatis. ibid.
Crucis vſus frequens in Eccleſia. 3.2
Crux poſt Chriſti contactum dulcis. 4.1
Crucifigentium Chriſtum quantum ſcelus. 27.2
Crux Chriſti quantum fuerit ignorantibus ſcandalum. 6.2
Crux Chriſti Iudæis ſcandalum, Gentibus ſtultitia. 22.1
Crux Chriſti quanta nobis attulerit bona. 299.1
Crux interior quando minueretur. 52.1
Crux Chriſti quid ſecundum lignum rectum, & quid ſecundum tranſuerſum ſignificauerit. 53.2
in Cruce cur erectus ſtare Chriſtus voluerit. ibid.
Crucis quatuor cornua quid ſignificent. 61.1
Crucis Chriſti gloria & triumphus. 310.1
Crucis beneficia. 65.1
inter Crucem Chriſti & mundi quid interſit 68.2
Crucis Chriſti encomia. 284.1.2
Crucifigentes Chriſtum potius Iudæi fuere, quàm miniſtri Pilati. 268.1
in Cruce quot horis Chriſtus viuus pependit. 269.1
Crucifixus Chriſtus qua hora fuerit. 269.2. & ſequent.
Crucem baiulans Chriſtus an portauerit ſpineam coronam. 276.1
Crux Chriſti vbi repræſentata. 277.1
Crucis Chriſti figura & forma. 277.2
Crucis ſupplicium quàm ignominioſum. 278.1
Crux Chriſti interior & exterior. 278.1
Crucem baiulanti Chriſto B. Virginem occurriſſe, piè meditantur quidam. 281.1
Crux Chriſti nobis portanda. 280.1
crucem Chriſti ſequentium præmia. 282.1
Crucifixus quomodo ſit Dominus, variæ opiniones. 294.2
Crucifigentium Chriſtum immanitas. 295.2
in Cruce cur extentus Chriſtus. 296.1
Crucifixorum variæ imagines antiquæ. 296.2
Crucifixus cur ſit Chriſtus inter duos latrones 297.2
Crucis mortis genus cur elegerit Chriſtus. 298.1
de Cruce Chriſti varij loci Scripturæ myſticè explicantur. 299.2 300.1
Crux Chriſti cur palma ſit dicta. 301.1
Crucifigi cur in edito loco voluit Chriſtus. 301.2. 302.1
Crux mundi, & crux ſpiritus quæ ſit. 303.1.2
Crucifigenda tria in nobis. 303.1
Crux Chriſti liber eſt cum titulo. 310.1. & *quàm ſalubria in eo documenta contineantur.* 310.2
Crucifigentes Chriſtum, quos referant. 317.2
de Cruce cur noluerit Chriſtus deſcendere. 319.1
Crux ſceptrum eſt regni Chriſti. 320.1
in Cruce Chriſtus perſeuerans, quid nos doceat. pag. 321.1
Crux Chriſti vocatur ſpectaculum à B. Luca. 388.2
Crucis ſpectaculi inſignia. 389.2
Crucifigendi prius flagellabantur apud Romanos. 245.1
Crucis ſupplicium non erat in lege Moyſi, nec Iudæis licebat illud infligere. 221.2. 222.1
Curia bonos non facit. 198.1
Curioſorum hominum quid ſit proprium. 231.1

D

D*Æmonis poteſtas ante mortem Chriſti.* 30.2
Dæmonis poteſtas à Chriſto imminuta. 43
Dæmon non habet ius in hominem. 44.1
Dæmon cur dicatur homicida. ibid.
Dæmon api comparatur 56.2
Dæmõ nequaquã agnouit Chriſtum eſſe Meſsiam. 240.1
Dæmon interdum ſibiipſi aduerſatur. ibid.
Dæmonis condemnatio & eiectio. 240.2
Dæmonis odium in Chriſtum. 250.2
Dæmonis cogitationes in cruce Domini inferenda. 303.2
Dæmonis artes quomodo Chriſtus eluſerit. 304.1
Dæmonis cogitationes aduerſus nos. 327.2. 328.1
Damnatus etiam Chriſtus à cõcilio 71. *Iudæorum, quod vocatur Sanedrim.* 166.2
Dauidis triplex peccatum. 200.1
Debitum multiplex, & varia eius ſatiſfactio. 15.
Debitum noſtrum Chriſtus perſoluit. 367.1
Decor Chriſti in paſsione perditus. 90.2
Decuriones qui vocentur. 399.1
Defenſio propria licita eſt. 157.1
Depoſitio corporis Ieſu de cruce. 390 1.2
Depoſitio cadaueris de patibulo, olim præcepta. 190.2. & *cur interdum neglecta.* ibid.
Deponi de cruce corpora crucifixorum, cur petierint Iudæi. 390.2
Depoſitio Chriſti de cruce à quibuſdam fidelibus malè depicta. 401.2
Derelictio Chriſti in cruce explicatur. 75.1.2
non Derelinqui ſe à Patre cur Chriſtus petat. 80.1
Derelinquat quomodo Deus creaturam ſuam. pagina 356.2
Derelictionis Chriſti in cruce cauſa. 358.1
Derelictum ſe à Patre, cur queritur Chriſtus. 358.2. 359.1
ex Derelictione Chriſti quæ bona Deus elicuerit. 359.1
Derelictio qua Deus homines derelinquit, pœna peccati eſt. 359.1
Derelictionis Chriſti, qua relictus eſt à Patre, qui fuerint effectus in illo, ſecundùm aliquos. 358.1

Deſcendere de cruce cur Chriſtus noluit. 319.1
Deſperatio non contigit Chriſto, vt impiè exiſtimauit Melanchton. 75.1
ad Deſperationem quomodo adigit dæmon. 211.1
Deſperantis ſymbolum. 214.1
Deus impaßibilis. 92.2
Deum viuum cur appellent Iudæi. 184.1
Dies Domini magnus & horribilis quis dicatur. 350.2
Dies altera poſt Paraſceuen quænam fuerit anno mortis Chriſti & cur appelletur Sabbatum. 406.c.2
Diligentes Chriſtum qui ſint, in quorum domo plagatus eſt. 67.2
Dionyſius Areopagita quotennis eſſet tempore mortis Chriſti. 349.2
Dionyſij Areopagitæ epiſtola ad Polycarpum non eſt ſuppoſititia. ibid.
Diſcipulorum Chriſti varius ordo. 399.1
Dolores noſtros quomodo Chriſtus tulerit. 92.1
Dolor Chriſti de peccatore non pœnitente. 278.2
Dolor de morte Chriſti, vide Lacrymæ.
Dolor Chriſti maximus in cruce quis fuerit. 295.2
Dona ſua cur Deus nobis largiatur. 138.2
Dormientes Apoſtoli in horto quomodo peccauerint. 123.2
Dormientes Apoſtoli dum Chriſtus oraret, quid nobis ſignificent. 138.2

E

Eccleſia primitiuorum quæ dicatur. 383.1
Eccleſia magna quæ ſit. 84.1
Eccleſiæ gubernatio. 97.2
Eclypſis in morte Chriſti explicatur. 351.1
in hoc Eclypſi quæ ſigna cõtigerint. ibid. vide Tenebræ.
Eclypſis hic cur contigerit lunæ interpoſitione. 353.1
Eclypſis Solis cur viuente Chriſto accidit, & reliqua ſigna poſt mortem eius. 381.1
Eleemoſyna qualis eſſe debeat. 60.2
Elhoi quid Chaldaicè ſignificet. 356.1
Eli quid Hebraicè ſignificet 356.2
Emanuel quid ſit. 398.1
Enos quid in Hebreo ſignificet. 79.1
Equi Domini eſſe debemus. 170.2
Euangeliſtarum mos. 179.1
Euangelium Nicodæmi apocryphum. 279.2
Eucharistiam quibus noluit Dominus impertiri. 405.2
Exaltationem quomodo, & quam meruerit Chriſtus. 49.c.2.
Excelſa in Scripturis quid denotent. 95.2
Exhæredatur nemo à Chriſto, niſi ipſe hæreditati renuntiet. 65.2
Exercizare quid ſit. 183.2

F

Facies Chriſti cur ſit à militibus velata. pag. 190.1
Faciem Chriſti qui velent modò 19.1
Faciem Chriſti impreſſam in corde quis ſit dignus habere. 282.1
Famam Iudæorum non læſit Chriſtus. 36.1
Famam qui negligit, crudelis eſt. 183.2
Fel quomodo in eſcam Chriſto datum. pag. 362.1
Fel quinam Chriſto porrigant. 364.1
Felicitas quænam ſit vera. 374.2
Feſtis diebus cur ſupplicia exercerent Iudæi. 283.2
Feſta apud Hebræos incipiebant à veſpera. pag. 406.
Fidei autor & conſummator Ieſus. 2.2
Fides lux eſt ad magna myſteria. 10.2
Fides profitenda cùm oporteat. 145.1
in Fidei cauſa licebat Iudæis pœnam mortis infligere. 221.1
Fidem Chriſti quæ gens primùm amplexa eſt. 388. col. 2
Fidelium multitudo vaticinata ab Eſaia. pag. 94. col. 2
Filius quis dicatur impropriè. 344.1
Filius naturalis & adoptiuus, quomodo differant. 345.1
Filiatio vnde oriatur. ibid.
Flagellationis Chriſti ſolus B. Lucas non meminit. pag. 244.2
Flagellatio Chriſti vbi præfigurata. 245.1
Flagellandorum ritus apud Romanos. ibid.
Flagellatus quoties ſit Chriſtus. 245.1
Flagellis priùs cædebantur apud Romanos qui crucifigendi erant. ibid.
Flagellatus à quibus ſit Chriſtus. pagina 246. col. 1. & à quot miniſtris fuerit flagellatus. ibidem & ſequent.
Fletus, vide Lacrymæ.
Fons patens domui Dauid quis ſit, & qua die apertus. pag. 66.1
Fortis hominis quid ſit proprium. 129.2
Fortitudo animi Chriſti. 144.1
Forum Eccleſiaſticum quando tradat delinquentes foro ſeculari. 220.2
Frameam ſuſcitari ſuper paſtorem quid ſit. pagina 68. col. 2
beatus Franciſcus cur ſuos fratres, Minores appellet. 341.1
Fuga Apoſtolorum tempore paſſionis, quam fuerit Chriſto moleſta. 162.2
Fugam hanc cur permiſerit Chriſtus 163.2

G

Gabatha quid ſonet Hebræis. 266.1
Galilæi nominis interpretatio. 196.1
Galli gallinacei proprietates. 104.1
Gallus an cantauerit poſt primam, an verò poſt trinam Petri negationem. 195.2
Gallus concionatorum eſt ſymbolum. 202.1
Generationis diuinæ & humanæ differentia. pagina 184. col. 1
Gentes quot modis Chriſtus aſperſerit. 88.2
Gentium conuerſio vaticinata ab Eſaia. ibid.
inter Gentes quæ prima Deum cognouit. 388.1
Gentiles filij Dei vocantur in Scriptura. 81.2
Gentiles peccatorum nomine deſignantur. 139.2
Gentium & Iudæorum in Chriſtianos conſpiratio. 234.1
Gentiles nomine canum deſignantur. 314.1
Gentiles melioris ſortis quàm Iudæi. 388.2
Germen ſeu virgultum cur Chriſtus dicatur. 91.1
Gethſemani nominis etymolgia. 109.2
Gethſemani deſcriptio. 109.2
Gladij vſus quatenus licitus. 148.2. 149.1
Gladium vnde haberet Petrus Apoſtolus. 149.1
Gladium accipere in Scripturis quis dicatur. pag. 151.1
Gladij duo apud Lucam quid ſignificent. 156.2
Gloriæ Chriſti duplex perfectio. 384.2
Gratia Chriſti quomodo ad omnes veteres iuſtos ſe extenderit. 42.1
Gratiæ Dei neceßitas. 200.1

Gratiæ

Gratiæ Dei poſſe reſiſtere, an ſit pœna peccati. 327.1.
Gratiæ Dei recipiendæ qui ſint aptiores. 331.2.
Gratiæ Dei neceſſitas mortis tempore. 373.
Grauitas in imperando taxatur. 200.2.
Gulæ remedium. 363.

H.

HAEredes quos Chriſtus inſtituat, & cuius regni. 63.2.
Hæreticos quomodo puniat Eccleſia. 158.1.
Hæretici quomodo ſuam doctrinam tueantur. 174.1.
Hæreticorum mos & ingenium. 181.1.
Henoch & Helias in quem paradiſum dicantur rapti. 48.1.
ad Herodem cur miſſus ſit Chriſtus à Pilato. 230.1. & quomodo Pilatus in hac miſsione errauerit. 230.1.
Herodes hic quiſnam fuerit. 230.2.
ante Herodem cur tacuerit Ieſus, & ſignum nullum fecerit. 231.1.
Herodem cur non reprehenderit Chriſtus. ibid.
Herodes cur noluerit Chriſtum occidere. 234.1.
inter Herodem & Pilatum cauſæ inimicitiæ. ibid.
Hircus offerendus nobis pro peccatis noſtris quis ſit. 258.2.
Hominis creatio in quem finem. 11.1.
Hominis perditio nullum Deo damnum inferret. 11.2.
in Hominem iuſtum nullum ius habuit dæmon. 44.1.
Horarum Canonicarum diſtributio quid portendat. 3.2.
Hora crucifixionis Chriſti quænam. 268.1.2.
ab Hora ſexta vſque ad nonam quid fecerit, Chriſtus in cruce. 354.2.
in Horto cur Deus voluerit comprehendi. 99.2.
Hortus vbi Chriſtus ſepultus eſt honorificus. 403.2.
Humilitatis quis perfectus gradus. 20.1.
Humilitas Chriſti. 88.1.
Hymnus ille, Sanctus, ſanctus, ſanctus, &c. in quanta veneratione habitus & habendus. 110.2.
Hypocriſis Iudæorum qui Chriſtiani imitentur. 210.2.
Hyſſopus quid ſit. 363.2.
Hyſſopi vſus. ibid.
Hyſſopus cur Chriſto oblatus. ibid.

I.

IAcobus Minor cur ſic dictus. 341.2.
Idola quando primùm mundus abiecerit. 66.2.
Ieruſalem vrbis excidium ob mortem Chriſti. 140.2.
Ieſus quare dicatur Chriſtus, & quare Nazarenus. 312.1.
Illuſores Domini quinam ſint. 234.2.
Illuſiones cuius rei gratia fieri ſoleant. 257.1.
Illuſio grauior ingenuis viris quam mors. ib.
Impœnitentes quinam ſint. 214.2.
Imperator Romanus cùm primùm eligebatur, ſepulturam eligebat. 397.2.
Incarnationis Chriſti adumbratio. 57.2.
Infirmitas humana quanta ſit, & quomodo cognoſcatur. 122.2.
Ingratitudo quàm moleſtè feratur. 143.1.
Inimici noſtri pro nobis militant. ibid.
Inimicorum amor, vide Amor & Vindicta.
Iniuriæ quæ ſint vendicandæ. 150.2.
Iniuſtitia ſub æquitatis prætextu nihil peius. 272.1.
Innocentia mundi qualis ſit. ibi.
Interpretandi Scripturam optima ratio ex Hieronymo. 76.1.
Ioannes Euangeliſta iuxta crucem ſtans quantum beneficium à Chriſto acceperit. 342.1.2.
Ioannes Euangeliſta quomodo acceperit B. Virginem in ſua. 345.1.
Ioannis Baptiſtæ caput vbi aſſeruetur. 386.1.
Ioſephus ſponſus Virginis quando mortuus. 342. & ſequ.
Ioſephus ab Arimathia commendatur. 398.2.
Ioſephus hic & Nicodemus, diſcipuli Domini occulti. 399.2.
Irregularitatem quando incurrant clerici. 268.2.
Iudæorum in Chriſtum obſtinata malignitas. 32. & ſeq.
Iudæorum calamitas ob mortem Chriſti. 273.1.2.
Iudæorum ex veris principijs falſæ concluſiones. 34.1.
Iudæ Iſcariotis mors quando contigerit. 211.1.
Iudæ pœnitentia infructuoſa. 212.1.
Iudas quo genere mortis interierit. 215.1.2.
Iudex qualis ſit Chriſtus. 20.2.
in Iudicio quatuor perſonæ interueniunt. 44.1.
Iudicium quod Chriſtus in primo ſuo exercuit aduentu. 44.2.
Iudicium temerarium ex quo animo proficiſcatur. 70.1.
in Iudicij die qualis iudex futurus Chriſtus erga nos. 219.2.
Iuſtitiam veram nos docuit Chriſtus. 210.1.
Iuſtitia ciuilis quam ſit infirma. 265.2.
Iuſtitiam amare, proprium electorum eſt. 310.2.
Iuſtificatio impij quæ requirat. 63.2.
Iuſtus quantas calumnias ab impijs patiatur. 34.1.2.
Iuſtum hominem quomodo nil contriſtet. 107.2.
Iuſti quomodo cadant. 146.1.
Iuſti quantum diligantur à Chriſto. 396.1.
Iuſtorum perſecutores quem finem habeant. 395.2.

L.

LAbores Chriſti pro nobis. 97.1.
Lacrymæ ſanguineæ vnde proueniant, & quibus. 135.
ad Lacrymas maximè pronæ mulieres. 135.2.
Lacrymæ ſalutares. 202.1.
Lacrymarum quanta vis apud Deum. 203.1.
Lactis & ſanguinis pluuiæ portentum. 137.1.
Lanceæ ferrum, quo Chriſti latus apertum eſt, vbi aſſeruetur. 391.2.
Lapſus piorum & impiorum quales ſint. 146.1.
Latro quando fuerit conuerſus ad Chriſtum crucifixum. 329.1.
Latro bonus quo affectu malum reprehenderit. 330.2.
Latro bonus vnde nouerit Deum. 330.1.
Latronis boni verba ad Chriſtum latè explicantur. 332.1.
Latro bonus quando inducatur in paradiſum. 334.2.
Latro hic in quo paradiſo fuerit cum Chriſto. 337.1.
Latus Domini quis miles aperuerit. 391.1.
Latus cur ſibi poſt mortem aperiri voluerit. 391.2.
Latus Domini dextrum apertum. 392.1.
Lateris hæc apertio quid ſignificet, & quid doceat nos. 393.1.

Latus Chriſti cur dicatur apertum, & non percuſſum. 69.2.
Laus & timor Deo debentur. 84.1.
Legem nouam cur Chriſtus attulerit. 37.2.
Lex gratiæ in homine adulto quid poſtulet. 40.1.
Lex vetus, à qua Chriſtus nos liberauit. 47.2.
à qua Lege Moyſis Chriſtiani nunquam liberi fuerint. ibid.
Legis Moſaicæ de Chriſto teſtimonia. 260.1.
Legis Euangelicæ virtus. 274.1
Legio quot milites habeat. 152.2.
Leo quando rugiat. 76.2.
Leones crucifigendi mos in Syria. 82. 2.
Liber ſcriptus intus & foris Chriſtus eſt. 310.1.
Liberalitas Chriſti, vide Miſericordia.
Liberum arbitrium quàm infirmũ ſine gratia Dei. 200.1
Lignis comparantur peccatores. 308.2.
Lignum viride cur dicatur Chriſtus, & Iudæi ligna arida. 283 2.
in Ludis Olympicis cui donaretur præmium. pagin. 255. 2.

M.

MAchabæorum libri autoritas. 63.1
Macula interna potiſsimùm abluendæ. 210. 2.
Magiſtratus, & dignitates Reipublicæ vendere, pernicioſum. 168.1.
Magiſtratuum Romanorum inſignia. 246.2.
Magiſtratuum Chriſtianorum inſigne. 247.1.
Mali homines ſæpè ſunt figura bonorum. 395.2.
Maleficorum pœnæ per legem Moyſis latæ. 221.1.
è Malis duobus minus eſt eligendum. 244.2.
Mandatum mortis quomodo acceperit Chriſtus à Patre. 18.1.
Manus ſibi inijcere, quàm graue facinus. 214.1.
Manus abluendi cæremonia quid indicaret, & vnde orta apud Iudæos. 271.1.2.
Manus ſuas cur abluerit Pilatus. 271.1.
Manus Domini quæ prius perforata, dextrane an ſiniſtra. 295.1.
Marcellinus Pontifex fidem profeſſus coram Diocletiano, quam antea negauerat. 203.2.
Mare Rubrum cur Caricoſum dictum Hebræis. 251.1.
Mariæ virginitas terræ ſitientis nomine declaratur. 90.2.
Mariæ virginitatem negantes, quales ſint. ib.
Mariæ cum Eua comparatio. 93.2.
Mariam matrem ſuam Chriſtus Ioanni dilecto commendat. 338. & ſeq.
Maria Virgo cur iuxta crucem Domini ſteterit. 339.1.
Mariæ Virginis virtus tota Chriſto debetur. 339.2
Maria Virgo iuxta crucem quanta à Domino conſecuta eſt beneficia. 339.2.
Mariam Virginem à fide excidiſſe Brentius ſomniauit. 340. 1.
Mariæ Virginis de filij ſui morte dolor qualis, & quàm ordinatus fuerit. 340.1.2.
Mariæ Virginis fortitudo. 341.1.
Maria Virgo plus quàm martyr extitit. 341.1.
Maria Virgo diuina prouidentia iuxta crucem protecta. ibid.
Mariam matrem ſuam, cur mulierem appellet Chriſtus. 343.1.
Maria Virgo quõdo poſsit nos adoptare in filios. 346. 2.
Maria Virgo non eſt paſſa ſpaſmum, videns filij ſui crucem. 281.2.
Maria Virgo quàm multis rationibus ſit mater noſtra. 347.1.
Maria Virgo per Lunam ſignificatur. 353.1.
Maria altera, quæ ſedebat ad monumentum cum Maria Magdalena, quænam fuerit. 403.2.
Mariæ Virginis ætas. 171.2.
Martyrũ conſtantia ex Chriſti virtute profecta eſt. 113.1
Martyrum hortatores quaſi Angeli ſunt. 132.1
Martyres cur olim torquerentur. 166.1.
Martyrum ſanguis quàm ſit efficax. 388.1.
Martyres qui fuerunt ante Chriſtum, cum Eccleſia diebus feſtis honoret. 48.1.
Matrimonium, vide Nuptiæ.
Matutinum officium cur prolixius ſit reliquis pag. 125.2
Medicus noſter Chriſtus. 134.1.
Mediator noſter, Chriſtus eſt. 367.2.
Meretricis pretium ab oblationibus templi Dominus prohibebat. 216.1.
Merita Chriſti in plebem Iudæorum quanta. 241.1.
Meſsias promiſſus qualis eſſet futurus. 97.1.
Miles Chriſtianus quid agere debeat. 156.2.
Militis Chriſtiani, coronam in manu geſtantis, egregium reſponſum. 256.1.
Milites vocantur Angeli in Scriptura. 152.2
Militare quatenus peccatum ſit, ſecundum Ambroſium. 154.1.
Militantibus cur ſint inſtituta ſtipendia pag. 154.2
Miniſtri Chriſti quinam ſint, et eorum partes, pag. 328.1
Miracula poſt Chriſti expirationem edita. 378. & ſeq.
Miracula hæc cur poſt mortem acciderint, & eclipſis Solis ante illam. 380. 1.2.
Miſericordia Chriſti erga nos. 51.1.
Miſeratio de quibus præcipuè habeatur. 51.2
Miſeria propriè quid ſit. 52.1.
Miſeratio quàm propria hominum. 318.1.
Mixtura myrrhæ et aloes cadauer Domini vngitur, vide Vnctio.
Morientium pro Chriſto præclara ſors. 40.1.
Mors Chriſti quàm fuerit atrox, & indigna. 4.2
Mors Chriſti quomodo violenta. 16.1.21.2.
Mors Chriſti non fuit ſimpliciter neceſſaria. 17. & ſeq.
Mors Chriſti quaſi dormitio. 20.2
Mors quomodo induat rationem boni. 23.2.
Mortes Deorum infames. 25.1.
Mors Chriſti innocentis iniuſta. 28.1.
Mors crucis viliſsima olim. 39.2.
Mortis Chriſti autor Satanas. 40.1.
Mors Chriſti in agno & oue adumbrata. 53.1
Mors Chriſti an fuerit in die Paſchæ. 267.1.2.
Mortis tempore quomodo pugnandum aduerſus dæmonis obiectiones. 329.2.
Mulier peccati origo. 198.2.
Mulierum monita ſalutaria interdum. 238.2.
Mulier lege diuina ſubdita viro. 262.1.
Mulieres quænam aſtarent cruci. 341.2
Myrrha electiſsima quæ ſit. 293.2.
Myſterium gratiæ incomprehenſibilia. 10.2.

N.

NAſci & creari differunt. 86.1.
Nazarenus cur ſit dictus Chriſtus. 312.1.

Neceſsi-

Neceſſitas conſequens non cogit ad peccandum. 192.1.
Negatio Petri in qua domo contigerit. 179.1.
in Negatione Petri deſcribenda quomodo Euangeliſtæ conſentiant. 191.2.
circa Negationem Petri plura dubia ſoluuntur, pagina 193.1.
Negatio Petri non accidit occaſione Ioannis Apoſtoli, pag. 192.2.
Negationum Petri gradus. 198.2.
Nicodemus commendatur. 398.2
Nubes cur vocentur ſancti. 1.2.
Nubes quod officium Domino præbuit. 185.2
Nudari cur ſe Chriſtus permiſerit. 294.1.
Nudus Chriſtus in cruce quale nobis exemplū præbeat. 315.2.
Nudatæ Virgines à tyrānis diuinitus cōtegūtur. 247.1
Numerorum loco non poſuerunt Euangeliſtæ elementa, ſed dictiones integras. 270.1.
Numerus pluralis ponitur pro ſingulari in Scripturis, pag. 329.1.
Nuptiæ inter Deum & naturam humanam. 367.2.
Nuptiis ſolet diuturnum bellum terminari. 367.2.

O.

OBedientia Chriſti quantæ apud Deum potētiæ fuerit. 48.2. 49.1.
Obedientiam quomodo Chriſtus didicerit. 51.2.
Oblationes vbi reponebantur apud Iudæos. 316.1.
Obſtinatio peccatoris quanta ſit. 146.2
Obſtinata voluntas, ſummum malorum. 207.1.
Occaſio peccati relinquenda. 202.1
Oculi Domini quam ſint ſalutares. 201.2
Odij cauſa, diſſimilitudo eſt. 87.2
Opera Chriſti, alia aliis maiora. 15.1
Opera cur à nobis Deus exigat ſuppoſita ſatisfactione Chriſti. 29.1.2.
Opprobrium hominum cur dictus ſit Chriſtus. 79.1
Oratio Chriſti, auxilium petentis à Deo. 82.2.
Oratio Chriſti qua fuerit exaudita. 84.1.
Orationis publicæ & priuatæ nobis exemplum reliquit Chriſtus. 100.2.
Oratio quas comites habere debeat. 105.2. 125.2.
Orationem Chriſti, calicem paſſionis à ſe tranſire deprecantis Deus quomodo exaudiuit. 113.2.
Oratio carnis & ſpiritus diuerſa. 118.1
Oratio debet eſſe perſeuerans. 125.1.
Orantibus aſſiſtunt Angeli. 131.2
Orationis quanta ſit virtus. 138.1
Oſculi vſus in quem finem. 141.1
Oſculum proditoris Iudæ quid nobis profuerit. 142.1
Oſculum meretricis quam ſit noxium. 142.1
Oſſa Chriſti quid deſignent. 81.1
Oſſa Chriſti omnia quomodo dinumerauerunt Iudæi, pag. 82.2.
Oues errantes qui ſint. 93.1
Oui & agno comparatur Chriſtus. 93.2
Oues quales debeant eſſe erga paſtorem. 105.2.
ex Ouibus Chriſti quis ſit. 228.1.

P.

PAcem quomodo venerit mittere Chriſtus. 36.1.
Pacis inter nos & Deum mediator Chriſtus. 367.1.2
Paludamentum idem ſignificat quod chlamys. 252.
Paradiſus quis ſit, in quem rapti dicuntur Henoch & Helias. 48.1
Paradiſus quid propriè ſignificet. 337.1
Paraſcene Paſchæ quid ſit. 267.1
Parentes quatenus cognoſcendi, & non cognoſcendi. 345.2.
Parentum officia erga filios. 346.2
Paſſionis Chriſti meditatio quos fructus pariat, pagina 3.1. 7.1.
Paſſionis Chriſti frequens memoria. 4.1.
Paſſio Chriſti in ſuis membris, hoc eſt, fidelibus. 5.1
Paſſio Chriſti quantæ fuerit vtilitatis. 7.1.
Paſſio Chriſti, omnium peccatorum remedium. ibid.
Paſſio Chriſti non fuit ad redimendum hominem neceſſaria ſimpliciter 14.2. ſed valde conueniens. 16.2
Paſſio quomodo potuerit competere verbo diuino. 22.2
Paſſio opus dicitur peregrinum Deo. 23.2
Paſſio Chriſti quomodo grata Deo. 25.2
Paſſio Chriſti quomodo pro omnibus hominib. valuerit. 28.2.
Paſſionem cur ſubierit Chriſtus, cùm alio modo poſſet mundum redimere. 30.2.
Paſſionis Chriſti varij fructus. pagina 41. & ſequent. 150.1
Paſſio omnibus iuſtis ab initio mundi profuit. 41.2.
Paſſio Chriſti quomodo ab omnibus peccatis, futuris & præteritis liberauerit. 42.1.
Paſſioni Chriſti noſtra cooperatio adiungenda. 43.1
Paſſionis Chriſti acerbitas. 49. & ſeq.
Paſſionis Chriſti breuis deſcriptio. 55.
in Paſſione Chriſti quæ ſint conſideranda. 56.1
Paſſio Chriſti à Prophetis deſcripta. 67.1.2
de Paſſione ſua cur frequenter Chriſtus loqueretur. 72.2.
Paſſio Chriſti vltro ſuſcepta. 93.1.2
Paſſionis ſuæ Chriſtus cur non omnes diſcipulos ſocios adſciuerit. 106.1
Paſſiones iraſcibilis, & concupiſcibilis, aliter Chriſto, aliter Deo conueniunt. 107.1.
Paſſiones veras in Chriſto fuiſſe. 107.2.
Paſſiones Chriſto negantium error. 108.2
Paſſiones Chriſti potius propaſſiones appellandæ. 109.2
Paſſiones veræ aliter in nobis, & aliter in Chriſto fuere. 111.1
Patientia vincendus dæmon. 2.1.
Patientia Chriſti quantæ apud Deum potentiæ fuerit pag. 48.2. 49.1
Patientia Chriſti & manſuetudo quanta. 79.1
Paupertas Chriſti. 88.1. 90.2
Pauperem cur Chriſtus ſe vocet. 84.1.
beatum Paulum, ſacrum appellat Areopagita, pagina 350.1
Peccatum quantum cruciet. 2.1.
Peccatum quod ſit alio grauius. 4.2.
Peccatum ſua ſecum affert ſupplicia. 11.2
Peccati remiſſio abſq; condigna ſatiſfactione à Deo fieri poteſt. 11.2.
Peccatum crucifigentium Chriſtum, cum peccato Adæ comparatur. 27.1.2.
Peccatum originale cum actuali comparatur. ibid.
Peccata languores animi ſunt. 92.1
Peccatum minuitur, diminuta ratione liberi, aut voluntarij. 102.1
Petrarum ſciſſio in morte Chriſti quid ſignificauerit, pag. 380.2

Petra ipſa, in qua poſita fuit crux Chriſti, ſciſſa eſt. 380.1
Petrus Apoſtolus dormiēs in horto, cur nominatim reprehenſus. 123.1
Petri percuſsio, qua Malchum ſeruū Pontificis percuſsit, explicatur. 148. & ſeq.
Petrus Apoſtolus cur gladio vti permiſſus, & an peccauerit in hac percuſsione. 149.1
Petrus percutiens Malchum cur reprehenſus à Chriſto. 151.1
Petrus Apoſtolus cur ſederet ad ignem tempore paſsionis. 180.1
Petri conuerſio & modeſtia. 200.2
Pietatis opera omni tempore licent. 222 2
ad Pilatum cur ductus Ieſus à multitudine Iudæorum. 208.1.2
Pilati quanta autoritas & poteſtas. 209.1.
Pilatus cur dictus ſit pontius. 209.2
Pilatus innocentiam Chriſti cognouit. 219.2
Pilati prudentia. 219 1
Pilati ad liberandum Chriſtum conatus. 234.2
Pilato cur non reſponderit Chriſtus. 260 2
de Pilato iudicium Philonis. 275.1
Pilatus non putauit Chriſtum fatuum. 307.1.2
Pœna noſtrorum peccatorum quomodo Chriſto conuenit. 28 2
Pœnam pati quando turpe ſit. ibid.
Pœnitentia Petri Apoſtoli admirabilis. 202.2
Pœnitentis boni ſymbolum. 202.2
Pœnitentiæ partes. 212.1
de Pœnitentia errores Lutheri & aliorum. 212 1
Poteſtas Pilati illegitima. 262.1
Poteſtas quænam data ſit deſuper Pilato. 361.2
Poteſtas ſecularis ad quæ ſe extendat. 263.2
Prælatorum gloria quæ debeat eſſe. 147.1
Prælatorum officium ad quid obliget. 131.2
Prælatorum negligentia in ouibus curandis. 123.1
Prætoris munus quodnam eſſet. 209.2
in Prætorio cur timebant contaminari Iudæi. 210.1
Pretium ſanguinis Chriſti cur acceperunt Principes Sacerdotum. 2 6.1
Precium peccati quam vile. 219.1
Pretium ſanguinis Chriſti quod ſit. 219.2
Principes, tum ſacri, tum profani, quid cauere debeant. 214.1
Proditores Chriſti quantum peccauerint. 263. & ſeq.
Prudentia humana qualis ſit. 272.1
Purpura indutus Chriſtus ob illuſionem. 251.2
Purpura Regium ornamentum apud Macedones. 252.1
Purpureus & coccineus color inter ſe differunt, pagin. 252.1.
Purpura olim mittebatur à Romanis ad eos quos Reges ſalutabant. 253.1.

R.

Radix quare dicatur Chriſtus. 90.1.2.
Redemptio hominis alijs modis fieri potuit. 11.2.
Redemptio vnico opere Chriſti fieri poterat. 14.2
Redemptor noſter iure dicitur Chriſtus & reparator. 22.1.
Redemptio noſtra cur tanto pretio à Chriſto facta. 26.2
Redimere quomodo Chriſtus potuerit à diabolo, pag. 30.1.2.
Redimere cui conueniat propriè. ibid.
Redemptio Chriſti pretio ſoluto facta. 31.1.
Redimere & liberare qui differant. ibid.
Redemptio Chriſti quomodo noſtram etiam cooperationem requirat. 43.1.
Reges omnes poteſtatem ſuam acceptam referant Chriſto. 51.1.
Regis inſignia & excellentia. 19.1.
Regem nunquam ſe fecit, at permiſit, appellari. 222.2.
Rex quomodo eſſet Chriſtus. 223.1.
Regis nomine cur nunquam ante mortem ſuam fuerit vſus Chriſtus. ibid.
Regem eſſe Chriſtum Pilatus agnouit. 226.1.
Regem elegit peccator dæmonem. 271.1.
Regem ſe non habere niſi Cæſarem, quomodo clamauerint Iudæi. 270.2.
Regnum quomodo & quando nos fecerit Chriſtus. 61.2.
Regnum Chriſti. 224.1.
Regnum Chriſti qua ratione dici poſſit de hoc mundo. 226.2.
Regulus ſacrificiorum quis eſſet apud Romanos, pag. 223 2
Remiſsio iniuriæ. 150.2.
Repetitio einſdem ſententiæ Prophetis vſitata emphaſis gratia. 78.2.
Repugnantia ad opus bonum, non tollit meritum. 133.2.
Reſpicere Deus quos dicitur. 201.2.
Reſpectus Dei quid efficiat in peccatorib. pag. 202.1.
Reſponſiones Chriſti Iudæis factæ, quam prudentes, & modeſtæ. 206.2.207.1.
Reſurrectionis dies, magnus dicitur, 350.2.
Reſurrectio ſanctorum corporum poſt Chriſti reſurrectionem facta. 381.2.
Reſurrectio hæc cur narretur ante Chriſti reſurrectionem, & an fuerit ad vitam mortalem. 382.1.

S.

Sabbati dies cur magnus appelletur. 367.2.
Sabbatis dies à veſpera incipiebat. 403.2.
Sacerdotes quales nos fecerit Chriſtus. 61.2.
Sacerdotis proprium quid ſit. 62.1.
Sacerdotis munera quæ ſint. 98.2.
Sacerdotis ornatus Exod. 28. quid deſignet. pag. 98.2.
Sacerdotum arma quæ debeant eſſe. 157.1.
Sacerdotes ex ſola tribu Leuitica creari. 168.1.
Sacerdotium vetus & nouum quam diuerſum. pagina 158.1.
Sacrificium quid ſit. 31.2
Sacrificia antiqua quatenus emundarent corda. pag. 58.1
Sacrificium veſpertinum quando Chriſtus conſummauerit. 377.2.
Scādalum Apoſtolorum ex paſsione Chriſti, explicatur 101.2
Scandalum hoc cur prædixerit Dominus. 102.1.
Scandali prædictio non abſtulit libertatem Apoſtolis. ibid.
Salinas iacientium in Chriſtum contumelia, p. 190.1.2
Saluari cur gratis dicamur, ſi à nobis exiguntur opera. 29.1
Salutis noſtræ quam ſit Chriſtus ſolicitus. 313.1
Samaria quid ſonet. 314.1.
Sanctitas Phariſæorum apud Iudæos. 319.2.

Sanctitatis omnis medulla charitas eſt. 210.1.
Sanctificatio quæ ſit vera. ibid.
Sanguis in Scripturis peccata ſæpè ſignificat. pagina 43.2.
Sanguine ſuo Chriſtus quomodo dicatur lauiſſe nos à peccatis noſtris. 51.1.
Sanguis Chriſti vbi adumbratus. 56.2.
Sanguine Chriſti cur fuerit opus ad redemptionem noſtram. ibid.
Sanguis Chriſti cur dicatur ſanguis redemptionis. ibid.
Sanguis Chriſti cur dicatur Noui Teſtamenti. pagin. 58.2.
Sanguis quomodo differat à cruore. 59.1.
Sanguis Chriſti cur fuerit effuſus, cùm potuerit intra venas offerri. ibid.
Sanguis Chriſti, fidem etiam & ſacramenta requirit. 59.1.
Sanguis Chriſti, ſemen eſt Chriſtianos generans. 59.2.
Sanguis Chriſti cur ſepties effuſus. 59.2.
Sanguis Chriſti ad pugnam acuit. 60.1.
Sanguis & aqua è latere Chriſti profluens quid portendat. 60.1.
Sanguineæ lachrymæ vnde proueniant, & quibus pag. 135.1.2.
Sanguis è vulnere mortui animalis cur non effluat. 135.2.
Sanguinis & lactis pluuia quale portentum. pagina 137.1.
Sanguinis & lactis effuſio è latere Chriſti, quid ſignificet. 137.2.
Sanguinis martyrum efficacia. 358.1
Sanguis Chriſti aliquis an manſerit. 394.2.
Sapientiæ diuinæ quid proprium. 24.2.
Sapientiæ liber, Salomonis, & non Philonis eſſe probatur. 33.1.
Sapientiæ liber cur in canone voluminum Hebræorum non ſit. ibid.
Satisfactio pro genere humano condigna non poterat fieri ab homine ſiue iuſto, ſiue peccatore. 12.1.
Satisfactionis valor vnde ſumatur. 12.1.
Satisfacere Deo ſolus potuit Chriſtus. 12.2.
Satisfactio Chriſti, exigit à nobis cooperationem, 28.2.
Senſus literalis eiuſdem loci ſcripturæ, duplex eſſe poteſt. 92.1.
Sententiam condemnationis an tulerit Pilatus in Chriſtum, & quibus verbis. 274.1.
Sententia debet ferri ſecundùm allegata & probata. 275.1.
Sepultura Hebræorum in edito loco. 95.2.
Seruire Chriſto, regnare eſt. 61.2.
Serui mundi quibus aſsimilentur. 68.2.
Seruus Dei dicitur Chriſtus, & quando primum fuerit. 87.2.
Seruus vt libertatem acciperet, alapa olim percutiebatur. 176.2.
Signatos quos appellet Scriptura 68.2.
Signa Chriſti celeberrima. 232.1.
Silentium Chriſti, ad interrogationes Caiphæ, & aliorum. 182.2.
Siluerit quomodo Chriſtus à bonis. ibid.
Silentium Chriſti coram Herode vbi figuratum. 232.1.
Silentio ſoluendæ nonullæ quæſtiones. 232.1.
Silentium Chriſti coram Pilato. 260.2.
Simonem Cyrenæum quare angariauerint Iudæi. 278.2.
Simeonem Cyrenæum crucifixum pro Chriſto, errarunt quidam heretici. 279.1.
Sindon qua Chriſtus fuit inuolutus in ſepulchro, quo miraculo inſignita, & vbi aſſeruetur. 294.2.
Sitis Chriſti in cruce, corporeane fuerit, an ſpiritualis. 361.2.
Sitis Chriſti magnitudo, & eius cauſa. 362.1.
Sitire quare Chriſtus voluerit. 362.1.
Somnium vxoris Pilati ab Angelo bono fuerit, an à malo. 239.1.
Somnium cur non habuit Pilatus, ſed vxor eius. 238.2.
Somnium vxoris Pilati quo tenderet. 241.1.
Spes omnis in Deo collocanda. 275.2.276.1.
Spinis cur comparentur peccata. 255.1.
Spiritus Chriſti grata Patri oblatio. 375.2.
Spiritum cur ſuum Chriſtus appellet. 374.2.
Supplicium reproborum. 283.1.2.
Supplicio cur afficerent Iudæi diebus feſtis. 283.2.

T.

TEmperamentum naturale corporis Chriſti quam bonum. 135.2.
Temporis differentiæ Deo non competunt. 192.2.
Tempus noſtrum, dies & hora, quænam ſint pagina 160.1.
Tenebræ factæ in morte Chriſti qua hora contigerint. 347.2.
Tenebræ iſtæ an fuerint ſupernaturales. 348.1.
Tenebræ iſtæ vbi prænuntiatæ. 348.2.
de his Tenebris quid ſenſerint varij Aſtrologi pagin. 349.1.2.
Tenebræ iſtæ an fuerint per vniuerſum mundum, variæ opiniones. 351.2.
Tenebræ iſtæ quid ſignificarent. 353.2.
Tentatio oratione præuenienda. 132.2.
Tentationi qui videantur conſentire. 123.2.
in Tentationem quomodo intremus. 134.1
Tentatio Chriſti in deſerto quomodo facta. 128.2.
Tentatio dæmonis quando maximè nos vrgeat. pag. 372.1.
Terræmotus factus in morte Chriſti, in quibus Prouincijs contigerit, & quid ſignificauerit. 350.2.
Terræmotus varij enumerantur. ibid.
Terra ſitiens in Scriptura quid ſignificet. 90.2.
Teſtes appellantur ſancti. 1.2.
Teſtis fidelis Chriſtus. 49.2.
Teſtamentum quid requirat. 62.2.
Teſtamentum cur ſemper moribundi condant. ibid.
Teſtamenta Patriarcharum antiquorum 62. & ſequent.
Teſtamentum cur condidit Ieſus. 63.1.
Teſtamentum Alexandri Magni. ibid.
Teſtamento ſuo quid Chriſtus Eccleſiæ, quid ſuis ſeruis, quid pauperibus legauerit. 64.1.2.
Timor Chriſti qualis. 80.2.
Timorem mortis in Chriſto fuiſſe, falsò negauit Hilarius. 108.1.
Timor mortis qualis in Chriſto fuerit. 109.2.
Timendum de nobis eſt, quandiu ſumus in carne. pag. 110.1.
Titulus cruci inſcriptus expenditur. 305.2.
Titulos adhibere patibulis damnatorum, mos fuit Romanis. 305.2.
Titulorum varius vſus apud antiquos. 309.1.

Titulus crucis Chriſti vbi ſit affixus, & vbi aſſeruetur. 206.1.
è Torrente Cedron egreſſus Domini vbi adumbratus. 100.1.
Tunica vnde ſit dicta. 316.1.
Tunica Chriſti inconſutilis quænam fuerit, & vbi aſſeruetur. ibid.
Tunicam Chriſti inconſutilem qui conentur diuidere. 317.1.

V.

V*Ades, quare ſic dicantur.* 77.1.
Vaſa Domini qui dicantur. 87.2.
Velamen cordis Iudæorum. 190.2.
Velum templi olim duplex. 379.1. *& vtrum ſit ſciſſum in morte Chriſti.* ibid.
Venditio Chriſti vbi figurata. 161.1.
Vendi & emi quare Chriſtus voluerit. 304.2.
Veneno extincti Socrates & Photio. 115.2.
Verbum Dei à quibus corrumpatur. 140.1.
Verbum Dei cur rarò audiant Principes, ſiue laici, ſiue Eccleſiaſtici. 174.1.
Verba Chriſti in cruce latè explicantur à pag. 408. vſque in finem libri.
Veritas in iudicio quando neceſſariò dicenda. pagin. 206.1.2.
Veritas quanta ſit confidentia. 174.2.
Veronicæ velum triplex, & hiſtoria illi valde ſimilis, ſcitu digna. 281.2.
Veſtes quomodo texerentur in Paleſtina. 316.1.
Veſtium Chriſti numerus. 315.2.
Victima vnde dicta. 31.2.
Vigilantia in tentatione quantopere à Chriſto commendata. 123.2. 124.1.
Vindictæ noſtræ quales eſſe debeant. 98.1.
Vindicandæ quatenus ſuis iniuriæ. 155.2.
Vinum immodicè ſumptum quid efficiat. 152.1.
Vinum cum felle qui Chriſto porrigant. 364.1.
Virginitas quo pacto ſeruetur. 256.1.
Vngendi cadauera mos quid ſignificaret apud Romanos. 401.1.
Vnicornes à Rhinocerote differunt. 83.1.
Vnicornes figura Iudæorum. ibid.
Voluntates duæ in Chriſto. 116.2.
Votū de redimendo humano genere Chriſtus edidit. 201
Vota Chriſti potiora quæ fuerint. 84.2.
Vouendi mos antiquus. 84.2.
Vulnera Chriſti quid habeant nouitatis & admirationis. 66.1.
Vulnera ſua Chriſtus creditur ad iudicium allaturus. 396.2.

Z.

Z*Elus gloriæ Dei quem habuit Chriſtus.* pagina 323.1.

FINIS.